M. E. Kiley.

SUMMA APOLOGETICA

DE ECCLESIA CATHOLICA

AD MENTEM

S. THOMAE AQUINATIS.

Hoc opus in Germania, Austria, Helvetia per omnia instituta libraria postulari potest. — In terris externis per: Benziger Brothers in New-York. — Burns & Oates in London. — Gill & Sohn in Dublin. — B. Herder in St. Louis. — P. Lethielleux in Paris. — Mühlbauer & Behrle in Chicago. — Fr. Pustet & Comp. in New-York. — Spithöver in Rom. — Libreria nacional y extranjera Madrid. — A. Vandenbröck in Brüssel.

1107
.D4
1906

SUMMA APOLOGETICA

DE ECCLESIA CATHOLICA

AD MENTEM

S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

FR. MAG. J. V. DE GROOT ORD. PRAED.,

AD UNIVERSITATEM AMSTELODAMENSEM PROFESSORE.

ST. FRANCIS SEMINARY
SALZMANN
LIBRARY
MILWAUKEE, WIS.

WITHDRAWN

EDITIO TERTIA AB AUCTORE EMENDATA ET AUCTA.

CUM APPROBATIONE REV. EPISCOPI RATISBONENSIS
ET LICENTIA ORDINIS.

RATISBONAE 1906.

INSTITUTUM LIBRARIUM PRIDEM G. J. MANZ.

Imprimatur.

Ratisbonae, die 4. Aprilis 1906.

Dr. **F. X. Leitner,**
Vic. Gen.

Th. Braun.

Opus, cui titulus: *Summa Apologetica*, in tertia hac editione eximie auctum, propter eruditionis copiam, expeditam docendi methodum, tersam nostroque tempori, quoties in rem est, clare adfulgentem doctrinam, studiosae iuventuti summopere commendandum censemus.

In Collegio Huissensi IV. Kal. Maias. MCMVI.

P. Fr. Th. Van Hoogstraten, S. Theol. Mag.
P. Fr. Th. van den Acker, S. Theol. Mag.

JA '54

Imprimi permittimus,

Huissen, die 29. Aprilis 1906.

Fr. Lud. Theissling,
Prior Prov.

Rme Pater,

Summo Pontifici Leoni XIII. tradidi scriptum tuum „De veritate Ecclesiae Catholicae Summa Apologetica“ quod Sanctitas Sua benigne excepit. Etsi ob gravissima supremi Sui muneris officia, non Sibi ita tempus est, ut per Seipsum et cognoscere librum et probare possit, tamen quum de operibus ingenii tui magnas docti et eruditi homines laudes habeant, qui modo librum, quem supra memoravi, enixius celebrarunt, Summus Pontifex hanc non amittere occasionem dignatus est tibi gratulandi et hortandi, bono semper et magno animo sis ad tuendam, Divo Thoma Doctore, Fidem Catholicam, tam saeve hisce miserrimis temporibus oppugnatam.

Caelestium autem munerum auspicem, laborum tuorum tamquam levamen, benevolentiaeque Suae argumentum tibi Summus Pontifex Apostolicam Benedictionem peramanter impertire dignatus est.

Romae, die X^{a} Dbris 1890.

Fr. Thomas M^{a}. Card. Zigliara.

Admodum Rendo. Patri Vincentio de Groot O. P.

Ad Lectorem.

Finis hujus operis, veritatem ecclesiae demonstrare; explicare locos theologicos; ad theologiam dogmaticam proludere. Haud satis scio an *Summam* apologeticam apte inscripserim. Intelligo tractatum systematicum, scholasticis accomodatum, nec nimis incompletum. Auxilia nobis in opere conficiendo fuerunt tum solida praecepta veterum tum recentiorum eruditissima opera; historiae adjumenta quaesivimus, quae jure magni habentur, praesertim in hoc genere disciplinarum: dux ac magister fuit S. Thomas Aquinas, Angelicus Doctor.

Non ignari sumus, quavis aetate praestantis ingenii viros operam dedisse maxime, ut ecclesiam Christi defenderent; neque temporibus nostris apologias deesse, plenas eruditionis et doctrinae. Verum lacessita undique ecclesia calumniis plurimorum, plures nunc decet et variis modis pro veritate dimicare; *pro veritate,* quoniam ecclesia catholica est *columna et firmamentum veritatis.* I. Tim. III. 15.

Et vero solida ecclesiae catholicae notitia plurimas habet utilitates easque praestantissimas. Distractis enim

multorum animis in varios errores, divelli nequeunt ab unitate veritatis, qui adhaerescunt ecclesiae; viri catholici, *altius intrantes in ecclesiae naturam,* officia sua pernoscent, jura potestatis sacrae verebuntur; atque etiam contendent et laborabunt, ut *christiana sentiendi agendique ratio in vita privata, in omnibus reipublicae partibus, restituatur.* Cf. Leon. XIII. encycl. *Sapientiae christianae.*

Avemus igitur hoc opere apologetico ad communem utilitatem aliquid conferre; sacrorum alumnos adjuvare, ut aliquando doceant et alios, Deo interius invitante, ecclesiae attendere, *quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* hujus saeculi. II. Petr. I. 19.

Huic autem apologeticae primo iterumque editae cum viri, fide doctrinâque praestantes, operam et judicium contulerint, ego consiliis eorum in redigenda hac tertia editione lubens usus sum et gratus, ut opus, quoad poteram, fini redderem aptius et opportunum.

Ipse Christus, qui est *Veritas* et Pastor aeternus, gratia sua nos adducat ad regionem ubertatis indeficientis, ubi pascit Israel in aeternum veritatis pabulo.
S. Aug. *Confess.* IX. 10.

Tu, bone Lector, vale.

Amstelodami, die 5. Maji, 1906.

Fr. J. V. de Groot, ord. praed.

INDEX.

pag.

Epist. Cardinalis Zigliara . . . . . V—VI
Ad Lectorem VII

Quaestio I.

De defensione fidei catholicae.

I. Articulus. Quid sit apologetica 1
II. Articulus. De ea parte apologeticae, quae dicitur demonstratio catholica 5
III. Articulus. De neo-apologetica 10
IV. Articulus. De continuo progressu apologeticae . . . 22
V. Articulus. De processu hujus Summae Apologeticae per decem locos theologicos 32
VI. Articulus. De argumentatione et methodo hujus Summae Apologeticae 35

Quaestio II.

De institutione ecclesiae.

I. Articulus. Quaenam sit vocabuli ecclesiae significatio . 39
II. Articulus. Utrum Christus immediate ecclesiam instituerit 45
III. Articulus. Utrum hominum sanctificatio sit finis ecclesiae proximus 53
IV. Articulus. Quando ecclesia instituta sit 61

pag.

Quaestio III.

De constitutione ecclesiae.

I. Articulus. Quaenam generatim sit doctrina catholica de constitutione ecclesiae 63
II. Articulus. Utrum Christi ecclesia sit coetus essentialiter etiam visibilis 66
III. Articulus. Ex quibus fidelibus ecclesia proprie et vere confletur 74
IV. Articulus. Utrum S. Scriptura doceat ecclesiam a Christo hierarchice constitutam esse 86
V. Articulus. Utrum constitutio ecclesiae hierarchica veterum etiam testimonio comprobetur . . 97
VI. Articulus. Utrum ecclesiam hierarchice constitui conveniens sit 104
VII. Articulus. Utrum episcopi sint ex Christi institutione presbyteris superiores 109
VIII. Articulus. Utrum forma regiminis ecclesiastici sit monarchica 122

Quaestio IV.

De ecclesia, societate perfecta et libera.

I. Articulus. Utrum ecclesia sit societas perfecta . . 130
II. Articulus. Utrum ecclesia sit societas ubique legalis . 139
III. Articulus. Utrum ecclesia sit societas necessaria . . 142

Quaestio V.

De notis ecclesiae.

I. Articulus. De indole et numero notarum . . . 146
II. Articulus. Utrum ecclesia Christi una sit . . 153
III. Articulus. Utrum ecclesia Christi sancta sit . . . 163
IV. Articulus. Utrum ecclesia Christi sit catholica . . 172
V. Articulus. Utrum Christi ecclesia sit apostolica . . 183

Quaestio VI.

De ecclesia, cui unitatis nota competit.

I. Articulus. Utrum unitatis nota in protestantismo reperiatur 189

pag.

II. Articulus. Utrum unitatis nota ecclesiis schismaticis competat 195
III. Articulus. Utrum unitatis nota ecclesiae Romanae competat 204
IV. Articulus. De via vera procurandi Christianitatis unitatem 213

Quaestio VII.

De ecclesia, cui sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis notae competant.

I. Articulus. Utrum sanctitas, catholicitas et apostolicitas ecclesiis protestanticis competant . . . 218
II. Articulus. Utrum sanctitas, catholicitas et apostolicitas Photianismo competant 231
III. Articulus. Utrum ecclesia Romana sancta sit . . . 243
IV. Articulus. Utrum ecclesia Romana sit catholica . . 259
V. Articulus. Utrum ecclesia Romana sit apostolica . . 264

Quaestio VIII.

De dotibus seu de indefectibilitate et infallibilitate ecclesiae.

I. Articulus. Utrum ecclesia sit indefectibilis . . . 269
II. Articulus. Utrum ecclesia in statum meliorem mutanda sit 278
III. Articulus. Utrum ecclesia sit infallibilis 282
IV. Articulus. Utrum ecclesia docens sit infallibilitatis activae subjectum 296

Quaestio IX.

De objecto infallibilitatis ecclesiae.

I. Articulus. Utrum infallibilitatis objectum sint omnia immediate revelata 301
II. Articulus. Utrum infallibilitatis objectum sint conclusiones theologicae 309
III. Articulus. Utrum infallibilitatis objectum sint facta dogmatica 315

pag.

IV. Articulus. Utrum infallibilitatis objectum sint res disciplinae 329
V. Articulus. Utrum infallibilitatis objectum sit canonizatio sanctorum 334
VI. Articulus. Utrum infallibilitatis objectum sit approbatio ordinum religiosorum 340

Quaestio X.

De magisterio ecclesiae.

I. Articulus. Utrum Christus magisterium instituerit . 343
II. Articulus. Utrum ecclesiae doctrina sit proxima regula fidei 352
III. Articulus. Utrum ecclesia sit judex controversiarum . 364
IV. Articulus. Utrum numerus credendorum per ecclesiae magisterium augeri possit 372
V. Articulus. De censuris, quibus propositiones fidei adversae ab ecclesia damnantur 379
VI. Articulus. Qua fide veritates ab ecclesia propositae credi debeant 383

Quaestio XI.

De potestate ecclesiae.

I. Articulus. Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem legislativam 389
II. Articulus. Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem judiciariam 396
III. Articulus. Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem coactivam 401
IV. Articulus. Utrum potestas ecclesiae coactiva ad poenas etiam temporales extendatur 406

Quaestio XII.

De relationibus inter ecclesiam et statum.

I. Articulus. Quaenam sint de relationibus inter ecclesiam et statum systemata 414

		pag.
II. Articulus.	De principiis, quibus quaestio de relationibus inter ecclesiam et statum solvenda est . .	420
III. Articulus.	Utrum ecclesia subordinetur statui . .	424
IV. Articulus.	Utrum ecclesia a statu statusque ab ecclesia sejungendus sit	433
V. Articulus.	Utrum ecclesia habeat potestatem indirectam in temporalia	444

Quaestio XIII.

De conciliis.

I. Articulus.	Quid sit concilium et quotuplex . . .	454
II. Articulus.	Cujus auctoritate concilium oecumenicum celebrandum sit	458
III. Articulus.	Utrum concilium oecumenicum sit infallibile	465
IV. Articulus.	Utrum concilium oecumenicum sit supra Papam	475
V. Articulus.	Utrum concilia oecumenica sint necessaria .	487

Quaestio XIV.

De primatu S. Petri.

I. Articulus.	Utrum S. Scripturae testimoniis probetur, S. Petrum jurisdictionis primatum divinitus accepisse	492
II. Articulus.	Utrum primatus S. Petri ex traditione certus sit	512
III. Articulus.	Utrum S. Petrus primatum a Christo solus acceperit	522
IV. Articulus.	Utrum beatus Petrus ex ordinatione divina perpetuos habeat in primatu successores .	525

Quaestio XV.

De primatu Romani Pontificis.

I. Articulus.	Utrum beatus Petrus Romam venerit . .	529
II. Articulus.	Utrum beatus Petrus suam cathedram Romae collocaverit	538

pag.

III. Articulus. Utrum beatus Petrus Romae mortuus sit . 542
IV. Articulus. Utrum Romanus Pontifex sit beati Petri in eodem primatu successor 555
V. Articulus. Quonam jure primatus episcopatui Romano annexus sit 572

Quaestio XVI.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

I. Articulus. Utrum Romanus Pontifex potestatem suam a Deo immediate accipiat 579
II. Articulus. Utrum Romanus Pontifex habeat totam plenitudinem potestatis supremae 583
III. Articulus. Utrum potestas Romani Pontificis in omnes et singulas ecclesias sit ordinaria et immediata 596
IV. Articulus. Utrum jurisdictionis potestas mediante Pontifice Maximo an immediate a Deo in episcopos derivetur 600
V. Articulus. Utrum Romanus Pontifex ex cathedra loquens sit infallibilis. Ex S. Scriptura . . . 603
VI. Articulus. Utrum eadem infallibilitas ex traditione monstretur 613
VII. Articulus. De valore Syllabi 634
VIII. Articulus. De auctoritate congregationum Romanarum in doctrina fidei et morum 640

Quaestio XVII.

De S. Scriptura.

I. Articulus. Quid S. Scripturae nomine intelligatur . . 646
II. Articulus. De conceptu et natura inspirationis S. Scripturarum 651
III. Articulus. Utrum S. Scriptura divinitus inspirata sit . 662
IV. Articulus. Utrum omnes Libri canonis Tridentini inspirati sint 670
V. Articulus. Utrum omnes res et sententiae Sanctarum Scripturarum divinitus inspiratae sint . . 684
VI. Articulus. Utrum concilium Tridentinum versionem vulgatam merito authenticam declaraverit . 698

pag.

Quaestio XVIII.

De S. Scripturarum interpretatione.

I. Articulus. De sensibus S. Scripturae 716
II. Articulus. Utrum ecclesiae sit judicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturae 722
III. Articulus. De interpretatione privata 733
IV. Articulus. De lectione S. Scripturae 742

Quaestio XIX.

De Traditione.

I. Articulus. Utrum traditiones divinae exsistant. Ex S. Scriptura 748
II. Articulus. Utrum exsistentia traditionum divinarum veterum testimoniis comprobetur . . . 757
III. Articulus. Utrum traditiones divinae infallibiliter ad nos usque pervenire potuerint 764
IV. Articulus. De regulis discernendi traditiones . . . 771
V. Articulus. De traditione et evolutione doctrinae Christianae 774

Quaestio XX.

De sanctis Patribus.

I. Articulus. Utrum consensus omnium patrum de doctrina fidei theologo certum praestet argumentum 783
II. Articulus. De auctoritate patrum, si singillatim spectentur, in doctrina fidei 794
III. Articulus. Regulae de usu sanctorum patrum . . 797

Quaestio XXI.

De auctoritate theologorum.

I. Articulus. Utrum concors omnium theologorum sententia in rebus fidei et morum certum praebeat argumentum 803
II. Articulus. De auctoritate S. Thomae Aquinatis . . 813

pag.

Quaestio XXII.

De ratione naturali.

I. Articulus. De viribus rationis naturalis 820
II. Articulus. De habitu rationis naturalis ad fidem . . 823
III. Articulus. Utrum possit ratio fidei credibilitatem certis argumentis probare 834
IV. Articulus. Utrum theologia rationibus philosophicis uti possit 847
V. Articulus. De philosophia S. Thomae 853

Quaestio XXIII.

De philosophorum auctoritate.

I. Articulus. De philosophorum auctoritate in theologia . 860
II. Articulus. De auctoritate Aristotelis 865

Quaestio XXIV.

De historiae humanae auctoritate.

I. Articulus. De humana historia generatim . . . 872
II. Articulus. Utrum historia humana theologis utilis esse possit 878
III. Articulus. Utrum archaeologia Christiana theologis argumenta praebeat 883

Figurae. De Figura I. 888
De Figuris I—V. cum textu totius carminis Aberciani graeco et latine reddito, . . { 889—891 / 893—894
De Figura VI. 891
De Figura VII. 515

Quaestio I.

De defensione fidei catholicae.

Quoniam „unaquaeque res optime disponitur, quum ad suum finem convenienter ordinatur“ (S. Thom. *C. Gent.* lib. I. c. I.), ante omnia opus est hujus operis indolem ac finem declarare. Quare inquirendum esse videtur:

Primo. *Quid sit apologetica.*

Secundo. *De ea parte apologeticae, quae dicitur demonstratio catholica.*

Tertio. *De neo-apologetica.*

Quarto. *De continuo progressu apologeticae.*

Quinto. *De processu hujus Apologeticae per decem locos theologicos.*

Sexto. *De argumentatione et methodo hujus Apologeticae.*

Articulus I.

Quid sit apologetica.

I. Apologeticae definitio. Apologiam (*ἀπολογία*) *defensionem* interpretamur, sicut S. Athanasius scripsit *Apologiam de fuga sua* et card. Newman *Apologiam pro vita sua.* S. Petrus fidelibus scribit: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem* (*πρὸς ἀπολογίαν*) *omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est,*

spe. I. Petr. III. 15. S. Justinus suam defensionem *Apologiam* pro Christianis vocat. Hinc defensiones fidei et tractatus scientifici, quorum *objectum* est *defendenda fides* Apologiae dicuntur. Cf. S. Thom. Opusc. *Declar. quorundam artic. contra Graecos, Armenos et Saracenos.*

Vox *Apologiae* aut sensu quodam latiori de ea quoque fidei defensione dicitur, quae est de fidei veritatibus *in particulari*, aut sensu minus late sumpto de fidei *fundamentis generalibus.* In primo genere habetur liber IV. *Summae de veritate catholicae fidei contra gentiles*, ubi Angelicus singulos fidei articulos, recurrendo ad rationem naturalem, contra paganorum opiniones defendit, qua quidem defensione, ostensis fidei convenientiis vanisque conjecturis obloquentium, Apologiam nobilissimam nobis reliquit. Aquinas latiorem illam fidei defensionem describere videtur his verbis II. II, 9, 1 ad 2: „est scientia circa credenda per quam homo non solum scit quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare et alios ad credendum inducere et contradictores revincere."

Hoc autem loco Apologiam strictius intelligimus atque scientiam fundamentorum fidei *apologeticam* nominamus, quae definiri potest: *Scientia fundamentorum verae religionis.*[1])

II. Explicatur definitio. Apologetica dicitur 1° *scientia*, id est, cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita, *cum recta ratio fidei fundamenta demonstret*, ut docet Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, cap. IV. 2° Dicitur scientia *fundamentorum*, id est, earum veritatum et factorum, quibus probatur talem religionem cum omnibus, quae ad eam pertinent, veritatibus et institutis prudenti cuique esse amplectendam. Hujusmodi fundamenta sunt: Deum esse; necessitas moralis revelationis, ut veritates religionis naturalis in praesenti generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint; factum revelationis veritatum etiam super-

[1]) Jules Didiot, *Logique surnaturelle subjective*, p. 528, Apologeticam definit: „Science des arguments et de la méthode propres à la défense de la religion."

naturalium, miraculis signisque divinis manifestatum, etc. 3° Postremo: *verae religionis.* Vera autem religio est *verus cultus veri Dei*, scilicet ille cultus, quem ipse Deus praecipit.

III. Apologeticae divisio. Religio catholica, quamvis unica sit et indivisa totamque religionem veram in se contineat, sub *triplici* tamen *respectu* religionis naturalis, Christianae et catholicae spectari potest. Hinc apologeticae divisio habet explicatus haud difficiles. Namque completae Apologiae *tres* sunt partes.

1° *Demonstratio religionis naturalis* hac ratione instituitur, ut cultus veri Dei, quantum nobis absque revelationis luce potest innotescere, philosophice et scientifice cognoscatur. Et quoniam *credere oportet accedentem ad Deum quia est* (Hebr. XI, 6), demonstratio existentiae Dei adversus atheos, pantheos et alios incredulos huic parti apologeticae praetexitur. Similiter spiritualitas animi ejusque immortalitas et aliae veritates, quas vocamus *praeambula fidei*, tanquam fundamenta religionis adversus materialistas argumentis propriis firmandae sunt. Cf. S. Thom. I, 2, 2 ad 1; II. II, 2, 10 ad 2.

2° *Demonstratio christiana* eo spectat, ut factum divinae revelationis, in Christo consummatae, evidenter credibile esse ostendatur. Neque ab hac apologeticae parte abhorrent controversiae, quae hac aetate de concordia S. Scripturarum et scientiarum physicarum agitantur. Auctores nonnulli secundam et primam partem conjunctim *demonstrationem Christianam* vocant.

3° *Demonstratio catholica* — inquirit, *cui coetui* seu ecclesiae depositum revelationis commissum sit, ut coetus ille in concreto cum omnibus veritatibus, quas edocet, cum charismatibus suis et juribus omnibus uti divinum opus cognoscatur.

Patet singulas partes memoratas in plures tractatus apologeticos distribui posse, ad unam alteramve quaestionem limitatos, puta ad quaestionem de Petri privilegio; atque etiam restrictos ad unum respectum cujusdam disputationis, ut si quis ecclesiam ratione morum atque culturae defendit, id quod praestitit Weiss in opere, quod inscripsit *Apologie des Christentums vom Standpunkte der Sitte und Kultur.*

IV. Utrum apologetica sit scientia distincta. Aliquis dixerit, apologeticam aut ad philosophiam pertinere aut ad theologiam aut ad utramque. Verum ab utraque secernitur. Nam,

1° Apologetica seu scientia fundamentorum verae religionis complectitur *a) praeambula fidei, b) motiva credibilitatis.* Atqui objectum philosophiae a dicto apologeticae objecto satis differt. Ergo philosophia et apologetica esse videntur diversae scientiae. Et certe *motiva credibilitatis* et disputationes de *facto* revelationis supernaturalis a philosophis attingi non consueverunt. In *praeambulis* autem *fidei* materies philosophica valde restringitur. Omittuntur enim in apologetica quaestiones philosophicae perquam multae, velut quaestio de sensuum veracitate; siquidem supponitur auditor, cui *aut* nulla unquam de quaestionibus illis dubitatio injecta est, aut omnis dubitatio, si ulla fuerit, philosophiae studio sublata. De Deo autem, de anima aliisque id genus veritatibus apologetica *tantum* agit, *quantum* ad defendendam veram religionem opus est et *in ordine ad* hunc finem. Fatemur tamen apologeticam in nonnullis esse philosophiae contiguam.

2° Theologia *principio* et *objecto* ab apologetica differt. Ergo apologetica et theologia non sunt una eademque scientia. Prob. *antec.* Theologiae proprie dictae *principium* est fides divina, *objectum proprium* sunt mysteria *in speciali,* quae suapte natura intellectum creatum excedunt. (Cf. Conc. Vat. Const. *Dei Filius,* cap. IV.) Atqui principium, quo in apologetica cognoscitur, humanum rationis lumen est; objectum autem sunt praeambula fidei et ipsae veritates fidei *sub ratione communi credibilis.*

Quaeres, utrum apologetica praeter sincerum veritatis amorem nullam scientiam in studiosis supponat.

Resp. 1° Videtur apologetica aliquas saltem notiones philosophicas in studiosis supponere sive disciplina sive proprio ingenio acquisitas. Apologeticae igitur viam sternat „philosophia, a qua nimirum magna ex parte pendet ceterarum scientiarum recta ratio". Leo XIII., Enc. *Aeterni Patris.* 2° Deinde apologetica nonnullarum rerum tracta-

tionem uberiorem supponit in aliis scientiis, velut in critica, historia et in physicis disciplinis, quibus ipsa saepius tanquam auxiliaribus utitur.

V. Apologeticae nomina. Haec scientia 1° generatim vocatur *apologetica*, sive veritatem religionis verae credentibus ostendat, ut confirmentur, sive non credentibus, ut convertantur; 2° *irenica* dicitur a voce εἰρήνη (pax) vel *henotica* a voce ἑνότης (unitas), in quantum disciplinae illius scopus est, dissidentes quoscunque, gratia divina operante, in pacem et unitatem verae religionis adducere; 3° *polemica*, quatenus confutatio falsarum opinionum probationem fundamentorum verae religionis comitatur; 4° *theologia generalis*, quia per motiva credibilitatis ostenditur, generalia fidei principia esse admittenda; 5° *theologia fundamentalis*, cum haec scientia sit de fontibus, ex quibus singulorum dogmatum argumenta hauriri possint; quo fit, ut theologicae scientiae fundamenta quaedam agat; 6° *propaedeutica*, utpote praevia institutio ad theologiam. Bellarmini *Controversiae* eruditissimam Apologiam continent.[1])

Nobis *propaedeutica* et *apologetica* nomina magis convenientia videntur. Hoc autem assumimus, quia non tantum ad theologiam introducere, verum etiam defendere ecclesiam ab adversariis conati sumus.[2])

Articulus II.

De ea parte apologeticae, quae dicitur demonstratio catholica.

I. Apologetica de veritate ecclesiae catholicae. Apologetica est *scientia fundamentorum verae religionis.* Cf.

---

[1]) Duilhé de Saint-Projet hanc divisionem tradit: „*Apologie:* défense de la foi contre les incrédules: elle offre un caractère purement scientifique rationnel. *Polémique:* défense de la foi contre les hérétiques; son caractère est surtout théologique, elle s'appuie sur des arguments d'autorité. *Controverse:* discussions entre catholiques sur des matières libres." *L'apologét. chrét.*

[2]) Cf. M. Glossner, *Begriff und Aufgabe der Apologetik*, in *Jahrbuch für Philos. und spekul. Theol.* IV, S. 424.

p. 2. Ex quo, quantum huic scientiae in demonstranda ecclesiae catholicae veritate tribuendum sit, mox elucet. Quaeritur enim de fundamentis veri cultus veri Dei, seu verae religionis, quam totam in ecclesia catholica constitutam esse affirmamus. Animadvertendum est autem, in ecclesia catholica considerari posse *aut* ipsas fidei veritates, ab ecclesia propositas, *aut* auctoritatem ecclesiae, hasce proponentis; fidei veritates *in speciali* demonstrari non possunt, possunt sub *ratione communi credibilis*, siquidem rite probari potest certisque argumentis ostendi catholicae ecclesiae in docendo et dirigendo Dei cultu *divinitus instituta auctoritas*. Cf. Const. Vatic. *De fide*, can. III, IV; Leonem XIII., Encycl. *Aeterni Patris;* S. Thom. II. II. 1, 4.

Quin etiam aliqua hujus auctoritatis evidentia videtur fidei assensui esse, tanquam conditio, ut ajunt, sine qua non, et eo sensu necessaria, juxta hoc Angelici: „Non enim crederet (fidelis) nisi *videret* ea esse credenda.“ II. II. 1, 4. Itaque oportet, ea, quibus auctoritas ecclesiae catholicae innititur, *fundamenta* demonstrare; at haec demonstratio ad *apologeticam* spectat.

II. De genere argumentandi quod huic apologeticae parti est consentaneum. Quoniam apologetica est *scientia*, scientia autem cognitio certa et evidens, in demonstratione catholica sequenda est ea ratio argumentandi, ex quo gignatur cognitio certa et evidens credibilitatis ecclesiae catholicae. Jam vero evidens ecclesiae catholicae credibilitas fundatur *in manifestis divinae legationis signis*, quae in eadem ecclesia conspiciuntur et praesertim *in facto publico coetus a Christo ad opus suum continuandum in terris constituti* et *ecclesiae catholicae cum eo coetu identitatis irrecusabilis.*

Hinc duplex argumentandi ratio: *primum* enim argumentorum genus ex vita illa supernaturali desumitur, quam ecclesia saeculis omnibus manifestavit atque hac etiam nostra aetate manifestat splendide; *alterum* praebent documenta *historica*, quibus ostenditur, qualem Christus coetum suum constituerit, talem in ecclesia catholica prorsus integrum perdurare. Haec est methodus philosophico-historica,

quam secuti, facile demonstramus, ecclesiam esse *opus divinum,* sive vitam ejus contemplamur intrinsecam sive publicum factum spectamus ejus originis a Christo Domino. Et sane tam ex *operatione divina* ecclesiae quam *ex institutione* ejus *divina,* utique *historice* probata, *opus divinum* et *divina legatio* prodeunt.

Quod Patres Vaticani his verbis significasse videntur: „Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile." Constitutio *Dei Filius,* cap. III.

Dices. Principium, quo in apologetica cognoscitur, *humanum* rationis *lumen* est. At institutio et constitutio ecclesiae probari solent ex S. Scripturis et Traditione, quas qui allegat, *fidem* appellat. Argumentatio igitur, quae dictis testimoniis procedit, ad theologiam pertinet, non ad apologeticam.

Resp. Dist. min.: fidem appellat, qui S. Libros et Traditionem allegat ut fontes fidei divinos, *conc.;* ut libros historicos tantum, *nego.* Quemadmodum in illa apologeticae parte, quae demonstratio christiana dicitur, tum vaticinia V. T. allegantur tum ex N. T. testimonia de Christi dictis factisque plurima, nimirum ut *via historica* Servatoris divina missio demonstretur, sic et in demonstratione catholica *historicis* argumentis probatur illius legatio ecclesiae, in qua divina Christi missio continuatur.

Replicabis. S. Augustinus ait: „Apostoli Christum praesentem videbant, sed toto orbe terrarum diffusam Ecclesiam non videbant; videbant caput, et de corpore credebant. Habemus vices nostras, habemus gratiam dispensa-

tionis et distributionis nostrae: ad credendum certissimis documentis, tempora nobis in una fide sunt distributa. *Illi videbant caput, et credebant de corpore: nos videmus corpus, credamus de capite.*" Serm. CCXLII.

Resp. S. Augustinus haec non dixit *exclusive*, sed quid in diversis temporibus praevaleret, ostendit. Profecto lucem ecclesiae splendentem viderunt et apostoli, quandoquidem charismata quaevis illorum aetate effulserunt in ecclesia; deinde et nobis Christum quasi *praesentem* exhibent certissima documenta historica; denique dubitari non potest, Hipponensem, dimicantem pro catholicae ecclesiae auctoritate et credibilitate adversus acatholicos, plus semel ratiocinatum ex iis esse, quae Christus de sua constituit ecclesia.

III. De limitibus demonstrationis catholicae. Disputatio de limitibus, quibus apologetica circumscribenda sit, generatim ex indole tam hujus ipsius scientiae quam eorum, quibus proponitur, sumenda est. Haec *demonstrationis catholicae* est indoles, ut probet, religionem veram, quam Jesus Christus ipsemet instituit, ecclesiae catholicae tuendam propagandamque esse demandatam. Cf. Leon. XIII. encycl. *Immortale Dei.* Quare finem et apicem apologeticae totius oportet esse credibilitatem evidentem ecclesiae docentis, custodientis, dirigentis religionem a Christo traditam. Quidquid ergo via philosophico-historica ad hanc stabiliendam credibilitatem colligitur, id omne demonstratio catholica tanquam proprium et suum poterit pertractare. — Quoniam vero pars illa apologeticae excolitur non pro acatholicis duntaxat, ut ad fidem disponantur, sed pro fidelibus etiam et praesertim pro clericis, ut possint mente catholica scientiis, maxime theologiae dogmaticae dare operam, idcirco quidam censuere demonstrationem catholicam haud artioribus finibus concludere quam *propaedeuticam* et *theologiam generalem*, quin etiam, ne eadem aut valde connexa bis tractare cogamur, atque ut *introductio ad sacram theologiam* completa sit, non absurde in hoc disciplinarum genere probantur et exponuntur *loci theologici*, id est, aperiuntur fontes, ex quibus suas theologi rationes hauriunt et argumenta. —

Noster apologeticae conceptus si cuipiam videatur latior, dubitari tamen non potest, quin opus sit, in demonstratione catholica quam firmissime probare, catholicam ecclesiam ejusque *constitutiva omnia* ab ipso Christo prodiisse; coacti scilicet testimoniis certissimis, Christum habere catholicae ecclesiae Auctorem, credibilitatem ecclesiae illius negare non possumus.[1])

Attamen divinam Christi missionem probare hujus loci non est, sed ad eos remittimus, qui religionis Christianae veritatem probandam suscipiunt, dictamque Jesu Christi missionem argumentis permultis validisque demonstrant.

IV. Demonstratio catholica summi momenti est. Demonstratio catholica est scientia *fundamentorum, quibus auctoritas ecclesiae catholicae innititur.* Perspicuum est ejusmodi demonstrationem momentum afferre ad efficaciam apologeticae.

1° Quia hoc unice apologetis propositum est veram religionem *in concreto* ostendere; quam quidem divinitus in ecclesia catholica constitutam esse monstrabimus. 2° Commonstrata ecclesiae veritate, iter certum ad controversias de singulis dogmatibus dirimendas aperitur; firma namque quibusvis hominibus fidei regula erit ecclesia illa, cujus testimonium Dei loquentis instrumentum organumque esse constiterit. 3° Perspecta ecclesiae auctoritate malis plurimis liberabitur domestica quoque atque civilis societas. Quare Leo XIII. de malis humanae societatis scribens: „Horum autem — inquit — malorum causam in eo praecipue sitam esse Nobis persuasum est, quod despecta ac rejecta sit sancta illa et augustissima Ecclesiae auctoritas, quae Dei nomine humano generi praeest, et legitimae cujusque auctoritatis vindex est et praesidium.“ Encycl. *Inscrutabili Dei*, 21. Aprilis 1878.

Et sane divina luce lucet ecclesia. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes,[2]) et ad se invitet, qui

[1]) Cf. Card. Zigliara, *Propaedeutica*, p. X; M. Glossner in *Jahrbuch für Philos. und spekul. Theol.*, B. IV, S. 399—429; A. Schill-Witz, *Theologische Prinzipienlehre* (2. Aufl., 1903), S. 1—33.

[2]) Is. XI, 12.

nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, III; cf. Leon. XIII. encycl. *Aeterni Patris* et *Imm. Dei*.

Articulus III.

De neo-apologetica.

I. Quid sit neo-apologetica. Vetera novis augere quemadmodum universae vitae scientificae ita sane apologeticae lex est. Mirum esset, si recentiores apologetae nullos composuissent libros, quos propter materiarum augmentum et selectionem temporibus adaptatam novos seu modernos non habueris. Verum alio modo haec vox *neo-apologeticae* speciatim usurpari coepta est de iis philosophis et theologis, qui totius apologeticae regenerationem exspectant ab illa methodo, quae vocatur *methodus immanentiae*. Cujus scholae duces sunt Maurice Blondel, Ch. Denis et L. Laberthonnière;[1]) praecursores forsitan fuerunt J. Kuhn, quondam professor Tubingensis, qui de rationum philosophico-historicarum insufficientia plura contra traditionalem apologeticam scriptis suis dogmaticis intexuit, atque W. Hillen, qui neglectis argumentis ex signis et vaticiniis veritatem religionis Christianae et catholicae ecclesiae ex earum ad-

---

[1]) M. Blondel, *L'action* (1893); *Lettre sur les exigences de la pensée contemporaine en matière d'apologétique*, in *Annales de philosophie chrétienne*, 1896; *Principe élémentaire d'une logique de la vie morale*, 1900; *Histoire et Dogme*, in *La Quinzaine*, 1904, Janv.-Février. — Ch. Denis, *Esquisse d'une Apologie philosophique du Christianisme dans les limites de la nature et de la Révélation*, 1898; *La croyance considérée comme principe de connaissance et de certitude*, in *Annales de philos. chrétienne*, 1900, Nov.; *Un carême apologétique*, 1902, opus prohibitum per Decretum ex S. Congreg. Indicis 4. Dec. 1903. — L. Laberthonnière, *Essais de philosophie religieuse*, 2. édit. 1903; *Le réalisme chrétien et l'idéalisme grec*, 1904. — Mano, *Le Problème apologétique*. — Auctores isti alii aliter procedunt; v. g. Blondel, ut philosophus, ab homine orditur; Laberthonnière, ut theologus, ab ordine supernaturali. Nostrum est communem eorum tendentiam in apologetica describere. — Cf. inter alios extra Galliam A. Ehrhard, *Das religiöse Leben in der katholischen Kirche*, 1904.

aptatione ad humanam naturam probandam esse perhibuit.[1]) Neo-apologetae quoque statutum habent philosophico-historicis argumentis, quorum tamen valorem *in se* non negant,[2]) ea motiva credibilitatis seu *credulitatis*, ut termino moderno (croyance) utar, substituere, quae statui psychologico (mentalité) coaevorum vere respondeant. Cultores autem hujus instaurationis apologeticae quid doceant et velint, speramus fore ut ex nonnullis capitibus intelligatur.

1° Statuunt mentes modernas subjectivismo imbutas esse. Homines enim *autonomiam* desiderant, hoc est, *in se*

---

[1]) J. Kuhn, *Dogmatik* (1859); *Philosophie und Theologie* 1860. — W. Hillen, *Apologetik des Christentums vom Standpunkt des Opfers* (1863). — Cf. sub respectu mere philosophico Maine de Biran (1766—1824), cujus systema nonnulli descripserunt tanquam *La psychologie de l'effort*. — H. Schell, *Religion und Offenbarung* (1901), S. XXI de Voluntarismo in apologetica ait: „Euckens Ringen nach einem geistigen Lebensinhalt, nach geistiger Wesensbildung ist ihr wohl am nächsten verwandt."

[2]) Ita Denis, *Esquisse d'une Apologie philosophique*, p. 101 scribit: „Nous prions le lecteur de peser toutes nos expressions. Il s'agit ici d'une apologétique scientifique, dépassant l'ordre ordinaire des intelligences et des besoins moraux de la majorité des individus. Le fait historique de l'existence de Jésus-Christ opérant des miracles, posant une doctrine incomparable, se ressuscitant lui-même, est très amplement suffisant pour convaincre un homme de bonne foi, chez qui il n'y a aucune exigence rationaliste. Or, ce sont précisément ces exigences dont doit tenir compte l'apologie." Rursus l. c. p. 237: „Nous reconnaissons et *professons* que cette justification de l'objet en lui-même n'est pas nécessaire pour les hommes qui admettent préalablement l'autorité infaillibile de l'Église ou la véracité de Dieu révélateur. Les motifs de crédibilité extrinsèques suffisent donc pour la plupart des esprits, et les motifs de crédibilité intrinsèques ne sont exigés que par une catégorie d'esprits. C'est pour elle que nous écrivons ce chapitre, en souhaitant de tout notre coeur que ces esprits ne deviennent pas de plus en plus nombreux!"

Blondel, *La Quinzaine*, 1904, 16 Janv. p. 151, *Histoire et Dogme*, dicit: „Il devrait être superflu de noter que je nie nullement la réalité ou la force probante des signes et des miracles: je critique seulement l'usage incomplet qu'en font certains apologistes. Veuillent ceux-ci ne point identifier leur façon d'interpréter et d'utiliser une preuve avec cette preuve elle-même, et cela au moment où je m'efforce d'en préparer, d'en assurer toute la valeur."

exordium cognoscendae veritatis religiosae et ethicae reperire cupiunt, horrentque omnes, qui *ab extrinseco* et per viam auctoritatis dogmata ac praecepta morum in animos introducere conantur. 2° Coaevi aegre audiunt, mundum rerumque naturam esse aliquid fixi, sed omnia considerant tanquam indefinitis evolutionibus apta; nihil ita limitatum esse volunt, ut ordo supernaturalis a naturali separatus admitteretur. Itaque cum *iis*, *qui* juxta haec postulata judicant, prius intrandum est in subjectum humanum, diligenter considerando est, ad quam evolutionem intimae profundissimaeque vires humanae natae sint; quod nihil aliud est, ut moderne loquar, quam ex ipsa vitalitate, quam etiam *ego* vocant, principia credulitatis eruere. 3° Quod ut rite fiat, *intellectualismus* relinquendus est, quem philosophia Aristotelica in apologeticam traditionalem et classicam transfudit: intellectualismi scilicet vitium est maximum, quod hujusmodi argumenta rationesque proponat, quae non ex totius hominis natura, sed ex facultate tantum cogitandi eruantur. Mentes modernae talem *dialecticam abstractam* aut non intelligunt aut intelligere nolunt. 4° Quare *voluntarismus psychologicus* eligendus est, qui sic vocatur, quod ad omnes facultates animae *volitivas* sese dirigat, et quod *in ipsa anima* perscrutetur inclinationes, impulsus ad assentiendum vero, conditiones certitudinis. Hinc philosophiae *immanentiae* nomen, quoniam haec in ipsa natura quasdam investigat manentes et latentes ad supernaturale exigentias, quarum conscientiam apologeta practicus excitare in hominibus et corroborare studeat. 5° Neo-apologetica, sic intellecta, majorem habet firmitatem. Etenim apologetica, quae olim *factis historicis* et *externis* primario nitebatur, quotiescunque critica textus aliquos Scripturarum vel certitudinem nonnullorum factorum supernaturalium obscuraret, exigentiis obsequii rationalis plus minusve deesse videbatur; sed neo-apologetica immota stat in firmissimo ipsius naturae humanae firmamento.[1])

---

[1]) Blondel, l. c. p. 152 scribit: „Trois pièces rapportées seront ainsi mises bout à bout: le miraculeux sera fourni par la perception

Praeterea hominum illorum indoli, quam sub No. 2 descripsimus, optime sese adoptat; *desiderio quidem evolutionis*, ostendens, quantopere vita Christiana faveat progressui virium optimarum; horrori *limitationis naturae per supernaturalia*, in quantum non primario facta historica supernaturalia profert, sed ante omnia in intima hominis vita, seu in *ego*, vias ad supernaturalem vitam parare conatur.

Quibus ita positis, neo-apologetica videtur esse scientia seu methodus persuadendi hominibus veram religionem, primario per rationes sumptas ex intimis humanae naturae exigentiis viribusque voluntariis adaptatas.

II. Explicatur methodus neo-apologeticae. Neo-apologetica videtur a duobus principiis procedere. 1° Admittit certitudinem a duplici conditionum genere, nempe ab *intellectualibus* et *a moralibus* conditionibus, dependere. 2° Supponendum esse statuit, omnem *veritatem* et omnem *legem* esse aliquo modo homini autonomam seu autochthonem, quibus verbis intelligunt, omnem veritatem et legem esse quasi oriundam ab homine atque pariter exigentiis altioris vitae ejusdemque expansioni utcunque respondere. Hic si quis roget, utrum natura humana *realitatem* ipsam supernaturalis ordinis postulet, hoc est illud supernaturale, quod historice apparet, videlicet Christianam religionem in concreto et catholicam ecclesiam; respondent, non postulare. Methodus enim *immanentiae*, de qua

---

des sens; le divin sera dégagé par le travail rationel; le surnaturel sera défini par les données de la révélation authentiquées par le miraculeux divin. Mais ces éléments restent extérieurs les uns aux autres et ne sont reliés pour nous que par un raisonnement, édifice tout intellectuel qui se fonde uniquement sur une constatation empirique: d'où l'on voit combien la moindre atteinte à la théorie de la perception et du raisonnement qu'il requiert comme base, en menace la fragilité. Je ne dis pas que ces théories soient fausses, ni que ces trois éléments n'existent pas, ni que le fil tendu entre eux par la thèse que j'analyse ne soi pas continu: je dis que ces éléments sont reliés encore par autre chose, et que ce fil, suffisant pour soutenir encore certains esprits, n'est pas une contexture assez forte pour rattacher au surnaturel tel qu'il est tous les esprits tels qu'ils sont, même légitimement, aujourd'hui."

jam mentionem fecimus, nihil admittit, nisi postulatum ad supernaturale *indeterminatum;* insuper naturam intelligit, ut jam est, in statu igitur actuali et postquam supernaturale ipsi oblatum fuit.

Cardo quaestionis est, ubi sit *punctum insertionis* supernaturalis ordinis in naturam nostram. Haec insertio in *actione* seu *vita* humana fiat. Nam aliud quid in nobis est quam ipsi nos, idque infinito nobis superius. Hoc autem superius in nobis sunt exigentiae illae ad supernaturale, quas homines, utpote qui ad activitatem propriam natura sua determinentur, in se, *quales jam sunt,* nimirum in cogitando, volendo, agendo reperiunt.[1])

---

[1]) Denis, *Esquisse d'une Apologie philos.* p. 90—91, hanc doctrinam his verbis, post Blondel, illustrat: „Notre faiblesse, — dit-il (Blondel) que nous sentons plus vivement dans l'adversité, dans la crainte, dans la tentation, appelle la force; nous nous sentons contingents, dépourvus de force susceptible de nous assurer l'être indéfectible, et nous appelons l'être nécessaire, l'être bon, l'être pur, nous le prions dans notre détresse; la plénitude de la vie elle-même frappée par l'évidence de la décroissance continue, inévitable, appelle l'infinie perfection. Toute cette dialectique n'a pas sa base dans l'intellectualisme, car la raison, dans l'ordre des aspirations transcendantes, est statique et limitative, elle ne peut impérer rien qui la dépasse. Ici, au contraire, la méthode d'immanence appliquée à la volonté, et de la volonté à l'acte religieux s'affirmant sous les formes de la crainte, de la prière, de l'adoration, du tourment de l'infini, donne présent à notre conscience un Autre que nous-mêmes, un autre qui nous aide, nous appuie, nous pacifie et surtout nous attire par la réalité vivante de sa perfection désirable.

Nous portons donc en nous des exigences, conséquences de cet appétit du divin. Appelez les comme vous voudrez, vous ne pourrez leur refuser le caractère d'être postulées comme la condition immanente de tout surnaturel, et, par expérience philosophique, le surnaturel ne pourra pas se passer de cette condition naturelle. C'est une induction qui enchaîne toute notre destinée. Cette destinée demande le surcroît d'une surnature qui remplisse intégralement notre aptitude non à produire ni à déterminer cette surnature, mais à la recevoir, à l'aimer comme une fin au delà de laquelle rienne reste plus désirable.

C'est par là que la métaphysique rentre dans l'apologétique."

Laberthonnière, *Essais,* p. 170: „N'est-ce pas Dieu qui agit en nous tous par cette inquiétude, par cet inassouvissement, par ce

Hic vero conceptus de insertione, synthesi seu conjunctione naturae et supernaturalis ab utriusque *identificatione* vere distingui debet.

Sub idea directrice memoratae insertionis neo-apologetica via sua *psychologica* procedendum esse arbitratur. *Psychologica* via, quam *philosophicae* opponit, in eo consistit, quod non methodum rationalem speculativam seu ratiocinantem, sed dynamismum moralem adhibendum esse autumant. Quid est *dynamismus* ille moralis? Vires voluntarias conjunctim complectitur; intellectum non excludit, sed cooperante intellectu, voluntati tamen in consequenda veritate et realitate religiosa primatus tribuitur. Unde summa spes adipiscendi religiosum verum in *credulitate* (croyance) collocatur, quae non est vis mere logica, sed id quod voluntatis simul et affectus et rationis activitatem movet.[1] Credulitas, ab intimo homine saliens, vehiculum quoddam esse poterit veritatum religiosarum maxime objectivarum. Sub quonam respectu? In quantum *conditiones* humanae ad recipiendum (de réceptivité) supernaturale ponuntur. Profecto veritates *objectivae* supernaturales, quas Deus revelat, ex credulitate illa prodire non possunt; sed ipsa credulitas conditio humana est, ut homo doctrinam fidei, si adsit, tanquam veram amplectatur.

III. Quomodo neo-apologetica ad demonstrationem catholicam procedat. Duo vidimus: 1° homo in sua vita et actione seu in se, ut vivit et agit, exigentias illas detegit, unde quaedam naturae cum super-

---

besoin d'infini qui nous empêche partout de trouver le repos, et qui nous donne toujours du mouvement pour aller plus loin et plus haut? Si ce n'était Dieu, que serait ce donc en effet?"

[1]) Denis, *Esquisse d'une Apologie philos.* p. 172: „Il nous semble que l'on peut dire que la croyance est homogène au sentiment, à l'amour, aux facultés affectives, à l'action, à la volonté et à la liberté; on ne peut en dire autant de la raison raisonnante." Cf. l. c. p. 75—78. — Ibid p. 169: „On admet bien que la sensation, la perception, le sentiment, l'intuition sont des moyens de connaître donnant la certitude de l'objet: pourquoi la croyance ne mériterait-elle pas cette note?" — *Croyance* posset etiam reddi per *fidem; credulitatem* eligimus, ut a fide, proprie dicta, distinguatur.

naturali synthesis fiat; 2° synthesis illa seu conjunctio, de qua supra, non inducitur nexu logico, sed praecise quoniam cum dictis indigentiis cohaeret, quae non ad ordinem logicum, sed ad totam vim vitalem et praecipue ad vires voluntarias pertinent, omnino perficiatur necesse est sub impulsu vivifico voluntatis, tendentis ad bonum. Quibus positis, neo-apologetica religionem divinitus revelatam hominibus ab extrinseco proponi non negat, sed docet, hominem ex intimo corde, hoc est, ex iis, quae in se suaque natura et activitatibus comperit, obviam ire religioni revelatae et ecclesiae illi, quae religionem divinitus revelatam praedicat et edocet. Ob eamque rem affirmant, apologetis eo tendendum esse, ut animis modernis persuadeatur, ecclesiam catholicam, qualiter est atque vivit, tam generatim quam in singulis vitae suae partibus, indigentiis naturae nostrae respondere;[1]) addunt ea, quae divinitus ecclesiae donata esse credimus, cum iis, quae intimae naturae humanae ejusdemque inclinationibus immanent, ita coincidere, ut non ad deprimendas excelsioris vitae perfectiones spectent sed ad eas maxime perficiendas.[2]) Insuper apo-

[1]) Laberthonnière, *Essais,* p. 173 de Revelatione dicit: „elle n'est plus une étrangère, parce que du dedans on va vers elle; elle nous apparaît comme comblant un vide, comme répondant à un besoin de notre nature. En la recevant, on a en soi un principe organisateur qui y correspond et par lequel on peut s'en emparer et la faire sienne."

[2]) Denis, *Esquisse d'une Apologie philos.* p. 295–296: „Aux partisans du moralisme absolu, nous présentons une hétéronomie qui ne déprime ni ne tue notre autonomie; elle lui donne, au contraire, ce dont elle a besoin pour se dépasser elle-même, sans se dénaturer. *La seule religion de l'avenir est celle qui, se suffisant à elle-même, nous complète en ce qui nous manquera toujours par désir d'action et par aspiration vers la perfection* . . . Nous disons à tous: *le Dogme chrétien enseigné par l'Église catholique et la pleine connaissance de nous-mêmes ne diffèrent pas subjectivement, mais diffèrent objectivement.* Tout notre travail vise à faire converger l'objet donné extérieurement par Dieu avec l'intériorité et la réceptivité immanentes." — Idem l. c. p. 390: „Nous avons à coeur de montrer que nous ne nous sommes pas isolé de l'Église. — N'avons-nous pas montré que, parmi les attributs du surnaturel, il faut placer la nécessité d'une société autonome, continue et infaillibile?"

logetis enitendum et contendendum est, ut explicite et ordine cogitent vitam illam, quam sancti et sanctae Dei vixerunt; atque universim, quantum id fieri potest, ad hominum conscientiam adducatur interior vita, qua per longum saeculorum cursum vixit et qua semper vivit ecclesia: hac enim via et ratione cordibus manifestum erit, quantum egeat alienus ab ea vita animus, quantum locupletetur particeps; sic excitabitur credulitas (croyance), quasi per experientiam religiosam, ad adhaerendum ecclesiae.[1]) Qui ad religionem Christi atque ecclesiam accedunt, iis necesse est in ecclesia veritatem *vitalem* invenire, quae ipsa pro nobis est. Hoc est unum necessarium. Accedat ratio philosophica, accedant testimonia historica; sed secundario. Hisce primum locum in apologetica assignare, *extrinsecismus* habetur et *historicismus,* eorumque philosophorum methodus, qui ingeniorum cursum nesciunt. Problema religiosum non criticum aut historicum est, sed vitale.[2]) Suspirat anima nostra ad veritatem Christi; eam autem

[1]) Blondel, *Histoire et Dogme;* — Laberthonnière, *Le réalisme chrétien et l'idéalisme grec.*

[2]) Tantum autem abest, ut historia praetereatur, ut Laberthonnière, *Le réalisme chrétien et l'idéalisme grec,* p. 170—171 dixerit: „Le témoignage actuel de l'Église est donc un moment d'un tout vivant et mouvant qui grandit et s'affirme à travers les siècles. Et en conséquence, lorsque après avoir avec son concours accueilli la vérité du Christ, nous entreprenons, toujours avec son concours, d'intégrer en nous cette même vérité, c'est dans sa totalité vivante, dans ses origines et dans son développement, qu'il faut le considérer. Et à vrai dire sa totalité s'étend à tous les temps et à tous les lieux. Dans l'Église il est, avec la plénitude du don, témoignage explicite et formel; mais quand on est éclairé par lui on le retrouve au dehors, à l'état de témoignage implicite, qui s'ébauche à travers toutes les manifestations de la vie. A ce titre il relève de l'histoire entière et l'histoire entière relève de lui. Il n'est pas seulement une tradition; il est *la Tradition* qui vient se canaliser et se concentrer dans l'Église pour de là rejaillir sur tout le reste: car le propre de la vérité du Christ c'est, en nous rattachant à ce qui fut, de rayonner à la fois en nous et dans le passé pour rayonner dans l'avenir." — Hinc de historia: „C'est la vie même de l'humanité qu'il faut lui (à l'histoire) donner pour objet, la vie de l'humanité vue par l'intérieur, dans ses aspirations,

nobis affert eaque nos imbuit ecclesia. Sic intimus homo ex suis indigentiis assurgit ad amplectendum Christum et ecclesiam. Ecce methodus immanentiae.

IV. Critica neo-apologeticae. Respicientes finem hujus operis, de iis directe non agimus, quae ad gratiam fidei; ad fidem in se, ut est donum supernaturale; ad processum psychologicum fidei, in quantum virtutis theologicae, proprie spectare videntur: de quibus tractat theologia dogmatica.

Neque nobis disserendum esse putamus, de *radicibus philosophicis,* quibus systema neo-apologeticum natum sit. Primo, quia systematis auctores defensionem apologeticam ab autonomia, de qua jam diximus, procedere contendunt, independenter a quavis doctrina philosophica; secundo, quia longum esset, ex sparsis sententiis, quae terminis saepenumero novis et quandoque fortioribus expressae sunt, conditionem philosophicam auctorum demonstrare.

Jam ut de neo-apologetica ipsa loquar, plura doctrinae illius capita cum principiis S. Thomae Aquinatis congruere videntur. Hujusmodi principia sunt. 1° Homo appetit naturaliter se esse completum in bonitate. *De verit.* XXII, 7. — 2° Solus Deus voluntatem hominis implere potest. II. II, 2, 8. — 3° Revelatio veritatum religiosarum naturalium est homini moraliter necessaria; revelatio autem veritatum supernaturalium non tantum, supposita naturae humanae elevatione ad ordinem supernaturalem, est vere necessaria; verum etiam in Christi vita et morte redemptrice, in auctoritate ecclesiae, in mysteriis, sacramentis, institutis, exemplis, quae religio catholica hominibus offert, convenientiae latent, quae indigentiis humanae naturae in ejus statu

---

ses croyances et ses espérances, dans ses négations et ses détresses, dans ses élans et ses chutes, dans les doctrines philosophiques et religieuses qu'elle a élaborées, dans cette immense inquiétude enfin qui, en se renouvelant toujours, est toujours la même et ne lui permet de trouver le repos nulle part. Et il y aurait lieu de montrer que le Christ est présent à toute cette diversité, inconnu, connu ou méconnu, désiré, accepté ou repoussé, mais toujours principe et centre du mouvement."

praesenti profundissime respondent.[1]) — 4° In cognitione fidei principalitatem habet voluntas. *C. Gent.* III, 40.[2]) — 5° Fides quamvis habitus ejus infusus sit, quantum ad determinationem tamen et actum ejus ab ipso Angelico dicitur esse ex quatuor, quae *in nobis* sunt.[3])

Juxta haec principia analysis psychologica et expositio convenientiarum religionis catholicae cum tota vita et actione humana haud dubie pars magna et nobilis erit recentioris apologeticae.

Sed tamen nonnulla sunt in neo-apologeticorum systemate, quae difficultatem moveant. Etenim 1° conceptum *scientiae* apologeticae nimis coarctare videntur. Nam eniluntur et contendunt, ut apologetarum studium non ad rationem, sed ad *credulitatem* (croyance) dirigatur. Credulitas autem complectitur etiam vires appetitivas, quarum dynamismus in variis individuis, temporibus, quin etiam in uno eodemque individuo tam varius et inconstans esse potest, ut scientiae universalitas et necessitas hujusmodi personalitatibus et contingentiis valde ligaretur. Quare legem apologeticae verius indicavit Vaticanum Concilium, *indicans,* quomodo „*recta ratio* fidei fundamenta demonstret". Constit. dogmat. *Dei Filius,* cap. IV.

2° Magnum esset incommodum, apologeticam propugnare, in qua rationes *convenientiae, analogiae* et *non contradictionis* tanti fierent, ut praestantissimorum doctorum argumentatio, quae ex *vera causalitate* evolvatur, in oblivionem adduceretur, quasi nimis abstracta, modernis perarida et satis obsoleta. Etenim judicium scientificum

---

[1]) Cf. I, 1. 4; II. II, 2, 4; C. Gent. I, 3 et 4; De verit. XIV, 10; rursus S. theol. III et Supplementum in quaestionibus de Incarnatione, Passione; Sacramentis; C. Gent. IV, 54—55. Etc.

[2]) Item C. Gent. III, 40: „Apostolus dicit quod *quamdiu per fidem ambulamus, peregrinamur a Domino,* II Cor. V, 6; fit tamen per fidem Deus praesens *affectui,* cum voluntarie credens Deo assentiat, secundum quod dicitur: *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris,* Ephes. III, 17. — De verit. XIV, 1, ubi etiam in responsione ad 6 expresse: „cognitio non est causa assensus fidei."

[3]) In Sent. III, dist. XXIII, 3, art. 2, sol. 2 ad 2, ubi hoc explicatur.

de *credibilitate* et de *obligatione credendi* in cognitione certa *facti* revelationis Christianae divinaeque institutionis ecclesiae nititur. Jam hoc *factum* illis, quas experientia religiosa vel psychologica analysis exhibeat, harmoniis et convenientiis tam certo non probatur: *effectus* requiruntur, qui cum Deo, ut *causa* et revelationis auctore necessario connectuntur. Istos autem effectus, utcunque variantur, ad prophetias et miracula reduci constat. Apologeticae, si sub adspectu universalitatis et scientiae illam consideras, hoc fundamentum est primum, necessarium, immobile.

Audiatur Concilium Vaticanum, Constit. dogmat. *Dei Filius*, cap. III: „Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. „— Deinde inter *Canones* III, 3: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri; a. s." — Cfr. supra, p. 7 mentem Patrum Vaticanorum, explicantium, quare ecclesia ipsa „magnum sit et perpetuum motivum credibilitatis".

3⁰ Ab altera parte apparet, apologeticam in praxi et in arte regendarum animarum respicere individuos sive aliquod genus individuorum, puta talis nationis aut aetatis. Hinc character ille personalis considerationis apologeticae, quem Newman, sagaciter commendavit, ut *cor cordi loqueretur*, et quem cum psychologia Thomistica tum conversionum historia postulat. Itaque comperta *mentalitate*, ut ajunt, seu statu mentis et cordis, cui hic et nunc rationes experientiae vitalis magis conveniant, haec sane apologeticae pars quam perfectissime evolvenda est, ut omnes ad credibilitatem revelationis Christianae cognoscendam ad eamque cum amore agnoscendam facilius disponantur. Nihil autem exclusive. Anima moderna *nomen* commune est; *revera* est multiplex. Sunt, qui rationes credibilitatis contueantur

sub impulsu suae vitalitatis, ad bonum ideale tendentis; alii instigante conscientia atque sensu de ratione Deo reddenda; alii moti amore veritatis et desiderio immutabilis sapientiae. Lucrandi sunt increduli; lucrandi etiam qui Christianam religionem profitentur extra veram Christi ecclesiam; confirmandi, qui terras diversas incolunt catholici. Igitur variis modis bene fiat, sed exigentia temporaria praxeos ne faciat, ut perenne apologeticae scientiae fundamentum praetereatur.[1])

4° Unum addendum esse videtur. Ubicunque coaevorum intelligentia eo deformata est aut cultura philosophiae Christianae tam sequestrata a vitae progressu, ut quaedam impotentia relativa et tristissima sterilitas sequatur, illi de apologetica bene merebuntur, qui per philosophiam Aquinatis, factis datisque novis locupletatam, ex praeceptis Leonis XIII. et Pii X., coaevorum animis corroborandis operam dederint. Quorsum enim *immanentiae* principium evadet, si juxta destructionem Kantianam rationis theoreticae concipiatur aut juxta philosophiam, quam vocant, pragmaticam, in qua sola audiatur ratio practica? Rejicietur theologia dogmatica; dogmata catholica nullum nisi moralem sensum et practicum habebunt. Verum de hoc postea, ubi de evolutione dogmatum tractabitur.

---

[1]) Etiam H. Schell antinomiam inter *intellectualismum* et *voluntarismum* negat. Professor apologeticae in Würzburg, *Religion und Offenbarung*, S. XXIII—XXIV. de *apologetica actionis* ait: „Die wertvollen und kräftigen Inspirationen dieser voluntaristischen Apologetik fordern selbst die Verschmelzung mit der altscholastischen Philosophie des Intellektualismus. Was nützten alle Postulate und Aktionen ohne das Zutrauen zur Vernunft und zum Kausalgesetz, ohne die Zuversicht, dass der richtige Vernunftgebrauch und die richtige Anwendung des Kausalgesetzes zur Wahrheit führe. . . . Darum halten wir an der intellektualistischen Grundlage der alten Apologetik fest und verehren in ihrem Prinzip des Intellektualismus die philosophia perennis. Aber weil die Vernunft Wahrheitskraft ist, darum kann sie und soll sie auch all den Idealen und Forderungen gerecht werden, welche der naturwissenschaftlich und geschichtlich gereifte Geist, der praktisch lebendige und ernst voluntaristische Sinn der religiösen Lebensauffassung geltend macht."

Praeterea errant, qui adversarios novos nova tantum de thesauris suis proferre contendunt. Si recentiores primae notae legantur, Harnack, A. Sabatier, alii, reperitur antiquarum objectionum maxima copia, textus Scripturarum et Patrum quorum sane exceptionibus aliter quam juxta methodum immanentiae occurrendum est.[1])

Articulus IV.

De continuo progressu apologeticae.

I. De necessitate progressus continui apologeticae. Apologeticam haud secus ac ceteras scientias progressus acquirere posse, vix opus est commemorare. Nam si ecclesia vere vivit in mundo, vitae hujus manifestationes semper novas novum scientiae apologeticae objectum praebere manifestum est. Et quoniam status intellectualis et voluntarius hominum a generatione in generationem nova problemata religiosa creare non cessat, ipsa apologetica per adaptationem suarum probationum ad tantam animarum temporumque diversitatem plurimum poterit proficere. Atque etiam *necessarium* huic scientiae est progredi, si validam religionis defensionem *amplificare velit*. Etenim scientia, non adaequata mentibus discentium, in vetustatem et inferiorem conditionem delabitur. Progressum autem vere *continuum* intelligo, qui non solum cuique aetati respondeat verum etiam cum antiqua sapientia cohaereat. Quod de apologetica certo valet; siquidem quae jamdiu patres et doctores suis argumentis explicuere, ea magnam partem ad primaria revelationis Christianae

[1]) Cf. praeter plures articulos in *Annales de philosophie chrétienne*, *Revue Thomiste*, *La Quinzaine* et aliis foliis periodicis; Le Bachelet, *De l'Apologétique traditionnelle et de l'Apologétique moderne*; Bainvel, *La foi et l'acte de foi* (1898); Chr. Pesch, *Theologische Zeitfragen* (1900); Cyrille Labeyrie, *La Science de la Foi* (1903); Besse, *Philosophies et Philosophes* (1904); Goujon, *Les ennemis de la raison*, etc. (1904). Praeterea Schanz, *Über neue Versuche der Apologetik* (1897).

fundamenta pertinent; haec vetera novis augere doctorum officium est.[1])

II. De falso progressu apologeticae. Rectum est, quod principio concordat. I, 16, 1. Procedit autem scientia apologeticae ab eo, quod ea quae subsunt fidei, possunt et debent esse visa ab eo, qui credit, sed non nisi sub ratione communi credibilis. Jam haec motivorum notitia nec credibilia *in se* evidentia reddere, neque fidem supernaturalem gignere potest: nullum unquam majorem valorem habet quam *conditio sine qua non.*

Unde a vero recesserunt 1° illi, qui rationis humanae hac in re finem esse dixerunt evidentiam mysteriorum, non sub ratione communi credibilis, sed *in se.* — 2° Illi quoque in opinionem inanem delapsi sunt, qui incrementa habuere, cum ad ecclesiae veritatem defendendam methodo, communi ecclesiae sensui prorsus *adversa,* uterentur; cujusmodi est ista ratio *practica,* quam G. Hermes in sua *Introductione philosophica* propugnat quasi unicum medium ut a *dubio theoretico* ad veritatem religionis Christianae objectivam probandam deveniamus. Similiter spreto veterum tramite erravit Lamennais,[2]) cum ad *consensum generis humani* confugeret. 3° Neque tractatus apologetici, si *com-*

---

[1]) Recte Lacordaire: *Considérations sur le système philosophique de M. De la Mennais,* chap. III: „On s'étonne quelquefois qu'il n'existe aucune défense complète du Christianisme; c'est que, d'une part, le temps, qui ne s'arrête jamais, en multiplie sans cesse les preuves, et que, d'autre part, les objections que le raisonnement lui suscite, variables à l'infini, sont méprisées au bout de cinquante ans par l'esprit humain. Il y a donc nécessairement dans la défense du Christianisme une partie qui demeure incomplète, et une partie qui devient inutile; mais c'est en quoi précisément sa vérité paraît davantage. Car la partie devenue inutile prouve la vanité de la raison, qui, après un petit nombre d'années, ne comprend plus les objections qu'elle a faites ni les réponses qu'on lui a données, et la partie demeurée incomplète montre la vigueur logique d'une religion dont l'évidence croît avec le temps." — Idem sentit Newman, *Apologia,* V.

[2]) Cf Lacordaire, *Considérations sur le système philosophique de M. De la Mennais.*

pleti censeri debeant, incrementis adversum modernos ita adaugendi sunt, ut supernaturalia ecclesiae signa, sicut testimonia prophetarum, vix attingantur. Haec enim *facta* supernaturalia, diligenter exposita, vel ipsos, qui praeter naturam legumque physicarum necessitatem nihil esse contenderint, movent per logicam, ut ajunt, *factorum*. Idem de primatu Romani Pontificis dixerim atque de ceteris id genus veritatibus, cardinibus apologeticae. Haec omnia nunquam exolescunt. 4° Item erroneum esset principium, omnem et solum progressum collocare aut in ratiocinatione abstracta rigidoque modo demonstrandi mere didactico, aut contra in congerendis factis cum amoenitate orationis. Libri manuales et summae immediate scholis, vitae mediate utilitates praebent; vitae immediate minime sufficiunt. Quare cardinalis Wiseman incredulorum triumphos saeculi XVIII hinc magna ex parte repetendos esse docuit, quod apologetica Christiana saepius multarum rerum actualium cognitione et elegantia orationis careret.[1])

III. De conceptu veri progressus apologeticae. Verus apologeticae progressus tribus rebus contineri videtur.

1° *In omnibus ecclesiae doctrina* et definitiones sequendae sunt. Materies enim, quam etiam apologetica suo modo tangit, ut doctrina de Deo, de revelatione, de ipsa ecclesia, de Summo Pontifice, de analogia rationis et fidei, decretis opportunis ecclesiae *quoad nos*, magis magisque explicata est Hinc apologetica progressus acquirit. Siquidem per dictas definitiones a) obtinentur plura fixa et certa et b) major unitas inter fidei defensores. Atque ex hac firmitate doctrinae et unitate docentium incrementa scientiae capiuntur. Apologetica igitur progrediatur moderatrice catholica ecclesia, quae „inter errores contrarios media lento passu incedit“. S. Thom. *C. Graec. et Sarac.* cap. IX. Haec est stella rectrix, qua protestantes carent.

2° *In argumentatione* fas est vetera, si quae defectiva sint, corrigere; nova invenire; illustrare omnia. Exempli

---

[1]) Wiseman, *Lectures on science and revealed religion*, p. 461. — Cf. Bonomelli, *Il secolo che nasce.*

SALZMAN LIBRARY MILWAUKEE 7, WIS.

gratia quaedam argumenta ex veterum testimoniis emendata sunt, eliminatis per criticam aliquibus textibus adulterinis. Nec nova argumenta huic disciplinae deesse possunt. Etenim scientiae physicae ad probandam Creatoris sapientiam plurimum contulerunt; populorum historia ad stabiliendam necessitatem moralem revelationis veritatum naturalium; historia comparativa religionum ad confirmandam revelationis primaevae existentiam. Deinde ipsa ecclesia, donata supernaturali vitae principio, pluribus semper virtutis supernaturalis signis decoratur. Argumenta demum tam nova quam vetera illustranda sunt per acumen ingenii humani, in veritatem penetrantis; ex aliarum scientiarum inventis, imo ex ipsis adversariorum objectis, quae saepe cogunt, ut rationes explanentur.

3° *Methodus* perficiatur. Methodus enim est quaedam rerum ordinatio ad debitum finem et modo, qui sit proportionatus fini. Cf. S. Thom. I. II. 102. a. 1. Atqui *debitus finis* et *modus fini proportionatus* postulant, ut in rebus componendis ac dirigendis *temporum* etiam habeatur ratio. — Haec tria efficiunt, ut in apologetica *conservetur* fides, scientia *progrediatur*.

III. Regulae progressuum ulteriorum apologeticae. Non minus ad disciplinas apologeticas quam ad theologiam pertinent ea, quae Leo XIII. monet in *epist.* ad cardinales Pecci et Zigliara, 21. Nov. 1880, et alias.

1° Sapientia veterum studiose colatur. Cf. Encycl. *Aeterni Patris* de colenda S. Thomae philosophia, 4. Aug. 1879.

2° Diligentissime perspiciatur, qui sunt ingeniorum cursus quotidiani, quid in singulis disciplinis hominum industria inveniat atque efficiat novi.

3° Animum advertant, quibus potissimum veritatibus bellum inferatur, idque ipsum quo consilio, quibus artibus.

4° Ex quo consequitur nosse et tenere opus esse, quae scientissime meditata apud varias gentes certis temporibus in lucem proferri solent.

5° Fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his tem-

poribus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam, quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicarum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, *singula christianae sapientiae fundamenta convellentium.* Encycl. *Etsi nos,* 15. Febr. 1882.

6° Alumna sacrorum juventus non modo sit ab investigatione naturae instructior, sed etiam iis artibus apprime erudita, quae cum sacrarum Litterarum vel interpretatione vel auctoritate cognationem habeant. Encycl. *Etsi nos* et *Providentissimus Deus,* 18. Nov. 1893, de studiis Scripturae sacrae. De erroribus, hac aetate refellendis, cf. Duilhé de Saint-Projet, *Apol. scientif. de la foi chrét.* Introduction générale; et Braig, idem opus in germanicum sermonem translatum, *Einführung.*

7° Pro sacris Ecclesiae juribus, pro catholicis doctrinis non litigiosa disputatio sit, sed moderata et temperans, quae potius rationum pondere, quam stilo nimis vehementi et aspero victorem certaminis scriptorem efficiat. Encycl. *Cum multa,* 8. Dec. 1882. — Cujus modestiae exemplum a Benedicto XIV. laudatur doctor Angelicus, quod visus sit „omnes officiose, ac perhumaniter demereri". *Sollicita,* § 24; 9. Jul. 1753.

IV. Conspectus progressus apologeticae. Apologetica, etsi non nisi sensim ut disciplina propria et systematice exculta est, reipsa tamen cum religionis Christianae initiis sumpsit exordium. Semen apologeticae Petri sententia: ἕτοιμοι ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν, *parati semper ad satisfactionem.* I. Petr. III. 15.; cf. S. Chrysost. *De sacerdotio,* IV. 3. S. Petrus die Pentecostes oratione ad turbam habita Christum esse Messiam ex miraculis et vaticiniis ostendit. *Act.* II, 14—39. S. Paulus stans in medio Areopagi religionis veritatem viris Atheniensibus probat. *Act.* XVII. 22—31.

a) Apostolorum vestigiis ingressi sunt doctores, qui religionem Christianam *contra gentiles* imperii Romani defenderunt, hoc est a *saeculo I. usque ad imperii Romani*

occasum (496). Quorum Apologiae duo praestant, videlicet: partem *negativam,* quae est paganismi destructio, et partem *positivam,* qua religionis Christianae veritas demonstratur. Capita demonstrationis illius sunt exsistentia unius Dei; origo divina Christianae religionis, conspicuae vaticiniis impletis, miraculis, sanctitate doctrinae, innovatione morum, reportatis de tyrannide et ignorantia victoriis, immortali vi, utilitate sociali, consensu etiam in doctrinis non paucis celeberrimi cujusque philosophi. Inter plurimos viros, qui hac aetate pro vera religione dimicarunt, eminent S. Justinus († 167), *Apologia I. pro Christianis* ad Antoninum Pium; Clemens Alexandrinus († 215?), *Cohortatio ad gentes;* Origenes († 254), *Contra Celsum;* Tertullianus († 240?), *Apologeticum;* Lactantius († 330?), *Institutionum divinarum libri VII;* S. Cyrillus Alexandrinus († 444), *De sincera religione Christianorum adversus libros athei Juliani;* S. Augustinus († 430), *De civitate Dei* libri XXII, opus dogmatico-apologeticum, atque Christianae religionis, inter eversionem deorum falsorum triumphantis, monumentum perenne. Sanctus praesul de suo opere haec refert: „Interea Roma Gothorum irruptione, agentium sub rege Alarico, atque impetu magnae cladis eversa est: cujus eversionem deorum falsorum multorumque cultores (pagani) in christianam religionem referre conantes subito acerbius et amarius Deum verum blasphemare coeperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei, adversus eorum blasphemias vel errores libros de *civitate Dei* scribere institui. — His ergo decem libris duae istae vanae opiniones Christianae religioni adversariae refelluntur. Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra asseruisse reprehenderet, id agit pars altera operis hujus, quae libris duodecim continetur.“ *Retract.* lib. II, 43. — Per idem tempus doctores veritatem religionis fortiter propugnarunt adversus *Judaeos, haereticos* et *schismaticos,* quo factum est ut adversus novos adversarios nonnullae partes defensionis Christianae magis evolverentur, v. g. legis et vaticiniorum adimpletio in Christo et apostolicitatis nota nonnisi ecclesiae Romano-catholica tribuenda.

Per varias mutationes regressivas et progressivas apologetica media aetate tandem progressus permansuros fecit. Sapientia mystica-ascetica per analysin et expositionem experimentalem internae vitae catholicae, quantum id fieri possit, conspicuam fecit vitae supernaturalis excellentiam et suavitatem jugi, quod fidelibus a Christo imponitur. Errores autem sectatorum Mahumetis et eorum cum pseudo-aristotelismo contexta philosophia doctoribus scholasticis occasio fuit elucidandi praeambula fidei; perscrutandi convenientias inter fidem et rationem, inter naturam et gratiam: tunc ea, quae patres et doctores primaevi hoc in genere varia jam docuerant, ordine collata atque in systema redacta sunt.

Eluxit inter apologias illius aetatis *Summa contra Gentiles*, quam scripsit Aquinas, ut iis praesertim in manibus esset, qui in seminario apologetico S. Raymundi Hebraeorum et Saracenorum salutem meditabantur.[1]) Nimirum vigebat in Hispania Aristotelismus arabicus, doctrinam de Deo Creatore et de anima humana corrumpens; vigebant sectae Mahumetanae et Judaicae, superstitione sordidae. Quibus omnibus cum doctrinam Christianam generatim stultam haberent, Aquinas adhibito naturalis rationis lumine, praeambula fidei exponit, praecipua fidei mysteria, quoad potest, declarat. — Sanctus doctor in principio libri I. de fide et ratione disserit; cap. VI. summam tradit motivorum credibilitatis pro religione Christi contra Mahumetis sectam; deinceps usque ad librum IV. veritates, quas dicunt praeambula fidei, demonstrat hac praefixa regula: „veritatem aliquam investigantes ostendemus, qui errores per eam excludantur, et quomodo demonstrativa veritas fidei Christianae religionis concordet.“ Lib. I, 4. Dein magis dogmatice libro IV. de S. Trinitate, de Incarnatione, de Sacramentis, de vita aeterna tractat.

b) Exsurgente Protestantismo periculum certaminis apologeticam redintegravit. Instauratio illa, quae *Renaissance*

[1]) Cf. Boll. t. 1. p. 412.

dicitur, mentes nonnullas catholicas ad defensionem fidei renovatam direxerat. Ita scientiam apologeticam in plures partes amplificatam conspicimus. Longe major eruditio historica, ut in Bellarmini († 1621) *Disputationibus.* — Melchior Canus († 1560) per tractatum apprime doctum et limatum *De locis theologicis* viam paravit, ut theologi per aliquam disciplinam specialem ad fidem tuendam instituerentur. Voluit enim Canus docere theologos, quam vim unusquisque locorum theologicorum contineat, quem usum habeat, tum in scholastica pugna, tum in sacrarum Litterarum expositione; quibusnam argumentis proprie adversum haereticos, quibus peculiariter adversum et Judaeos et Saracenos, quibus tandem adversum Paganos transigenda Theologo disputatio sit, si quando sit cum his pro fide catholica decertandum. Canus, *De locis theol.* I, 1. — Sociam etiam potentissimam apologetica nacta est in hoc Apologiarum genere, quod nunquam non plurimum utilitatis habet, in *expositione* sincera et clara fidei, cujus egregii magistri fuerunt S. Franciscus Salesius, S. Canisius et Bossuet. — Integritas orationis, qua plures apologetae praestabant, alius profectus merito habetur. Suo quidem pondere solidum argumentum stat, sed eloquii nitor multos saepe ad legendum allicit: Ludovicus Vives († 154[1]), Melchior Canus, Bossuet (1704) et Fénelon veritatem et pulchritudinem digne conjunxerunt.

c) Saeculo XVIII desinente falsorum opinionum curriculum a spreto Romano Pontifice ad deismum et atheismum pertingebat. Immortalem veritatem religiosam aspernari viri scientifici esse ferebatur. Initio defensio catholica non par erat aggressoribus, praesertim tumultuante Gallia. Currente tamen saeculo XIX fundamenta veritatis catholicae quoquoversus firmari coepta sunt. Apologetica varie corroborata est hodieque robur acquirit. Cujus evolutionis haec summa momenta esse videntur.

Primo consolidatum est illud *fundamentum,* quod Patres Vaticani (1870) his verbis indicarunt: Ecclesia per se ipsa *magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis.* Nam latius ostensum est, quantopere inter sectarum multi-

tudinem, ambages scientiarum et negationes criticorum *veluti signum levatum in nationes* doctis et indoctis alluceat ecclesia. Hanc lucem ecclesiae semper indicarunt sapientes catholici, v. g. Irenaeus, *Adversus haereses;* Origines, cum *Contra Celsum,* Praef. n. 3 commendaret *τὴν ἐν τοῖς πράγμασιν ἀπολογίαν*; S. Augustinus, *De utilitate credendi,* etc.; S. Thomas Aq., *Contra Gentiles* IV, 55; Savonarola, *Triumphus Crucis;* sed saeculo XIX. hoc magnum motivum credibilitatis copiosius expositum est atque methodum quasi novam induxit. Cujus quidem instaurationis Lacordaire et Dechamps praecipui praecones fuere. Ille cum anno 1835 in basilica parisina conciones institueret; hic praecipue in opere, quod *Demonstratio fidei* inscribitur.[1]) Haec autem nova methodus in eo consistit, quod apologeta prius ipsam ecclesiam vivam considerat, ex qua, manifestatrice actionis divinae et revelationis teste, omnes reliquae partes scientiae apologeticae, tam philosophicae quam historicae-criticae firmiori luce collustrentur. In hoc genere multa de vita ecclesiae doctrinali, morali, mystica, sociali praeclare scripta sunt: nomino J. A. Möhler, *Symbolik*, Balmès, *Le protestantisme comparé au catholicisme* (1842—1844); Guéranger, *L'année liturgique* (1841—1878); Weiss, *Apologie des Christentums.*

Secundo. Scientiarum et experimentorum augmenta, quae hac nostra aetate multis partibus varia magnaque conspiciuntur, causa fuerunt majoris *amplitudinis* et *majestatis* scientiae apologeticae. Critica sincera effecit, ut ab una parte *veritas catholica* et *opiniones mere humanae,* quamvis traditionales et universales, *catholicorum;* ab alia parte solida scientiarum inventa et fugacia immaturitatis decreta prudentissime distinguerentur. Unde factum est, ut saburra multa levaretur apologetica. Oleum et operam non

---

[1]) Cf. Lacordaire, *Conférences,* t I, p. 201 et seqq.: Dechamps, *La démonstration de la foi ou Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation chrétienne* (Oeuvres complètes, t. I). Hoc opus anno 1856 editum est, sed auctor ibidem memorat, suam ideam jam expressam esse 1843 in *Conférences prêchées pendant l'Avent* 1843, quin etiam expositam scriptis 1837 in solitudine (Wittem). Vide H. Saintrain, *Vie du Card. Dechamps,* p. 12—20; 84—90.

perdimus in defendendo, quod defendendum minime erat. Documenta nonnulla rejicienda fuerunt; sed alia plura splendide confirmata sunt et novis aucta optimis. Philosophorum systemata, scientiarum naturalium data novissima, historiae religionum, internae voces et cordis suspiria populorum comparari potuerunt cum doctrinis, quas docet, cum vita, quam vivit tam interne quam ut institutum externum ecclesia. Sparsa ubique terrarum et per longam saeculorum seriem veritatum fragmenta suam unitatem et perfectionem nancisci ostenduntur in una illa veritate, quam ecclesia Christo jubente toti mundo praedicat. Hujus progressus Wiseman, etsi conclusiones non omnino maturae erant, *firma principia* docuit in *Science and revealed religion*. Post eum apologeticam eadem mente ampliarunt inter alios Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne;*[1]) Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions* et *Les conditions modernes de l'accord entre la foi et la raison* (Ed. nova 1904); card. Gonzalez, *La Biblia y la Ciencia* (1891); Lagrange, *Études sur les religions sémitiques* (1904); Semeria, *Domma, Gerarchia et culto nella Chiesa primitiva* (1905).

Tertio. Quoniam opinio publica modernis mediis inter nos formatur et saepe depravatur, similia media adhibenda sunt, ut defendatur et augeatur ubique veritas. Jam hisce mediis annumerandi sunt folia periodica; deinde studia monographica et alia id genus. Haec ipsa adjumenta scientiam apologeticam tum in re tum quantum ad modum auxerunt: *in re*, quia plurima particularia mox et ad vestigia quotidiani scientiarum cursus examinari poterant atque conclusiones universaliores sensim praeparari; *quantum ad modum*, quia notitia fundamentorum verae religionis, cujusmodi notitiam corroborari omnium interest, rigidiorem quidem formam in scholis induens habitu populari simul et scientifico coram apparebat. Illustre exemplum fuit Wiseman, cum sua *Studia* (Essays) componeret. Hac via victrix saepe processit catholica veritas, de qua non unus, mutatis mutandis, Augustini *Confessiones* VI, 3 ite-

[1]) Cf. Editionem hujus operis auctam a Senderens (1903).

ravit: „Gaudens erubui, non me tot annos adversus catholicam Fidem, sed contra carnalium cogitationum figmenta latrasse. Eo quippe temerarius et impius fueram, quod ea, quae debebam quaerendo discere, accusando dixeram.“ [1])

Cf. Freppel, *Les apologistes chrétiens au IIe siècle;* Werner, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie;* Hurter, *Nomenclator litterarius recentioris theologiae catholicae;* Langhorst, *Zur Entwicklungsgeschichte der Apologetik*, in *Stimmen aus Maria-Laach*, 1880, 1881; P. Schanz, *Über neue Versuche der Apologetik* (1897); Al. v. Schmid, *Apologetik* (1900); J. Martin, *L'Apologétique traditionnelle* (1905); Jaugey, *Dictionnaire apologétique.*

Articulus V.

De processu hujus Apologiae per decem locos theologicos.

I. De definitione et indole locorum theologicorum. Loci (τόποι) sunt *argumentorum sedes.* Loci ab Aristotele dicuntur „ei, qui communiter de rebus, quae ad mores et ad naturam et ad scientiam civilem multaque alia specie ab invicem differentia spectant, argumenta continent.“ *Rhetor.* lib. I, 2. Jam vero loci theologici sunt sedes argumentorum theologicorum seu *fontes, ex quibus theologi omnes suas argumentationes hauriunt.* Quamobrem haec tria teneamus. 1° Loci theologici non sunt schemata

[1]) Pro vita et praxi Gardeil, *Rev. Thom.* 1905, Juillet-Août, p. 288 recte distinguit sed non sejungit, ubi de Pascal ejusque apologetica haec affirmat: „Ce n'est pas de l'apologétique scientifique qu'il fait, mais de l'apologétique réelle, concrète, individuelle, de l'apologétique convertissante, et non pas seulement instruisante. Dès lors, il s'efforce de mettre en action tous les ressorts moraux, tous les ressorts divins (car il insinue la prière), qui peuvent coopérer subjectivement à l'effet de la présentation des preuves c'est-à-dire de la crédibilité objective. Mais il ne supprime pas celle-ci.“

vacua, sed reapse promptuaria argumentorum; 2° omnis argumentatio ad omnem disputationem sive ad confirmandum, sive ad refellendum ex iis invenitur; 3° cum theologia in auctoritate divina fundari debeat, in hoc genere disciplinae auctoritas locum habet principem, quamvis in reliquis disciplinis, ut ex *Topicis* Stagyritae apparet, ratio primum locum obtineat. Cf. Can. *De locis theol.* lib. I, 3.

II. Locorum theologicorum elenchus et divisio. Melchior Canus, locorum magister, decem locos enumerat, qui sunt 1° S. Scripturae auctoritas; 2° auctoritas traditionum Christi et apostolorum; 3° auctoritas ecclesiae catholicae; 4° auctoritas conciliorum oecumenicorum; 5° auctoritas Romani Pontificis; 6° auctoritas sanctorum patrum; 7° auctoritas theologorum; 8° ratio naturalis; 9° auctoritas philosophorum; 10° auctoritas humanae historiae. Angelicus I, 1, 8 tres tantum locos numerat, *auctoritatem S. Scripturae, sanctorum doctorum,* et *philosophorum;* tribus autem illis decem nostros comprehendi, satis patet. Cf. Sylvium in hunc locum, quaer. III.

Dividuntur loci theologici 1° in locos *proprios* seu stricte theologicos et in *communes,* qui late sic dicuntur; 2° in locos *primarios, secundarios,* et *subsidiarios.*

1° Loci *proprii* in auctoritate Dei revelantis nituntur. Quae quidem auctoritas per S. Scripturas, traditionem divinam, ecclesiam catholicam dispersam, ecclesiam in conciliis oecumenicis congregatam, Romanum Pontificem, communem patrum consensum, denique per sententiam communem theologorum manifestatur. Loci *communes* illi sunt, quibus reliquae etiam disciplinae utuntur. Ex naturali rationis lumine procedunt, videlicet ex ratione naturali, ex auctoritate philosophorum et humana historia. Loci communes a nonnullis *extranei* appellantur.

2° Locos *primarios* dicimus, qui *ex se* argumenta praebent *necessaria.* Sunt autem quinque priores. *Secundarii* appellantur, qui *non ex se* necessario probant, sed *quatenus* illud, quod in loco aliquo primario continetur, certo manifestant. Hujusmodi sunt sextus et septimus ex numeratis.

Quare patrum auctoritas et theologorum per se sunt loci non necessarii, ex quibus non nisi probabiliter (S. Thom. I. q. I. art. 8.) arguitur: sed cognito consensionem eorum esse unanimem, necessario probant, utpote cum divinam traditionem aut communem ecclesiae doctrinam manifestent. *Subsidiarii* loci habentur tres illi posteriores; namque principem locum apud theologos divina auctoritas habet. „Ratio deinde — ait Canus — velut pedissequa sequitur."

III. De processu hujus operis per decem locos theologicos. Scopus hujus operis est, 1° ecclesiae catholicae veritatem demonstrare; 2° docere, unde theologi possint idonea argumenta depromere, et disserere, quam *vim* et *usum* unusquisque locorum habeat. Cf. Can. *De loc. theol.* lib. I. c. 1. Nec vero incongruum videtur, apologiam systematicam ecclesiae cum antiqua locorum tractatione in novum aliquem ordinem conjungere; quin imo commoda, nisi fallor, ex ea conjunctione emanant, tantummodo ut locorum dispositionem mutemus. Nam materies locorum omnes fere exhibet rationes praecipuas, sub quibus ecclesiae veritas et auctoritas tam in se quam ex adversariorum opinionibus communiter considerari possunt. Etenim loci ecclesiae, conciliorum oecumenicorum et Romani Pontificis ecclesiae veritatem et auctoritatem immediate et directe attingunt; loci S. Scripturarum et traditionis divinae ecclesiam in veritate et auctoritate fontium propriorum suae doctrinae; ceteri loci in variis subsidiis generalibus, quibus ecclesia pro defendendis doctrinis suis in particulari usquequaque utitur. Itaque in unitatem systematicam conjunguntur, quae intrinsecus nexu causali proximo cohaerent; conclusiones de locis ex radicibus suis procrescunt et, ut mea fert opinio, non coguntur bis in idem laborare clerici studiosi, pro quibus hujusmodi tractatus immediatius et principalius instituere solemus.

Jam locus *ecclesiae* in hoc opere primus erit; idque tribus ex causis maxime. *Primo* quia tractatus de veritate ecclesiae catholicae connexa est cum loco illo, qui vocatur ecclesiae auctoritas. *Secundo* S. Scripturae et divinae traditiones hominibus ab ecclesia tradendae sunt, juxta hoc

Augustini: „Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas“ (Contra ep. fundam. cap. V. 6.). *Tertio* constat quaestiones illas, quae de S. Scripturis, ut sunt libri inspirati et de traditione divina haberi consueverunt, valde illustrari posse definitionibus non paucis, quas ecclesia de quaestionibus hujusmodi fidelibus proposuit. Ob eamque rem, quamvis loci S. Scripturae et traditionis divinae *per se* atque dignitate sua primi sint, ordine tamen apologetico prius in locum *ecclesiae* ingredimur necnon in locos *conciliorum oecumenicorum* et *Romani Pontificis*, qui cum tractatu de veritate ecclesiae catholicae cohaerere censentur. Fatemur rationes non deesse, cur prius de Romano Pontifice quam de conciliis tractatus instituatur. Nostrum tamen ordinem servavimus, quoniam *in ordine cognoscendi* qui extra ecclesiam sunt, facilius ad agnoscendam auctoritatem conciliorum cum Papa quam Papae sine concilio pervenire videntur. Posthac de *S. Scriptura*, de *traditione* agemus; deinceps de auctoritate *sanctorum patrum* et de *theologis;* postremo *rationem naturalem*, *philosophorum auctoritatem* et *humanam historiam* tractabimus.

De locis consulantur Canus, *De locis theologicis;* Gravina († 1643), *Catholicae praescriptiones*, in quo opere tractatur de traditionibus, de verbo Dei scripto, de patrum auctoritate, de ecclesia, de ecclesiae divino magisterio, de conciliis oecumenicis et de judice infallibili Romano Pontifice; V. L. Gotti († 1742), *Theologia scholastico-dogmatica*, cujus operis t. I. locos theologicos complectitur; Berthier, *Tract. de loc. theolog.* Augustae Taurinorum 1888, et alii.

Articulus VI.

De argumentatione et methodo hujus Apologiae.

I. De argumentis ex S. Scriptura et sanctis patribus. 1° Sanctae Scripturae tum ut libri inspirati tum ut libri historici spectari possunt. In disciplinis theologicis catholici viri sacrorum Librorum testimoniis tanquam sententiis auctorum *inspiratorum* utuntur. At apologetica, ne

circulo vitioso circumagatur, sacros Libros, donec infallibilem ecclesiae auctoritatem probaverit, aut ut *libros historicos* affert, qui fidem habent, si qua fides est in rebus humanis; aut ut inspiratos illos quidem, sed in iis duntaxat ratiociniis, quae *ad hominem,* ut ajunt, et adversus eos proferuntur, qui S. Scripturas divinitus inspiratas esse profitentur. De veritate autem historica S. Scripturarum in aliis apologeticae partibus disseritur, quas *demonstratio catholica,* i. e. hujus operis materies supponit. Audiemus igitur evangelistas et inter alios auctores sacros saepissime Christi praeconem Paulum; audiemus autem ut testes historicos. Veteris porro Testamenti sententias, quas diu ante Christum ortumque ecclesiae scriptas esse constat, non omittendas esse putavimus, ut hoc etiam credibilitatem augeret ecclesiae, quod prophetae testimonium de ea perhibuerunt.

2° Sanctos patres adducimus ut *testes antiquitatis.* Eos autem patres potissimum citamus, qui primis ecclesiae temporibus scripserunt. Hoc enim perspicuum videtur, ut quisque testis vetustissimus est, ita optimum *adversus eos,* qui ecclesiam in principio quidem immaculatam fuisse contendunt, sed sequioribus saeculis foedatam erroribus. Nobilissimum autem et valde affectuosum prae ceteris de ecclesia testem habemus beatum Augustinum Hipponensem episcopum.[1])

II. De adhibendis ecclesiae definitionibus. Definitiones ecclesiae duplicem usum habent. 1° In demonstranda ecclesiastici magisterii auctoritate seu in tribus locis prioribus plurimum studii in eo ponendum est, ut ecclesia ejusque auctoritas *talis* a nobis exhibeatur, *qualem* esse fides ipsa catholica profitetur. Definitiones igitur ecclesiae magis ad determinandas quam ad probandas theses afferuntur. Sunt phari. 2° Probata autem infallibili ecclesiae auctoritate definitiones ecclesiasticae tam demonstrandis thesibus quam determinandis aptissimae sunt. Ceterum definitionibus illis saepenumero non nisi ut anti-

[1]) Cf. Th. Specht, *Die Lehre von der Kirche nach dem H. Augustinus* (1892); Wolfsgruber, *Augustinus* (1898).

quitatis testimoniis utimur. Atque haec quidem indicari opus esse duximus, ne praetergressi prorsus apologeticae fines, in theologiam supernaturalem incurrisse videremur.

III. Cum argumentis ex auctoritate copuletur lucidior factorum ac veritatum intelligentia. Quoniam in hoc opere responderi oportet inquirentibus, *an* ecclesia catholica divinitus instituta sit, auctoritatibus opus est. „Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem *an* ita sit; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputatur.“ S. Thom. *Quodl.* IV. a. 18. Sed et rerum *intelligentia*, quoad fieri potest, procuretur. Huc pertinet, quod S. Thom. *l. c.* dixit: „Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet.“

Si quis in hoc libro quaerat argumentorum tractationem, quae ad movendum pertineat, opus nostrum, quantum *ad modum*, ipsi non placebit, utpote cum scopus didacticus sit; at tamen in spem adducimur, *ex ipsis rebus*, diligenter perpensis et ante oculos cordis positis, aliquid etiam ad voluntatem et totam interiorem activitatem esse redundaturum.

IV. De principiis ac methodo doctorum scholasticorum et in primis doctoris Angelici. S. S. Leo XIII. nobis auctor sit, ut in apologeticis etiam disputationibus scholasticos doctores eorumque omnium principem, S. Thomam Aquinatem, duces habeamus. Summus Pontifex: „plurimi — inquit — ex iis hominibus qui abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, praeter supernaturale Dei auxilium nihil esse opportunius

arbitramur, quam solidam Patrum et scholasticorum doctrinam, qui *firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata,* perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat." Encycl. *Aet. Patris.* Et quoniam „inter scholasticos doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas" (l. c.), idcirco tanti magistri non solum doctrinam, pro viribus, secuti sumus, verum verba quoque plus semel retulimus, quibus Angelicus auream sapientiam suam explicavit. — De methodo Thomistica Wolfianae praeferenda cf. Zigliara, *Summa philos.*, Logicae p. I. lib. III. 5.

Kleutgen certum habet, de ecclesia „pauca apud S. Doctorem eaque sparsa" legi.[1]) Non nego, si „pauca" non nimis absolute intellexeris. Tractatus completus et systematicus desideratur, sed tam de ordine visibili quam de vita interna ecclesiae Thomas plura docuit praestantia principia, quae tanquam optima semina tempore suo fructum reddiderunt.[2])

V. Utrum argumentatio nostra dogmatica sit an apologetica. Textus S. Scripturarum, patrum testimonia, ecclesiae definitiones eandem, qua utitur dogmaticus theologus, argumentationum materiam praestare videntur. Sed haec omnia extruendis aedificiis apologeticis alia ratione inservire memoravimus. Si Christum fateris divinitus missum, ubi gravius credibilitatis motivum quam ordinationis Christi viva illa veraque imago, quam exprimit ecclesia? Si Christum nondum agnoscis divinitus missum, aliud vix phenomenon reperies, quod rem in se supra-humanam clarius exprimit, quam societas illa spiritualis, in Scripturis delineata, veterum ab initio testimoniis celebrata, vivens inter nos semper eadem. Ecce apologetarum

---

[1]) Kleutgen, *Instit. theolog.* I, p. V.

[2]) Cf. M Grabmann, *Die Lehre des heiligen Thomas von Aquin von der Kirche als Gotteswerk* (1903); E. Commer, *Die Kirche in ihrem Wesen und Leben* (1904).

argumentatio historica. Quae sane saepius cum illis concurrit rationibus, quas ex ipsa natura vitaque ecclesiae haustas in pluribus thesibus includere vel tanquam convenientias iis annectere studuimus. Cf. supra p. 6—10.

Quaestio II.

De institutione ecclesiae.

Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in filio. Hebr. I. 1. Filius Dei in terris *religionem suam* instituit; quod alias probatum esse in hoc opere supponitur. Hoc loco inquirendum est, utrum Christi religio *ecclesiae* naturam induat.

Incipiendum esse videtur ab institutione sub adspectu *generali;* quod intellectus processui consentaneum puto, et indicatum ab Angelico, qui *In Sent.* IV, dist. 17, q. 3, art. 1, sol. 5 ait: „ministri Ecclesiae instituuntur in Ecclesia divinitus fundata; et ideo institutio Ecclesiae praesupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis praesupponitur ad opus naturae." — Jam quaeritur:

Primo. *Quaenam sit vocabuli ecclesiae significatio.*

Secundo. *Utrum Christus immediate ecclesiam instituerit.*

Tertio. *Utrum hominum sanctificatio sit finis ecclesiae proximus.*

Quarto. *Quando ecclesia instituta sit.*

Articulus I.

Quaenam sit vocabuli ecclesiae significatio.

I. Significatio vocabuli ecclesiae. *Ecclesia,* vox graeca, ab ἐκκαλέω, unde ἐκκλησία seu evocatio, deducitur. Significatione latissima collectum vocatione hominum coe-

tum designat, sive bonum, ut in S. Scriptura saepius, sive malum, prout habetur Ps. XXV. 5.: *Odivi ecclesiam malignantium.* Si minus late sumitur, coetum religiosum significat, sive *partialem* (Act. VIII. I.; Cor. I. 2.), sive *universalem,* uti Matth. XVI. 18.: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Metaphorice ad locum restringitur, quo fideles ad Deum colendum conveniunt.

In antiquissimo Symbolo, quod *Symbolum Apostolorum* vocare solemus,[1]) Christiani profitebuntur ἁγίαν ἐκκλησίαν. Ad quem *Symboli* articulum Aquinas *In Symb. Apost.* annotat: „Ecclesia sancta idem est quod congregatio fidelium; et quilibet Christianus est sicut membrum ipsius Ecclesiae, de qua dicitur Eccli. ult. 31: *„Appropriate ad me indocti, et congregate vos in domum disciplinae.“*

Specialiter ea vox ad significandos fideles usurpatur, qui in confitenda Christi religione sociantur, secundum triplicem statum, hoc est: 1° militantes in terra; 2° patientes in purgatorio; 3° triumphantes in caelo. Ipsa ecclesia militans, quoniam ad eos quoque extenditur, qui Deum per Christum venturum coluerunt, tres status habuit: primum in Adami familia eorumque posteris, quatenus in revelatione primaeva permanserunt; secundum in iis, qui legem scriptam a Moyse acceperunt; tertium in iis, qui Christi incarnati religionem amplexi sunt; ad quem statum significandum vox *ecclesiae* in praesentia usurpatur, secundum hoc *Catech. Romani:* „Militans Ecclesia est coetus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt; quae ideo militans vocatur, quod illi cum immensissimis hostibus, mundo, carne, Satana perpetuum sit bellum.“ Pars I. cap. V. 5. Cf. S. Thomam, III. 8, art. 3. et 4.

---

[1]) Vide S. Bäumer, *Das apostolische Glaubensbekenntnis* (1893); E. Vacandard, *Études de critique et d'histoire religieuse* (1905), p. 3—68. Auctor de origine *Symboli* haec concludit: „S'il existait sûrement dans la seconde moitié du IIe siècle, il n'est pas aussi certain qu'il ait déjà été en vigueur dans la première.“ — Documenta plurima apud F. Kattenbusch, *Das Apostolische Symbol* (1900). — Cf. C. Blume, *Das apostolische Glaubensbekenntnis* (1893) et Fr. Chamard, *Rev. des quest. histor.* t. LXIX, 337—409 et t. LXX, p 247—253; J. Tixeront, *Hist. des dogmes* (1905), t I, p. 156—163.

Visa sunt in ipso vocabulo *ecclesiae*, quod ecclesiae Christianae proprium esse consuevit, benignitatis divinae mysteria; „ex hac — ait Catech. Romanus — vocatione, quis nobis finis propositus esse debeat, nimirum aeternarum rerum cognitio et possessio, is optime perspiciet, qui animadverterit, cur olim fidelis populus sub lege positus „synagoga" id est congregatio diceretur. Nam ut docet sanctus Augustinus,[1]) hoc ei nomen impositum est, quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena et caduca tantum bona spectaret. Quare merito Christianus populus non synagoga sed ecclesia dicitur, quia terrenis et mortalibus rebus contemptis caelestes et aeternas tantummodo consectatur." Pars I. 10, 3.

II. De idea ecclesiae secundum acatholicos. Hoc loco 1° de haereticis ante Lutherum; 2° de Luthero et novatoribus saeculi XVI.; 3° de protestantibus incredulis; 4° de reactione protestantica.

1° Donatistae et Pelagiani, Cathari et Valdenses asseverant ecclesiam esse *congregationem justorum* seu hominum peccati prorsus immunium; Wicleffitae et Hussitae ecclesiam *congregationem praedestinatorum* esse contenderunt. At quaeritur, quomodo coetus, qui exclusive tam ex membris quam ex praepositis justis aut praedestinatis constet, ut institutum aliquod seu societas ab aliis coetibus secernatur. Et profecto conceptus ille ecclesiae hujusmodi est, ut ipse coetus et in primis coetus istius regimen a mortalium conspectu omnino removeatur. Ita ad *individualismum* adducimur.

2° Lutherus, cujus doctrina hac in re inter protestantes plurimum potuit, pro ecclesia universali substituit particulares ecclesias (Gemeinde); quin etiam, si principia protestantium penitius considerentur, non nisi *individualismus* a novatoribus admittitur. Etenim eorum principia

[1]) In Psalm. LXXVII. et LXXXI. — Item W. Lock, protestans Oxoniensis, *St. Paul the Master-builder* (1897), p. 40—42 ex differentiis inter συναγωγή et ἐκκλησία unitatem commendat „implied in the essential conception of the Church." — Cf. Loebe, *De origine vocis Kirche*.

sunt: *a) fides sola*; *b) clara et sufficiens scriptura; c)* ob eamque rem oportet quisquis *„judex liberrimus sit omnium a Deo solo doctus“* (Luther, *De instituendis ecclesiae ministris); d) novae legis sacramenta ex opere operato non conferunt gratiam;*[1]) *e) nulla datur hierarchia jure divino.* Quibus positis nullo negotio intelligitur ecclesiam esse *massam ecclesiasticam,* quae organismo nullo nullisque institutis objectivis adunetur. In ea massa latet *ecclesia vera et perfecta,* quae non nisi per accidens appareat; ex eadem massa, cum fideles sese in communitates (Gemeinde) conjungunt, *ecclesia imperfecta* visibiliter exoritur.

3° Moderni excogitaverunt *a)* ecclesiam idealem*; b)* ecclesiam ethicam; *c)* ecclesiam pantheisticam; *d)* ecclesiam aestheticam.

a) Ecclesia idealis reapse ut coetus non exsistit, sed inanis est idea seu exemplum quoddam sublimissimum, quod nuspiam vere exprimi potest. *b) Ecclesiae ethicae* proprium est, quod sola doctrina moralis, dogmate carens, ad essentiam ejus pertinet; ea vero, quae ad mores immediate et unice non pertineant, transitoria habentur. *c) Pantheisticus ecclesiae conceptus* eousque procedit, ut ecclesia formula tantum temporaria habeatur evolutionis illius necessariae, quam rerum natura, immanente Deo, subit. *d)* Strauss ecclesiam esse significat *scholam aestheticam inferiorem,* quae humano generi jam emancipato relinquenda est, quippe cui hac nostra aetate et in vita status politici et in poëtarum ac musicorum coetu magnificentissima quaeque suppetant. *Der alte und der neue Glaube,* p. 293.

4° Reactione quadam *a)* Neolutherani duce Kliefoth

[1]) „Gratiam — ait Billuart — produci ex opere operato est eam a Deo conferri intuitu operis, non ut procedit laudabiliter ab operante, sed ut est a Christo institutum, seu est eam produci vi et efficacia operis externi per virtutem sibi supernaturaliter communicatam ultra meritum ministrantis et recipientis, non tamen sine dispositionibus ex parte subjecti recipientis requisitis, non quae habeant vim effectivam effectus, aut operi externo seu sacramento vim conferant, sed quae se habent per modum removentis obicem gratiae et conditionis sine qua sacramentum effectum suum non produceret.“ *De sacram. in communi,* diss. III art. 1.

et Puseyitae duce Pusey magis minusve aperte docent, ecclesiam vinculo objectivo conjungi, hoc est, in ea reperiri officia muneraque propria et potestatem in fideles. *b)* Alii ad notionem ecclesiae fanaticae delapsi sunt. Etenim cum *regnum Dei,* quod a prophetis annuntiatum est, juxta conceptum ecclesiae protestanticum nusquam appareret, nonnulli in *chiliasmum passivum* incidentes Christi reditum *opperiendum* esse affirmarunt; alii, *chiliasmum activum* amplexi, Sion ab hominibus, quos spiritus Dei impellit, *aedificari* dixerunt. Hinc idea ecclesiae *socialis-politicae* orta est, qua asseritur finem Christi proximum fuisse nationalem, id est, hoc fuisse Christi propositum, ut populum et regnum sensu strictiori fundaret, non ut aedificaret ecclesiam; hic autem *populus* constituendus est, antequam Christus *regnum* suum fundaturus redeat.

III. Definitio ecclesiae secundum catholicos. S. Thomas ait: *ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium.* III. 8. art. 4. ad 2.; cf. *In Sent.* IV. dist. 20, q. 1, a. 4.; *Contra Gentiles,* lib. IV. 78. Definitio minus incompleta magisque explicita, quam alii aliis verbis sed re ipsa unam proponunt, haec est: *coetus fidelium baptizatorum ejusdem fidei professione eorundemque sacramentorum participatione sub Christi in terris vicario, Pontifice Romano, adunatorum.* Explicatur definitio.

Congregatio fidelium idem sonat atque *societas* fidelium. Est autem societas „adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum". S. Thom. *Contra impugnantes,* cap. III. Porro societatis illius seu civitatis membra non solum paritate quadam affectus et amicitiae vinculo, sed *vinclo juris divino* et *objectivis institutis* professionis, sacramentorum et regiminis adunantur. De hoc vinclo societatis ecclesiasticae S. Thomas scripsit: „In qualibet autem civitate ad hoc ut sit una, *quatuor* debent esse communia; scilicet *unus gubernator, una lex, eadem insignia,* et *idem finis.* Haec autem quatuor dicit Apostolus esse in Ecclesia." Sanctus doctor singula exponit. Et 1° quidem dicitur *unus gubernator;* quia ecclesia habet ducem unum, scilicet Christum, cujus vicem gerunt in terris Romanus

Pontifex et praelati; prout alias ab Angelico explicatur, v. g. II. II. 78. art. 12. 2° *Una lex;* haec autem est lex fidei. *Una est fides;* idest, idem jubemini credere, et eodem modo operari; quia unum et idem est quod creditur a cunctis fidelibus: unde universalis seu catholica dicitur: unde I. Corinth. I. 10: *Idipsum dicatis* (idest sentiatis) *omnes, et non sint in vobis schismata.* 3° *Eadem insignia;* scilicet sacramenta Christi gratiae divinae fontes et instrumenta. 4° *Idem finis,* qui est Deus (*In Ephes.* IV, lect. II.), ad cujus visionem beatificam homines per vitam fidei et caritatis supernaturalem praeparantur. Exprimitur ergo definitione proposita tam vita mystica ecclesiae quam organisatio ejus atque forma hierarchica. Duo haec unum sunt: ea quae visibiliter apparent ut institutum unitatis socialis, divinitus ordinatum, *et* intima vita mystica, fidei mysteriis nutrita, sacramentis intus renovata et adaucta, vita, inquam, motionis supernaturalis et unionis cum Deo per gratiam Christi Redemptoris omnium. Neque duo haec nexu mere externo conjungi existimes; nam quod hic in terris tanquam coetum conspicis, hoc suam vitam idcirco vivit, ut vitam internam, in se a Christo profluentem, manifestet ac cum mundo universo communicet.

Postea, quae paucis hic adumbravimus, *evolvenda* sunt, intraque apologeticae limites disputationibus nostris probanda. Ex dictis autem satis apparet, conceptum ecclesiae, *prout ea societatis naturam induit,* secundum doctrinam catholicam a notione protestantium admodum differre. Duas rationes affero. Primo, protestantismus *principium efficiens* ecclesiae petit ab *individuo,* catholici sentiunt illud *institutis objectivis* Christi contineri; secundo, protestantes unionem *tantum* idealem et internam ad ecclesiam essentialiter pertinere asserunt, nos vinclum *etiam* sociale et externum ab ecclesiae Conditore institutum esse credimus.

IV. Ecclesiae figurae aliquot, parabolae, nomina. 1° Ecclesiae in V. T. *figurae* fuisse censentur *paradisus, Eva,*[1]) *arca Noe, gens Judaica, templum Hierosoly-*

[1]) Cf. S. Aug. *De civ. Dei,* lib. XXII. 17.

mitanum, et apud Danielem cap. II. *lapis*, qui praecisus de monte sine manibus *factus est mons magnus et implevit universam terram.*

2° *Parabolae*, quibus ecclesia in Evangelio depingitur, his versibus exprimuntur:

> Ecclesiam Christi parabola quina figurat:
> Arx, convivium, retia, pascua, ager.

Non abs re erit et *navem* nominare, de qua videsis S. Hippolyt., *De Christo et Antichristo*, cap. LIX. Cf. S. Thom. *Caten. aur.* In Luc. V. n. 1.

3° Ecclesiae *nomina* sunt *domus Dei*, I. Tim. III.; *civitas*, Matth. V.; *regnum*, Matth. XIII., Luc. XIII., Joan. XVIII.; *ovile*, Joan. X.; *corpus Christi*, Ephes IV.; *sponsa Christi*, S. Method. *Convivium*, orat. VIII. 5.; *virgo et mater*, Clem. Alexandr. *Strom.* IV. 26.; VII. 5., *lilium*, „quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conventus ecclesia Dei refulget“ (S. Ambr. *In ps.* CXVIII. v. 33.); *columba*, de qua legimus: *una est columba mea*, Cant. VI. (S. Aug. *De bapt.* lib. IV. 3); *columba Dei atque regina*, S. Pacian. *Ep. 1; Jerusalem*, sicut scriptum est: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de caelo a Deo*, Apoc. XXI. 2. — Cf. S. Thom. *In Ephes.* II. lect. VI. Cf. Catech. Rom. p. I. art. 9.

Articulus II.

Utrum Christus immediate eccleciam instituerit.

I. Status quaestionis. Si vocabulum *ecclesiae* in sensum vagum accipiamus, nihil intelligentes nisi multitudinem *individuorum*, inter quos est *qualiscunque cujusvis* ideae Christianae communitas, nemo est omnium, qui ecclesiam a Christo institutam esse dubitet. At hoc quaeritur, utrum ecclesia sit instituta, quae conceptui catholico, quem supra art. 1. indicavimus, vere respondeat, id est, utrum Servator suos *omnes in unam* veri nominis *societatem* coadunaverit. Hoc etiam probandum est, quod adversarii nobis non concedunt, videlicet ecclesiam et omnia essentialia

ejus *causam efficientem principalem* et *immediatam* habere nullam praeter Christum. Etenim de *causa* ecclesiae *materiali*, quae sunt ipsi fideles, disceptandum esse non videtur, Haec igitur est quaestio, utrum ex primis discipulis *ab* ipso Christo *immediate* instituta sit ecclesia tanquam *unum corpus sociale* seu unum corpus morale, quod verius persona moralis appellatur, *cui* corpori, sic statuente Domino, *omnes*, qui saeculis subsequentibus in ipsum crediturі essent, incorporari tenerentur. *Immediate* autem eo dicimus, quod ecclesia a Christo instituta est aliis non mediantibus personis.

II. Adversariorum sententia. Lutherus et alii novatores saeculi XVI., quo facilius auctoritatem ecclesiae catholicae evacuarent, adulterarunt ipsam ideam ecclesiae. Institutum *sociale* negligentes, principium *fidei solius* unice inculcarunt. Christus per fidem solam fidelium *multitudinem*, non *societatem* fidelium seu veri nominis ecclesiam efficit. Ecclesia seu fidelium societas ab ipsis fidelibus efficitur, in quantum plures sese in communiones (Gemeinde) seu ecclesias et ecclesiolas conjungunt. Itaque 1° societas seu ecclesia non ab ipso Christo immediate sed a fidelibus instituitur; 2° fideles *communitates* tantum, non *unum omnium* fidelium coetum, efficiunt. Calvinus consequentias hujusmodi doctrinae retardare conatus est. Ideam ecclesiae socialem urget his verbis: „tantum potest ecclesiae participatio, ut nos in Dei societate contineat;“ quin etiam decernit, discessionem ab ecclesia, Dei et Christi abnegationem esse.“ *Instit.* lib. IV. cap. I. n. 3. et 10. In aliis autem locis Calvinus veram Christi ecclesiam in eo consistere docet, quod aggregentur sancti in *societatem Christi* et quod illi *ultro citroque* sua communicent. Cf. l. c. n. 3. At notio vera ecclesiae postulat, 1° ut fideles, non soli sancti, aggregentur; 2° non solum in societatem Christi, verum etiam in societatem inter se; 3° neque ultro citroque sed per vinclum sociale a Christo institutum. Multorum protestantium modernorum errores circa ecclesiae originem huc redeunt, ut ecclesiam processu mere humano aut evolutione quasi pantheistica factam autument. J. Drummond, Harnack, Sabatier, alii conceptum *ecclesiae* a mente

Christi ejusque praedicatione nimis distare contendunt. Salvador expresse negat ullam *religionem*, a synagoga distinctam, Christo tribui posse ut auctori.

Nobis probandum est, ecclesiam, sumptam eo sensu, quem exposuimus, reipsa a Christo prodiisse.

Thesis: *Christus ecclesiam immediate instituit.*

Argumenta.

Arg. I. S. Thomas ait: „ille instituit aliquid, qui dat ei robur et virtutem.“ III. q. 64. art. 2. Christus autem ecclesiae ea dedit, quibus habet robur et virtutem veri nominis *societatis*, scilicet *a)* unam fidem fixam et determinatam; *b)* quaedam instituta sacra; *c)* regimen legitimum. Ergo Christus *societatem* fidelium instituit. Prob. *min.*

a) In una fide fixa et determinata. Etenim Servator omnibus *suam* doctrinam injunxit. Jam vero Christi doctrina haud dubie est fides fixa et determinata. Ergo. Et sane Christus ait: *Euntes ergo, docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.* Item: *Praedicate evangelium omni creaturae . . . qui vero non crediderit, condemnabitur.* Cf. Matth. XXVIII. 19. 20.; Marc. XVI. 15. 16.; Matth. V. 18. 19. Rursus S. Paulus: *licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam evangelizavimus vobis, anathema sit.* Gal. I. 8. Item: *Unus Dominus, una fides.* Ephes. IV. 5.

b) In aliquibus institutis sacris. Hoc loco designanda sunt, quae magis sunt pervia. 1° Adunantur omnes in uno baptismate. Legitur enim: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* Marc. XVI. 16.; Matth. XXVIII. 19.; atque respondens Nicodemo Jesus ait: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* Joan. III. 5.; et S. Paulus ait: *una fides, unum baptisma.* Ephes. IV. 5.

2° Certa Eucharistiae celebratio a Servatore praescribitur. Jesus in coenaculo ait: *hoc facite in meam commemorationem,* Luc. XXII. 19. Item S. Paulus: *Ego enim* — inquit — *accepi a Domino, quod et tradidi vobis; quoniam*

Dominus Jesus . . . dixit . . . hoc facite in meam commemorationem . . . Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans corpus Domini. I. Cor. XI. 23—30. Non opus est tamen, ut in praesentia dicamus, quid S. Eucharistia contineatur. Instituta alia, puta poenitentiae et unctionis sacramenta, quoniam haec ab heterodoxis plurimis omnino rejiciuntur, silentio praeterii.

c) Sub legitimo regimine. Evidens est potestatem praedicandi et remittendi peccata, regendi pascendique munus, non omnibus promiscue collatum esse, sed certis personis, — qui soli ministerium a Christo adepti sunt. Sic aliquibus personis iisque determinatis dictum est: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. XX. 21.; *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo,* Matth XVIII. 18. Cf. Matth. XVI. 16.; Marc. XVI. 15.; Luc. XXII. 19. 32.; Joan. XXI. 15.; I. Cor. IV. 1. etc. Totum hoc argumentum secundum confirmatur *ex facto publico,* quod Clemens Romanus, Hermas, Ignatius, Antiochenus, Polycarpus et veteres omnes, etiam gentiles, ut Plinius et Celsus, nobis tradiderunt, videlicet ex facto exsistentis ecclesiae universalis, quae fuit ab initio una et unica *ecclesia Dei vivi,* I. Tim. III. 15.

Arg. II. Christi verba apud Matth. XVI, 18: *aedificabo ecclesiam meam*, manifesto designant unam omnium fidelium societatem. Jam haec Domini sententia maxime authentica haberi debet, non tantum ab iis, qui S. Scripturas verbum Dei esse credunt, sed tanquam testimonium historicum ab omnibus. Ergo Christus ecclesiam immediate instituit. Prob. *min. a.* Ex omnium codicum et antiquissimorum fontium perfectissimo consensu. *b.* Ex eo quod unica vel saltem praecipua dubitandi ratio pro incredulis est quod Christi mens ac praedicatio fuerit ab ecclesiae conceptu prorsus aliena; quae quidem ratio corruit tum quia gratuita, tum quia argumento nostro primo monstravimus ecclesiae conceptum menti ac praedicationi Servatoris maxime congruere. *c.* Ex eo quod secus causa pro-

portionata nulla habetur tam ingentis effectus, qualis est ecclesia. Harnack enim, cum nomen *ecclesiae* (qâhâl), priusquam Paulus (*Gal.* I, 22) *ταῖς ἐκκλησίαις* scriberet, usurpatum videret, nihil ad explicandam nominis originem invenit, quam maximam Christianorum Palaestinensium in seligenda hac voce dexteritatem.[1])

Confirmatur ex aliis S. Scripturae testimoniis, quibus apparet, omnes Christi fideles et omnes ecclesias particulares in unam societatem fuisse congregatas. S. Pauli verbum est: *ecclesia Dei vivi*, I Tim. III, 15; *persecutus sum ecclesiam Dei*, I Cor. XV, 9; cf I Cor. XII, 28. — S. Lucas scribit: *ecclesia quidem per totam Judaeam, et Galilaeam, et Samariam, habebat pacem.* Act. IX, 31. Haec ecclesia una Christo unitur ut corpus capiti: *Christus caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ejus; — ipse Salvator corporis ejus. Ephes.* I, 22—23. Cf. V, 23—33; Coloss. I, 24. — Fideles ex Judaeis et Gentilibus facti sunt unum per Christum: *Ipse . . . fecit utraque unum.* — Porro haec una et unica fidelium congregatio *regno, domui, civitati, ovili* comparatur. Act. I, 3; I Tim. III, 15; *Apoc.* III, 12; Joan. X, 16.

Arg. III. *Ex convenientiis. a)* Gratia non tollit naturam sed eam perficit, ut docet Angelicus I. 1, art. 7.; *Super Boet. De Trinitate*, quaest. II. art. 3. Atqui homo natura sua ad societatem inclinatur. Ergo homini ad ordinem supernaturalem instaurato, societas quoque supernaturalis et ecclesia videtur conveniens.

b) „Sicut caeteris rebus — ait Angelicus — ita etiam homini Deus providet secundum ejus conditionem.“ *C. Gent.* lib. IV. 64. At haec est hominum conditio, ut in societate degentes plurima bona facilius obtineant, mala plurima efficacius repellant. Hominibus igitur religionem Christi exercentibus conveniens est, ut Christi religio societatis naturam induat. Et certe bonum verae doctrinae ac vitae Christianae in societate certius obtinetur, a qua proponitur

[1]) Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten* (1902), S. 292. Selectio nominis *ecclesiae* vocatur „ein meisterhafter Griff“, praesertim quod hoc modo coetus Christiani *voce* quoque a Judaeis et a *synagoga* secernerentur.

veritas, actus diriguntur; contra malos autem in bonorum consensu vim esse maximam, ipsi mali conspirantes ostendunt.

c) Perfectio socialis, si figuris et *umbris* concessa est, a *veritate* abjudicari nequit. Jam religio Judaica, quae erat umbra futurae, societas quaedam fuit. Ergo ex analogia religionis Judaicae conveniens esse videtur, ut religio Christiana, in qua figurarum *veritas* est, obtinuerit formam societatis.

Objectiones.

Obj. I. Christus homines recte vivere docuit. Atqui recte vivendo idealiter tantum ac ethice adunamur, non in veri nominis societatem seu ecclesiam. Ergo Christus nullam ecclesiam concretam, sed idealem instituit.

Resp. Dist. maj.: Christus docuit recte vivere *et* in ecclesia, *conc.;* extra ecclesiam, *nego. Dist.* min.: non adunamur in ecclesiam concretam, recte vivendo secundum praecepta Christi, *nego;* ad arbitratum hominis, *concedo.* Probatum est et amplius probabitur Christum praecipere, ut homines ecclesiae incorporentur. Jam vero integer vitae non censetur, qui huic ordinationi resistit. Huc facit illud Augustini: „Dicant ergo pagani. Bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid eis prodest, unde gloriantur . . . Videamus illos, si forte ipsi intrant per ostium in ovile, *qui ipsius Christi nomine gloriantur.* Innumerabiles enim sunt, qui se Videntes non solum jactant, sed a Christo illuminatos videri volunt. Sunt autem haeretici. Forte ipsi per januam intraverunt? Absit.“ *In Joan.* tract. XLV.

Instabis. Humanitatis religio ecclesias quascunque transcendit. Christus autem religionem humanitatis instituit; scriptum est enim: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.* Jac. I. 27. Ergo Christi religio ecclesias quascunque transcendit.

Resp. Dist. maj.: Humanitatis religio ecclesias quascunque transcendit, juxta conceptum religionis naturalisticum, *conc.;* juxta Christi praecepta, *nego.* Ita pariter *dis-*

tincta minori, ad probationem minoris *dist.:* S. Jacobus haec docuit, inclusis aliis Christi praeceptis, *conc.*, iisdem exclusis, *nego.* Christi praecepta circa ecclesiam manifesta sunt. Ergo qui hujusmodi praecepta placitis hominum et doctrinis *a priori* positis evacuat, *immaculatum se* non *custodit ab hoc saeculo.*

Obj. II. Homines, dum in colendo Christo sese conjungunt, ecclesiam efficiunt. Ecclesia igitur, cum ab hominibus fiat, a Christo instituta non est.

Resp. Dist. Ecclesia ob conjunctionem memoratam opus est hominum materialiter, *conc.;* effective, *nego.* Et *nego* conclusionem. Christus suos in societatem adunavit, largiens illis omnia, quae ad socialem unionem et ecclesiam requiruntur, unitatem doctrinae, communia instituta, regimen. Fideles tanquam materia et membra nova corpori illi et societati adjunguntur, quam non faciunt, sed institutam reperiunt.

Instabis. S. Irenaeus ait: „ubi Spiritus Dei, ibi ecclesia." Ergo ecclesia ob statum hominis internum, non ob vinclum sociale dicitur.

Resp. Dist. sensum sententiae S. Irenaei: „ubi Spiritus Dei, illic ecclesia", supposita ecclesiae exsistentia, *conc.;* ea non supposita, *nego.* Et *nego* conclusionem. Integra Irenaei sententia est: „Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia et omnis gratia." *Adv. haer.* III. 24. Quibus verbis unio sublimissima S. Spiritus cum ecclesia significatur. Haec autem unio exoritur a Christo, qui ecclesiae, a se institutae, S. Spiritum promisit. Tantum autem abest, ut S. Irenaeus conjunctionem fidelium mere idealem admiserit, ut instituta objectiva, quibus unitas socialis seu ecclesia concreta efficiatur, sacramenta et hierarchiam divinam, docere semper perseveraverit. Profecto multiplicatis hominibus, Spiritus Dei repletis, *massa* quidem ecclesiastica praesto est, nullus tamen organismus aut *forma socialis.* At Christus ea omnia dedit ecclesiae, quibus robur et virtus veri nominis societatis innituntur.

Obj. III. Vocem *ecclesiae* bis tantum apud Mattheum legimus, nempe XVI, 18: *aedificabo ecclesiam meam*, et ibi-

dem XVIII, 17: *dic ecclesiae,* alias autem in Evangeliis nunquam. Itaque incertum est, utrum ipse Christus ea voce usus sit, ex qua probetur ecclesiae institutio.

Resp. Dist. antec.: *Ecclesia* alias in Evangeliis non legitur, quantum ad *vocem, conc.;* quantum ad *rem, nego.* Et *nego* consequens. Nihil sequitur, etiamsi Dominus vocabulum aramaicum, quod, quamvis praecise idem ac *ecclesia* non esset, *coetum* tamen aut societatem fidelium significaret, locis memoratis adhibuerit. *Rem* ipsam ostendimus, scilicet ab ipso Christo data ordinataque fuisse quaecunque ad veram fidelium societatem sive unionem socialem efficiendam pertinent. Fac igitur, vocem *ecclesiae* secundum terminologiam paulo posteriorem ab evangelista esse positam, vis tamen rationum nostrarum integra persisteret.

Instabis. Saltem *regnum Dei* in S. Scripturis de ecclesia non dicitur, sed sensu aut messianico aut ethico aut eschatologico.

Resp. Dist.: Regnum Dei triplici hoc sensu dicitur exclusive, *nego;* inclusa relatione ad ecclesiam, *conc.* Profitemur cum veteribus, Dominum de *regno* expressis verbis aut in parabolis loquentem, suum adventum messianicum praedicasse, accepta tamen missione Messiae sublimiori ratione quam vulgo gens Judaica. Item regnum illud Messiae haud dubie fuit regnum ethicum; nec tamen sequitur, ut Ritschl, Wendt et Harnack omnem alium sensum recte excluserint. Si sensum eschatologicum considerare malis, latius tamen quam J. Weiss et Jülicher-Loisy, equidem nihilum contra dico; sed existimo *regnum Dei* praedicatum esse non tantum, ut spem magnam, sed *etiam* ut aliquid jam in concreto praesens et tanquam vinclum inter promissa messianica et consummationem finalem operis Christi. Commemoramus Matth. XII, 28: *pervenit in vos regnum Dei;* Luc. XVII, 21: *Ecce regnum Dei intra vos est;* Matth. XIII, 24—53, ubi *regnum caelorum,* in parabolis *zizaniorum, grani sinapis, fermenti,* etc. secundum actionem suam in hoc mundo et cursum suum terrestrem clare apparet. Cf. Marc. IV, 26—33 et Luc. XIII, 19—21 similia de *regno Dei.* Accedit quod Salvator l. c. S. Matthaei

parabolam edisserens ait: *Ager autem est mundus; — Messis vero consummatio saeculi est.* — Quibus datis et inspecto contextu Act. I, 1—9 affirmandum videtur, ecclesiam, quae hic in terris degit, non praetermissam esse, cum Jesus post resurrectionem per dies quadraginta appareret apostolis, *loquens de regno Dei.*

Articulus III.

Utrum hominum sanctificatio sit finis ecclesiae proximus.

I. De fine ecclesiae. Finis dicitur *cujus gratia aliquid fit.* Finis ecclesiae *ultimus* est adeptio salutis aeternae; quare Angelicus: „esse ecclesiam — inquit — gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi.“ III. 8, art. 3. ad 2. Finis *proximus* est *hominum sanctificatio in hac vita.* Finis *primarius* sunt bona supernaturalia; finis *secundarius* plurima bona temporalia, quin imo Dei opus, quod est ecclesia „in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum“. Encycl. *Immortale Dei.* Nobis agendum de fine ecclesiae proximo, qui est hominum sanctificatio in hac vita. Ne tamen illa vox *sanctificationis* controversiam pariat, quid ea maxime significetur, paucis exponam.

II. Quid in thesi „hominum sanctificatio“ significet. Sanctificationis, si sensu latiori accipiatur, objectum dici poterunt etiam illa bona, quae absque fidei gratia et caritate patrantur. In thesi sanctificationem sensu strictiori intelligimus eamque *mundationem a peccatis atque confirmationem in bono, quam Christi gratia ad ordinem supernaturalem efficit.* Jam vero sanctificationem illam munusque sanctificandi, quod a Christo ecclesiae concreditum esse affirmamus, ad omnes actus vitae humanae extendi necesse est. Porro actuum humanorum, qui ad Deum colendum pertinent, *tria* enumerantur genera. Primo enim et principaliter ad cultum praedictum pertinent actus mentis or-

dinati in Deum; secundo actus corporis qui ad hos excitandos vel designandos fiunt, ut prostrationes, sacrificia et alii hujusmodi; tertio ad eundem cultum pertinent omnes actus alii in proximum ordinati propter Deum. S. Thom. *In Boet. De Trin.*, q. III. art. 2.

Finis igitur operantis ecclesiae est, tueri, propagare, exercere veram Jesu Christi religionem, ideoque *primario* gignere et nutrire in homine vitam fidei et caritatis, quibus potissimum Deo conjungimur; *secundario* quoque movere ad actus religionis exteriores, in quantum exteriora cum interioribus connectuntur. S. Thom. I. II. 101. a. 2. — Illudere vero ecclesiae, quasi homines satis sanctificatos esse censeret, quando sunt exteriorum actionum ecclesiae participes, stulta est ac injusta criminatio.

III. Explicatur, quonam sensu sanctificationem ecclesiae tribuamus. Contra nonnullorum opiniones tria et mente notanda sunt hic et posthaec retinenda. 1° Deus solus totius sanctificationis auctor *principalis*, ecclesia Christi *instrumentum* est. Scriptum est enim: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Rom. III. 24. Atque patres Tridentini: „Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.“ Sess. IV. can. III. 2° Homines secundum viam *ordinariam* divinae Providentiae non nisi in ecclesiae communione sanctificantur; possunt tamen *extraordinaria* via, qui invincibili ecclesiae ignorantia laborant, gratiae operante virtute salvari; quin imo haeretici illi, qui bona fide errant, ad ecclesiam pertinere censentur. 3° Sanctificandi munus, quod ecclesiae commissum est, non magis quam actio sanctificans Christi, causae principalis, liberam hominum cooperationem excludit.

IV. Adversariorum sententia. Protestantes, cum operationem Christi in homines ab *instrumentis*, quibus causa principalis Christus utitur, prorsus separarent, naturali quodam itinere eo pervenerunt, ut fideles ab ecclesiae influxu abstraherent. Posita doctrina *fidei solius* ac *clare et sufficientis Scripturae*, ministerium ecclesiae visum est inane.

Hinc modernismus, qui ecclesiae instituta et regimen „formarum inanium“ in numero esse contendit. Longe aliter catholici, quibus ecclesia adamanda tanquam mater est, cui debent vitam animae.

Thesis: *Hominum sanctificatio est finis ecclesiae proximus.*

Argumenta.

Arg. I. Christi religio sanctificationis animarum causa instituta est. Jam vero Christus *religionem* suam *in ecclesia* condidit, ut ex art. praeced. palam est. Finis igitur ecclesiae est sanctificatio animarum.

Arg. II. *Ex S. Scriptura.* Christus eo missus est, ut homines sanctificentur. Atqui ecclesia est *instrumentum*, quo Christus, tanquam causa principalis, missionem suam continuat. Quod vere probatur *a) ex sancta missione* apostolorum et eorum, qui ipsis succederent. Christus enim dixit discipulis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. XX. 21. Rursus: *ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Joan. XV. 16. *b) Ex potestate et officiis sanctificis*, quae ipsis a Christo delegantur; qualia sunt officia praedicandi, baptizandi, remittendi peccata, ligandi ac solvendi. Joan. XX. 23.; Luc. X. 16.; Matth. XVIII. 17. *c) Ex divino adjutorio* ad missionem illam sanctificam complendam. Promittuntur enim ecclesiae et permansio Christi perpetua, Matth. XXVIII. 20.; et S. Spiritus, Joan. XIV. 16.; et divina charismata, ad solam ecclesiam pertinentia, quae in S. Scripturis vocatur *corpus* Christi et *plenitudo ejus.* Ephes. I. 23.; II. 21.; IV. 11—14.; I. Cor. XII. 12—27.

Arg. III. *Ex patribus. a)* Veteres omnes docent oportere homines in ecclesia et per eam sanctificari. Ergo sanctificatio est finis ecclesiae proprius. Prob. *antec. S. Ignatius* Antioch. ait: „quotquot poenitentia ducti redierint ad unitatem ecclesiae, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, *regni divini haereditatem non consequitur.*“ *Ad Philadelph.* cap. III. *S. Irenaeus:* „In

ecclesia enim posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem Spiritus; cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad ecclesiam.“ *Adv. haer.* lib. III. *S. Cyprianus:* „Illius (ecclesiae) foetu nascimur, illius lacte enutrimur, Spiritu ejus animamur.“ *De eccl. unit.* cap. V., cf. S. Methodium, *Conv.* Orat. VIII. 6. Iterum: „Habere non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem.“ O. c. cap. VI. *Lactantius* in *Div. inst.* lib. IV., 30. de catholica ecclesia: „Hic est fons veritatis.“ *S. Augustinus:* „Ecclesia catholica sola est corpus Christi . . . Qui ergo vult habere Spiritum sanctum, caveat foris ab ecclesia manere.“ *Ep.* 185. n. 50.

b) Archaeologia sanctificum ecclesiae munus inscriptionibus expressum docet. Incisus epistylio portae aedis S. Laurentii versus Damasianus: „Cunctis porta patet, quis (quibus) porrigit ubera mater.“ In carmine Xysti III. († 440) apud Lateranum supra fontem Baptisterii:

> Virgineo foetu genetrix ecclesia natos,
> Quos spirante Deo concipit, omnes parit.
> Cf. De Rossi, *Inscr. Christ.* vol. II. p. I. p 332 et 424.

Corollarium I. Cum ecclesiae finis spiritualis sit et supernaturalis, sequitur *ecclesiam esse societatem spiritualem* et *supernaturalem.*

Corollarium II. Quoniam nemo nisi sanctificatus pervenire potest ad vitam beatam, sanctificatio autem non nisi in vera Christi religione reperitur, vera Christi religio non nisi in vera Christi ecclesia, consequens est, *ecclesiam esse societatem necessariam.* Cf. quaest. IV.

Corollarium III. *Ecclesiae societas adamanda.* „Est enim Ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus: sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram: quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque, quam erga homines, sunt erga

Deum officia sanctiora.“ — Leon. XIII. encycl. *Sapientiae christianae.*

Objectiones.

Obj. I. Homines prius sanctificari quam ecclesiae incorporari oportet. Ergo sanctificatio, quoniam praecedit, proprius ecclesiae finis esse non videtur.

Resp. Dist. antecedens: Homines prius sanctificantur quam ecclesiae incorporantur, improprie, *concedo;* proprie, *nego.* Sanctificatio *proprie* dicitur gratiae infusio, mundatio a peccatis et confirmatio in bono; sanctificatio *improprie* dicuntur dispositiones aliquot, quibus homo ad fidem et justificationem praeparatur; quae quidem dispositiones tempore ecclesiae communionem ordinario praecedunt. At per baptismum homines pariter in filios Dei adoptantur et unitatis ecclesiasticae fiunt participes. Cf. S. Thom. III. 39, art. 8. ad 3.; 67, art. 2.

Instabis. Homines sancti non habentur, quod ecclesiae membra sint, sed quod sint sancti, ideo inter ecclesiae membra annumerantur.

Resp. Haec ratiocinatio tota claudicat. Homines scilicet nec *sola* communione ecclesiastica sanctificantur, neque quod sancti sint, idcirco ecclesiae incorporantur; sed homines per ecclesiam, cooperante libero arbitrio, *sanctificandi* sunt.

Urgebis. Ecclesiae conceptus, quo pessimus quisque ecclesiae incorporatus censetur, dummodo cultui externo et ecclesiae praesulibus adhaereat, crassus est et omnino materialis. Crassus autem ille ecclesiae conceptus ab iis admittitur, qui homines per ecclesiam sanctificari contendunt.

Resp. Dist. maj.: conceptus ille crassus est, si quis ob solam communionem externam censeatur esse ecclesiae membrum interne, *conc.;* mere externe, *nego.* Et sic *distincta* minori, *nego* conclusionem. Cf. infra q. III, art. 1. de membris ecclesiae.

Obj. II. Fideles per vitam religiosam Christo uniri gestiunt. Jam vero si hominum sanctificatio sit scopus ecclesiae, nulla jam unio immediata cum Christo habetur.

Resp. Dist. maj.: et haec unio per ecclesiam excluditur, *nego;* efficitur, *subdist.:* instrumentaliter, *conc.;* principaliter, *nego.* Item *distinguo* minorem: non habetur unio immediata secundum quid, *conc.;* simpliciter, *nego.* Christus in ordine supernaturali ecclesia tanquam *conditione* et *instrumento,* sibi subordinato, ad homines sanctificandos utitur, quemadmodum in ordine naturali causae secundae a Deo adhibentur, quibus aliquam divinae activitatis suae participationem largitus est. Simpliciter tamen unionem immediatam cum Christo non rejicimus; namque membra sumus unius corporis, cujus Christus caput est, atque fides, spes et caritas Deum sicut proprium objectum respiciunt. In primis autem caritas homines Deo conjungit; „est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur I. Joan. IV. 16.: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*" S. Thom. I. II. 66. art. 6.

Instabis. Religio Christiana in affectu erga Deum consistit. Atqui homini sic affecto nulla ecclesia opus est.

Resp. Dist. maj.: Christiana religio in eo affectu consistit ex parte, *concedo;* tota, *nego.* Et *dist.* minorem: nulla ecclesia affectui opus est, ut *forma* affectus, *concedo;* ut *causa* quaedam affectus, *nego.* Vera religio in eo consistit, ut Deo juxta legem divinam serviamus. Porro probatum est religionem Christianam a Christo Deo in formam ecclesiae institutam fuisse. Ergo ecclesiam habeat matrem, qui vult Deum habere patrem. Re quidem vera affectus erga Deum *formaliter* in anima tantum residet, at ecclesia sub Christo est *causa instrumentalis,* quae hujusmodi affectus gignat et nutriat.

Urgebis. Vita ecclesiastica consistit in formis inanibus, quae ad hominem vere sanctificandum nihil conferunt.

Resp. Dist. antec.: Vita ecclesiastica est forma inanis in ecclesiis falsis, *concedo;* in ecclesia Christi, *nego.* Vocabulo *formae* aequivoce utuntur. Sunt profecto plures in ecclesiis falsis formae vita carentes. Verum ecclesiae Christi forma *viva* est; continet enim praedicationem veritatum nobilissimarum, sacramenta salutifera, multitudinem gra-

tiarum vivificarum eaque bona, quae Christus ecclesiae suae plurima pollicitus est.

Dices. Mediatoris praeter Christum nullius indigemus. Ergo inutilis est ecclesia.

Resp. Dist. antec.: praeter Christum nullius indigemus *mediatoris merentis et salvantis, concedo;* nullius *medii applicantis, nego.*

Obj. III. Legitur Act. X. 34. 35 : *non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Ex quo patet nulli ecclesiae santificationem concreditam esse.

Resp. Dist. antec.: non est personarum acceptor Deus eo sensu quod ex omni gente suos vocat ad ecclesiam, *conc.*; eo sensu quod ecclesiam quamcunque excludit, *nego.* Responsio ex contextu manifesta est. Agitur enim de Cornelio centurione. Hic autem, quia acceptus erat Deo, ad ecclesiam vocatus est, ut „majorem copiam gratiae et virtutum" consequeretur. Cf. S. Thom. III. 69, art. 4. Quamobrem Cornelius jubetur Petrum arcessere, dicente angelo: *Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.* L. c. v. 32.

Instabis. Solus Deus causat gratiam. Itaque sanctificatio, cum sit effectus gratiae, ab ecclesia minime pendet.

Rep. Dist. antec.: solus Deus causat gratiam principaliter, *conc.;* instrumentaliter, *nego.* Ecclesia instrumentum est, quo Christus *ordinario* in sanctificandis hominibus utitur. Hinc ecclesiae operatio a Christo sejungi non potest. Quod Leo XIII. his verbis commemorat: „Unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. XX. 21. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Matth. XXVIII. 20. Igitur sicut Jesus Christus in terras venit, ut homines *vitam habeat et abundantius habeant* (Joan. X. 10.), eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animarum sempiternam." Encycl. *Immortale Dei.*

Urgebis. Si ecclesia propositum habet tanquam finem sanctificationem hominum, sanctificatione carent quicunque extra eam versantur. At hoc absurdum est.

Resp. Dist. maj.: res ita se haberet, si sanctificatio esset finis ecclesiae proprius secundum Providentiae legem exclusivam, *concedo;* secundum ordinariam tantum, *nego.* Catholici profitentur fieri posse, ut Deus via extraordinaria illis sanctificationis media suppeditet, qui invincibiliter et materialiter tantum extra ecclesiam versantur.

Replicabis. A ratione divinae Providentiae abhorret, ut *a)* haeretici, *b)* infideles sanctificationis mediis omnino careant. Jam ex thesi sequitur, omnes memoratos hujusmodi mediis carere. Ergo hominum sanctificatio non est finis ecclesiae proximus.

Resp. Transmissa majori, *nego* min. et conclusionem *a) Haereticos* illos, qui bona fide errant, a sanctificatione et spe beatitudinis aeternae non excludi, communis doctorum sententia est. Ita S. Augustinus: „haereticus est — inquit —, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi et maximae gloriae, principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur: ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus." *De utilitate credendi,* cap. I.

b) De infidelibus haec duo docet ecclesia. 1° Pius IX. ait: „pro certo habendum est, qui verae religionis ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos hujusce rei culpa obstringi ante oculos Domini," *Alloc.* 9. Dec. 1854; 2° „si nos fecerimus quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo quod nobis est necessarium; quodsi infidelis ab hominum societate remotus vitam ageret, si „taliter nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium." S. Thom. Quaest. disp. *De Veritate,* XIV. art. 11. ad 2. et ad 1. — Quaenam

autem necessitate medii explicite credenda sint, videre licet apud theologos dogmaticos et morales.[1])

Dices. Nihil earum rerum affirmari potest de parvulis, qui, rationis usum non adepti nec sacro fonte abluti, vita excedunt.

Resp. Parvuli illi ad sanctificationem non perveniunt *defectu causarum secundarum.* Deus autem, qui defectiones illas fieri permittit, nullam parvulis injuriam facit, si gratia gaudiisque supernaturalibus eos carere contingit; provisor enim universalis omnes defectiones impedire non tenetur, sed ob fines altiores aliquas permittere potest. Deinde 1° poenam sensus peccato originali soli non deberi docent S. Thomas, Quaest. disp. *De malo,* V. art. 2. et S. Bonaventura, *Breviloquium* p. III. cap. V. 2° Quod ad poenam damni attinet, Angelicus de parvulis ait: „animae puerorum in peccato originali decedentium cognoscunt quidem beatitudinem in generali secundum communem rationem, non autem in speciali; et ideo de ejus amissione non dolent." L. c. art. 3. ad 1.

Articulus IV.

Quando ecclesia instituta sit.

Ecclesiam accipere possumus tum in eo statu, qui ante Christum fuit, tum in eo statu, quem Christus in terris cum apostolis conversatus instituit. De utroque summas in pauca conferam.

I. De initio ecclesiae prout etiam ante Christi nativitatem exstitit. Hac de re triplex est sententia. 1° Prima sententia eorum est, qui ecclesiam in Adamo primum fuisse arbitrantur. Haec autem sententia plurimis, quod ecclesia seu congregatio in uno consistere nequeat, non probatur. 2° Alii asserunt, ecclesiam non ab Adam incepisse, sed ab Abel, praesertim quod Abel primus sacrificio et fidei signo etiam exteriori Deum coluisse legatur.

---

[1]) Cf. Göpfert, *Moraltheologie,* 4. Aufl. (1903), B I, S. 306–313; A. Seitz, *Die Heilsnotwendigkeit der Kirche,* 1903.

Ita Turrecremata, *Summa de eccl.* lib. I. 27, 28; item Tournely et alii. 3° Tertia sententia hujusmodi: ecclesia produci incepit in Adamo, sed non nisi formata Eva proprie ortum habuit; atque adeo in utroque, saltem post lapsum, fuit ecclesia. Ita Suarez, *De fide,* disp. IX. sect. II. et alii non pauci. Dicitur „saltem *post* lapsum"; sunt enim, qui ecclesiam Christi *Mediatoris* ante lapsum fuisse non censeant eo quod gratia, quam Adam et Eva in creatione acceperunt, ex meritis Christi futuris non fuerit — S. Thomas III. 8. a. 3.: „corpus ecclesiae — inquit — constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius." Alibi docet: „Ecclesia incepit a tempore Abel" (*In symb.* art. 9.); quod tamen protoparentibus exclusis dictum esse non videtur, sed quod Abel innocentia sua ac cruenta morte fuit testis ecclesiae primitivae celeberrimus.

II. Quando Christus ecclesiam suam in terris instituerit. Ecclesia Christiana non uno temporis puncto sed paulatim a Christo instituta est. Ab exordio enim praedicationis suae Servator coepit ecclesiae jacere fundamentum eamque postremo die Pentecostes definitive formavit. 1° Dominus, cum venisset in partes Caesareae Philippi, ecclesiam sese aedificaturum declaravit, inquiens: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Matth. XVI. 18. 2° Deinde tradenda fidei doctrina, sacramentis instituendis, largiendo potestatem hierachicam prodeuntem ecclesiam magis magisque ornavit. 3° De latere Christi, in cruce dormientis, fluxit sanguis et aqua, quo fluore ecclesia consecrata est; quin imo „per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata ecclesia." S. Thom. III. 64. art. 2. ad 3. 4° Post resurrectionem Christus Petro, ter interrogato, finaliter commisit ecclesiam, cum diceret: *Pasce oves meas.* Joan. XXI. 17. 5° Tandem expleto Christi mandato, ut discipuli manerent Hierosolymis, *quoadusque induerentur virtute ex alto* (Luc. XXIV. 49.), *repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Act. II. 4. Tunc ecclesia complemento quodam extremo definitive formata, eoque ipso Pentecostes die promulgata est.

Quaestio III.

De constitutione ecclesiae.

Ecclesiam a Christo institutam esse apparet. Ad constitutionem ecclesiae venimus. Non a priori rerumque humanarum libertate quaestio illa definienda est, sed diligenter investigare, quid divinus ecclesiae Conditor de opere suo statuerit, id summe refert. Quaerimus igitur:

Primo. *Quaenam generatim sit doctrina catholica de constitutione ecclesiae.*

Secundo. *Utrum Christi ecclesia sit coetus essentialiter etiam visibilis.*

Tertio. *Ex quibus fidelibus ecclesia proprie confletur.*

Quarto. *Utrum S. Scriptura doceat ecclesiam a Christo hierarchice constitutam esse.*

Quinto. *Utrum constitutio ecclesiae hierarchica veterum quoque testimoniis comprobetur.*

Sexto. *Utrum ecclesiam hierarchice constitui sit conveniens.*

Septimo. *Utrum episcopi sint ex institutione divina presbyteris superiores.*

Octavo: *Utrum forma regiminis ecclesiastici sit monarchica.*

Articulus I.

Quaenam generatim sit doctrina catholica de constitutione ecclesiae.

I. Opiniones praejudicatae, quibus jam inveteratis multorum mentes obscurantur, ante omnia nos movent ut breviter exponamus, quaenam vere sit illa doctrina, quam defensuri sumus. Acatholici solent in dijudicando conceptu constitutionis ecclesiae in duobus errare, 1° quod putant elementum ecclesiae mysticum, ethicum, internum aut nesciri aut negligi a catholicis; 2° quod ipsi acatholici

elementum ecclesiae externum divinitus institutum, eaque de causa essentiale esse negant: hunc errorem articulo sequenti refutare conabor, ille ut corruat, optimum est recensere partes quasi substantiales, ex quibus conjunctis tota exsurgit ecclesia. Hanc enim partium conjunctionem vocamus constitutionem ecclesiae.

II. Ecclesia ex parte interna et ex parte externa tanquam ex anima et corpore constituitur. Quemadmodum ex anima et corpore fit unum, ita ex parte ecclesiae interna et ex externa parte constituitur *una* militans ecclesia. Ad *corpus* pertinent externa fidei professio, sacramentorum administratio, visibile regimen; *animam* intelligimus fidem, spem, caritatem, interna dona S. Spiritus, omnem denique virtutem supernaturalem ac gratiam, qua ecclesia vivit habetque motum ab intrinseco. 1° Ex anima et corpore constituitur *corpus vivum* ecclesiae, quae secundum Scripturas est *corpus Christi mysticum*. *Ephes.* I. 23.; IV. 12.: V. 30.; *Coloss.* I. 24.; I. *Cor.* XII. 27. 2° Fideles esse solitarii et a se invicem sejuncti nequeunt, sed omnes *toti*, quod est unum corpus, inseri et incorporari necesse est; alioqui essent membra dispersa, mortua, non *unum corpus multi* (I. Cor. X. 17.), *in unum corpus baptizati* (I. Cor. XII. 13.). 3° Pars interna et anima per se dignior est; neque tamen pars externa sua caret dignitate. „Dicendum — ait Angelicus —, quod decor ecclesiae principaliter in interioribus consistit; sed etiam exteriores actus ad eundem decorem pertinent, in quantum ab interiori progrediuntur, et in quantum interiorem decorem conservant.“ *In Sent.* IV. 15, q. 3, art. 1.

III. De influxu animae in corpus ecclesiae. 1° Sicut forma dat esse et anima homini esse humanum, ita pars constituens interior totum esse ecclesiae ipsamque partem exteriorem seu corpus intime penetrat. Etenim exterior fidei professio *animatur* per internam gratiam fidei: regimen per potestatem supernaturalem, hierarchiae concessam; sacramentorum administratio per virtutem illam salutiferam, quae a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa sacramenta derivatur. Cf. S. Thom. III. 62. a. 5. 2° Sicut

anima, quae est pars hominis nobilissima, corpus non excludit, sed influxum ab ipso experitur, ita ecclesiae pars interior exteriori colligatur, in quantum externa professio et ministerium ab ipso Christo ad interiorem ecclesiae vitam ordinata sunt. 3° Proinde ecclesia *est simpliciter* societas *supernaturalis.* Nam sicut anima et corpus uniuntur in uno esse tum personali tum essentiali compositi, quod est homo, — vide S. Thom. *De verit.* XXVI. 30. —, ita ex parte substantiali interiori et exteriori, seu ex anima et corpore ecclesiae una persona moralis exsistit, quae simpliciter est supernaturalis, sicut homo dicitur ens rationale simpliciter.

IV. De influxu divino in totam constitutionem ecclesiae. Gratia virtusque supernaturalis, qua *totum compositum* seu anima et corpus ecclesiae etiam in esse *corporis socialis* constituitur et servatur, est divina operatio *Christi* et *S. Spiritus.* Hinc 1° Christus dicitur ecclesiae *caput*, 2° S. Spiritus *cor* ecclesiae.

1° *Christus caput ecclesiae.* Haec doctrina digne exponitur ab Angelico, III, 8 et Quaest. disp. *De veritate* XXVIII, 4, ubi concluditur: „Christus totus secundum utramque naturam simul est caput totius Ecclesiae". Cum autem S. Paulus de influxu Christi, *capitis,* in ecclesiam ageret, haec nervose scripsit: *crescamus in illo per omnia qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* Eph. IV. 16. Audiamus Angelicum illa verba exponentem: „omnia — inquit — quae sunt a capite corporali, scilicet compactio, nervorum ligatio, et ad opus motio, fluunt a capite nostro Christo in corpus ecclesiae. Et primo compactio per fidem. Secundo fluit a Christo capite in corpus ecclesiae suae mysticum connexio et colligatio: quia oportet adunata aliquo nexu vel vinculo necti, vel colligari, id est per fidem et caritatem, quae connectunt et conjungunt membra corporis mystici ad mutuam subministrationem. Tertio a capite Christo in membris ut augmententur spiritualiter, influitur virtus actualiter operandi. Non solum a capite nostro Christo est mem-

brorum ecclesiae compactio per fidem, nec sola connexio, vel colligatio per mutuam administrationem caritatis; sed certe ab ipso est actualis membrorum operatio, sive ad opus motio, secundum mensuram et competentiam cujuslibet membri: quia non solum per fidem corpus mysticum compaginatur, nec solum per caritatis subministrationem connectentem augetur corpus, sed per actualem compositionem, ab unoquoque membro egredientem secundum mensuram gratiae sibi datae et actualem motionem ad operationem, quam Deus facit in nobis". *In Ephes.* IV. lect. V.

2° S. Spiritus *cor* ecclesiae. Doctor angelicus, profunde de ecclesia cogitans, inter alia haec de relatione S. Spiritus ad Christi ecclesiam docuit: „*Unaquaeque res illud videtur esse quod in ea est potissimum*, ut Philosophus dicit, in IX *Ethic.* Id autem quod est potissimum in lege novi testamenti, et in quo tota virtus ejus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quae datur per fidem Christi. Et ideo principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti, quae datur Christi fidelibus." I. II, 106, 1. Hic autem nobilis conceptus per totam hanc quaestionem CVI, et duas sequentes, quae de *Lege evangelica* tractant, digne evolvitur. Obversabatur enim Aquinati antiqua physiologorum opinio, quam *In V Metaph.* lect. 1 sic exprimit: „Secundum autem Philosophi sententiam prima pars est cor, quia a corde omnes virtutes animae per corpus diffunduntur." Unde ipse primus docuit: „Cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit."

Articulus II.

Utrum Christi ecclesia sit coetus essentialiter etiam visibilis.

I. Connexio hujus articuli cum praecedentibus. Qui recte judicare de visibili ecclesia desiderat, eum doctrinae expositae de fine et de constitutione ecclesiae non oblivisci necesse est. Vitae enim internae tantum abest, ut visibilitatis doctrina quidquam adimat, ut Aquinate teste

externa data sint „etiam ad *expressiorem significationem gratiae Christi*, per quam humanum genus sanctificatur.“ III, 60, 5 ad 3. Manet igitur haec dilucida sententia: „Lex nova, quae est lex libertatis . . . est contenta praeceptis moralibus naturalis legis, et articulis fidei, et sacramentis gratiae: unde et dicitur lex fidei, et lex gratiae, propter determinationem articulorum, et efficaciam sacramentorum.“ S. Thom. *Quodl.* IV, 13. Una res quaeritur: utrum ecclesia, ordinante Christo, necessario foras emineat, hoc est, utrum essentialiter sit *etiam* visibilis.

II. Adversariorum de ecclesiae visibilitate sententia. Adversa nobis doctrina his quatuor continetur, *in se* connexis. 1° *Duplex* fingitur ecclesia, visibilis et invisibilis. 2° Invisibilis ecclesia est *ecclesia promissionum*, cui indefectibilitas aliaque charismata promissa sunt. 3° Haec invisibilis ecclesia est *tota* ecclesiae *essentia*, visibilitas autem non est nisi *accidens*. 4° Itaque non oportet, ecclesiam esse *semper* visibilem. Unde Calvinus in *Instit.* Praefatione haec: „permittamus Deo, ut quandoque ipse solus noverit qui sui sint; *interdum* etiam eeclesiae suae exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.“ M. Antonius de Dominis *praesumptivam* tantum ecclesiam spectabilem esse contendit. *De republ. Christ.* lib. VII., 10. Luther autem apertius: „Quis ecclesiam nobis monstrabit, cum sit *occulta* in spiritu, et *solum* credatur.“ *De abrog. Missa priv.* Recentiores ecclesiam idealem suam, quod nullus coetus *ideam realiter* exprimere possit, visibilem fieri *posse* negant.

III. Radix errorum contra visibilitatem ecclesiae. Error expositus cum aliis doctrinis erroneis cohaerescit. Et primo quidem, ut Donatistae saeculo IV. ecclesiam intellexerant coetum *justorum*, ita Wicleff et Huss eam dixerunt congregationem *praedestinatorum*. Atque ex eo accidit, ut etiam protestantes non pauci *totam* ecclesiae constitutionem in aliqua *re invisibili*, videlicet in *justitia* et praedestinatione constare putaverint. Deinde sectarii, fucata specie justificantis fidei atque communionis cum Christo immediatae, visibilia ecclesiae elementa, hierarchiam et sacramenta, si non prorsus rejecerunt, at certe laeserunt quam maxime.

Denique cum catholici novatoribus objicerent, ante Lutherum, cum praeter Romanam ecclesia nulla esset, *aut* ecclesiam veram diutissime latuisse, *aut* Romanam, quae spectabatur, veram fuisse; desertores ecclesiae Romanae, dilemmate pressi, suam ecclesiam invisibilem protulerunt.[1])

IV. Sententia catholica de visibilitate ecclesiae. Visibilitas definitur: *ea militantis ecclesiae constitutio, qua cum judicii certitudine in concreto discerni potest ut vera Christi ecclesia.* Est igitur *una* ecclesia eaque *simpliciter* visibilis, quanquam invisibilis *secundum quid*, hoc est, si interna sola consideres absque respectu ad exteriora; quemadmodum et homo dicitur simpliciter visibilis, licet non conspiciatur secundum animam, si eam solam cogites absque respectu ad corpus, in quo vitam suam spiritualem manifestat. Ad eam visibilitatem efficiendam nec *singularium* actus religiosi externi, neque ecclesiae *partiales* visibiles sufficiunt; sed ecclesia creditur *essentialiter, formaliter, semper* visibilis ut *una ecclesia universalis* et regnum Christi. Quamobrem sicut regna terrestria, v. g. Belgium et Anglia veluti digito ostenduntur, ita monstramus ecclesiam, non *materialiter* tantum, quatenus homines, qui ecclesiae sunt membra, conspiciuntur, sed *formaliter*, seu praecise *ut coetus* est ac societas fidelium eademque vera. Postremo *visibilis* ecclesia non est origine seu institutione *ecclesiastica* aut apostolica, sed *divina.*

Thesis: *Ecclesia divinitus constituta est ut societas essentialiter visibilis.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* *a*) In V. T. Isaias cecinit: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini*

[1]) Jurieu, Calvinista, ait: „Ce qui a porté quelques docteurs reformés à se jeter dans l'embarras où ils se sont engagés en niant que la visibilité de l'Eglise fût perpétuelle, c'est qu'ils ont cru qu'en avouant que l'Eglise est toujours visible, ils auraient eu peine à répondre à la question que l'Eglise romaine nous fait si souvent: Où était votre Eglise il y a cent cinquante ans?" Apud Bossuet, *Hist. des Variations,* liv. XV.

in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Cap. II.; cf. Mich. cap. IV. Porro *mons domus Domini* est Christi ecclesia, ut docent S. Aug. *In Joan.* tract. I. 13.; S. Optatus Milev. *De schismate Donat.* lib. III.; S. Basilius, *In Is.* n. 66.; S. Joan. Chrys. *In Is.* II.; S. Cyrillus Alex. *In Is.* lib. II. 2.; S. Thom. *In Is.* II. Cf. S. Hier. *In Is.* LX. Jam vero *omnes gentes* ad ecclesiam confluere nequeunt, nisi semper appareat. — Isaias cap. LX. haec vaticinatur: *ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* At gentes *in lumine* Christi *ambulare* non videntur, si Deus ecclesiae suae seu regni Christi exteriorem notitiam ab hominum adspectu auferat.

b) In N. T. Christus docet semper fore ecclesiae *membra* visibilia, quae adunantur per *auctoritatem* visibilem et per *sacramenta*, quae sunt invisibilis gratiae visibilia signa. His autem continetur illa visibilitas, quam asserimus. Et certe *membra visibilia* sunt *triticum*, illud et zizania, quae utraque Dominus vult *crescere usque ad messem*, id est, usque ad consummationem saeculi; visibilis est ille *grex*, cui pastores *attendere* debent; *in quo Spiritus sanctus ipsos posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Matth. XIII. 30.; Act. XX. 28.; I. Petr. V. 2. — *Auctoritas visibilis* duplici Christi lege perspicua est: *dic ecclesiae*, Matth. XVIII. 17., necnon: *euntes ergo docete*, Matth. XXVIII. 19., ubi Salvator significat hoc mandatum observandum „usque ad consummationem saeculi". — *Signa visibilia* gratiae sunt baptismus, Eucharistia, etc.

Confirmatur hoc argumentum ex verbis Christi ad apostolos: *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Matth. V. 14. Nec S. Paulus invisibilem intellexit ecclesiam, cum pastores erudiret, „quomodo oporteat in domo Dei *conversari*, quae est ecclesia Dei vivi." I. Tim. III. 15.

Arg. II. *Ex traditione. a)* Veteres *absolutam* docent necessitatem adhaerendi ecclesiae visibili et devitandi schismata. Ergo ecclesiam essentialiter visibilem esse credederunt. *Conseq.* patet; absoluta enim necessitas adhaerendi coetui quandoque occulto admitti nequit. Prob. *antec.*

S. Ignatius Antioch. in *ep. ad Philad.* III. 3. illa: „Si quis schisma facientem sectatur, regni divini haereditatem non assequitur.“ *S. Cyprianus:* „Habere jam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet ut matrem.“ *De unit. eccl. S. Augustinus:* „Amemus Dominum Deum nostrum, amemus ecclesiam ejus; illum sicut Patrem, istam sicut matrem.“ *Enarr. in ps.* LXXXVIII. 14.

b) Veteres ecclesiam semper et ex natura sua maxime spectabilem expressis verbis asseverant. *S. Irenaeus* ecclesiam extollit, „apud quam una et eadem salutis via in mundo ostenditur.“ *Adv. haer.* V. 20. Origenes: „ecclesia plena est fulgore ab Oriente ad Occidentem.“ Hom. XXX. in Matth. *S. Athanasius:* „Thronum Christi intellige ecclesiam: in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, ecclesia Christi fulgens et illuminans orbem, manensque in aeternum sicut sol et luna.“ *In ps.* LXXXVIII. *S. Augustinus:* „Facile tibi est attendere et videre civitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi *non possit.* Ipsa est enim Ecclesia Catholica . . . Hanc ignorare nulli licet; *ideo,* secundum *verbum Domini* nostri Jesu Christi, abscondi non potest.“ *Ep.* 52.

Arg. III. *Ex fine et indole ecclesiae.* Ecclesiae finis est, ut divina Christi missio per eam continuetur, juxta illud: *Sicut misit me pater et ego mitto vos.* Joan. XX. 21. Atqui Christus, ut homines doceret, visibiliter apparuit. Ergo visibilitatem hujusmodi continuari oportet in corpore Christi mystico, quod est ecclesia.

Atque hoc etiam animadvertendum est, quod Deus hominibus providet secundum eorum conditionem, quae talis est, ut per visibilia ad invisibilia et spiritualia ducamur. Ergo ecclesia, pro hominibus instituta, ut in ea et per eam sanctificentur, elemento visibili carere non potest. Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. IV. 56.

Adde indolem ecclesiae socialem, qua domatur individualismi superbia, atque fideles plurimas utilitates ex influxu mutuo membrorum adipiscuntur. Jam vero socialis vita hominum, ablata visibilitate, ne cogitari quidem potest. Quare ipse Calvinus: „quia nunc de visibili ecclesia disse-

rere propositum est, discamus vel matris elogio quam utilis sit nobis ejus cognitio, imo necessaria: quando non alius est in vitam ingressus nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pareat, nisi nos alat suis uberibus, denique sub custodia et gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus angelis." *Instit.* lib. IV. 1.[1])

Objectiones.

Obj. I. Christus ait: *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro.* Matth. XIII. 44. Porro regnum caelorum est ecclesia. Ergo.

Resp. Dist. majorem: Comparatione thesauri absconditi ecclesiae pretium commendatur, *conc.;* visibilitas excluditur, *nego.* S. Matthaeus cap. XIII. parabolas seminantis bonum semen, grani sinapis, fermenti etc. commemorat, quibus ecclesia designatur. Hinc verbum *absconditus* juxta regulas hermeneuticas non premendum est, sed ex *thesauro* abscondito rei inventae pretium laetitiaque inventoris discantur.

Instabis. Servator, interrogatus a Pharisaeis: *Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic aut ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Luc. XVII. 20. 21. Ergo.

Resp. Dist. antecedentis primam partem: regnum Dei non venit cum observatione rumoris et splendoris mundani, *conc.:* non venit visibile, *nego.* Item *dist.* secundam partem:

---

[1]) Gladstone in doctrina de ecclesiae visibilitate serio ponderabat „the necessity of that doctrine to counterbalance the tendency to indefinite subdivision and ultimate infidelity which springs from the notion of a limitless private judgment." Ep. ad Rio, 1838, apud W. Ward, *The life and Times of Card. Wiseman* (1897), vol. I, p. 275. — Alius protestans Ph. Napier Waggett ecclesiae visibilitatem egregie commendat apud J. E. Hand, *Ideals of science and faith* (1904), p. 269—303, ubi sic concluditur: „When she appears not simply as the shrine of on idea which might have remained without a shrine, but as life with the form which belongs to life, it is possible for her to be contemplated by men who are for the time not of her, and to bring the truth nearer to them."

regnum Dei intra vos est, hoc est, prope vos atque in cordibus vestris, *conc.;* non videtur, *nego.*

Ut Judaei minime ita nec Christus loco proposito controversias de ecclesiae visibilitate movet; sed quoniam temporale Messiae regnum ipsorum animis obversabatur, idcirco corriguntur ab Eo, quem Zacharias annuntiavit, inquiens: *Dicite filiae Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Cf. Matth. XXI. 5. Deinde vox ἐντὸς (ὑμῶν) et locum in quo et personas, in quarum medio res quaedam reperitur, significat. Christus igitur dixisse videtur: „Messias in medio vestri adest, atque gratia sua jam discipulos sibi acquirit.“ Ita Luc. XI. 20. legitur: *si in digito Dei ejicio daemonia: profecto pervenit in vos regnum Dei.* S. Thomas sic exponit: „*Ecce regnum Dei intra vos est;* idest, in vestris affectibus et in potestate vestra id capere: potest enim quilibet homo justificatus per fidem Christi et virtutibus ornatus regnum obtinere caelorum.“ *Cat. aur.* in l. c. ex S. Cyrillo.

Urgebis. Christus Samaritanae dicit: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Joan. IV. 23. 24. Ergo Christi ecclesia non est visibilis.

Resp. Dist. sensum textus: hoc *in spiritu et veritate* significat cultum magis spiritualem, *conc.;* ecclesiam invisibilem, *nego.* Seu vocem *adorare* (προσκυνεῖν) de sacrificiis tantum intelligas seu de cultu universo mentionem fieri existimes, nihil de visibilitate agitur. Ratio enim formalis, sub qua novus cultus et vetus opponuntur, non haec est: „vetus religio visibilis erat, mea invisibilis erit;“ sed tam Samaritanis, in monte Garizim adorantibus, quam Judaeis, Deum colentibus in templo Hierosolymitano, Christi religio opponitur, quae veteri praeeminet. Primo, quia vetus erat *In justitiis carnis,* Hebr. IX. 10., nova *in spiritu;* secundo, quia vetus in *umbra* erat, nam *umbram habet lex futurorum,* Hebr. X. 1., nova *in veritate,* sicut scriptum est: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* Joan. I. 17. Quod cum

ita sit, dicitur: *in spiritu et veritate,* „quia per Christum homines plenius ad spiritualem Dei cultum sunt introducti." S. Thom. I. II. 101, 2. ad 4.

Dices. Quod est spirituale non videtur. Ecclesia autem spiritualis est. *Minor* patet. Legitur enim in S. Scriptura: *Regnum meum non est de hoc mundo,* Joan. XVIII. 36.; et alibi: *ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis.* I. Petr. II. 5.

Resp. Dist. maj.: Quod spirituale est, non videtur in se, *conc.;* per aliud, *nego.* Et *dist.* min.: ecclesia est spiritualis in forma visibili, *conc.;* absque ea forma, *nego.* Ad probationem minoris 1^rm^ *dist.:* Christus docet suum regnum non esse temporale, *conc.;* non esse visibile, *nego.* Videlicet Servator Pilato respondet, quem Pharisaei premebant de regno temporali, a Jesu, ut ajebant, petito. Ad probationem 2^am^ *dist.:* a S. Petro *spirituale* opponitur carnali, *conc.;* visibili, *nego.*

Supra diligenter consideravimus, quanam ratione elementum invisibile invisibili in unica Christi ecclesia conjungatur. Illud vero etiam prae oculis habeamus, ipsam causam principalem ecclesiae, Christum, maxime spiritualem eundemque visibilem fuisse. Ex quo facto certissimo sic ratiocinatur S. Thomas. „Prima autem et universalis causa humanae salutis est Verbum incarnatum . . . Congruum igitur fuit ut remedia quibus universalis causae virtus pertingit ad homines illius causae similitudinem haberent, ut scilicet in eis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis." Contra Gent. lib. IV. 56.

Instabis. Quod creditur non videtur. At ecclesia est objectum fidei, cum profiteamur: „credo sanctam ecclesiam."

Resp. Dist. maj.: Quod creditur non videtur sub eo respectu, quo creditur, *conc ;* sub alio respectu, *nego.* Et *dist.* min.: ecclesia est objectum fidei, sub respectu suae supernaturalis veritatis, *conc.;* sub respectu motivorum suae credibilitatis, *subdist.:* objectum fidei commune, *conc.;* objectum fidei proprium, *nego.* Ecclesia certe creditur; quin etiam ecclesiae *visibilitas* creditur. At vero res una plures habet respectus. Ita visibilia ecclesiae, veluti hierarchia,

sacramentorum administratio *materialiter* videntur etiam per sensus; *formaliter*, hoc est, ut pertinentia ad ecclesiam *veram*, per motiva credibilitatis; postremo *per fidem* admittenda sunt, in quantum vita gratiae supernaturalis visibilia penetrat. Motiva autem credibilitatis objectum fidei *commune* esse eo dixi, quod fieri potest, ut motiva *nonnulla*, quae per studium videntur, credantur a simplicibus. Cf. S. Bonav. *Comm. in III. Sent.*, dist. XXIV. art. 2, q. 1.

Obj. II. Ex iis, qui palam Christi signum ferunt, non pauci fortasse increduli sunt. Ergo ecclesia, cum nulla ejus pars certo cognoscatur, visibilis dici non poterit. Prob. *antec.* Scriptum est: *nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Eccl. XI. 1. Ergo solus Dominus novit, qui sui sint.

Resp. Dist. antec.: per eam hypocrisin delitescunt merita singularium, *conc.*; latet ipsa ecclesia, *nego.* Et sic patet responsum ad probationem antecedentis. Christi nempe ecclesia non apparet ex fide uniuscujusque singulatim, sed ut coetus et *institutum* bene ordinatum, in quo fideles collective unius fidei legem et auctoritatem regiminis sequuntur. Ejusmodi *institutum*, divinis notis consignatum, per se ipsum est divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Articulus III.

Ex quibus fidelibus ecclesia proprie et vere confletur.

I. Principia. Ante omnia statuendum est, quid certo requiratur, ut homo ecclesiae membrum fiat. Quinque hujus rei principia recolamus.

1° Cum ecclesia sit *corpus* Christi mysticum (Eph. I. 23.) et Christus *caput corporis Ecclesiae* (Col. I. 18.), sequitur quantum quisque ecclesiae membrum est, tantam cujusque unionem esse cum Christo.

2° Homines Christo uniuntur *actu* aut *in potentia;* atque adeo „infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quae quidem potentia in duobus fundatur: primo quidem et principaliter in virtute Christi, quae est sufficiens ad salutem totius humani generis; secundario in arbitrii libertate.“ S. Thom. III. 8, art. 3, ad 1.

3° Homines actu Christo uniuntur *interne* et *externe*. *Interne* per fidem et caritatem; *externe* per professionem fidei publicam, communionem sacramentorum et obedientiam auctoritati legitimae.

4° Unio interna aut *perfecta* est aut *imperfecta*. *Perfecta*, quando fides per caritatem operatur; *imperfecta*, quando fidei caritas deest, „nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit." *Conc. Trid.* sess. VI. cap. VII. Unio tamen quaedam est; fides enim humanae salutis est initium, fundamentum et radix omnis justificationis. „Percipiunt tales (qui peccatis mortalibus subduntur) — Angelicus ait — a Christo quemdam actum vitae, qui est credere; sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine." L. c.

5° *Externa* participatio hominum cum ecclesia considerari potest, *a)* prout externa participatio *in membris singulis* fide viva aut saltem informi *vivificatur; b)* prout membra vinculo externo vitae *socialis* conjunguntur. Sub primo respectu nemo, qui fide, quamvis occulte, careat, ecclesiae membrum dici poterit; sub altero respectu illi, qui baptismate, exteriori fidei professione et reliquis vinculis exterioribus ecclesiae uniuntur, hac sola unione quodammodo ecclesiae membra esse videntur, quamdiu ecclesia eos non excludit. Ratio est, quia *forma externa socialis* ecclesiae per hujusmodi membra, quamvis mortua, continuatur et quia haec eadem membra per motum illum *exteriorem*, quem corpus vivum ab anima ecclesiae accipit *con*movetur.

II. Conclusiones de membris ecclesiae. 1° Qui fidem et caritatem habentes fidem suam in ecclesiae communione profitentur, sunt ecclesiae membra perfecte et complete. 2° Iidem, si caritatem perdiderint, sunt membra complete sed imperfecte. 3° *Pueri*, in secta haereticali nati, baptizati autem valide, esse censentur, usque dum rationis usum adepti fuerint, ecclesiae membra complete, quod ab iis, interius per fidei habitum ecclesiae unitis atque per baptismatis januam in ecclesiam ingressis exterius, nullus actus contrarius ponatur. 4° *Haeretici et schismatici*,

si *bona fide* errent, sunt ecclesiae membra incomplete; perfecte, si cum fide caritatem servaverint, imperfecte, si fidem solam. Nam ejusmodi haeretici et schismatici, ecclesiae, cui explicite obedirent, si instruerentur, adhaerent implicite. Quare S. Augustinus: „Qui sententiam — inquit — suam quamvis falsam et perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam a seductis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati quum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi." *Ep.* 43. 5° *Excommunicati insontes,* etiamsi externa communione quandoque priventur, interiori tamen communione esse ecclesiae membra non desinunt. Quandoque eos externa communione privari, docet Angelicus inquiens: „si sit talis error ex parte sententiae, qui sententiam nullam, esse faciat, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem talis error non annullet sententiam, habet effectum suum, et debet excommunicatus humiliter obedire, *et erit illi ad meritum.*" *Suppl.* quaest. XXI. 4. 6° *Catechumeni,* etsi *fide* imperfecte, *fide cum caritate* perfecte ad ecclesiae *animam* pertinere videntur, *corporis* tamen ecclesiae non re et proprie sed proxime tantum et in voto membra sunt. Etenim privantur baptismate, per quod veluti per januam in ecclesiam ingredimur. Cf. *Conc. Trid.* sess. XIV. de Poen. cap. II. 7° *Haeretici formales* et *publici* nec interne nec externe sunt membra ecclesiae; carentibus enim caritate, fide et externae communionis vinculo relinquitur nihil, quod membra capiti membrisque reliquis conjungat. *Subditi* tamen ecclesiae esse non desinunt; etenim „quia character baptismalis, — ait S. Thomas — quo quis populo Dei annumeratur, est indelebilis, ideo semper remanet baptizatus aliquo modo de Ecclesia et sic Ecclesia de ipso judicare potest." *Suppl.* quaest. XXII. 6. ad 1. 8° *Schismatici formales* nec interne nec externe ecclesiae membra sunt; non externe, ut patet; non interne, cum unitati interiori, quam fides inter sinceros et bene affectos per se efficit, obicem suae dispositionis contrariae, contumaciae scilicet ac malae fidei ponant.

III. De haereticis occultis et excommunicatis

reis. 1° Id in dubium adducitur, num *haeretici occulti et interni ecclesiae* membra haberi possint. Jam vero ejusmodi haereticos interne membra ecclesiae non esse constat: caritate enim et fide, hoc est, vita interna supernaturali carent. Ergo quaeritur, utrum *externe?* Billuart ait: „probabilius . . . arbitramur (haereticos occultos et internos) non esse de Ecclesia, nec vera ejus membra; sicut si lupus pelle ovina tectus reperiretur inter oves, esset in ovili, sed non esset de ovili, ut vera ejus pars.“ *De regulis fidei*, diss. III. art. 2. §. 4. Cajetanus, *De author. papae et concilii*, cap. XXII.; Canus, *De locis theol.* lib. IV. 6. ad 12.; Bellarminus, *De contr.* III. 3.; Joannes a S. Thoma, *De auct. Summi Pontificis*, disp. II. art. 3 n. 5. affirmant haereticos ejusmodi esse membra seu partes ecclesiae. Ita J. a S. Thoma: „haeretici occulti — inquit — quamdiu ab Ecclesia non condemnantur, et praescinduntur. sunt partes Ecclesiae, et cum ipsa communicant in exteriori communicatione, licet non in spiritu interno.“ L. c. At Billuart: „controversia — inquit — videtur esse inter theologos magis de modo dicendi quam de re.“ L. c. Et sane nonnulli respexisse videntur vitam ecclesiae internam; qua cum haeretici occulti priventur, eos ecclesiae membra non habuerunt; alii considerantes vincula societatis externa et *con*motionem externam mortuorum membrorum cum corpore vivo, haereticos occultos quodammodo ecclesiae membra esse dixerunt. Cf. supra *principia*, n. 5. Canus hoc exponens, ait: „videmus, cum membrum aliquod sensu et vita carens arescit in corpore, quoniam reliquis omnino partibus continuatur, motum quemdam externum ab spiritu participare: quamquam spiritus illi nihil interius vitaleque communicat. Quem profecto modum spiritus Christi in corpore Ecclesiae tenet ac servat. Quasdam enim partes ita animat et vivas facit, ut nihil illis deesse vitalium motionum videatur: in quasdam sic influit, ut non vitam eis quidem, sed interiorem quandam spirationem quasi vitalem conferat; aliis autem externam vim suam facultatemque dimittat, ut quamvis mortua prorsus et arida membra sint, quia non sunt tamen a corpore excisa, a spiritu cum corpore moveantur.“ L. c.

2° *Excommunicati rei* et obstinati animi, modo ecclesia eos puniverit excommunicatione plena et perfecta eaque verborum forma, qua penitus *vitandi* efficiantur, multorum judicio ecclesiae membra esse non censentur. In *Catechismo Romano,* p. I. cap. IX. illis, qui „ecclesiae militantis finibus non contineantur", praeter infideles, haereticos et schismaticos excommunicati annumerantur, „quod ecclesiae judicio ab ea exclusi ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant." Et quamvis fide non priventur, sententia tamen ecclesiae, quae habet penitus praecidendi potestatem, a consortio fidelium eliminantur.[1]) Cfr. S. Thom. *Suppl.* quaest. XXI. 1. Excommunicati vero, quos ab ecclesia praecisos delicti poeniteat, affectu saltem et in voto ecclesiae membra habentur. Demum ex intentione et indole excommunicationis excommunicati non *mortaliter*, *sed medicinaliter* exclusi sunt. Cf. S. Aug. *C. Parmeniani ep.* lib. III.

IV. Adversarii. Joannes Huss († 1415), Bohemus, omnibus et solis praedestinatis locum in ecclesia concessit; docuit praedestinatum semper manere membrum ecclesiae, quod nunquam excidat a gratia praedestinationis, licet a gratia adventitia aliquando excidat. Qui error a concilio Constantiensi damnatus est. Donatistae, Waldenses, protestantes nonnulli, Quesnell, Parisiensis, qui a. 1719 Amstelodami vita functus est, solos justos ecclesiae membra esse contenderunt. Error damnatus est a patribus Tridentinis, sess. VI. can. XXVIII; a Clemente XI. constit. *Unigenitus,* prop. 72 et seqq.; a Pio VI. const. *Auctorem fidei,* prop. 15. etc.

Thesis: A. *Non omnes semper neque soli praedestinati ecclesiae membra sunt.*

B. *Ecclesia ex justis et peccatoribus constat.*

---

[1]) „Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpae remissione dissolvitur; illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur." Innoc. III. *Epist.* lib. II. 61.

Argumenta.

A.

1° *Non omnes praedestinati semper ecclesiae membra sunt.*

Arg. I. In S. Scriptura legitur: *Eratis in tempore alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum; ergo jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei,* Ephes. II. 12. et 19.; et alibi: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei,* I. Petr. II. 10.; atque iterum: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.* Ephes. V. 8. Haec autem clarissime ostendunt, ex praedestinatis plurimos aliquando ecclesiae membra non fuisse.

Arg. II. S. Thomas ait: „membrum non judicatur secundum id quod de eo fieri potest, sed secundum id quod est.“ *In Sent.* III. dist. 13, q. 2, 2, 2. Jam vero in praedestinatis quo tempore fide nondum imbuti sunt, vinculum quidem unionis cum ecclesia erit, sed *non est.* Et certe nequaquam est, cur Saulus ante conversionem, Turcae, pagani, qui postea conversi salvabuntur, ecclesiae membra dicantur.

2° *Non soli praedestinati.*

Arg. I. Christus ecclesiam similem esse docet *nuptiis* a rege paratis, in quas intravit etiam ille, qui missus est in tenebras exteriores; *areae,* in qua cum tritico paleae adsunt, quae repurgato tritico igni comburuntur; *sagenae,* in qua et pisces mali reperiuntur ejiciendi; etc. At haec probant, eos, qui prius in ecclesia erant, postea damnari, prout patet ex verbis *mitti in tenebras, comburi, ejici.* Ergo, quoniam ex praedestinatis damnatur nemo, ecclesia ex solis praedestinatis coalescere falso dicitur.

Arg. II. Pleni sunt Libri sacri et apostolorum inprimis epistolae adhortationibus et obsecrationibus, ne fideles pravis moribus et peccatis aeternae gloriae coronam amittant. Atqui fideles illi ab apostolis, qui eos hortantur, haud dubie ecclesiae membra habentur. Sed nullum ecclesiae membrum, si praedestinati soli membra sint, in peri-

culo amittendae coronae versatur. Ergo non soli praedestinati sunt membra ecclesiae.

B.

Ecclesia ex justis et peccatoribus constat.

Arg. I. *Ex verbis et institutis Christi. a)* Christus ecclesiam suam assimilavit *sagenae*, in qua pisces boni et mali includuntur; *areae*, ubi paleae frumento admiscentur; *decem virginibus*, ex quibus quinque fatuae erant; *convivio nuptiali*, in quod intravit vir sine veste nuptiali, namque „per nuptias — ait S. Thomas — praesens ecclesia . . . designatur . . . Intrat . . . ad nuptias, sed sine veste nuptiali, qui in Ecclesia fidem habet, sed caritatem non habet. Matth. XIII. 47.; XXV 1.; XXII. 1. et in hunc locum S. Thom. in *Catena aurea.*

b) Christus suos orare docuit: *Dimitte nobis debita nostra,* Matth. VI. 12., quod *debita* in ecclesiae membris admittit. Qui graviter peccant non nisi postquam ecclesiam audire contumaces recusaverint, ab ecclesia ejiciendi sunt: *si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. XVIII. 17. Potestas, ut fratrum peccantium delicta remitteret, a Christo ecclesiae collata est. *Joan.* XX. 22.

Arg. II. *Ex Apostolorum dictis et factis. a)* S. Paulus ait: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam,* II. Tim. II. 20 ; item: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis,* Hebr. V. 1.; atque iterum S. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae . . . et si in peccatis sit remittentur ei,* Jac. V. 14, 15. Ergo in ecclesia vasa *in contumeliam, sacrificia pro peccatis* et homines, qui *in peccatis* sint, hoc est, etiam peccatores esse videntur.

b) Legentibus epistolas, quas S. Paulus ad Corinthios, Galatas et alios misit, dubium non erit, quin carnales etiam et peccatores in ecclesia viderit apostolus. Namque *inter vos* — inquit — *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi,*

I. Cor. XI. 30.; et alibi: *Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris*, Gal. VI. 1.; rursus: *Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant*, I. Tim. V. 20.; denique: *Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat*, I. Cor. XI. 28. Item S. Joannes plures Asiae ecclesias graviter reprehendit, Apoc. II 4. Atqui haec omnia de illis dicuntur, qui peccatores simul et *fratres* seu membra ecclesiae erant. Ergo peccatores ab ecclesia non excluduntur.

Arg. III. *Ex patribus. a) S. Cyprianus* ait: „zizania in Ecclesia esse cernimus." *Ep. 51. S. Ambrosius:* „Ecclesiae tuae species est in illa (Matth. IX.), quae accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti tui, dicens intra se: Quia si tetigero vestimentum ejus, salva ero. Haec ergo Ecclesia confitetur *vulnera sua*, haec curari cupit." *De poen.* I. 6. *S. Hieronymus:* „Ut in illa (arca) omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt: ut ibi pardus et haedi, lupus et agni, ita et hic justi et peccatores." *Contra Luciferian.* n. 22. *S. Augustinus:* „Ecclesia hujus temporis areae comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos; habitura post judicium sine ullis malis omnes bonos." *Serm.* CCXXIII. n. 2. Idem: „Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Numquid dixit, in medio alienarum? Non, sed in medio filiarum. Sunt ergo *filiae* malae, et inter illas est lilium in medio spinarum. *In ps.* XLVIII. n. 8.

b) Ne longus sim, meminisse sufficiat 1° ecclesiam a principio *membris* suis peccatorum remissionem praedicasse; id quod ex Montanismi historia manifestum est; 2° Donatistas, qui justos solos in ecclesia esse contendebant, rejectos esse universalis ecclesiae judicio; 3° ecclesiam visibilem, veterum omnium testimonio comprobatam (cf. supra), et ecclesiam, ex justis solis conflatam, conciliari non posse.

Objectiones.

Obj. I. Legitur I. Joan. II. 19 : *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo qui praedestinati non sunt et *prodierunt,* membra ecclesiae nunquam fuisse videntur.

Resp. Dist. antecedens: hoc *non erant ex nobis* dictum est secundum praedestinationem, *conc.;* secundum fidem, *nego.* Scilicet non pauci *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Luc. VIII. 13. Cf. S. Aug. *Tract. in Joan.* LXI. n. 2.

Aliter: *non erant ex nobis,* ut viri fortes, *conc.;* simpliciter, *nego.* Sunt enim, qui spiritu Christi non plane imbuti, tentationibus non fortiter resistant; sicut scriptum est de iis, qui virorum Judae fortitudine carebant: *Ipsi autem non erant — ex semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel,* I. Mach. V. 62.

Urgebis. In arca non fuerunt nisi salvandi ab aquis. Et arca habetur figura ecclesiae. Ergo in ecclesia non sunt nisi praedestinati.

Resp. Dist. minorem: arca habetur figura ecclesiae, quod non salvantur, qui sunt extra, *conc.;* quod omnes salvantur, qui sunt intra, *nego.* Nec vero in hoc solum similitudo sita est, sed etiam in aggregatione bonorum et malorum; animalia enim munda et immunda simul fuerunt in arca. Cf. S. Hier. *Dial. adv. Lucif.* n. 22.

Obj. II. Ecclesia est sancta et tota pulchra. Jam ecclesia, cujus membra plurima injusti sunt, eas laudes non meretur.

Resp. Dist. majorem: ecclesia est sancta in doctrina sua et sacramentis, *concedo;* in omnibus membris, *subdistinguo;* finaliter in patria, *concedo;* in statu viae, *nego.* Ad rem S. Thomas: „esse — inquit — Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus *finis* ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu patriae, non autem in statu viae: in quo *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* ut dicitur I. Joan.

I. 8.“ III., 8, art. 3. ad 2. Hoc certe sensu ecclesia dicitur *tota pulchra,* Cant. IV. 7.; Sion, per quam *non transibit . . . pollutus,* Is. XXXV. 8.; *sancta et immaculata,* Ephes. V. 27. Cf. S. Aug. *Retract.* lib. II. 18.

Instabis. S. Hieronymus ait: „Qui ergo peccator est et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.“ *In Ep. ad Ephes.* S. Augustinus et alii patres similia docent. Ergo soli justi membra ecclesiae sunt.

Resp. Dist. antecedens: peccatores ecclesiae membra appellari non possunt, sub aliquo respectu, *concedo;* absolute, *nego.* Qui imperfecta et indigna membra sunt, rigidius interdum membra non esse dicuntur. Ita quaedam veterum dicta intelligi necesse est. Et certe habemus Hieronymum et alios patres aperte nobis assentientes, prout argumenta monstrant. Quin constat, S. Augustinum annis duodecim (400–412) Donatistarum errorem de *justis solis* impugnasse. Denique idem sanctus ita distinguit: „utrumque verum est, et *ex nobis* et *non ex nobis:* secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis; secundum communionem sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis.“ *Tract in Joan.* LXI. n. 2.

Obj. III. S. Thomas docet malos non esse ecclesiae „proprie, nisi sicut membrum mortuum, scilicet aequivoce“.[1]) *In Sent.* III. 13, q. 2, art. 2. q. 2. ad 2. et ad 6. Ergo mali ecclesiae membra dici non debent.

Resp. Dist. antec.: S. Thomas haec affirmat intelligens *membrum* sensu strictiori, *conc.;* sensu generaliori, *nego.* S. Thomas loco citato quadruplicem unionem membrorum ad invicem in corpore mystico, desumpta comparatione a corpore naturali, exponit. Porro „fideles peccatores“ ecclesiae uniri negat, „secundum quod (membra) vivificantur per gratiam et caritatem“, et „secundum quod in eis est Spiritus sanctus, qui est ultima perfectio et principalis

[1]) Cf. circa hanc vocem *aequivoce,* quae Thomae adversariis offensam habuit, Grabmann, *Die Lehre des hl. Thomas von der Kirche,* S. 108 etc. et Denifle, *Chartularium* I, 559.

totius corporis mystici". At affirmat „fideles peccatores" pertinere „aliquo modo ad unitatem Ecclesiae inquantum continuantur ei per fidem, quae est unitas materialis". Item in *Summa theologica* de fidelibus, qui sunt in peccatis mortalibus, dicit: „Percipiunt tamen tales, a Christo quemdam *actum vitae,* qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine." III. 8, 3. ad 2.

Instabis. S. Thomas ait: „quia unitas corporis ex membris consistit, ideo quidam dicunt, quod (fideles peccatores) *non pertinent ad unitatem corporis Ecclesiae,* quamvis pertineant ad unitatem Ecclesiae." *In Sent.* III. l. c.; quam sententiam sanctus doctor approbare videtur. Atqui non sunt membra ecclesiae, „qui non pertinent ad unitatem corporis Ecclesiae". Ergo soli justi ecclesiae membra sunt.

Resp. Admissa auctoritate *dist.* sensum: fideles peccatores non pertinent ad unitatem *corporis* ecclesiae, quod habet actum vitae perfectae, *conc.*; quod habet actum vitae imperfectae, *nego.* Responsum palam erit ex doctrina S. Thomae de fide *formata* et *informi.* De fide *formata:* „Cum enim credere — inquit — sit actus intellectus assentientis vero et imperio voluntatis, ad hoc quod iste actus sit *perfectus,* duo requiruntur: quorum unum est ut infallibiliter intellectus tendat in suum objectum, quod est verum; aliud autem est ut *voluntas infallibiliter ordinetur ad ultimum finem,* propter quem assentit vero. Et utrumque invenitur in actu fidei formatae." Deinde de fide *informi:* „etsi habeat perfectionem debitam actus fidei informis ex parte intellectus, *non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis.*" II. II. 4. art. 5. Ideo fideles peccatores non pertinent ad unitatem *corporis* ecclesiae, quatenus corpus Christi mysticum habet *vitam perfectam* ex parte intellectus per fidem et voluntatis per caritatem.

Urgebis. Christo capiti membra diaboli conjungere nefas est. At fideles peccatores sunt membra diaboli.

Resp. Dist. maj.: si conjunctio illa fiat sub eodem respectu, *conc;* sub diverso respectu, *nego.* Idem *dist.* minorem: peccatores sunt membra diaboli secundum sua delicta, *conc.;* secundum suam fidem, *nego.* Fides *informis*

dicitur non ratione suae speciei, sed propter defectum cujusdam exterioris formae, hoc est, caritatis. Ideo „fides informis — ait Angelicus —, etsi non sit perfecta simpliciter perfectione virtutis, est tamen perfecta quadam perfectione quae sufficit ad fidei rationem.“ Proinde cum sancto doctore dicendum est, fidem informem esse *donum Dei* (H. H. 6. art. 2.); — ob illud autem donum Dei peccatores membra Christi dicuntur.

Dices. Pius IX. in bulla *Ineffabilis Dei* decernit, eos qui secus ac de Conceptione immaculata B. M. V. definitum est, „praesumpserint corde sentire . . . naufragium circa fidem passos esse et *ab unitate Ecclesiae defecisse.*“ Ergo saltem haeretici occulti, qui secus ac ab ecclesia docentur, *corde* sentiunt, ecclesiae membra nequaquam haberi possunt.

Resp. Dist. antec.: qui *corde* ita sentierint, ii defecerunt ab unitate Ecclesiae interna, *conc.;* externa, *nego.* S. Thomas ait: „Fides autem informis est communis *omnibus* membris Ecclesiae“, H. H. 4. art. 5. ad 4.; atque omnes doctores affirmant eum, qui fidem cum caritate amiserit, ad ecclesiam internam minime pertinere. At verba prolata Pii IX. non eo spectare videntur, ut gravissimorum doctorum sententia excludatur, qua asseritur haereticos occultos membra haberi ecclesiae, quatenus eadem *externa* quoque *societas* est. Huc, servata tamen proportione, fortasse facit haec de peccatoribus, qui fidem habent, S. Thomae sententia: „sicut operationes quae sunt ad alterum possunt aliquo modo fieri per membra arida, ut percutere, vel aliud hujusmodi, non tamen operationes quae sunt animae in membris; ita nec mali recipiunt spiritualis vitae operationes a Spiritu sancto; sed tamen Spiritus sanctus per eos operatur spiritualem vitam in aliis, secundum quod aliis sacramenta ministrant, vel alios docent.“ *In Sent.* III. 13, q. 2, art. 2. q. 2.

Articulus IV.

Utrum S. Scriptura doceat ecclesiam a Christo hierarchice constitutam esse.

I. Notio hierarchiae. Hierarchia (*ἱερὰ ἀρχή*), idem sonans ac sacer principatus, definiri potest: *coetus hominum, qui potestate ad sacrorum ministerium et gubernandam ecclesiam jure divino a ceteris fidelibus distincti sunt.* Itaque in ecclesia nonnulli praesunt, ceteri, sic jubente Christo, parent. Potestas autem principatus sacri duplex est, videlicet 1° potestas *ordinis* ad sacramenta conficienda et dispensanda; 2° potestas *jurisdictionis* ad gubernandum populum Christianum. Universitas eorum, qui praesunt, et quorum organica dispositio ex diversis ordinibus constat, clerus (*κλῆρος*) vocatur, id est *sors*, sive quod de sorte Domini sunt, sive quia Dominus est sors seu pars clericorum. Cf. S. Hieron. *ep.* 52. ad Nepotian., secundum ea, quae *Num.* XVIII. 20. *Deut.* XVIII. 2. de Levi et Levitis traduntur. Qui ad hierarchiam non pertinent, illi *laici* (*λαϊκοί*) vocantur, a voce graeca *λαός*, quemadmodum fideles a S. Petro dicuntur *λαὸς θεοῦ populus Dei.* I. Petr. II. 10.; cf. S. Clem. Rom. in *ep.* I. ad Cor. XL.: *ὁ λαικὸς ἄνθρωπος.* Clerus *jure divino* distinguitur a laicis. Proinde haec quatuor tenenda sunt. 1° Principatus sacer a Christo institutus est, ut, ministrorum demortuorum in locum aliis subrogatis, usque ad mundi finem perstaret. 2° Cleri potestas non ita est in coetu distincto, ut prius *omnibus* ecclesiae membris *communis* sit, qui tamen, ne confusio oriatur, aliquibus potestatem exercendam committant. 3° Potestas hierarchica nec a populo, nec a saeculari potestate et magistratu, nec a privatis, quacunque vi vocationis internae compulsis, obtineri potest; sed successione legitima atque ritu, quem Christus determinavit, ad principatum sacrum adscenditur. 4° Ecclesia non est societas *pariteista,* sed jure divino *inaequalis.* Cf. *Conc. Trid.* sess. XXIII. cap. IV.; *Conc. Vat.* Const. *Pastor aeternus.*

II. Habitudo hierarchiae ad Summum Sacerdotem, Christum. Christus *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Hebr. VII. 24. Ad Eum solum pertinet *potestas excellentiae,* id est, meritum et virtus passionis Christi in sacramentis operatur; sacramenta in nomine Christi sanctificantur; Christus solus potuit sacramenta instituere; Ipse sacramentorum effectum sine exteriori Sacramento conferre potuit. S. Thom. III. 64. art. 3.

Si causam justificationis inquiris, Deus solus est *causa* justificationis *principalis.* Verum „passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, *causa* est nostrae justificationis et *meritorie* et *effective,* non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus. Sed tamen quia est *instrumentum conjunctum divinitati* in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu *instrumentorum extrinsecorum,* qui sunt ministri ecclesiae . . . Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet, *potestatem auctoritatis* in sacramentis, ita in quantum homo habet *potestatem ministerii principalis,* sive potestatem excellentiae.“ S. Thom. III, 64, 3.

Quibus positis habitudo hierarchiae ad Christum liquebit. Nimirum hierarchiae competit 1° influxus in membra ecclesiae quantum ad gubernationem *exteriorem;* 2° operatio *ad interiorem* effectum sacramenti *per modum ministri.* Jam vero „eadem ratio est ministri et instrumenti: utriusque enim actio exterius exhibetur, sed sortitur *effectum interiorem* ex *virtute principalis agentis,* quod est Deus.“ III. 64, art. 1.; 8, art. 6. *Interior* ergo influxus gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo, cujus humanitas ex eo quod est Divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi. Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. IV. 76—77.

Christus igitur est *in omnibus ipse primatum tenens,* Col. I. 18.; hierachiam autem existimamus *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I. Cor. IV. 1.

III. Doctrina protestantica. Saeculo XVI. novatoribus hoc in visceribus haesit, infensare hierarchiam.

Lutheri decretum: *Prorsus ejusdem juris sumus omnes.* De instit. min. eccl. III. Id norma fuit. Pars tamen reformatorum, ecclesia excelsior (High Church), Puseyitae et ritualistae, ordinatione tamen valida legitimaque successione carentes, umbram aliquam ac speciem hierarchiae catholicae revocarunt. Sed generatim nullum sacerdotium proprie dictum a protestantibus admittitur, sed unum est omnium sacerdotium, nimirum quo se quisque Deo offerat; in ecclesiae primordiis nihil erat nisi constitutio communalis, quaevis communitas se ipsa regebat. Ita Geffken ait: „negat Protestantismus Germanicus . . . certam quandam et externam Ecclesiae constitutionem esse *originis divinae.*“ [1]) Scholam theologico modernam universam doctrinae catholicae de hierarchia prorsus adversari, nihil necesse est copiosius exponere: testes sunt Hatch, Weizsäcker, Sohm, Holtzmann, Harnack, Pressensé, A. Sabatier, alii.[2]) Verum in praxi sectae, ne dilaberentur, ministros esse voluerunt. Hinc *officium* verbi et sacramenti, *creatum ab ecclesia*, non divinitus institutum. Scilicet cum omnes fideles, potestate quidem pares sint, sed omnes simul munere praedicandi et ministrandi fungi nequeant, ecclesia ipsa officium memoratum instituit, quo ministri a ceteris Christianis differunt, sicut senator a civibus suis *officio* regendae civitatis.

Sunt, qui censeant, ecclesiam habere mandatum de constituendis ministris, imo mandatum *divinum;* vel etiam, ut Dr. Hort, *The Christian Ecclesia* (1898) docuisse videtur, corpus Christi mysticum seu ecclesiam prodiisse tanquam organismum, non fixum illum quidem in essentia sua divinitus constitutum, sed qui societatis vivae atque crescentis necessitatibus, S. Spiritu tamen dirigente, sese adaptare

[1]) Geffken, *Staat und Kirche* (1875), S. 209 apud Hammerstein, *De ecclesia et statu*, p. 37.

[2]) Argumenta recentiorum continuatos textuum abusus ostendant. Ita Sabatier, *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit* (3. éd. 1904), p. 444 prolatis sententiis Matth XX, 25—27; XXIII, 8—12; I Cor. III, 21—23 ait: „Il est évident que l'Église catholique, par sa hiérarchie cléricale, par sa distinction des clercs et des laïques, par le rôle de médiateurs et de directeurs donné à ses prêtres, viole l'esprit et la lettre de ces paroles.“

debeat. Haec, ajunt, evolutionis ordinatae lex est criticesque recentioris Biblicae fructus praestantissimus. At hujusmodi doctrinae omnes, quoniam non *solam exsecutionem* pro temporibus et locis, sed *ipsam organisationem essentialem* hierarchiae a Christo ad ecclesiam transferunt, a doctrina catholica valde declinant. 1° Quia non continet *institutionem* hierarchiae *immediatam* a Christo; 2° quia semper supponitur, potestatem non concessam coetui distincto, sed ecclesiae; 3° quia non exprimitur, utrum ministris competat veri nominis potestas, an merum officium; 4° quia non apparet, utrum ministri ad invisibilem illam ecclesiam, quam novatores a visibili separarunt, aliquid valeant.

Reservata quaestione de *gradibus* hierarchiae, contra dictos errores prius generatim probanda est

Thesis: *Ex S. Scriptura constat ecclesiam a Christo hierarchice constitutam esse.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex Evangeliis.* Christus hierarchiam instituit, si *a)* personas determinatas a ceteris potestate distinxit, et *b)* hunc coetum, potestate distinctum, usque in mundi finem permanere constituit. Christus autem utrumque egit. Prob. *min.*

a) Christus dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. XX. 21.; *Qui vos audit, me audit,* Luc. X. 16.; *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete,* Matth. XXVIII. 18. 19.; *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis, peccata remittuntur eis,* Joan. XX. 22. 23.; et ad S. Petrum: *Pasce oves meas,* XXI. 17; *tibi dabo claves regni caelorum,* Matth. XVI. 19. Quivis autem intelligit, his verbis potestatem concedi. Fateamur etiam necesse est, personas determinari. Quod quidem 1° ex ipsa rei natura liquet, cum tanta potestas omnibus indiscriminatim concessa confusionem pareret; 2° ex littera textus: „mitto *vos; tibi* dabo, etc.“; 3° ex contextu, nam illi potestatem adepti leguntur, quos Dominus prae ceteris ad munera tam excelsa obeunda *vocavit, elegit,* Marc. VI. 7.; Luc. VI. 13.

Ergo apostoli pollebant potestate, non sponte sibi a fidelibus concessa, sed a Christo tradita.

b) Coetus ille permanet. 1° Salvator enim pollicetur, se cum principatum sacrum consecutis futurum esse *usque ad consummationem saeculi,* Matth. XXVIII. 20.; iisque promisso Paraclito dixit: „ut maneat vobiscum *in aeternum.*“ Joan. XIV. 16. Jam vero Dominum non latebat, apostolos munere suo non functuros usque ad mundi finem. Ergo Christus potestatem ita conferens apostolorum quoque successores seu hierarchiam respexit. 2° Christus dixit: „docete *omnes gentes,*“ Matth. XXVIII. 19. At haec missio ad *omnes gentes* per apostolos personaliter spectatos adimpleri non potuit. Ergo Christus apostolorum in potestate successores esse docet seu hierarchiam.

Arg. II. *Ex aliis N. T. Libris.* Ex iis libris apparet *a)* coetus potestate spirituali a ceteris distinctus; *b)* isque institutus jure divino et *c)* stabiliter. Jam haec est ea, de qua loquimur, hierarchia. Quod sic probatur.

a) Coetus potestate spirituali a ceteris distinctus. Apostolos potestate summa functos esse, tum ex arg. I. tum ex II. Cor. II. 9.; X. 6. aliisque locis admodum manifestum est. Porro potestatem spiritualem *in aliis* etiam fuisse, 1° ex Actibus, 2° ex epistolis beati Pauli, 3° ex dictis Petri, Jacobi et Joannis probatur.

1° *Ex Actibus* reperimus, constitutos esse a Paulo et Barnaba per singulas ecclesias presbyteros. Similiter *grex* et *pastores* seu subditi et rectores perquam expresse a Paulo monstrantur, ubi majores natu (πρεσβυτέρους) ecclesiae his verbis affatur: „Attendite vobis, et universo *gregi,* in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, *regere* Ecclesiam Dei.“ Act. XIV. 22. XX. 28. Nec apostolum inusitate locutum putes, quod in Gr. ποιμαίνειν legas. Idem enim est in casu ac *regere.* Etenim qui regunt, illi in utroque Testamento, ab Hesiodo et Homero pastores esse seu *pascere* translative dicuntur. Ita apud Matth. II, 6 ex Michea VI: „ex te enim exiet *dux,* qui *regat* (ποιμανεῖ) populum meum Israel.“

2° *Ex epistolis S. Pauli* invenimus, Timotheum ecclesiae Ephesinae praefuisse, Titum Cretensibus. Apostolus episco-

pum vocat *dispensatorem Dei,* Tit. I. 7., quemadmodum de seipso testatur: „Sic nos existimet homo ut . . . *dispensatores mysteriorum Dei,*“ I. Cor. IV. 1. Tenetur episcopus *praeesse* (I. Tim. III. 5.) ecclesiae Dei; *ministerium* implere, II. Tim. IV. 3—5.; arguere *cum omni imperio,* Tit. II. 15. „Qui bene *praesunt* presbyteri, duplici honore digni“ habentur, I. Tim. V. 17.; praepositi „rationem pro animabus . . . reddituri“ sunt. Hebr. XIII. 17. Praecipitur autem fidelibus: „*Obedite praepositis* (*ἡγουμένοις*) vestris.“ Hebr. l. c. Item Paulus ad Corinthios scribens Titi mentionem infert, „reminiscentis — inquit — omnium vestrum *obedientiam,* quomodo cum timore et tremore excepistis illum.“ II. Cor. VII. 15.

3° *Ex dictis Petri, Jacobi et Joannis* idem evincitur. Petrus enim senioribus seu presbyteris dixit: „*Pascite* (*ποιμάνατε*) qui in vobis est *gregem* Dei . . . forma facta *gregis* ex animo; et cum apparuerit *princeps pastorum* (*φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος*) percipietis immarcessibilem gloriae coronam.“ I. Petr. V. 2—4. S. Jacobus fidelibus praecipit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Jac. V. 14. S. Joannes de angelis seu praepositis septem ecclesiarum haec commemorat: *vidi septem candelabra aurea: et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis . . . et habebat in dextera sua stellas septem . . . Et posuit dexteram suam super me, dicens: . . . septem stellae, Angeli sunt septem Ecclesiarum: et candelabra septem, septem Ecclesiae sunt.* Apoc. I. 13—20. Ergo fuerunt *pastores* et *grex,* praepositi et subditi, potestas juridica et obedientia.

b) Coetus, de quo diximus, est jure divino constitutus. Etenim 1° potestas spiritualis *a Deo* datur; 2° hujus potestatis praeter apostolos participes *a Deo* instituti dicuntur; 3° sacrificium, *a Deo* translatum, sacerdotium *a Deo* translatum et institutum postulat.

1° *Potestas spiritualis a Deo datur,* ut Paulus docet: „secundum potestatem quam *Dominus* dedit mihi.“ II. Cor. XIII. 10. Similiter cum Simon Magus oblata pecunia rogaret Apostolos: *Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum,* S. Petrus ipsum

redarguit, quod „*donum Dei*“ existimasset „pecunia possideri“. Act. VIII. 18—20. Jam vero apostoli potestatem illam aliis impertiti sunt; quae quidem communio potestatis in Timotheo, Tito, Apolline et senioribus a Paulo Miletum accersitis conspicitur. Quare S. Paulus: „Quid igitur est *Apollo?* quid vero *Paulus? Ministri ejus* cui credidistis,“ I. Cor. III. 4, 5. Dictis congruit, quod S. Petrus seniores (πρεσβυτέρους) ipse *con*senior (συνπρεσβύτερος) alloquitur; atque S. Joannes *presbyteri* seu senioris sibi titulum adscivit, II. et III. Joan. v. I. Denique de Juda scriptum est: „et *episcopatum* ejus accipiat alter“ (Act. I. 20.), quibus verbis quaedam *episcopatus* et *apostolatus* fieri videtur assimulatio.

2° *Apostolorum successores a Deo instituti dicuntur.* S. Paulus: „Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui *vocatur a Deo,* tanquam Aaron.“ Hebr. V. 4. Et alias de praepositis ecclesiarum: „vos *Spiritus sanctus posuit* episcopos regere Ecclesiam Dei.“ Act. XX. 28. Idem confirmatur ex verbis apostolicis ad Timotheum: *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* II. Tim. I, 6. Haec *gratia Dei* (τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ) et *haec impositio manuum* sui generis erat. Ad *munus* enim regendi pertinebat, ut patet ex I. Tim. IV, 11—15; ex tota indole utriusque epistolae ad Timotheum; ex analogia cum iis, quae Act. VI et XIII de ordinatione ministrorum ecclesiae narrantur; ex regula denique, quam S. Paulus I. Tim. V, 22 discipulo suo praescribit: *Manus cito nemini imposueris.* Quae quidem verba collatam Timotheo potestatem ostendunt.

Generatim constat, charismaticis seu charismate quodam donatis nullis potestatem tributam, nisi iis qui speciale charisma Dei et specialem impositionem manuum acceperant, ut assumerentur inter eos, qui veram regendi *missionem* habebant, ex hac lege: pastores ab apostolis; apostoli a Christo; Christus a Deo. Quamobrem hierarchiae *divinam* agnoscimus originem.[1])

[1]) Cf. Michiels, *L'origine de l'Épiscopat,* p. 89—105; Bruders, *Die Verfassung der Kirche bis 175 n. Chr.,* S. 62—104; 356—358.

3° *Sacrificio cultuque divino divinitus translato* sacerdotium pariter a Deo transferri necesse est. Atqui sacrificium a V. T. ad N. T. translatum est. Ergo et sacerdotium. *Minorem* probat *publicus cultus divinus* (*λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ*), cui Paulus et Barnabas Antiochiae operati sunt, Act. XIII. 2.; *altare* (*θυσιαστήριον*) et *mensa Domini,*[1]) cujus S. Paulus et S. Joannes mentionem faciunt. Hebr. XIII. 10.; I. Cor. X. 20. 21.; Apoc. VI. 6. etc Illuc etiam pertinet Malachiae vaticinium: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.* Malach. I. 11. Cf. Luc. XXII. 19. 20. Ex quibus omnibus apparet potestas a Deo data aliquibus in ceteros.

c) Coetus ejusdem perennitas patet 1° ex dictis sub *b)*, quae *successores* apostolorum, potestate distinctos, ostendunt. 2° S. Paulus Tito praecipit, ut *per civitates presbyteros* constituat, Tit. I. 5.; Timotheum admonens, ait: *Manus cito nemini imposueris*, I. Tim. V. 22.; alibi episcoporum constituendorum normam praefinit, I. Tim. III.: quae declarant eam Pauli mentem fuisse, ut hierarchia perduraret. 3° S. Paulus ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . . alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Ad Ephes. IV. 11. Atqui corpus Christi mysticum seu ecclesia usque ad consummationem saeculi aedificabitur. Ergo Christus „in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit". Conc. Vat. Const. *Pastor aeternus.*

---

[1]) *Mensa* (*τράπεζα*) a Paulo I. Cor. X. *altare* (*θυσιαστήριον*) intelligitur. Cf. I. Cor. X. 18—21.; Ezechiel XLI. 22.; Malach. I. 7. 12.; Conc. Trid. sess. XX. cap. I. — Cf. Renz, *Opfercharakter der Eucharistie der ersten drei Jahrhunderte* (1892); W. Berning, *Die Einsetzung der H. Eucharistie* (1901); A. Struckmann, *Die Gegenwart Christi in der H. Eucharistie nach den schriftlichen Quellen der vornizänischen Zeit* (1905); A. Scheiwiler, *Die Elemente der Eucharistie in den ersten drei Jahrhunderten* (1903); *Die Eucharistie in den ausserkirchlichen Kreisen* (1904.)

Objectiones.

Obj. I. Cogitantibus apostolis, *quis eorum major esset*, Jesus respondit: *qui minor est inter vos omnes, hic major est.* Luc. IX. 46—49. Ergo Christus principatum in ecclesia rejecit.

Resp. Dist. antec.: Christus principatum damnat, *nego;* humilitatem principatui commendat, *concedo.* Salvator voluit, ut quilibet merito, non officio se inferiorem reputet. Quod duo palam faciunt. Scilicet *apprehendit puerum, et statuit illum secus se;* haud dubie, ut typus simplicitatis, non anarchiae exemplar, in puero conspiceretur. Deinde Luc. XXII. 25—27. dominatui superbo mite et humile potestatis exercitium, non anarchia, opponitur. Quamobrem Jesus ait: „qui *major est* in vobis, *fiat sicut minor:* et qui *praecessor* est, sicut *ministrator.*" Atque seipsum ostendit ut exemplum humilitatis, non ut potestate carentem; ideo dixit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat;* quod non est contrarium alii sententiae: *„Vocatis me magister et domine; et bene dicitis."* Joan. XIII. 13.

Instabis. Fideles omnes a S. Petro vocantur *„sacerdotium sanctum,"* I. Petr. II. 5.; similiter S. Joannes de fidelibus ait: „fecit nos regnum et *sacerdotes* Deo et Patri suo." Apoc. I. 6.; cf. ibid. V. 10. Ita nullus datur coetus potestate sacerdotali distinctus.

Resp. Dist. antec.: fideles omnes dicuntur sacerdotes sensu latiori, *conc.;* sensu proprio, *nego.* Quapropter S. Thomas dixit: „laicus justus unitus est Christo unione spirituali *per fidem et charitatem,* non autem *per* sacramentalem *potestatem;* et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in psal. L. 19.: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* et Rom. XII. 1.: *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Unde et I. Petri II. 5. dicitur: *sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* III. 82. art. 1. ad 2. Quin etiam filiis Israel annuntiatum est: *vos eritis mihi in regnum sacerdotale,* Exod. XIX. 6.; at ipse Deus sacerdotium *sensu strictiori* in familia et progenie Aaron constituerat. Cf. de sacerdotio *interno* seu

improprie dicto et de sacerdotio *externo* seu proprie dicto *Catech. Rom.* P. II. cap. VII. 23–24.

Urgebis. S. Petrus presbyteros hortatus ait: „pascite, qui in vobis est gregem Dei . . . neque ut *dominantes* in cleris, sed forma facti gregis ex animo.“ I. Petr. V. 2. 3. Nulla igitur potestas hierarchica a Petro agnoscitur.

Resp. Dist. antec.: *non dominantes*, id est, non regentes arroganter, *conc.;* non regentes simpliciter, *nego.* S. Petrus loco citato presbyteros monet, ut potestatis *abusum* caveant. Hinc ait: „pascite . . . providentes non coacte . . . neque turpis lucri gratia . . . *neque ut dominantes,*“ graece: *μηδ' ὡς κατακυριεύοντες.* Eadem ratione Christus dixit: *Reges gentium dominantur eorum* etc. Cf. supra. Haec autem salvo jure *usus* contra *abusum* dicta sunt.

Obj. II. Si ecclesia hierarchice constituta est, tota potestas apostolorum ad eorum successores transire oportuit. Atqui tota potestas apostolorum ad successores non transiit, v. g. jurisdictio in omnes gentes singulis apostolis data.

Resp. Dist. maj.: transire ab apostolis in successores oportuit potestatem ordinariam, *conc.;* extraordinariam, *nego.* Et sic patet responsio ad totam objectionem. Animadvertendum est potestatem extraordinariam apostolorum pertinere *ad fieri* ecclesiae, ordinariam *ad conservari.* Et sane apostolis, ut *fundandae* ecclesiae munere perfungerentur, potestate quadam et charismatibus nonnullis opus erat, quibus carere potuit ecclesia *fundata.*

Obj. III. Manuum illa impositio, quam ex *Actibus* Paulique *epistolis* ad divinam hierarchiae institutionem probandam allegant, non est ritus sacer ad impertiendam gratiam divinitus ordinatus. Ergo. Prob. *antec.* Manuum impositio seu *χειροτονία* est eligendi ratio, qua multitudo ut mos Graecorum erat, manibus sublatis declarabat, quem habere vellet.

Resp. Nego antec. et conseq. Ad probationem antecedentis *dist.:* manuum impositio seu *χειροτονία* significat genus electionis apud Graecos, *transeat;* in libris N. T. *nego.* In N. T. auctores sacri ad significandam *manuum imposi-*

tionem verbis utuntur, quae vocabulo graeco *χειροθεσία* respondent. Act. VI. 6.; XIII. 3.; II. Tim. I. 6. Semel tantum *χειροτονία* legitur. Nempe „*cum constituissent illis* — inquit auctor *Actuum* — *per singulas cclesias presbyteros, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους.* Act. XIV. 22. At eo loco nulla electio, quae a populo manibus elatis fit, sed ordinatio designatur; id, quod ex structura et adjunctis patet, Paulo enim et Barnabae, non populo, illud *χειροτονεῖν* tribuitur; jejunium et preces actum illum comitantur; denique Schleusner, Kuinoel, Wolff, viri acatholici, versio Lutheri, versio Anglicana et Danica manus sublatas „eligentis multitudinis" (Calvinus) non admittunt. Quod ad Graecos attinet, *transeat* eo dixi, quia ex Appiano et Philone apparet eos quoque *χειροτονηθῆναι* dici, qui sine multitudinis suffragiis principes creabantur.[1])

Instabis. Ex ritu mere deprecatorio non sequitur, ut potestas data sit. Atqui manuum impositio deprecantium, non consecrantium ritus erat. Id enim ex factis apparet. Nam Jacob positis super caput Ephraim et Manasse manibus, filiis Joseph benedixit, Gen. XLVIII. 14. 15.; parvuli autem Christo oblati sunt, ut manus eis imponeret et oraret. Matth. XIX, 13—15.

Resp. Dist. min.: manuum impositio deprecantium ritus erat, quandoque *conc.;* semper, *nego.* Ad probationem minoris *dist.:* exempla prolata ostendunt ritum eundem, quo potestas sacra datur, *materialiter, conc.; formaliter, nego.* Cum signum externum habere possit usum multiplicem, adjuncta rerum consideranda sunt, quibus usus determinatur; nam idem non est, quod Aaron manibus super caput arietis positis (Exod. XXIX. 15.), atque illud quod Moyses egit manibus positis super Josue (Deut. XXXIV. 9.). Joannes baptizavit, apostoli baptizarunt; at idem non est. Similiter ex adjunctis patet impositionem manuum, qua Christi ministri in nova lege instituuntur, a ceteris manuum impositionibus *formaliter* discrepare. Exempli causa: S. Paulus

---

[1]) De evolutione vocis *χειροτονίας* cf. H. Bruders, S. J. *Die Verfassung der Kirche bis zum Jahre 175 n. Chr.* (1904), S. 10—15; 357; 397.

ad Timotheum scribit: *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* II. Tim. I. 6. En *manuum impositio* a Paulo facta. Quid autem *per* (*διά*) actum illum Paulus effecit? Ut *in Timotheo esset gratia Dei*, ad adimplendum munus. Eligebantur nonnunquam ad tale munus viri *charismatici*, sensu latiori charismatis; sed munus non natum ex charismate. Viri, quantumvis pleni Spiritu sancto sub alio respectu, specialis gratiae et impositionis indigebant, ut potestatem sacram acciperent.

Urgebis. Praeceptum illud: *Manus cito nemini imposueris*, I Tim. V, 22 perperam interpretantur, qui apostolica verba de ministris ecclesiae instituendis intelligunt. Verisimilius de *lapsis* recipiendis agitur.

Resp. Monitum illud etiamsi ad lapsos recipiendos pertineret, tamen Timothei potestatem munusque ostendit: Quod pro nostro thesi caput est. Contextum autem si consideraveris *manuum* illam *impositionem* de munere ministris ecclesiae conferendo scriptam esse jure interpretaberis. Praeceptum enim, ut Timotheus hac in re prudenter ac digne procedat, illius conceptus, quem Paulus prius (III, 1—14; IV, 17—21) de ministrorum vita probanda dirigendoque exposuerat, naturalis quaedam videtur esse evolutio. Cf. S. Thom *Comment.* in *l. c.*[1])

Articulus V.

Utrum constitutio ecclesiae hierarchica veterum etiam testimonio comprobetur.

I. Status quaestionis. Conspici desinente saeculo II. hierarchiam aliquam, adversarii non negant. Sed asserunt principatum illum non a Christo constitutum, sed ante finem saeculi II. a communitate seu coetibus fidelium, ut ex paribus inter pares nonnulli praedicando verbo et sacra-

[1]) Similiter de munere conferendo commentantur interpretes acatholici H. J. Holtzmann, *Hand-Kommentar zum Neuen Testament*, B. III; B. Weiss, *Lehrbuch der Biblischen Theologie des N. T.*; Th. Zahn. *Einleitung in das Neue Testament*, B. I.

mentis administrandis prospicerent. Quamobrem in hac thesi maxime refert, 1° ex testimoniis veterum propemodum infinitis, ea seligere, quae sunt antiquissima; 2° in iisdem testimoniis investigare, quid argumenti pro divina hierarchiae institutione complectantur.

Illud denuo animadvertendum, nihil hucusque inquiri, num *plures* principatus sacri constituti sint *ordines* et quid cuique ordini potestatis tributum sit.

Thesis: *Constitutio ecclesiae hierarchica veterum testimonio comprobatur.*

Argumenta.

Arg. I. Hierarchia est coetus jure divino potestate distinctus. Atqui veteres coetum hujusmodi cognovisse ex auctoritate S. Clementis Romani, S. Ignatii Antiocheni, S. Polycarpi et aliorum constat. Quod probatur

a) S. Clemens ait: „*a quibus* celebrari vult (Dominus) ipse excelsissima sua voluntate definivit." — Iterum: „Apostoli nobis jussu Domini Jesu Christi evangelizaverunt; Jesus Christus jussu Dei. Missus est igitur Christus a Deo, et apostoli a Christo, et factum est utrumque *ordinatim ex voluntate Dei.* Itaque *acceptis mandatis . . . constituerunt* episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant." Deinceps memorata virga Aaron, quam germinantem *elegit Deus*, ad N. T. transit his verbis: „Apostoli quoque nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos, ac deinceps ordinationem (ἐπινομὴν)[1]) dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent." *Ep.* I. ad Cor. XL. XLII. XLIII—XLIV.

b) S. Ignatius in epistolis, quas (105 - 117) ad plures ecclesias scripsit, docet oportere fideles esse unitos „cum episcopo et presbyteris ejus et diaconis *juxta sententiam*

[1]) Cf. de hac voce Funk. *Patres apost.* (ed. II, 1901), I, p. 155—156, et generatim W. Scherer, *Der erste Clemensbrief* (1902).

Christi designatis, quos *secundum propriam voluntatem suam firmavit* in stabilitate per sanctum suum Spiritum". *Prooem. ad Philad.* Et: „quemcunque *paterfamilias mittit* ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui mittit. Manifestum *igitur* est, quod episcopum respicere oporteat *ut ipsum Dominum,*" *Ephes.* IV. Etiam illud est viri jus divinum hierarchiae profitentis, quod episcopi, presbyteri et diaconi ab Ignatio vocantur *Dei praeceptum, lex Christi, Dei mandatum.* Ad Trall. XIII., Ad Magn. II., Ad Smyrn. VIII. — Cum Ignatio non dissidere videntur, quae traduntur in *Διδαχή* seu *Doctrina duodecim Apostolorum* XV: „Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos; vobis enim ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum. Ne igitur contemnatis eos, ipsi enim sunt honorati (*οἱ τετιμημένοι*) inter vos una cum prophetis et doctoribus." Quibus in verbis duo conspicua sunt. 1° Ecclesiae ministros oportet esse „dignos Domino" propter eorum *munus,* ordinatum ad sacrificium eucharisticum, uti patet ex connexione per verbum *igitur* (*οὖν*) cum capite XIV et verbis immediate praecedentibus de *sacrificio mundo,* juxta Malachiam, I, 11. — 2° Dicti ministri *in honore* haberi debent, tanquam *ministrantes et ipsi ministerium prophetarum et doctorum.* Prophetae nempe et doctores hoc loco sunt viri charismatici, quibus magna reverentia praestabatur in primaevis ecclesiis Quod autem illi charismate extraordinario donati efficiebant *per accidens* et non nisi hic et nunc, hoc opus docendi et aedificandi ecclesiam ministris *vi muneris* competebat, una cum officio eucharistico, a quo charismatici qua tales exclusi erant.[1])

c) S. Polycarpus presbyteris et diaconis docet obtemperandum esse „tanquam *Deo* et *Christo*"; ab eodem diaconi dicuntur „ministri *Dei* et Christi, *non hominum*". *Ad Philipp.* V. 4. *S. Irenaeus:* „Valde enim perfectos et irreprehensibiles, in omnibus eos volebant (apostoli) esse, quos

[1]) Cf. Funk, *Patres apostolici,* vol. I, p. 33—34.

et *successores* relinquebant *suum ipsorum locum* magisterii tradentes." *Adv. haer.* III. 3. *Origenes* potestatem remittendi peccata Petro et Paulo datam memorat et iis omnibus, „qui post apostolos in ecclesia positi sunt, quibusque curandorum vulnerum disciplina commissa est, quos *voluit Deus* in ecclesia sua esse medicos animarum." *Hom.* I. in ps. XXXVII. *S. Cyprianus:* „Inde (a Petro) per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut *ecclesia super episcopos* constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum *hoc* itaque *divina lege* fundatum sit," etc. *Ep.* 33. Cf. inter alios testes S. Chrysost. *De sacerdotio.*

Arg. II. Veteres censent ecclesiae essentiam constare ex *clero* et *laicis*, qui clero *parere* tenentur, tanquam potestati jure divino constitutae. Ergo crediderunt veri nominis hierarchiam. *Conseq.* patet, cum antecedens conceptum hierarchiae exprimat. Prob. *antec.*

S. Clemens in *ep.* I. ad Cor. haec decernit: „Aequum igitur est . . . nos *cervicem ponere* et obedientiae locum implentes inclinari illis, qui sunt duces animarum nostrarum." *S. Ignatius:* quotquot „Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo"; Zotionem laudat, „quia subditus est episcopo ut *benignitati Dei* et presbyteris ut *legi Jesu* Christi;" item de Dama, Magnesiorum episcopo: „vos decet non familiarius uti aetate episcopi, sed *respectu potentiae Dei* patris omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum cognovi et sanctos presbyteros non abuti juvenili ejus conditione conspicua, sed ut prudentes in Deo cedere ei, *non ei* autem, *sed patri Jesu* Christi, omnium episcopo." *Philad.* III.; *Magn.* II. et XIII.; *Magn.* III. Idem *S. Polycarpus* docet, ut supra. *S. Cyprianus: „Ecclesia est* plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens." *Ep.* 69. Nec ergo parum vere dixit: „An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit." *De unit. eccl.* n. 17.

Arg. III. *Ex tribus factis. a)* Saeculo II. aut ineunte III. hierarchiam in ecclesia fuisse, inter adversarios nostros satis constat. Jam vero 1° scriptores saeculi III. doctoribus antiquioribus conjuncti fuerunt, antiquiores apo-

stolicis patribus, hi apostolis; 2° nullum unquam tempus indicari potuit, cum nulla hierarchia esset. Ergo hierarchia, etiamsi Clemens, Ignatius et vetustissimi silerent, prudenter admitteretur.

b) Hierarchia pollet auctoritate a Deo data, si veteres ordinem sacramentum esse crediderunt. Sacramentum enim a solo Deo potest institui. Talis autem fides veterum apparet ex Origene *In Ezech.* hom. 9., *In lib. Jesu Nave,* hom. 17.; S. Cypr. *ep.* 75.; S. Aug. *De bapt.* V. 20.; S. Chrys. *De resurrect. mortuorum,* VIII.; *De sacerd.* III. 4. etc. Cf. theologos dogmaticos et monographias de patribus.

c) Constituto divinitus sacrificio *sacerdotium* quoque juris divini admittendum videtur. Atqui a principio in ecclesia oblatum est sacrificium divinitus institutum. Prob. *min.* 1° A saeculo I. conspicitur *altare*, θυσιαστήριον, quod a patribus vocatur τράπεζα κυρίου, *mensa Domini, memoria, confessio, sacrum, divinum, caeleste.* S. Ign. Antioch. *Ad Magn.* VII, *Ad Philad.* IV.; Athan. *Apol.* II.; Aug. *De civ. Dei,* XXII. 8.; Kraus, *Real-Encyklop.* ad vocabula *Altar* et *Arcosolium;* Cabrol *Dictionnaire d'archéologie et de liturgie.* — 2° Didache seu Doctrina duodecim apostolorum, XIV.; S. Justinus, *Dial.* XLI. CXVI—CXVII; S. Irenaeus, *Adv. haer.* IV, 17.; Tertull. *Adv. Jud.* V, 6 et *Adv. Marcionem* III, 22; IV, 1.; denique veteres universim *Malach.* I, 11 cum Sacrificio Eucharistico, cujus indolem determinare jam non opus est, explicite vel indirecte connectebant.[1])

---

[1]) Thiersch, protestans, *Vorlesungen über Katholizismus und Protestantismus,* Vortrag 32 fatetur: „Je mehr die Kenntnis des kirchlichen Altertums sich erweiterte, desto klarer wurde es den protestantischen Theologen, dass die Eucharistie schon von den allerältesten Vätern und in allen alten Liturgien als ein Opfer aufgefasst wurde." Nec dubitandum, quin studium antiquitatis anglicanos hac in re magis et magis ad conceptum catholicum duxerit. Cf. praeter opera, quae p. 74 indicavimus, Duchesne, *Origines du culte chrétien* (1903); Batiffol, *Etudes d'histoire et de théologie positive* (2. Série, 1905) et Dufourcq, *S. Irénée* (1905), p. 204—211. — Batiffol, in interpretandis aliquibus veterrimis sententiis interdum vagus, indirectam hujusmodi sententiarum testificationem non negat; imo vero *l. c.* p. 132 haec scribit: „Liturgie et langue liturgique sont choses si familières

Objectiones.

Obj. I. Tertullianus ait: „Differentiam inter ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tingis, et sacerdos es tibi solus.“ *De exhort. castit.* cap. VII.

Resp. Data, non concessa, Tertulliani auctoritate, *dist.* antec.: ecclesiae auctoritas differentiam inter ordinem et plebem constituit, in *electione personae* et *disciplina externa*, *conc.;* in ipsa potestate et essentialibus, *nego.* Hic duo animadvertenda sunt.

a) Tertullianus, cum *De exhortatione castitatis* scriberet, ad Montani errorem devergebat. Operis finis, ut amicus quidam a secundis nuptiis cohibeatur, quas mox in libro, qui inscriptus est *De monogamia*, prorsus reprobavit. Tertullianus autem, ut fit, errori sophismata copulat. Unum sophisma exempli causa proferam. — Fratri nubere nefas. Atqui vidua Christiana non habet nubere nisi fratri Ergo denuo nubere non potest. Quod *non* habet nubere *nisi fratri* ex eo probat, quod nubere oporteat *in domino*, id est, *non ethnico;* ergo non relinquitur nisi Christianus. Christianus autem *frater* est. Omnes enim nos *fratres sumus.* Sic ratiocinatur Tertullianus *De monog.* cap. VII. Ut in hoc loco conceptus *fratris*, ita in textu objecto *sacerdotium laici* exaggeratur. Alibi etiam „sacerdotium viduitatis“ (Ad uxorem ı. 7.) nominat. Deinde Tertulliani auctoritas non valet adversus communem consensum antiquorum. Veteres autem Chrysostomo annuunt docenti: „*Non enim homo*, non Angelus, non Archangelus, non alia quaepiam creata potestas; sed *ipse Paracletus* hoc officium ordinavit.“ *De sacerd.* lib. III.

b) 1⁶ Tertullianus, ut secundas nuptias amici ex eo etiam praecaveat, quod esse digamo non liceat *sacerdoti*,

---

aux fidèles à qui écrit saint Ignace, que saint Ignace peut exploiter le vocabulaire eucharistique en l'appliquant, par métaphore à des objets autres que l'eucharistie.“

conceptum sacerdotii *sensu latiori* proponit. Quod eo spectat ut ex sacerdotio laicorum concludatur: ergo nec laicis licet esse digamis. 2° Hinc ostendit presbyteros *de laicis adlegi* et laicis competere potestatem ut in casu necessitatis quaedam *pro sacerdote* agant, velut baptizare. Quod quidem divinae sacri principatus institutioni non officit. 3° Differentia inter clerum et laicos *sub quodam respectu*, scilicet ratione electionis personarum, honoris externi, disciplinae etc. ecclesiae autoritate haud dubie constituitur. Porro Tertullianus ad scopum suum *eo respectu* utitur, adhibita locutione exaggerata quidem, sed non *exclusiva*. Quod declarasse videtur, cum diceret: „Ecclesiae autoritas, *et* honor per *ordinis* consessum *sanctificatus*." Idem, jam aperte Montanista, *De monogamia*, cap. XII. suum errorem de secundis nuptiis a laicis non contrahendis iterum ex eo probare nititur, quod clerus, cui hujusmodi nuptiae nefas, ex laicis *adlegitur*. Sic enim loquitur: „Unde enim episcopi et Clerus? nonne de omnibus? Si non omnes Monogamiae tenentur, unde Monogami in Clerum? An ordo aliquis seorsum debebit institui Monogamorum, *de quo adlectio fiat in Clerum?* 4° Cum staret in fide catholica, vellicavit haereticos, qui „et *laicis sacerdotalia munia* injungunt". *De praescr.* cap. XLI.

Instabis. Juxta catholicos laicis nunquam licuit *offerre*. At Tertullianus l. c. de laico dicit: *offert*.

Resp. Dist. majorem: laico nunquam licuit *offerre* quantum ad consecrationem, *conc.;* quantum ad alios quosdam actus liturgicos, *nego*. Consecrandi potestas presbytero soli data est; at ob persecutiones aliasve necessitates Christianis antiquis concessum est, ut Sanctum Domini a sacerdote consecratum et in arca domi religiose conservatum laici ipsi sibi ministrarent. Tert. *Ad Uxorem*, II. 5.[1]) Cf. Dionys. Alex. ap. Eus. H. E. liber VI. 44., Basil. *Ep.* 93. ad Caesar. Similiter et vox *liturgiae* quandoque sensu latiori de iis actibus sacris dicitur, qui absque consecratione perfici poterunt.

---

[1]) Vide Adhémar d'Alès, *La théologie de Tertullien* (1905), p. 213—221; 491—494.

Ita Theodoretus H. E. lib. I. 23. retulit beatum Frumentium cum a. 341 in Aethiopiam venisset, sacram liturgiam (*τὰς θείας λειτουργίας*) perfecisse. Jam vero Frumentius, cum a. 346 Alexandriam pergens S. Athanasium adiret, tum demum ab ipso presbyter et episcopus ordinatus est. At Rufinus, qui facti ejusmodi testis est praecipuus et longe antiquissimus Theodoreti verba explicat. Ait enim S. Frumentium monuisse negotiatores Romanos, „ut conventicula per loca singula facerent, ad quae, romano ritu, *orationis causa* confluerent," sed et ipsum multo magis eadem fecisse. *Hist.* lib. I. 9.

Obj. II. Patres non pauci sacerdotium in laicis etiam viris agnoscunt.

Resp. Dist. antec.: id sacerdotium laici internum erat et improprie dictum, *concedo;* externum et proprie, *nego.* De duplici sacerdotio supra diximus. Et sane veterum testimonia, quibus doctores etiam catholici sacerdotium *sensu latiori* acceptum commendant, nihil unquam haereticis patrocinari poterunt. In haereticos autem cadit hoc Tertulliani: „Quum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo et Patri fecit; quum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus." *De monog.* cap. II.

Articulus VI.

Utrum ecclesiam hierarchice constitui conveniens sit.

I. Acatholicorum sententia. Censent protestantes doctrinae catholicae hierarchiam per se rejiciendam, quod minime congruat 1° cum *sufficientia* gratiae Christi; 2° cum cultu Dei *immediato* nulloque interposito medio;[1]) 3° cum

[1]) Guizot ait: „Pour beaucoup d'hommes éclairés, ces mots seuls, corps de prêtres, sacerdoce, gouvernement de la religion, paraissent juger la question. Ils pensent qu'une religion qui a abouti à un corps de prêtres, à un clergé légalement constitué, une religion gouvernée enfin exerce une influence, à tout prendre, plus nuisible qu'utile. A leur avis, la religion est un rapport purement individuel

libertate evangelica. Illos autem adversarios et atheos silentio praetereo, quibus *contractum socialem*[1]) edoctis aut *communismum religiosum*[2]) appetentibus nihil habetur antiquius, quam effreni licentia trahi ad perturbationem ordinis. Tria inconvenientia, quae protestantes doctrinae catholicae de hierarchia objiciunt, in se nihil offensionis habent. Quod paucis exponam, ut argumenta theseos, elucidato statu quaestionis, quiete considerari possit. Nam Lacordaire vere dixit, contra hierarchiam dimicari cum magna iracundia.[3])

Itaque 1° ne laesa per hierarchiam dicatur *sufficientia gratiae Christi*, illud attendere opportebit, quod art. 4. in antecessum dictum est, videlicet Christum esse justificationis nostrae *causam principalem*, hierarchiam *instrumentum*, cujus *actio exterius exhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.*

2° Quod ad *cultum Dei immediatum* et privatum attinet, huic catholici negant hierarchiam adversari. Actus enim *privati* religionis Christianae, sicut actus fidei, spei et caritatis in se quidem et *formaliter* individuorum sunt, sed Dei *causaliter*. Jam vero juxta doctrinam catholicam *causa* suprema hierarchiam tanquam *instrumentum* adhibet, tum ut

---

de l'homme à Dieu; et toutes les fois qu'une autorité extérieure s'interpose entre l'individu et l'objet des croyances religieuses, c'est-à-dire Dieu, la religion s'altère et la société est en péril." *Hist. gén. de la civilisation en Europe,* Leçon V.

[1]) J. J. Rousseau, *Contrat social.*

[2]) P. J. Proudhon in opere posthumo: *Césarisme et Christianisme.* Conf. contra errores de libertate, Encycl. *Libertas,* 20. Junii 1888.

[3]) Lacordaire, *Disc. sur la loi de l'histoire:* „Le protestantisme est une passion profonde contre le sacerdoce fondé par Jésus-Christ, un effort désespéré pour se passer de l'homme dans les rapports de l'âme avec Dieu. Tout le reste est une conséquence de cette aversion primitive. Faites qu'un protestant puisse croire qu'un homme est le ministre avoué de Dieu, son vicaire réel en terre, et il abjurera sans peine les plus multiples erreurs où il soit retenu. La faiblesse du protestant est de ne pouvoir admettre une atmosphère médiatrice entre le soleil et lui comme la faiblesse de l'incroyant est de perdre la vue dès qu'un nuage s'interpose entre la lumière et ses yeux."

fidei veritates *proponantur*, tum ut gratiae plurimae conferantur per *sacramentorum administrationem*. Ita praejudicata illa opinio, quasi cultus Dei immediatus et hierarchia inter se repugnent, concidit. Nimirum etiam S. Paulus ait: *Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis.* I. Cor. III. 9. Accedit quod religio Christiana habet actus etiam *publicos* et *sociales*. In actibus autem hujusmodi minister sacer, puta si presbyter pro populo precatur Deum aut sacra facit, privatos sociorum actus et cultum immediatum non excludit, sed socios omnes ad bonum commune conjungit.

3° *Libertas evangelica* significat libertatem aut a lege Judaica aut a jugo peccati aut a regimine. At primum et secundum nihil continent, quod hierarchiam excludat; tertium non est libertas, sed anarchia. Haec explanare habui de inconvenientiis, quibus hierarchia a protestantibus impugnatur.

Thesis: *Ecclesiam a Deo hierarchice constitui est conveniens.*

Argumenta.

Arg. I. Cum sapientis sit ordinare, sapientissimus ecclesiae Conditor haud dubie ordinavit fidelium multitudinem. Ordinatur autem multitudo regimine. Ergo Christus fidelibus suis regimen seu hierarchiam constituit.

Arg. II. *Ex analogia ordinis naturalis.* Deus in regenda rerum natura causas secundas adhibet. Huic autem ordini hierarchia in ordine supernaturali ecclesiae optime respondet. Ergo hierarchiam a Deo institui, fuit conveniens. Explicatur *major*. „Ut Deus — ait Angelicus — in suis operibus repraesentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur, et media per prima.“ *Suppl. q.* 34. art. 1. Explicatur et *minor*. Videlicet ministri sacri divinitus instituti, ut aliis sacramenta traderent, „suo modo Deo in hoc assimilati (sunt), quasi Deo cooperantes; sicut et in cor-

pore naturali quaedam membra aliis influunt. S. Thom. l. c. Cf. II. II. 183. Et sic adimpletur illud, quod gratia naturam non tollit, sed perficit. S. Thom. I, 1, art. 7.

Arg. III. *Ex visibili gubernatione Christi.* Visibilis gugernatio Christi fuit quoddam instrumentum conjunctum invisibilis Personae divinae, ut homo per visibilem gubernationem ad invisibilia revocaretur. Atqui conveniens est, continuari visibilem illam gubernationem Christi; atque id fiet, si Christus hierarchiam instituit. Ecclesia igitur convenienter hierarchice constituta est. Prob. *min.* Visibilis Christi gubernatio fuit conveniens ex parte naturae humanae. Eadem autem hominum natura perseverat, quae erat temporibus Christi. Ergo semper valet haec Angelici doctrina: „per peccatum natura humana vulnerata est, et ad sensibilia demersa, ut ad invisibilem Verbi gubernationem non sit sufficienter idonea. Unde oportuit medicinam vulneri adhiberi per humanitatem Christi, per quam Christus satisfecit; et oportuit quod visibilem naturam assumeret, ut per visibilem gubernationem ad invisibilia homo revocaretur.“ *Quaest. disp. De verit.* XXIX. 4. ad 3. Jam vero visibilis illa gubernatio, post Christi ad Patrem reditum, non continuatur nisi per illos, quibus Christus tanquam visibili gubernationis instrumento utitur. Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. IV. 56 et 74.

Objectiones.

Obj. I. Unus est Mediator omnium hominum Christus. Atqui veritati huic hierarchia adversatur. Ergo hierarchica ecclesia Christo indigna est.

Resp. Dist. maj.: Christus est Mediator unicus, ut causa meritoria, *conc.;* ut applicans merita, *subdist.:* principaliter, *conc.;* instrumentaliter, *nego.* Et *nego* min. Quae sit distinctio *majoris*, S. Thomas his verbis ostendit: „Quia . . . mors Christi est quasi universalis causa humanae salutis, universalem autem causam oportet *applicari* ad unumquemque effectum, necessarium fuit exhiberi hominibus quaedam remedia per quae eis beneficium mortis

Christi quodammodo conjungeretur. *C. Gent.* lib. IV. 56. *Minor* ex iis, quae de Christo, *causa principali*, et de hierarchia, Christi *instrumento*, diximus, omnino infirmatur.

Instabis. Deus in justificandis hominibus nullius instrumenti indiget. Ergo convenientia illa, quae ex ratione instrumenti sumitur, est prorsus inanis.

Resp. Dist. antec.: Deus instrumento non indiget, ex parte Dei, *conc.;* ex parte hominum *subdist.:* necessario non indiget, *conc.;* congruenter, *nego.* Quare S. Thomas: „Deus non utitur instrumentis vel causis mediis in sua actione propter sui indigentiam, sed *propter effectuum convenientiam.* Conveniens enim est, ut nobis divina remedia exhibeantur secundum modum nostrum, idest per sensibilia.“ Quaest. disp. *De verit.* XXVII. art. 4 ad 16. Deinde hoc est „ad complementum ordinis universi, ut ejus (Dei) bonitas multiplicius diffundatur in res, dum res ab eo non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant.“ S. Thom. *Suppl.* quaest. 72 art. 2.

Dices. Christus *aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit.* Apoc. III. 7. Posita autem hierarchia non solus Christus est, qui aperit. Ergo hierarchia contraria est dignitati Christi.

Resp. Dist. min.: Non solus Christus aperit, si hierarchia agat virtute propria, *conc.;* tanquam Christi ministra, *nego.* S. Trinitas habet clavem auctoritatis; Christus homo clavem excellentiae; hierarchia clavem ministerii. Cf. S. Thom. *In Sent.* IV. dist. 17. q. 1. art. 1. q. 1.

Obj. II. Hominem homini in spiritualibus parere, virum perfectum dedecet. At Christi discipuli ad vitam perfectam vocantur. Ergo hierarchia neque ex parte hominum conveniens putari potest.

Resp. Dist. maj.: in spiritualibus dedecet parere homini legitima missione carenti, *conc.;* homini legitime misso, *nego.* Qui alienum dignitate sua ducunt parere hierarchiae, illos considerare oportet, homines maxime perfici, observata ordinis lege, de qua S. Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. XIII. 1. Atque S. Thomas praeclare dixit: *„Quaelibet res perficitur per hoc quod*

subditur suo superiori; sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima." II. II. 81. art. 7.

Unum hic in memoriam revocare juvat, quod saepius acatholicos via veritatis deturbat. Lutherus *solam fidem* urgens, doctrinam catholicam, quod haec hominis cooperationem a justificatione non omnino excludat, judaicam habet; Calvinismus, Dei praedestinantis virtutem infinitam contemplans, catholicis, quod etiam exteriora gratiae media profiteantur, paganismum affingit. Communis utriusque insimulationis fons est erroneus conceptus de activitate divina, quasi Deus, causa infinita gratiae totiusque justificationis, in applicanda hominibus gratia hominum finitorum ministerio tanquam instrumento uti nollet aut non posset. Quod quam falsum sit, tam iis quae in antecessum diximus quam argumentis prolatis constare videtur.

Articulus VII.

Utrum episcopi sint ex Christi institutione presbyteris superiores.

I. De ordinibus generatim. *Ordo,* si propriam ejus vim et notionem accipiamus, est „dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Quum itaque in hoc ministro (ecclesiastico) multi sint gradus et variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, recte et commode ordinis nomen ei impositum videtur." *Catech. Rom.* p. II. cap. VII. 9. Ordines autem septem sunt; ordines *minores* quatuor, videlicet: *ostiarii, lectores, exorcistae, acolythi;* ordines *majores* vel sacri tres: *subdiaconatus, diaconatus* et *ordo sacerdotalis.* Ordinis autem sacerdotii primus gradus dignitatis et potestatis est *sacerdotum,* secundus *episcoporum.* Diaconatus, presbyteratus et episcopatus divina ordinatione instituti sunt. *Conc. Trid.* sess. XXIII. can. VI. Plures, aliis tamen negantibus, subdiaconatum et quatuor ordines minores sacramenta esse affirmant. Diversae dignitates episcoporum, archiepiscopi, metropolitani, patriarchae juris sunt ecclesiastici. Duplex vero potestas in hierarchia con-

siderari potest, 1° potestas *ordinis*, quae ordinatur ad efficienda sacramenta, 2° potestas *jurisdictionis*, ad quam pertinet docere et regere gregem Christi. Hierarchiae toti praeest Romanus Pontifex.

II. Nomen presbyteri et episcopi. *Presbyter* (πρεσβύτερος) secundum etymon idem valet quod *senior*. Verum a Graecis πρεσβύτερος saepe de eo quoque dicitur, qui majoris fieri debet. In libris N. T. vox *presbyteri* modo homines aetate provectos designat;[1]) modo viros, per manuum impositionem ad ministerium sacrum deputatos, in quibus procul dubio oportet effulgere perfectum sensum gravitatemque constantiae. Cf. Orig. *Hom.* IV. in ps. XXXVI.

Episcopus (ἐπίσκοπος), i. e. inspector, custos, rector, generatim non solum curationem et administrationem, sed potestatem etiam ac dignitatem designat. In N. T. apostolatus episcopatus appellatur, *Act.* I. 20.; atque S. Petrus ait: „*conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum*“ (I. Petr. II. 25.), *episcopum* Christum intelligens. Generatim qui in N. T. episcopi dicuntur, illi a S. Spiritu positi habebantur, ut Christi gregem regerent.

Primis temporibus, ante annum 113, nomina alia ministris ecclesiae data legimus; vocabantur *apostoli*, latiori sensu, seu *missi, prophetae; doctores; pastores; ἡγουμενοι*; *praesides* (προεστῶτες; προιστάμενοι; προκαθήμενοι); *evangelistae*, etc. Collaboratores duodecim apostolorum encyclici *prophetae, nuntii* (κήρυκες), *doctores*, non exclusive tamen, appellabantur; qui stationem fixam habebant *pastores, presbyteri-episcopi, praepositi*, etc., non praecise propter diversitatem munerum, sed propter diversos ejusdem muneris adspectus.[2])

III. Indistinctio primaeva nominis presbyteri et episcopi. 1° *Presbyteri* nomen in principio ecclesiae sacerdotibus primi et secundi ordinis commune fuisse, plerique certum esse arbitrantur.

---

[1]) De presbyteris honorificis sine sacerdotio vide *Rev. Biblique*, 1895, p. 498 et seqq.; 1901, p. 131—133; — Batiffol, *Études d'histoire et de théologie positive*, p. 257—258.

[2]) Vide elenchum apud Bruders, *Die Verfassung der Kirche bis zum Jahre 175 n. Chr*, S. 53—55; 105—116.

2° Etiam *episcopi* nomen primis ecclesiae temporibus utrique ordini commune fuisse videtur. Verum hac de re triplex est sententia. *a)* S. Thomas, secutus S. Chrysostomum, appellationem utramque primo et secundo ordini communem et promiscuam fuisse affirmat. Ait enim: „*presbyteri* et Episcopi quantum ad nomen *vocabantur et Episcopi* et presbyteri." *In I. Tim.* III. lect. I. Cf. *In Philipp.* I. lect. I. et II. II., 84. art. 6. *b)* Theodoretus in ea sententia est, ut sacerdotes primi ordinis in N. T. *apostolos* vocari putet, sacerdotes secundi ordinis episcopos. *c)* Alii primi tantum ordinis sacerdotes episcopos dictos esse autumant.

Recentiores operam tribuerunt determinandis officiis, quae primaevae ecclesiae ministris juxta diversas alias, quas memorabam, denominationes competebant. Labores valde eruditi, sed exitus valde dubius. Qua in re quid scholae diversae modernae excogitaverint et defenderint, exponit St. v. Dunin Borkowski, S. J., *Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episcopats*, 1900.

IV. Status quaestionis. Primum generatim institutionem principatus sacri divinam probavimus. Jam quaeritur, utrum ille ministrorum ordo, quem episcopatum nominamus, sit ordinatione divina his, quos presbyteros vocamus, superior. Nobis autem propositum non est disserere de diaconatu aliisque ordinibus et *opitulationibus* (ἀντιλήψεις, I. Cor. XII. 28.), seu de illis, „qui opem ferunt majoribus praelatis in universali regimine" (cf. S. Thom. *In I. Cor.* XII. lect. III.); sed ostendendum est solos episcopos, utique Summo Pontifici subordinatos, veros esse praelatos et judices ecclesiae, ad quos ministri inferiores se habent, „sicut balivi vel praepositi ad regem". S. Thom. II. II. 184. art 6. ad 2.

Hanc doctrinam qui dijudicare velit, meminerit primaevam *nominis* indistinctionem nobis concessam esse, eaque de causa totam argumentationem pro tempore hujus indistinctionis ab eo dependere, utrum illi, qui postmodum episcopi et presbyteri nomine distincti sint, *re* atque vi potestatis a Christo constitutae ab invicem secernantur. Neque

hoc negligendum est, quod terminus tam vulgatus *episcopatus monarchici* duo designat, primo ipsum principium superioris potestatis episcopalis seu ipsum episcopatum monarchicum fundamentaliter, secundo practicam et applicationem dicti principii per organisationem dioecesanam in universa ecclesia. Nos hoc loco potestatem episcopalem in suo principio considerabimus; at simul vero data occasione partem quaestionis practicam breviter perstringemus. Denique hoc per se intelligitur, in simplicitate primordiorum rerum non quaerendam esse majestatem illam exteriorem pontificum, sed ipsam rem et potestatem spiritualem.

V. Adversarii. Saeculo IV. Aerius, „qui cum esset presbyter, doluisse fertur, quod episcopus non potuit ordinari“ (S. Aug. *Lib. de haer.* cap. LIII.), infitiatus est differre aliquid inter episcopatum et dignitatem presbyteri. Cf. S. Epiph. *Haer.* LXXV. 2. — Inter protestantes in primis presbyteriani et David Blondel († 1655) renovato errore pristino contenderunt, episcopatum esse nomen *officii* ab hominibus instituti, non *dignitatis* jure divino a presbyteratu distinctae. — Recentiores, W. Löning, Harnack, Loofs, cum et ab iis ἐπίσκοποι et πρεσβύτεροι muneris ejusdem haberentur, modo communitates, quas illi vocant, Paulinas, modo synagogas lumine criticae suae scrutati sunt, ut episcopatum catholicum probarent ab iis communitatibus processu mere humano *duxisse originem.* Frustra sane. Institutum illud *divinum* est. Ita patres Tridentini declarant: „Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quae constat ex *episcopis, presbyteris* et ministris: anathema sit.“ Item: „Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores . . . anathema sit.“ Sess. XXIII. can. VI. et VII. — Quibus expositis probatur

Thesis: *Episcopi sunt ex institutione Christi presbyteris superiores.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Qui vulgo episcopi dicuntur, sunt iis, qui vulgo presbyteri dicuntur, ex institutione Christi seu jure divino superiores, si nonnulli in S. Scriptura, non quidem nomine, sed *re*, id est, potestate divinitus collata distinguuntur. Atqui in S Scriptura ministri nonnulli ejusmodi potestate ab aliis ministris distinguuntur. Ergo. Prob. *min.*

a) Christus designavit septuaginta duos (Luc. X. 1.), qui erant apostolis potestate et dignitate inferiores. Atqui presbyteri secundi ordinis, qui jam simpliciter presbyteri vocantur, locum tenere videntur septuaginta duorum discipulorum. Cf. S. Thom. III. 57, 2. ad 2. Ergo presbyteros primi ordinis, quos episcopos appellamus, locum apostolorum tenere oportuit.

b) Episcopatus a presbyteratu re distinguitur, si potestas *presbyteros judicandi* maximeque eosdem *ordinandi* nonnullis ecclesiae ministris exclusive tribuitur. Atqui S. Scriptura monstrat potestatem ejusmodi divinitus institutam esse. Scilicet 1° ipsa potestas patet ex epistolis S. Pauli ad Timotheum et ad Titum. Legitur enim I. *Tim.* V. 19.: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus;* et alibi: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* I. Tim. V. 22. etc. Quibus sententiis imago potestatis eminentioris exprimi dignitasque vere episcopalis designari videtur.

2° Divina hujus potestatis institutio ex tribus intelligitur. Namque potestatis natura, saltem quantum ad ordinandos presbyteros, talis est, ut a solo Deo, auctore supernaturalis ordinis, procedere possit. Tum potestas ejusmodi potestatis apostolicae, quam Christus dedit, participatio est. Denique S. Paulus Timotheum ad potestatem, de qua diximus, exercendam divinitus ordinatum esse, satis aperte significat in hunc modum: *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* II. Tim. I. 6.

c) Christus apostolos *rectores* et *doctores* ecclesiae creavit, cum diceret: *Euntes docete*, etc. Atqui S. Scriptura docet a principio fuisse rectores et doctores *superiores*, qui apostolorum vice fungebantur. Ergo admittendi sunt presbyteri primi ordinis seu episcopi. Prob. *minor*. Rectores et doctores superiores haud dubie haberi debent *Timotheus* et *Titus*, ut patet ex epistolis pastoralibus S. Pauli; *Epaphroditus*, quem S. Paulus ad Philippenses scribens, vocat „fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum", *Phil.* II. 25. (cf. S. Thom. *In Philipp.* II. lect. IV.); septem *angeli* ecclesiarum Asiae, quos Joannes *Apocal.* I—III. alloquitur, quandoquidem *unicus* appellatur uniuscujusque ecclesiae angelus, cui ecclesiae regendae ratio reddenda est.

Arg. II. *Ex traditione.* Veteres jam a Clemente et Ignatio Antiocheno, etiam propriis nominibus *summum sacerdotem* seu *episcopum* a presbyteris distinguentes, *a)* superioritatem episcopalem docent; *b)* illam superioritatem affirmant esse a Christo constitutam.

a) Episcopi presbyteris superiores. 1° *Clemens Romanus*, ordinem ecclesiarum Christianis exponens, exemplum V. Testamenti hoc modo profert: „*Summo* quippe *sacerdoti* sua munera tributa sunt, *sacerdotibus* locus proprius adsignatus est, et *Levitis* sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur." *Ad Cor.* cap. XL. Quibus verbis tres gradus hierarchiae Christianae, veteri ordinationi respondentes, indicasse censetur. Deinde cap. XLII. eos ministros legitimos esse docet „qui constituti sunt ab illis (apostolis) vel *deinceps aliis viris eximiis*". Atqui „viri eximii", qui constituendis ecclesiae ministris praesunt et in eo munere dicuntur suppares apostolis, presbyteri primi ordinis seu episcopi esse videntur.

2° *S. Ignatius Antiochenus:* „hortor, — inquit — ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, *episcopo praesidente* loco Dei *et presbyteris* loco senatus apostolici et diaconis." *Ad Magnes.* VI. Et alibi: „Studete igitur confirmari . . . cum dignissimo *episcopo* vestro et digne contexta spirituali *corona presbyterii* vestri et cum diaconis." L. c. XIII.; cf.

Ad Smyrn. VIII.; *Ad Trallian.* XIII. Ecce hierarchia, quam patres Tridentini definierunt „ex episcopis, presbyteris et ministris“ constare.

3° *Hermas* de lapidibus turris seu ecclesiae exponens, ait: „hi sunt apostoli et *episcopi* et *doctores* (presbyteri?) et *diaconi*, qui ambulaverunt in sanctitate Dei et *episcopatum gesserunt* et *docuerunt* et *ministraverunt.*“ *Pastor,* visio III. 5. Fatendum tamen ministeria varia hoc aliisque Hermae textibus potius indicari quam gradum quemque clare describi.

S Irenaeus docet, S. Paulum Hierosolymas profectum esse „in Mileto convocatis et *episcopis* et *presbyteris*“. *Adv. haer.* lib. III. 14.; cf. *Act. Apost.* XX. 17. Et alibi docet traditionem apostolorum perspici per eos, „qui *ab apostolis* constituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos;“ et addit haereticos confundi „per successiones episcoporum“. L. c. cap. III. Deinceps episcoporum Romanorum catalogum pertexit. *Clemens Alexandrinus:* „in Ecclesia — inquit — progressiones episcoporum, presbyterorum et diaconorum, ut arbitror, sunt imitationes angelicae gloriae.“ *Strom.* lib. VI. 13 Pluribus testimoniis non indigemus; episcopatum enim saeculo II. vergente fixum esse, adversariorum sententia est.

4° Testibus adductis fidem addunt primum *episcopatus perspicuus* Clementis Romani (Iren. *Adv. haer.* lib. III. 3; Tert. *De praescr.* cap. XXXII.), Polycarpi (Ignat. *Ad Polyc.* Inscriptio et cap. V. 2.; Iren. *Adv. haer.* III. 3.), Evodii, qui beati Petri successor fuit in ecclesia Antiochena (Euseb. E. H. III. 22.), Marci, qui ecclesiam Alexandrinam rexit (Eus. l. c. II. 16.) et aliorum; *catalogi* episcoporum ab apostolis usque ad saeculum II. et III. pertexti apud Hegesippum, Irenaeum, Tertullianum, Hieronymum, Optatum Milevitanum; *monumenta*, crypta Ceciliana, verbi causa, in qua loculi episcoporum Romanorum saeculi III. a Zephyrino usque ad Cajum (218—283) et inscriptiones, episcopatum proprie dictum indicantes, reperta sunt; *documenta liturgica*, sacramentaria Leonianum et Gelasianum, liturgiae Alexandrina, Aethiopica et Nestoriana; *Novatianus*, schismaticus, et *haeretici* saeculi III., idem cum catholicis sentientes (Tert.

Praescr. cap. XLI.; Eus. E. H. VI. 43.); ad extremum *praescriptio*, cum nemo unquam tempus indicaverit, quo episcopatus in ecclesia habitus non fuerit gradus distinctus et presbyteratu superior.

b) Episcopatus ut gradus distinctus et presbyteratu superior a Christo institutus est. 1° De divina hierarchiae institutione summa est veterum consensio. Cf. art. 6. Atqui veteres omnes significant episcopatum esse elementum hierarchiae essentiale et praecipuum; id quod satis patet ex patribus modo laudatis. Adde quod *S. Ignatius Antioch.* dixit: „Cuncti similiter revereantur diaconos ut Jesum Christum, sicut et *episcopum*, qui est typus patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. *Sine his ecclesia non vocatur.*“ *Ad Trall.* III. *S Cyprianus: „Dominus* noster, cujus praecepta et monita observare debemus, *Episcopi honorem* ut ecclesiae suae rationem *disponens* in evangelio loquitur,“ etc. *Ep.* 27. Deinceps docet episcoporum regimen „*divina lege* fundatum“ esse. L. c.

2° Patres affirmant, potestatem ordinandi presbyteros episcopis exclusive competere. Ergo episcopatus a Christo institutus est. *Conseq.* patet; etenim si episcopatus pro temporum necessitate humano consensu inductus fuisset, potestas *valide* ordinandi presbyteros tam absolute episcoporum non esset. Probatur *antec. S. Hieronymus* ait: „Quid facit *excepta ordinatione* episcopus, quod presbyter non faciat?“ *Ep.* 85. ad Evangelum. Et *S. Chrysostomus: „sola quippe ordinatione* superiores illi (episcopi) sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.“ *Hom.* XI. in I. Tim. *S. Epiphanius* Aerii dogma de aequalitate episcopi et presbyteri in hunc modum confutat: „Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet: *hujus est enim patrum in Ecclesia propagatio.* Alter (presbyter), *cum patres* (presbyteros) *non possit*, filios Ecclesiae regeneratione lotionis (baptismatis) producit, non tamen patres et magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? (*μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν*).“ *Adv. haer.* III. 75. 4.

Atque cum Ischyras se a Collutho presbyterum ordinatum esse perhiberet, episcopi fere 100 Alexandriae congregati, Ischyram ex eo confuderunt, quod Colluthus episcopus non fuerit. Scripserunt enim ad Julium, Romanum Pontificem: „quo pacto igitur presbyter Ischyras? quo ordinante? Collutho? . . . Atqui Colluthum presbyterum obiisse, *ambasque ejus manus sine auctoritate* fuisse, omnibus notum est.“ S. Athan. *Apol c. Arian.* n. 12.

3° Aliud argumentum sumitur *ex factis publicis.* Scriptores catholici antiquos haereticos refellere consueverunt ex successione authentica episcoporum, quos (apostoli) — inquit Irenaeus — et *successores* relinquebant *suum ipsorum locum magisterii* tradentes. *Adv. haer.* III. 3. Cui rei argumento sunt S. Irenaeus, *Adv. haereses;* Tertullianus, *De praescriptione;* S. Cyprianus, *De unitate ecclesiae.* — Aliud factum est publica damnatio Aerii. — Accedit ut *Constitutiones apostolicae,* antiqui canones, liturgiae doceant, plenitudinem sacerdotii esse in episcopo; namque episcopatus appellatur „ordo primus“, „summum sacerdotium“, „praerogativa fastigii“; et ordinatio episcopalis „multiplicatio gratiae presbyteralis“, „provectionis augmentum“.[1]) — Denique nullum tempus, locus nullus indicari potest, quo ecclesia doctrinam de divina episcopatus institutione mutaverit. Valet igitur argumentum praescriptionis.

Arg. III. *Ex ratione.* In quavis societate ordinata oportet esse ministros aliquos superiores, per quos inferiores ministri uniantur, sicut et ipsi superiores per unum supremum. Jam vero ministri hujusmodi superiores ecclesiae episcopi appellantur. Ergo episcopi, cum Christus sit auctor ordinis, divinitus instituti esse convenienter dicuntur. Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. IV, 76.; S. Theol. *Suppl.* quaest. 37. art. 1. 40.; art. 4.[2])

[1]) Cf. De Smedt, *L'organisation des églises chrétiennes jusq'au milieu du IIIe siècle,* necnon *L'organisation des églises chrétiennes au IIIe siècle.* — Rev. des quest. hist. 1888 et 1891.

[2]) Cf. Bruders, *Die Verfassung der Kirche;* Michiels, *L'origine de l'épiscopat;* Batiffol, *Etudes d'histoire et de théologie positive* (3. édit. 1904); Semeria, *Domma, Herarchia e culto nella Chiesa primitiva,* 1905; Ermoni, *Les origines de l'épiscopat,* 3. édit. 1905.

Objectiones.

Obj. I. Olim episcopi et presbyteri nomine non distinguebantur. Ergo nec re.

Resp. Dato antec., *nego* conseq. Utrique vocabulo quaedam ad significandum munus sacerdotale vis propria inest; nam „unum — ait Beda — *sapientiae maturitatem,* aliud *industriam curae pastoralis* significat". Hinc sacerdotes et primi et secundi ordinis promiscue presbyteri et episcopi appellabantur. „Postmodum tamen — inquit S. Thomas — ad schisma vitandum necessarium fuit, ut etiam nomina distinguerentur, ut scl. majores dicerentur episcopi, minores autem presbyteri." II. II. 184., art. 6. ad 1.

Obj. II. I. *Tim.* IV. 14. Timotheus ordinatus esse dicitur „cum impositione manuum presbyterii". Atqui Timotheus habetur episcopus. Ergo, cum superiores ab inferioribus non ordinentur, episcopus non est presbytero superior.

Resp. Dist. majorem: „cum impositione manuum presbyterii" excluso episcopatu, *nego;* incluso, *subdist.,* ut presbyteri cooperarentur essentialiter, *nego;* accidentaliter propter solemnitatem, *transeat.* Constat presbyteri nomen fuisse episcopis et sacerdotibus ordinis secundi commune; hinc nihil ex voce *presbyterii* probatur. *Res* ipsa a S. Paulo explicatur, cum alio loco de Timothei ordinatione dixerit „per impositionem *manuum mearum*". II. *Tim.* I. 6.

Instabis. In S. Scriptura nusquam apparet episcopatus monarchicus, seu unus, qui potestate ceteris praecellens tali ecclesiae regendae constituitur. Quod cum episcopatu in ecclesia catholica, qui monarchicus est, minime congruit.

Resp. Dist. majorem: Non apparet episcopatus monarchicus quantum ad perfectam circumscriptionem dioeceseon, *transeat;* secus, *nego.* Supra, p. 115, c. 4 nonnulla facta recensuimus, quae episcopatus monarchici partialem organisationem testantur. Etenim saltem, post annum 67, Timotheus Ephesinus episcopus fixus fuisse videtur; Titus Cretensis. Tales Stephanas, Fortunatus et Achaicus fortasse

Corinthi fuerunt; Epaphroditus Philippis; Colossis Archippus vel Epaphras. Septem *angeli* Apocalypseos episcopi monarchici optimo jure habentur. Insuper *l. c.* nr. 4 solidum antiquissimorum catalogorum testimonium exhibuimus. Jam vero tum traditio fontium orientalium, quos Eusebii *Chronicon* et *Historia eccles.* servant, tum traditio occidentalis *Catalogi Liberiani* sive *Collectionis Philocalianae* documento est, Romae, Antiochiae, Hierosolymis episcopatum monarchicum ab apostolico tempore derivari, contra ac Harnack in sua *Chronologia* docet, ubi Anicetus, Romanus Pontifex († 167—168), primus episcopus monarchicus fuisse perhibetur.[1]) — Sed haec quidem hactenus. Commonere liceat, aliud esse ipsam *potestatem episcopalem*, aliud legem ecclesiasticam, qua singulis episcopis *jurisdictionis fines* assignantur. Ordinis enim potestatem et jurisdictionis proximam saltem capacitatem a Christo conferri in aperto est, fines autem jurisdictionis episcopis pedetentim constituti sunt. Quare ratione sui „potestas sacerdotis — ait S. Thomas — naturaliter et ex jure divino subditur potestati Episcopi, cum sit imperfecta respectu illius". *C. Impugn.* cap. IV.

Urgebis. Forsitan episcopatus ab ideis Judaico-Christianis et Graeco-Romanis originem duxerit. Ergo ad institutorem divinum recurrendum non est.

Resp. Dist. antec.: quantum ad essentialia, *nego;* quantum ad accidentalia quaedam, *transeat.* Et *nego* conseq. Sacerdotium V. T. hierarchiae catholicae *umbra* fuit, *causa* non fuit. Nec refert, quid fieri *potuerit,* cum *factum* institutionis divinae adversus hypotheses quascunque probavimus. Si quis tamen dixerit, ecclesiam Judaeos vel Romanos in accidentalibus quibusdam secutam esse, v. g. Romanos in describendis provinciis ecclesiasticis, non repugno.

---

[1]) J. Flamion, *Les anciennes listes épiscopales des quatre grands sièges,* in *Rev. d'Hist. Ecclés.* 1900, p. 645—678; vide ibid. 1901, p. 209—238; 503—528. — Alexandrina successio ob minus certos hujus ecclesiae fastos episcopales difficilius probatur, de qua re vide *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie* in voce *Alexandrie* (1904). — Cf. Dom John Chapman, *La Chronologie des premières listes épiscopales de Rome* in *Rev. Bénéd.* 1901, p. 398—417.

Obj. III. S. Hieronymi auctoritas magna est. Atqui sanctus docet, „eosdem esse Presbyteros quos Episcopos". *Ep.* 146. ad Evangelum.

Resp. Dist. majorem: S. Hieronymi auctoritas *magna* est, *conc.; major quam consensus communis patrum, nego.* Et *dist.* minorem: secundum quid, *conc.;* simpliciter, *nego.* Est sane presbyter idem quod episcopus secundum primitivam nominis communitatem et potestatem consecrandi Corpus Christi; verum si presbyter et episcopus considerentur *secundum propriam rationem suae speciei* procul dubio differunt. S. Hieronymus moleste ferens diaconum a nonnullis presbytero praeferri, dignitatem presbyterorum extollit eaque munera, quae plura atque inprimis circa Christi Corpus et Sanguinem presbyteris sunt cum episcopis communia, potissimum illustrat. Quod non absurdum est, modo ne absolute potestatis aequalitas adstruatur.

Instabis. S. Hieronymus alibi scripsit: „antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur: „ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae" (cf. I. Cor. I 12.), communi Presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris Electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret et schismatum semina tollerentur." *In Titum* I. 5. Ergo episcopatus humano tantum consensu inductus est.

Resp. Dist. antec.: Decreto ecclesiastico constitutus est episcopatus, id est, aliquis *usus jurisdictionis* episcopalis, *concedo;* ipsa *dignitas* episcopalis, *nego.* Et *nego* conseq. S. Hieronymus institutionem divinam potestatis episcopalis in se non negasse videtur, etsi quorundam adversariorum audacia notusque doctoris animi impetus effecerint, ut nonnulla fortius quam diligentius dixisse censeatur. At *a)* adjuncta, *b)* contextus, *c)* aliae sancti sententiae ponderentur necesse est.

a) Adjuncta sunt 1° adversariorum audacia; 2° ardor Hieronymi; 3° honor ab ecclesia sancto doctori praestitus; ab ecclesia, inquam, quae Collutho et Aerio strenue ob-

stitit. Quibus adjunctis tam sententiarum intemperantia quaedam verbalis quam doctrinalis sinceritas explicantur.

b) Contextus. 1° Sanctus doctor sententiae suae intemperantiam corrigens, mox subdit: „ita episcopi noverint se *magis* consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate, presbyteris esse majores." *In Tit.* l. c. *Dispositionem* igitur *Dominicam,* cum „magis" dicat, non excludit. 2° Potestatem ordinandi episcopis exclusive tribuit: „episcopi, — inquit — qui habent *constituendi presbyteros* per urbes singulas potestatem;" atque iterum: „quid enim facit, *excepta ordinatione,* episcopus quod presbyter non faciat?" 3° Idem ait: „quod Aaron et filii ejus atque Levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in ecclesia."

c) Aliae sancti doctoris sententiae. 1° Docet ab ipsis apostolis *ordinatos* episcopos: „Quod fecerunt et *apostoli,* per singulas provincias presbyteros et *episcopos ordinantes In Matth.* XXV, 26—28. 2° „Omnes *episcopi apostolorum successores* sunt" (ep. 146.); „Apud nos *apostolorum locum* episcopi tenent." *Ep.* 41. 3° *Adv. Jovin.* I. scribit: „episcopus, presbyter et diaconus non sunt meritorum nomina, sed officii;" atque o. c. II.: „In V. Testamento et in Novo *alium ordinem* pontifex tenet, alium sacerdos alium Levitae." 4° Charisma peculiare S. Spiritus in episcopo videt: „Si quaeramus quare in ecclesia baptizatus, nisi *per manus episcopi* non accipiat *Spiritum Sanctum:* disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, *quod* Spiritus Sanctus ad apostolos descendit." *Dial. adv. Lucifer.* IX. 5° Denique sanctus doctor: „Naufragium — inquit — in portu fecerunt, quicunque docent nihil inter episcopum et presbyterum interesse eandemque esse dignitatem et mittentis est missi." *Adv. Joan. Hieros.* XXXVII.

Urgebis. Hieronymus episcopum electione, non ordinatione constitui ostendit, cum dixit: „Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos semper presbyteri unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant; quomodo si exercitus imperatorem facit aut diaconi eligant de se, quem indu-

strium noverint et archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?" *Ep.* ad Evangelium. Ergo episcopus non est ex institutione Christi presbyteris superior.

Resp. Dist. antec.: Illud Hieronymianum ordinationem excludit, *nego;* praxin eligendi refert, *subdist:* Alexandrinis peculiarem, *transeat;* communem, *nego.* 1° Sanctus doctor in epistola ad Evangelum, ut presbyterorum dignitatem, a nonnullis aliquantisper neglectam, tueatur, ea studiosius attingit, quibus presbyteri ad episcopos magis accedunt. At ordinationem ab eo non negari tum ex iis patet, quae modo ad germanam doctoris sententiam aperiendam ex ejus operibus descripsimus, tum ex eo quod sanctus in ipso textu, qui objicitur, ait: „Quid enim facit *excepta ordinatione* episcopus, quod presbyter non faciat?" Comparatio autem electionis episcopi et archidiaconi *similitudinis* comparatio est, non aequalitatis. 2° Quae de praxi Alexandrinis peculiari dicuntur, si subobscura videantur, ex historia ecclesiae Alexandrinae explananda sunt. Jam vero episcopos Alexandrinos ante Heraclam († 247) et Dionysium († 265) haud aliter ac Hierosolymitanos et Romanos antistites ordinatos esse, historiae prodiderunt. Cf. Euseb. H. E. III. 14. 21.; IV. 1. etc.; Athan. *Apol.* III.; *Const. apost.* VIII. 45. 3° Etiamsi Hieronymus ea quandoque scripserit, quibus ad adversariorum sententiam accedere videatur, consensus antiquitatis Hieronymi, non ecclesiae, errorem convincit.[1])

Articulus VIII.

Utrum forma regiminis ecclesiastici sit monarchica.

I. Regiminis formae plures. Res, de qua nunc quaeritur, argumentis suis propriis confirmabitur, cum de

[1]) Cf. Sanders, *Études sur S Jérôme* (1903) et propriam illustrationem consuetudinis Alexandrinae apud Batiffol, *Études d'histoire et de théologie positive*, p. 267–280, describentem le „souvenir qui s'est gardé du caractère quasi épiscopal des prêtres qui composaient ce presbytèrium" (d'Alexandrie); – Card Fr. Segna, *De ecclesiae Christi constitutione et regimine*, p. 344—362.

primatu S. Petri ac Romanorum Pontificum agendum erit. At vero, ut via et ratione progrediamur, hoc loco vera sententia de forma regiminis ecclesiastici exponenda videtur. Quo futurum est, ut tota ecclesiae constitutio in uno conspectu ponatur.

Et primo quidem sunt diversa regimina, quorum unum est *democratia* seu regimen populi; alterum *aristocratia* seu principatus optimorum vel optimatum; tertium *monarchia*, quae est *regimen unius*. Praeterea possunt ex permixtione duarum aut trium illarum formarum regimina mixta oriri. Cf. S. Thom. I. II. 90. art. 4.; *De regim. princ* lib. I. 1.

II. Monarchiae forma quadruplex. Monarchiam diximus esse *regimen unius*. Igitur in quacunque monarchia, quae jure meritoque eo nomine insignitur, suprema potestas socialis in uno est. Potestas porro suprema aut in uno *tota* est et *indivisa*, aut *collective* et *per divisionem:* si primum monarchia *simplex* audit; sin aliter *mixta* dicitur.

Monarchia *simplex* in *absolutam* et *temperatam* subdividitur. *Absoluta* ea dicitur, in qua princeps supremam potestatem solus et ita habet, ut illius potestas nullis constitutis legibus fundamentalibus positivis societatique determinatae propriis coarctetur. *Temperata* dicitur, quando „unus — ait Zigliara — imperat cum potestate leges ferendi, sed intra limites legum fundamentalium, quas societas praehabet, quas imperator praesupponit, et quas proinde nullo jure potestas socialis abolere aut ipsis contradicere potest, sed juxta ipsas ferre leges pro bono communi societatis sibi commissae. Immutare autem ipsas leges fundamentales possunt quidem communi consensu princeps et populus, si leges illae sint ab ipsis, si autem ab ipsis solis non sint (ex. g. leges naturae), non possunt eas immutare.“ *Propaedeutica,* lib. IV. 11.

Monarchia *mixta* dividitur in eam, quae vulgo *mixta* dicitur et in *repraesentativam*. In illa *mixta* „rex gubernat, sed non solus, quia potestas legislativa ut *tota,* residet in corpore illo politico, cujus rex est *pars* solummodo, quamvis sit pars principalis.“ Zigliara, l. c. Quam hoc loco mixtam appellamus, eam monarchiam alii temperatam vocant; haec

autem vocum, non conceptuum, diversitas est. Monarchia *repraesentativa* improprie monarchia dicitur; in ea enim auctoritas socialis non principi sed populo tribuitur eligunturque a populo deputati, qui nomine et auctoritate populari, ipsis delegata, leges ferant.

III. Notio monarchiae ecclesiasticae. Quoniam monarchia in regimine unius consistit, nihil refert, utrum unus ille, qui gubernet, rex appelletur an imperator, consul aut praeses. Quapropter in ordine quoque ecclesiastico monarchiam speculari possumus, quae est *plenitudo supremae potestatis ecclesiasticae in solo Romano Pontifice.* Cujus quidem monarchiae rationem dilucide intelligemus, si mentem in sequentibus defixerimus.

1° Monarchia ecclesiastica *simplex* est. Quidquid enim potestatis competit episcopatui, id eminentiori modo inest in Pontifice Romano, qui proinde potestatem supremam habet, totam et indivisam. 2° Ea monarchia *temperata* est; eo scilicet sensu, quo vocem *temperatae* explicavimus. Temperatur autem Pontificis potestas per legem Evangelicam fixaque statuta Christi. 3° Monarchia ecclesiastica divinitus in Petro ejusque successoribus constituta est; ita fit, nullius ut auctoritate ecclesia aliam sibi regiminis formam assumere possit.

Quaeres, utrum ecclesiae forma *aristocratica* et *democratica* dici debeat. *Respondeo* posse ecclesiae formam ita nominari *non proprie* ob *permixtionem* aliquam aut *divisionem* potestatis supremae, sed *sensu quodam latiori.* „Forma ecclesiae — ait Zephirinus Gonzalez — est . . . Aristocratica, quatenus Christi vicarius in partem sollicitudinis et ministerii gubernationis adsciscere tenetur Episcopos, *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Democratica . . ., tum quatenus summus Pontifex electione, non jure haereditario, creatur, tum etiam quia et ipse, et Episcopi, et sacerdotes cum aliis ministris, ex omni populo, tribu, lingua ac ex quavis conditione assumuntur.“ *Philos. element.* III. sect. II. 1.

IV. Errores circa constitutionem ecclesiae. 1° *Errores democratici. a)* Ineunte saeculo XIV. Marsilius Menan-

drinus, Patavinus dictus, ac Joannes de Janduno, doctores Parisienses, edito libro, qui *Defensorium pacis* inscribitur, potestatem ecclesiasticam *originaliter in fidelium communitate* esse asseruerunt. Novatores saeculi XVI., rejecta hierarchia et conficto sacerdotio universali, democraticam prorsus conceperunt ecclesiam. *b)* Neque mediocriter democratiam resipit eorum error, qui potestatem ecclesiasticam immediate populo collatam esse contendunt, sed *necessario transferendam* in pastores; quorum gradus ab ipso Christo determinati sunt *c)* Denique error est asserere potestatem ecclesiasticam, etsi populo non collatam, valide tamen exerceri non posse independenter a populo: sive ponatur *dependentia juridica*, quae populi concursum postulat aut *antecedentem* in eligendis pastoribus aut *consequentem* in acceptandis legibus; sive *dependentia moralis*, qua efficitur, ut electiones et leges inconsulto populo validae illae quidem sed cum irrogata populo injuria fiant.

2° *Errores aristocratici. a)* Presbyterorum gradum et potestatem, sublato divino episcoporum ordine, plus aequo extulerunt presbyteriani et alii, quos hujus quaestionis art. 7. nominavimus. *b)* Aristocraticus etiam error est doctrina, quae statuit, „reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo *et parochis* aequaliter pendere ac stabiliri debere"; similiter doctrina, „qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo *judices fidei*, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto"; quae utraque doctrina a Pio VI. damnata est. Cf. Constitutionem *Auctorem fidei*, prop. 9. et 10. *c)* Cujus secundi erroris similis est tertius, quo parochorum potestas immediate a Christo esse perhibetur, atque episcoporum auctoritas in negotiis parochialibus extraordinaria. *d)* Alius est error Gallicanorum, qui plenitudinem potestatis supremae non in solo Romano Pontifice, sed in eo cum corpore episcoporum aut cum parte saltem eorum minori residere censuerunt.

3° Errorem *democraticum et aristocraticum* conjunxit

a) Edmundus Richer, syndicus Sorbonae Parisiensis. Hic a. 1611 librum edidit *De ecclesiactica et politica potestate,* in quo asseritur, 1° jurisdictionem proprie, primario et essentialiter datam esse populo, ministerialiter Summo Pontifici et episcopis; 2° potestatem ministerialem Pontificis coarctari potestate ministeriali episcoporum; 3° leges sive in conciliis editas sive extra indigere acceptatione populi; 4° organa populi relate ad episcopos esse presbyteros curatos. Richer damnatus se subjecit, et obiit a. 1631. — *b) Marcus Antonius de Dominis* (1566—1624) in opere, quod est *De republica ecclesiastica contra primatum Papae,* asseverat, 1° jus eligendi ecclesiae ministros jure divino competere populo; 2° episcopos potestati Papae non subjici. — *c)* Erupit error vehementius a. 1763, cum ederetur opus, quod inscribitur: *Justini Febronii Jurisconsulti de statu Ecclesiae, et de legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione Christianos compositus.* Nicolaus de Hontheim, episcopus suffraganeus Trevirensis, ficto sub nomine Febronii veram doctrinam de ecclesiae constitutione oppugnavit acriter atque errores suos, ab eruditissimis viris diligentissime refutatos, sub ementitis nominibus Justiniani novi, Joannis Clerici, Auli Jordani defendit. Febronius illuc spectat, 1° ut populus in partem potestatis ecclesiasticae veniat; 2° ut episcoporum potestas plus justo extollatur; 3° ut deprimatur auctoritas Romani Pontificis. A Febronio capitale malum Febronianismi ortum est, quo ecclesiasticam constitutionem subvertere civilique potentatui ecclesiam tradere non pauci conati sunt. Sed de violatione libertatis ecclesiasticae alias.

Jam sensu exposito probatur

Thesis: *Forma regiminis ecclesiastici est monarchica.*

Argumenta.

Arg. I. Monarchica dicitur ea forma regiminis, qua tota potestatis plenitudo penes unum residet. Potestatis autem spiritualis plenitudo tota divinitus data est uni Petro ejusque in primatu successoribus, Pontificibus Romanis.

Ergo. Probatur *minor* ex disputationibus de primatu instituendis. Cf. quaest. XVI.

Objectiones.

Obj. I. In concilio Hierosolymis ab apostolis habito decretum a laicis etiam sancitum est. Ergo hac aetate ecclesiasticus ordo fuit democraticus. Prob. *antec. Act.* XV. 22. decretum de legalibus mittendum hunc in modum narratur: „Tunc placuit Apostolis, et senioribus *cum omni Ecclesia,* eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam."

Resp. Nego antec. et probationem *dist.:* decretum missum est cum *plausu* omnis ecclesiae seu laicorum, *conc ; sancitum* per laicos, *nego.* Decreti sanctionem apostolis et senioribus seu presbyteris tributam esse, probatur *a)* ex decreti titulo: „*Apostoli et seniores fratres,* his, qui sunt Antiochiae," etc. Act. XV. 23.; *b)* ex cap. XVI. 4., ubi Paulus et Timotheus leguntur tradidisse civitatibus „custodire dogmata, quae erant *decreta ab Apostolis et senioribus,* qui erant Jerosolymis." Item cap. XV. 2. et 6. quaestio apostolis et presbyteris dirimenda tribuitur.

Instabis. In textu graeco recepto Antiochiam scripsisse leguntur „Apostoli et seniores *et fratres,* καὶ οἱ ἀδελφοὶ. Ergo in decreto sanciendo laici non nihil valuerunt.

Resp. Data lectione textus recepti, nihil sequitur. Etenim cum multitudo seu laici in casu concilio *materialiter* adfuissent, non *formaliter,* id est, ut *testes,* non tanquam *judices,* in litteris ad ecclesias multitudinis mentio quaedam haberi potuit: id scilicet ad narrationem rei gestae, non ad vim decreti pertinebat. Sanctionem autem decreti non nisi ad apostolos et presbyteros pertinere, ter significatur. Namque *a)* Paulus et Barnabas adscenderunt „ad *Apostolos et presbyteros* in Jerusalem, *super hac quaestione*" XV. 2.; *b)* eodem capite v. 6. S. Lucas narrat: „Conveneruntque *Apostoli et seniores* videre *de verbo hoc;*" *c)* similiter XVI. 4. memorantur dogmata, quae erant *„decreta ab Apostolis et senioribus*". Quodsi res aliquam dubitationem ha-

beret, textus plurimi, quos art. 4. pro constitutione ecclesiae hierarchica adduximus, nihil dubii relinquerent.

Non negavimus lectionem recepti: *καὶ οἱ, et* fratres; quanquam 5 antiquissima et optima manuscripta, ℵABCD, hoc est, codex Sinaiticus Petropolitanus saec. V., Alexandrinus Londin. saec. V., Vaticanus saec. IV., Ephraemi Syri rescriptus Parisiensis saec. V. et Bezae Cantabrigiensis graecus et latinus saec. VI. omittunt *καὶ οἱ*; omittitur etiam in Itala, Vulgata et Armenica; similiter a protestantibus Mill, Griesbach, Lachmann, Bornemann, Buttermann et a Tischendorf in editione octava critica.

Obj. II. Si jus est, praepositos ecclesiasticos a fidelium multitudine eligi, constitutio democratica habetur. Matthiam autem apostolum et septem diaconos a multitudine electos, *Act.* I. 15 - 26. et VI. 3 5. scriptum videmus. Constitutio igitur ecclesiae primitivae democratica fuit.

Resp. Dist. maj.: Si jus illud eligendi divinum est, *conc.;* si concessio apostolica, *nego. Dist.* et min.: multitudo Matthiam et diaconos elegit jure divino, *nego;* ex concessione apostolica, *subdist.:* voto consultativo, *conc.;* voto decisivo, *nego.* Profecto jus cujuscunque suffragii populo *divinitus* concessum non nisi gratis asseritur. In casu ratio ad fideles interrogandos specialis cernitur. Oportebat enim in Judae locum suffici unum ex his viris, qui cum apostolis fuerant congregati *in omni* — inquit Scriptura — *tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est.* Act. I. 21. 22. Diaconorum constituendorum *occasio* fuit murmur sedandum; quare duodecim prudenter multitudini dixerunt: *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem.* Act. VI. 3. Hodie proclamationes fieri solent, ut promovendorum ad ordines idoneitas magis pateat.

Instabis. S. Paulus Corinthiis scribit: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum* (τὸν πονηρὸν) *ex vobis ipsis.* I. Cor. V, 12 13. Ergo judicandi potestas et expellendi hominem malum non superioris erat, sed penes communitatem, more plane democratico.

Resp. Dist. antec.: S. Paulus loco laudato statuit normam strictam juris ecclesiastici, *nego;* loquitur modo generali de vitandis Christianis palam criminosis, *conc.* Proinde Weizsäcker ex hoc textu et alii ex textibus analogis conditionem ecclesiae primaevae essentialiter democraticam probare nunquam poterunt. Apostolus de malis judicandis verba faciens non distinguit inter eos, qui sensu strictiori judicium exercent, et eos, qui ratione quadam accendentali et extensiva judicio participant vel ad exsequendam sententiam — in casu malis vitandis — aliquid afferunt. Quis dixerit, hujusmodi textibus aperta Scripturarum de principatu sacro testimonia evacuari? Cf. S. Thom. *In* I *Cor.* V, lect. 3.[1])

Obj. III. Est apud S. Cyprianum: „quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur." *Ep.* 68. Ita fit, ut in eligendis ecclesiae ministris populi concursus *divina auctoritate* requiratur.

Resp. Dist. antec.: a S. Cypriano concursus plebis dicitur „de divina auctoritate descendere" praeceptive, *nego;* exemplariter, *subdist.:* concursus testimonii, *conc.:* concursus electionis, *nego.* Sanctus doctor vult, ut electio coram populo, non a populo, fiat, idque ut plebis praesentia valeat ad *testimonium.* Haec autem praxis *sensu latiori* de divina auctoritate descendere perhibetur, in quantum *exemplo* V. T. et consecratione Eleazari, Aaronis filii (Num. XX.), commendari visa est. At clericorum probatio aliis etiam modis convenienter fieri potest. Neque Cypriani temporibus praesentia populi semper est adhibita, sed, ut sancti verbis utar, „*fere,* per provincias universas". Atque concilium Carthaginense III. statuit: „Nullus ordinetur clericus nisi probatus *vel* episcoporum examine, *vel* populi *testimonio.*" Can. XXVIII. Cf. Leo M., *ep.* 6. (alias 10.) n. 4.

[1]) Vide J. Rohr, *Paulus und die Gemeinde von Korinth* (1899), S. 11—37.

Quaestio IV.

De ecclesia, societate perfecta et libera.

Haec disputatio de ecclesia, societate perfecta et completa, controversiarum nostrarum cardo habetur. Et jure quidem. Complet enim demonstationem institutionis et constitutionis ecclesiae; simul et earum quaestionum, quibus ecclesiae libertatem potestatemque probandam suscipiemus, fundamentum est. Et ne longum sit, in antecessum unum hoc dico, non arbitrio humano, sed divina institutione conditam esse ecclesiam. Quo igitur appareat, utrum Christi ecclesia sit societas perfecta, Ille audiendus est, qui dixit: *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra.* Matth. XXVIII. 18. Qaeritur autem:

Primo. *Utrum ecclesia sit societas perfecta.*

Secundo. *Utrum ecclesia sit societas ubique legalis.*

Tertio. *Utrum ecclesia sit societas necessaria.*

Articulus I.

Utrum ecclesia sit societas perfecta.

1. Notio societatis. Societas est „*adunatio hominum* — ait S. Thomas — *ad aliquid unum perficiendum:* et ideo secundum diversa, ad quae perficienda societas ordinatur, oportet societates distingui, et de eis judicari: cum judicium uniuscujusque rei praecipue sumatur ex fine. Et inde est quod philosophus in VIII. *Ethicorum* diversas communitates distinguit, quae nihil aliud sunt quam societates quaedam secundum diversa officia, in quibus homines sibi invicem communicant: et secundum has communicationes, amicitias distinguit, sicut eorum qui simul nutriuntur, vel qui simul negotiantur, aut aliquod aliud negotium exercent.“ *C. impugnantes,* cap. III. Quibus verbis tria manifesta sunt.

1° Cujuscunque societatis proprie dictae elementa tria sunt *a)* multitudo; *b)* finis communis seu „adunatio . . . *ad aliquid unum* perficiendum"; *c)* auctoritas, ex qua oritur „adunatio" et motio ad bonum commune.

2° Secundum fines diversos possunt diversae esse societates, puta ad negotiandum, ad ingenium excolendum, ad amplexanda consilia evangelica. Cf. S. Thom. l. c.

3° Sicut corpus humanum est organismus physicus, ita societas est organismus moralis. Hujus autem organismi perfectio tanto major est, quanto magis complete necessaria ad vitam in se continet. Hinc S. Thomas distinguit tres societates, *domum, civitatem et regnum,* quod ab eo appellatur „communitas consummationis". *In Matth.* XII. 25.

II. Notio societatis perfectae. Perfectio societatis considerari potest 1° in perfectione individuali suorum membrorum; 2° in usu suorum jurium, qui diverso gradu tranquillus et fortis esse contingit; 3° in ipsa indole sociali. Nobis propositum est indagare, utrum ecclesia *perfecta* seu *completa* sit in ipsa ratione societatis. Societas autem est *organismus* quidam moralis. Jam vero completus organismus in ordine physico consummate habetur, si organismus hujusmodi non est *pars,* nec *in ordine suo per se insufficiens,* sed ipse *totum* aliquod et *in ordine suo sufficientia vitae* praeditus. Hoc dici potest de organismo morali, qui vocatur societas. Cujusmodi org nismus consum mate non habetur, si societas quaedam est *pars,* puta bonum unius domus, quod ordinatur ad bonum unius civitatis (cf. S. Thom. I. II. 90, art. 3. ad 3.); aut *in ordine suo per se insufficiens,* velut ordines religiosi, qui sufficientiam vitae supernaturalis ab ecclesia obtinent. Quae cum ita sint, facile intelligi potest haec regula, quam statuit S. Thomas: *„oportet quod tanto sit perfectior multitudinis societas, quanto magis per se sufficiens erit ad necessaria vitae." De regimine principum,* lib. I. 1. Et quoniam haec *sufficientia* stricto sensu in regno seu in statu reperitur, *in ordine temporali* non nisi status societas perfecta et completa habetur seu, ut ait S. Thomas, „communitas consummationis." Denique haec sufficientia seu *independentia intrinseca* necessario exigit *independentiam ex-*

trinsecam. Sequitur societatem perfectam esse, *quae in ordine suo per se sufficiens ab alia nulla dependeat;* dependens enim in ordine suo societas perfecta non erit, sed instar *collegii.*

III. Status quaestionis. Quaeritur, utrum Christi ecclesia sit societas *perfecta,* hoc est, ut ex supra dictis intelligitur, utrum sit societas *in ordine suo per se sufficiens* et *ab alia minime dependens.* Dixi: *in ordine suo,* id est, in ordine vitae spiritualis et supernaturalis; *per se sufficiens,* id est, quae media necessaria et utilia ad aeternam animarum salutem procurandam divinitus in se affatim continet; *ab alia minime dependens,* id est, tota sui juris nullique societati sive in *esse* sive in *operando* subordinata. Haec vero sufficientia in se seu *intrinseca independentia* et *independentia extrinseca* conjuncta sunt. Proinde probata exsistentia independentiae *intrinsecae* sequitur altera, quae in illa fundatur; manifestato autem jure independentiae *extrinsecae* cognoscitur intrinseca, sine qua extrinseca esse nequit. Organismus denique ecclesiae seu perfectio ejus intrinseca in genere societatis ex ecclesiae fine certissime cognoscitur. Rerum enim natura et organismus fini rerum omnino respondet. Idque eo magis de ecclesia dicitur, quod *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea.* Eph. V. 25.

IV. Magnum momentum hujus quaestionis pro defendenda ecclesiae libertate. Qui probat, ecclesiam esse societatem plane perfectam, eo ipso *libertatem* ecclesiae demonstrat. Nimirum conceptus verus perfectae societatis est hujusmodi, ut independentiam a quavis alia ejusdem ordinis societate expresse contineat. Vetans igitur, ecclesiam *esse* aut res suas potestate civili non approbante *peragere,* jus divinum laedit. Nec ulla unquam justa potest ferri lex, quae libertatem ecclesiasticam quovis modo vinciat, impediat. Quapropter inter praecipua civium christianorum officia haec Leonis XIII. praecepta collocantur. 1° Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen . . . Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum jure divino, si quam Ecclesiae imponant injuriam, aut iis, quae sunt de religione, officiis contradicant, vel autoritatem Jesu Christi in pontifice maximo violent, tum vero resistere officium

est, parere scelus. — 2° Rursus autem apparet quam sit illa seditionis injusta criminatio: non enim abjicitur principi legumque latoribus obedientia debita: sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei injuria feruntur, ideoque vacant justitia, et quidvis potius sunt quam leges.

V. Ecclesiae doctrina. Ut vetustiora ecclesiae judicia praeteream, duorum tantum Summorum Pontificum sententias de ecclesia, perfecta societate, profero. Pius IX. notavit hanc propositionem: „Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.“ *Syll.* prop. 19. Leo XIII. docet: „distinguitur (ecclesia) et differt a societate civili: et, quod plurimum est, societas est *genere et jure perfecta,* cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, *omnia in se* et *per se* ipsa possideat.“ Encycl. *Immortale Dei.* — Cf. encycl. *Libertas,* 20. Junii 1888; *Sapientiae christianae,* 10. Januarii 1890; epist. apost. *Praeclara,* 20. Junii 1894; encycl. *Satis cognitum,* 29. Junii 1896.

Thesis: *Ecclesia est perfecta societas.*

Argumenta.

Arg. I. Perfecta societas est, quae in ordine suo per se sufficiens ab alia nulla dependet. At talis est ecclesia Christi. Ergo Christi ecclesia est perfecta societas. Probatur *minor. a) Est per se sufficiens in ordine suo spirituali.* Etenim si Christus dedit *finem,* dedit et *omnia media* necessaria. Jam vero Christi voluntate *finis* ecclesiae est, ut omnes homines in ea et per eam sanctificentur, ut patet ex quaest. II. art. 3. Ergo ecclesia *media* ad hunc *finem* necessaria *omnia in se et per se* ipsa possidet. — Quare S. Thomas exponens Ps. XLV. 3.: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei,* dixit: „Haec civitas est ecclesia. Ps. LXXXVI: *Gloriosa dicta sunt dete civitas Dei,* etc.

Tria sunt in ea civitate quae sunt de ejus ratione. Primum est quod sit ibi multitudo liberorum . . . Secundum est quod habeat sufficientiam per se. In vico enim non inveniuntur omnia necessaria vitae humanae sanis et infirmis; sed in civitate oportet invenire omnia necessaria ad vitam. Et *haec sufficientia est in ecclesia: quia quidquid necessarium est ad vitam spiritualem, invenitur in ea.* Ps. LXIV.: *Replebimur in bonis domus tuae.* Tertium est unitas civium", etc.

b) Ab alia nulla dependet. Si ecclesia dependeret ab alia societate, subordinaretur societati illi *aut* ut inferior superiori *aut* ut pars toti. Neutrum admitti potest. Non subordinatur *ut inferior,* quia finis ecclesiae omnium *supremus* est, scilicet salus animarum sempiterna; non *ut pars,* quia finis ecclesiae est *universalissimus,* cum ipsius divinitus est proprium munus, ut *omnibus* sanctitatem afferat in *uno* ovili ecclesiae. Cf. supra q. II. art. 3. — Quod egregie complexus est Leo XIII. inquiens: „Altius praeterea intrandum in Ecclesiae naturam: quippe quae non est christianorum, ut fors tulit, nexa communio, sed excellenti temperatione divinitus constituta societas, quae illuc recta proximeque spectat, ut pacem animis ac sanctitatem afferat; cumque res ad id necessarias divino munere sola possideat certas habet leges, certa officia, atque in populis christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suae consentaneam." Encycl. *Sapientiae christianae.*

Arg. II. *S. Scriptura* docet *a) omnia* adjumenta ad salutem aeternam commissa *soli* ecclesiae; *b)* ecclesiae actionem esse omnino independentem. Ergo ecclesia est perfecta societas. Prob. *antec.*

a) Omnia adjumenta ad salutem aeternam commissa soli ecclesiae. Dictum est enim *soli* ecclesiae: *docete omnes gentes, baptizantes eos,* Matth. XXVIII. 19.: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* Joan. XX. 22. 23.; *soli* Petro: *tibi dabo claves regni caelorum,* Matth. XVI. 19.; *Pasce oves meas,* Joan. XXI. 17. etc.

b) Ecclesiae actio omnino independens. Sistitur ecclesia ut societas distincta et independens his verbis: *Reddite*

ergo, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo, Matth. XXII. 21. Ostenditur ecclesiae potestas nec a principibus neque iis mediantibus, sed ipsis etiam invitis accepta et exercenda: *tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me.* Marc. XIII. 9. Petrus et Joannes, cum iis denuntiatum esset, *ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu,* responderunt: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate,* Act. IV. 19. Apostolis rursum apprehensis, principi sacerdotum interroganti: *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis,* respondit Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Act. V. 29. Apostoli, cum flagris caesi et prohibiti praedicare dimissi essent, *non cessabant, in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum,* Act. V. 42.

Arg. III. *Ex traditione. a)* Omnia media ad salutem necessaria soli ecclesiae concessa esse, facile intelligitur ex iis veterum testimoniis, quibus ecclesiae *finem,* quaest. II. art. 3. et *constitutionem hierarchicam,* quaest III. probavimus. Nec minima patrum sententia patrocinatur iis, qui spiritualia non plene atque integre ecclesiae tradita esse contendant.

b) De independentia ecclesiae *S. Justinus:* „Neminem autem esse, qui nos in Jesum per totum orbem terrarum credentes exterreat, et in *servitutem redigat,* in promptu est.“ *Dialog. cum Tryphone,* CX. *S. Ambrosius:* „Imperator intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.“ *Ep.* 21. *S. Gregorius Nazianzenus:* „Imperium et nos quoque Episcopi gerimus: addo etiam praestantius et perfectius; nisi vero aequum est spiritum carni, et caelestia terrenis cedere.“ *Orat.* XVII. *S. Joannes Chrys.:* „Regi ea quae hic sunt commissa sunt, mihi caelestia: mihi cum dico, sacerdotem intelligo.“ *In Is.* VI. 1., hom. IV. 4. Denique nunquam non fuerunt, qui vel captivi, vel exsules, vel omni supplicio affecti veritatem illam profiterentur. Ergo constat, *„divinitus esse constitutum, ut omnia in ecclesia insint, quae ad naturam ac jura pertineant legitimae, summae et omnibus partibus perfectae societatis.“* Encycl. *Libertas.*

Objectiones.

Obj. 1. Societas perfecta non est, quae territorio caret. Jam ecclesia nullum ferme territorium habet.

Resp. Dist. maj.: societas perfecta non est, quae caret territorio quoad dominium civile *et* spirituale, *conc.;* quoad dominium civile tantum, *nego.* Et *dist.* minorem: ecclesia nullum ferme territorium habet quoad dominium civile, *conc.;* quoad dominium spirituale, *nego.* Et certe orbis terrarum Domini est, qui mundum universum, creatione sibi subjectum, supremo dominio regit. Potestas ergo territorialis in principe nulla est, nisi ab Eo, cui tam civilis potestas quam ecclesiastica subjecta sunt. Jam vero divinus ecclesiae Conditor, salvo principum jure in temporalibus, supernaturalem quandam *servitutem*, ut ajunt, *activam*, ad religionem suam praedicandam et exercendam ubique terrarum et in quocunque territorio, ecclesiae concessit. Ex quo fit, ut ecclesia, orbis terrarum *dominium spirituale* adepta, nusquam sit *extranea.* Cf. Clemens XI. Const. *Accepimus*, 11. Jan. 1715.

Instabis. Ecclesia indiget pecunia, victu etc. Atqui societas tantum civilis hujusmodi res suppeditat. Ergo ecclesia non est per se sufficiens ac perfecta societas.

Resp. Conc. maj. *Dist.* min.: societas civilis res temporales suppeditat, sola, *nego;* etiam, *conc.* Non societas sola civilis, ut talis, sed singuli etiam socii, ut homines, possidere materialia possunt, eaque suppeditare. Possidere pariter potest ecclesia. Praeterea, cum jus ad finem conferat jus ad media necessaria, societati ecclesiasticae potestas competit exigendi *jure proprio* a membris suis ac subditis, quoties opus fuerit, res materiales, quae ipsi videantur necessariae.

Urgebis. Christus discipulis suis dixit: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Luc. IX. 3. Igitur ecclesia, ut societas, possidendi jure non pollet.

Resp. Dist. antec.: hoc praecipitur simpliciter, *nego;*

ad tempus, *conc.* Revera Christus postea in passione dixit: *Quando misi vos sine baculo .et pera, numquid aliquid defuit vobis? . . . Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Luc. XXII. 35, 36. Cf. *S. Thom.* In Matth. X. 9. Deinde Christi discipuli leguntur in civitatem abiisse, *ut cibos emerent,* Joan. IV. 8.; Judas *loculos habens, ea quae mittebantur, portabat,* Joan. XII. 6.; sanctus Paulus docet Dominum voluisse, *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* I. Cor. IX. 14.; Joseph Levites agri pretium ante pedes apostolorum posuit. *Act.* IV. 37. Denique traditio quoque jus possidendi ecclesiae vindicat; bona enim ecclesiastica appellata sunt *Τὰ τοῦ θεοῦ, Τὰ κυριακὰ, Res dominicae, Res Deo sacratae, Substantia Christi, Patrimonium Christi, Patrimonium Crucifixi.* Cf. Can. Apost. XXXVIII., XL.; Conc. Carth. III. c. XLIX.; Hieron. *Ep.* 58. ad Paulin. 7 etc

Dices. Ecclesia est coetus spiritualis. Ergo bona temporalia non sunt ejusmodi, ut ad eam aliquo modo pertineant.

Resp. Dist. antec.: ecclesia est spiritualis ratione sui finis, *conc.;* ratione membrorum, *nego.* Ecclesia, etsi *de* mundo non est, *in* mundo tamen versatur. Quapropter summo jure rebus materialibus utitur, quae spiritualibus ac supernaturalibus, tanquam fini media, in terris subordinantur.[1])

Obj. II. Ad societatem perfectam et completam pertinent jura majestatica. Ecclesia autem non habet jura majestatica.

Resp. Dist. maj.: ad societatem completam pertinent jura majestatica in ordine suo, *conc.;* in alio ordine, *nego.* Et dist. min.: ecclesia non habet jura majestatica in ordine civili, *conc.;* in ordine ecclesiastico, *nego.* Majestatica dicuntur ea jura, quae ad imperium potestatemque supremam et independentem pertinent. Ex argumentis autem hactenus prolatis videre quisque potuit, supremam in ordine spirituali independentemque potestatem ecclesiae divinitus

---

[1]) Cf. C. Scheys, *De jure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia* (1892).

concessam fuisse Ecclesia igitur modo quodam eminentiori juribus majestaticis intra ordinem suum pollet. Hoc docet Leo XIII.: „Sicut finis, quo tendit Ecclesia longe nobilissimus est, ita *ejus potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior.*“ *Imm. Dei.*

Instabis. Societati perfectae competit jus gladii, id est, jus infligendi poenas capitales. At ecclesiae non competit jus gladii. Ergo non est perfecta societas.

Resp. Dist. maj.: Societati perfectae competit jus gladii, ex ratione sua generica, *nego;* ex ratione specifica societatis civilis, *conc.* Et *dist.* min.: ecclesiae non competit jus gladii, ob suam rationem specificam societatis *ecclesiasticae, conc.;* ob aliquem defectum sub ratione generica societatis perfectae, *nego.*

Ratio societatis perfectae in eo consistit, quod „adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat.“ Encycl. *Imm. Dei.* Jam vero ecclesia nunquam videtur agnovisse jus gladii fini suo esse necessarium; quare illaesa prorsus dignitate societatis perfectae, S. Thomas merito dixisse videtur: „Ecclesia non habet gladium materiale.“ *In Sent. IV.,* dist. 37, q. 2, art. 1. De usu autem brachii saecularis ulterius consulantur auctores, qui de jure canonico scripserunt. Inter quos Tarquini, in suo *Jure ecclesiast. publ.* de jure gladii ait: *a)* „Hoc sine ullo dubio tenendum esse, saltem mediate ejusmodi jus penes eos (Rom. Pontificem et Concilium generale) esse.“ *b)* „Quod vero immediate, cum necessitas postulat, a supremo Ecclesiae magistratu tale jus exerceri non possit, nulla ratione id probari; cum ex jure naturali, ex eo quod Ecclesia societas perfecta est, contrarium imo demonstretur: ex jure autem positivo divino nullus afferri possit locus, quo id vere interdictum fuerit.“

Obj. III. Ad societatem perfectam libertas requiritur. Sed ecclesiae libertas ubique fere terrarum plurimum impugnatur.

Resp. Dist. maj.: Ad societatem perfectam requiritur libertas a dependentia, *conc.;* libertas a persecutionibus,

nego. Reliqua patent. Nulla respublica semper ea pace fruitur, quae nullis unquam hostium incursibus turbetur. Quod multo magis in societate ecclesiastica usu venit, cui dictum est: *Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Joan. XV. 20. Ecclesia igitur forma societatis perfectae non caret, quamvis vexetur. Jus enim nullum amittit, sed juribus nonnullis libere uti prohibetur.

Articulus II.

Utrum ecclesia sit societas ubique legalis.

I. Notio legalitatis. Quod secundum legem est, legale dicitur. Lex autem „quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.“ S. Thom. I. II. 90, 4. Jam quoniam Deum agnoscimus, suprema regula et mensura nostrorum actuum non est exlex quaedam humana ratio, sive principum sive multitudinis, sed ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum. I. II. 91, art. 2.; 93. art. 1. Ex quo efficitur:

1° legalitatem supremam a lege divina proficisci; 2° eam societatem, quam Deus in omnibus orbis terrarum gentibus et esse et agere jussit, non posse humanitus legitima lege esse circumscriptam; 3° congruere tamen cum natura hujusmodi societatis, quod ejus legalitas ex principiis juris humani positivi et positiva lege humana confirmatur.

II. Status quaestionis. Non quaeritur, 1° utrum omnes homines sint ecclesiae imperio subjecti; constat enim non nisi baptismate fieri subditos ecclesiae. 2° Nec asserimus ecclesiam semper et ubique *de facto* legalem esse etiam jure positivo-humano; latae sunt enim saepissime et in plerisque regionibus leges ad evellendam Christi ecclesiam. Sed id quod quaerimus est, utrum ecclesia sit societas, cui esse ubique ac liberrime agere adeo lege quadam summa competat, ut quotquot leges hujusmodi legalitati supremae repugnent, irritae ac inanes haberi debeant.

Thesis: *Ecclesia est societas ubique legalis.*

Argumenta.

Arg. I. Lex positivo-divina in iis locis valet, pro quibus lata est. Atqui lege positivo-divina constitutum est, ut ecclesia ubique pandatur. Ergo ecclesia est societas ubique supremo jure legalis. *Minor* constat ex fine ecclesiae (cf. qu. II. art. 3.) et ex verbis Christi, puta ex Marco XVI. 15.: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.*

Arg. II. Legalitas conceditur habita ratione aut bonorum aeternorum aut bonorum temporalium. Jam vero ecclesiae sub utroque respectu legalitas etiam per leges positivo-humanas concedenda est. Prob. *minor.*

a) Respectu bonorum aeternorum. Leges humanae religionem, per quam aeterna bona adipiscimur, a statu excludere non possunt. Atqui per ecclesiam aeterna bona mortalibus affluunt; ipsa enim religionem veram continet, *sola,* ut docent catholici, seu ut adversarii volunt, *sufficienter* ad salutem.

b) Respectu bonorum temporalium. Et sane 1° bona temporalia aeternis subordinanda sunt. 2° Ecclesia semper fuit civilitatis foecundus fons, magistra virtutum. 3° Hinc Leo XIII. ecclesiae legalitati inter ipsos ethnicos consolidandae navans operam, Sinarum Imperatori scribit: „catholici ex Europa sacerdotes, qui in potentissimo Sinarum imperio aliquot jam saecula apostolicum munus insistunt, tantum abest ut potestati publicae rebusque civilibus quicquam attulerint incommodi, ut plurimas utilitates, omnium consensu, pepererint: idque sane assecuti sunt primum christiana morum disciplina provehenda, deinde propagatione litterarum reliquarumque artium, quibus gentium humanitas continetur." 1. Febr. 1885. Et ad Japoniae imperatorem: „Omnium enim imperiorum est fundamentum justitia: justitiae vero nulla pars est, quin christianis ponatur in officiis. — Ita fit, ut quicumque christianum nomen profitentur, non tam poenarum metu, quam religionis voce in primis admoneantur vereri majestatem regiam, obtemperare legibus,

neque aliud in re publica velle nisi quae tranquilla et honesta sunt. *Igitur* vehementer petimus ut majorem quam potes, libertatem christianis impertias." 12. Maji 1885.

Objectiones.

Obj. I. Princeps curam pacis unitatisque civilis habere debet. At concessa libertate ecclesiae consensio civium interdum periclitatur.

Resp. Dist. maj.: princeps curam pacis et unitatis habeat, ordinate, *conc.*; inordinate, *nego.* Et *dist.* min.: interdum periclitatur civium consensio, per se, *nego;* per accidens, *transeat.* Pax est tranquillitas ordinis; primus ordo est, servire Deo in ea religione, in qua Deus omnes esse jussit. Quapropter princeps, etiamsi *per accidens*, id est, ab iniquis hostibus catholici nominis detrimentum aliquid pertimescendum esset, *jus divinum libertatis* impedire legaliter non potest; faceret enim impediendo et contra Deum et contra summum bonum subditorum, quod est salus animorum aeterna.

Nec verendum est, ne non civitati prosit libertas ecclesiae. Namque istiusmodi libertatis jus a Deo profectum est. „Qua de re — inquit Leo XIII. — sine causa civilia imperia suspicionem et offensionem capiunt de libertate Ecclesiae, quum demum vel civilis vel sacrae potestatis idem sit principium, unice a Deo. Ideoque non possunt inter se aut discrepare, aut impediri aut elidi, cum neque Deus constare sibi non possit, neque opera ejus queant inter se pugnare; quin etiam miro commendantur caussarum rerumque concentu." Encycl. *Officio sanctissimo* ad archiep. et episc. Bavariae, 22. Dec. 1887.

Instabis. Ne duplici mensura utamur, libertas aeque ceteris religionibus et ecclesiae catholicae concedenda est. At catholici id pernegant.

Resp. Dist. maj.: libertas eadem ceteris religionibus concedenda est, si idem jus probant, *conc.;* si non probant, *nego.* Jus ecclesiae probavimus ex praecepto divino ac saluberrimo ecclesiae influxu in ipsam civitatem. Pro-

ferant ergo titulos suos religiones reliquae, quae simile jus pro se exposcunt. Revera religionibus falsis idem jus ac verae non competit.

Articulus III.

Utrum ecclesia sit societas necessaria.

I. Status quaestionis. De ea necessitate loquor, qua homines esse in ecclesiae societate tenentur, si consequi finem, quae est aeterna salus, volunt. Jam illud primum meminerimus, ad finem salutis aliquid ordinatum esse necessitate aut *medii* aut *praecepti;* si necessitate medii, finem alio modo consequi nemo potest; si praecepti tantum necessitate, queunt invincibiliter ignari absque eo salutis fieri participes. Esse membrum ecclesiae *in voto* videtur omnino requiri necessitate medii, sive votum illud *explicitum* sit, ut in eo, qui de sectae suae veritate dubitans, veram ecclesiam, ubicunque illa reperiatur, amplexari statuit; sive *implicitum* sit, ut si quis, bona fide in errore securus, firmum conciperet propositum exsequendi divina mandata. Videtur autem *votum implicitum* pertinendi ad ecclesiam iis in casibus requiri, „in quibus — ait Patricius Murray — ista necessitate requiritur propositum omnia mandata divina gravia servandi, et non in aliis nec alio modo." De eccl. P. I, cap. 6.

Verum ut homines *in re* ad ecclesiam pertineant, adest *praecepti* necessitas. Hac de causa versantur *extra viam salutis,* qui *culpabiliter* in schismate, haeresi aut incredulitate permanent, id est, omnes qui *formaliter* in errore suo perseverant. Errorem autem *formalem* appello, qui vinci potest; *materialem,* invincibilem. Et quoniam ipsa ecclesia contra Bajum negat, infidelitatem pure negativam in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum esse (prop. 68); quoniam Angelicus docet, eos, qui sint infideles secundum puram negationem, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, damnari quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem damnari propter infidelitatis peccatum (II. II. 10, art. 1), idcirco disceptationem nostram in eo constituimus, num pertinere *in re* ad ecclesiam sit

omnibus, exceptis iis, qui invincibili ecclesiae verae ignorantia laborant, de necessitate salutis. Quod idem sic exprimi potest: *Extra ecclesiam non est salus.*

Necessitatem nominamus. Videlicet ecclesiae societas, etiamsi necessitatem nullam haberet, *expetenda* tamen esset maxime praestantissimorum bonorum gratia, quae sancta Dei civitas ad innocentiam conservandam, ad expianda delicta, ad plenitudinem vitae supernaturalis, ad solatium suppeditat et munimen. Cujus subsidii expers quotusquisque tutus erit.

II. Adversarii. Obscuratis saeculo XVI mentibus, cum novatores conceptum ecclesiae misere adulteratum suggessissent, homines paulatim ab amore veritatis Christianae discesserunt. Tum orta *tolerantia*, quae vocatur *theologica* seu *dogmatica*, et *indifferentismus* sive *moderatus* seu *latitudinarismus*, quo non omnes quidem religiones esse via salutis perhibentur, sed negatur tamen, unicam veritatis et salutis viam esse ecclesiam; sive *radicalis*, qui asserit, omnes religionis cultus aeque esse probabiles, aeque Deo acceptos. Aliud — indifferentistae illi docent — est religio, aliud confessio; religioni cuidam indeterminatae favent, confessiones nihili faciunt. Stomachantur viri, si proclives ad atheismum dixeris. Nullo tamen jure. Namque Leo XIII. verissime: „Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.“ Encycl. *Imm. Dei.* — Porro Pius IX. in *Syllabo* notavit propositiones, quae sequuntur. Prop. 16: „Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt;“ prop. 17: „saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur,“ et prop. 18: „Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem Christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.“

Thesis: *Ecclesia est societas necessaria.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scripturis.* Unam omnes sequi religionem necesse est, quam Christus jusserit. Christus autem veram religionem suam ecclesiae soli demandavit. Ergo nulla est salus iis, qui voluntarie ecclesiam aut non amplectuntur aut deserunt. *Maj.* facile apparet ex divina missione Christi. Etenim: *Non est in alio aliquo salus.* Act. IV. Similiter: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Joan. III. 36.

Prob. *min. a)* Christus dixit apostolis eorumque successoribus, id est, ecclesiae docenti et regenti: *Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Matth. X. 40. — Item: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. X. 16. Atque iterum: *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. XVIII. 17. — *b)* Christus docet, omnes oves adducendas esse in *unum ovile*, ecclesiam: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet* **unum ovile**, *et unus pastor.* Joan. X. 16. — *c)* Ostendimus (q. II. art 3.), ecclesiam a Christo institutam esse, ut *omnes gentes* in ea et per eam veritatem et salutem adipiscerentur. Jam ex hoc altissimo ecclesiae fine sequitur, consociationem ecclesiasticam omnibus esse necessariam.

Arg. II. *Ex patribus. a)* Veteres quam necessariam ecclesiae societatem habuerint, ex eorum satis patet testimoniis, quae q. II. art. 3. de ecclesiae fine recensuimus; ex ardentissimo eorum zelo unitatis, de quo infra q. V. art. 3.; ex horrore haereseos, de quo S. Iren. *Adv. haer.* III. 3.; „Tantum apostoli et eorum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbotenus alicui communicarent eorum, qui adulteraverant veritatem;“ atque idem de Polycarpo: „Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi et dicenti: Cognoscis nos? respondit: Cognosco te primogenitum Satanae.“ —

b) Veteres extra ecclesiam Christianos aut salutem esse negant. Ita *S. Irenaeus:* „Fugere oportet sententias ipsorum (haereticorum) . . . confugere autem ad ecclesiam, et in ejus sinu educari.“ *Adv. haer.* V. 20. *Tertullianus:* „Haeretici Christiani non sunt.“ *Praescript.* XXXVII. *S. Cyprianus:* „Quisquis ille est, et qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est.“ *Ep.* 52. ad Antonian. *S. Hieronymus:* „Dicimus omnem qui salvatur, salvari in ecclesia, sive in caelesti Jerusalem.“ *In Joel,* cap. II. Rursus: „Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.“ *Ep.* 14. ad Damasum. *S. Augustinus* de Donatista quodam: „Extra ecclesiam catholicam totum potest (habere) praeter salutem. Potest habere honorem, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fidem et habere et praedicare: sed nusquam nisi in ecclesia cathòlica salutem poterit invenire.“ *Sermo ad Caesareensis ecclesiae plebem.*

Corollarium. Cum ecclesia sit societas necessaria et ipse Deus omnes ad unam illam societatem pertinere jusserit, discedere ab eo coetu crimen est, ad eum congregari, in eoque perseverare usque ad mortem officium.

Objectiones.

Obj. .I Est indignum Deo, insontes a salute aeterna excludere, quot haud dubie excluduntur, si ecclesia societas est necessaria.

Resp. Nego quod supponitur, videlicet quasi ecclesia duceretur eo sensu necessaria, quod homines verae ecclesiae ignorantia laborantes *invincibili,* ulla hujusce rei culpa obstringerentur ante oculos Domini. Id enim cum ecclesiae doctrina aperte pugnat, prout S. Thomas II. II. 10. art. 1. clare docet atque Pius IX. declaravit. Cf supra q. II. art. 3. in obj. 3.

Obj. II. Deus ad tolerantiam nos genuit. Jam ecclesiae necessitas intolerantiam parit. Ergo ecclesia non est societas necessaria. Prob. *min.* Doctrina illa eo spectat, ut homines, extra ecclesiam collocatos, reprobemus.

Resp. Dist. Deus nos genuit ad tolerantiam christianam, *conc.;* dogmaticam, *nego. Christiana* tolerantia cor mite et humile, caritatem sinceram erga errantes nos edocet; *dogmatica* verum falso, bonum malo aequiparat. — *Nego* min. et probationem *minoris.* „Enimvero — Pius IX. ait — cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto, quam arcto pulchroque nexu miseratio et justitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina, unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; *ulterius inquirendo progredi nefas est.*“ *Alloc.* 9. Dec. 1854.

Instabis. Ad impossibile nemo tenetur. In tanta autem sectarum multitudine quaenam vera sit ecclesia, nemo sine summa difficultate perspiciet.

Resp. Dist. min.: quaenam vera sit ecclesia, nemo sine summa difficultate perspiceret, si sua veritati deessent indicia, *conc.:* si sunt ejusdem manifesta indicia, *nego.* Hic citare juvat Leonem XIII., huc loquentem: „Si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam Deus jusserit, quam ipsam facile homines queant *notis quibusdam* exterioribus agnoscere, quibus eam *distinxisse* divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae.“ Encycl. *Libertas.* —

Ita adducimur ad disputationes de *notis.*

Quaestio V.

De notis ecclesiae.

Comperto ecclesiam a Christo fundatam esse; demonstratis elementis, quae hoc praeclarum servatoris institutum vere constituunt; ea quoque consideravimus, quibus

ejus perfectionem et celsitudinem, speciatim qua societas est, ponderare debeamus. *Visibilitatem* ecclesiae ejusdemque *necessitatem* vindicantes hanc quaestionem *de notis* praeparavimus. Etenim si visibilis est et eo sensu quo diximus necessaria, sequitur ut signa adsint, *quibus* inter omnes coetus religiosos tanquam vera dignoscatur.

Tria, lector benevole, velim hic consideres.

1° Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei* ait: „Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit; argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Jesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit." Itaque si ostenderis Christum religionem a se institutam ecclesiae demandasse, ipsa signa, quibus divinitas religionis Christi probatur, ecclesiam illam, cui haec divina religio demandata est, signant ut veram.

2° Magis directe cum quaestione nostra cohaerent illae veritatis indicia, quae non tam ex antiquis quam ex hodiernis divinae legationis signis repetuntur et quae in omnium oculis quotidie geruntur. Quod est illud, jam prolatum, patrum Vaticanorum judicium: „Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile." — Longum sane est sive per tot jam elapsa saecula sive in tanta mole rerum gestarum usque quaque supernaturalem contemplari vitam ecclesiae. Verum ad hujus libri institutum maxime pertinere videntur signa illa, quae semper habita sunt quoddam radiantis in ecclesia virtutis divinae compendium. *Notas* vocant. De his jam agendum.

3° Ordo hujus disputationis qualis esse debeat, ipsa res indicat. Videlicet primum in Scripturis, utique *historice* spectatis, atque in veterum monumentis scrutabimur, qui-

busnam divinis legationis suae signis ipse Auctor ecclesiae suum opus fulgere voluerit. Deinde spectandum, quibus coetibus haec signa desint; denique in quo coetu reperiantur. Facile apparet, partem hujus disputationis secundam et tertiam in *factis* contemplandis versari totam, sive vetera spectare sive recentiora malueris. Augetur autem argumentationis robur, cum ecclesiam, quibus signis per omnia saecula usque in hodiernum diem fulget, iisdem decoratum iri Jesus Christus a primordiis praedicaverit.

Non me fugit, quam difficilis sit hujusce materiae tractatio scholastica. *Summa* brevitatem postulat. Sed si brevis esse laboro, valde incompletus fio. Quid ita? Vitam sub oculos subjicere necesse est. Quam nihil schema hoc efficiet! Exempli causa sanctitatis notam nomino, probandam puta ex liturgia; nonne lector inanis abibit, nisi preces ipsas liturgicas, ipsos hymnos noverit? Hic plurimum studiosorum labori eorumque, qui docent, zelo relinquendum est. Lineamenta tamen proferre conabor.

In hac quaestione quinta disputabimus:
Primo: *De indole et numero notarum.*
Secundo: *Utrum ecclesia Christi una sit.*
Tertio: *Utrum ecclesia Christi sit sancta.*
Quarto: *Utrum ecclesia Christi sit catholica.*
Quinto: *Utrum ecclesia Christi sit apostolica.*

Articulus I.

De indole et numero notarum.

I. Quid sit nota. Nota est *proprietas ecclesiae, hujus veritatem extrinsecus manifestans.* Dicitur *proprietas;* proprietates nimirum ab essentia rerum sicut a principio profluunt et cum ipsamet ita connectuntur, ut cognitis istis et res cognoscatur. Sequitur: *extrinsecus manifestans;* namque proprietas *nota* seu signum non est, nisi externe simul appareat. Manifestat autem *veritatem;* non velut si fidei veritates in particulari notis patefierent, sed eo quod hominibus, ubi sit vera Christi ecclesia, clare monstrant. Est igitur nota proprietas *interno-extrinseca.* Cui notarum conceptui tantum

abest ut ratio evangelica, ethica, interna desit, ut ideam *vitae altioris, supernaturalis, divinitus motae* verissime exprimat. Quae sane doctrina ad duo principia circa connexionem subjecti et proprii accidentis, id est proprietatis facile revocabis. Haec principia sunt: 1° „Subjectum est causa proprii accidentis et finalis, et quodammodo activa;" 2° emanatio propriorum accidentium a subjecto non est per aliquam transmutationem; sed per aliquam naturalem resultationem, sicut ex uno naturaliter aliud resultat, ut ex luce color." S. Thom. I, 77, 6 ad 2 et 3.

II. Finis et proprietates notarum. Finis notarum hic est, ut ecclesia vera notis suis tanquam *Christi sigillo consignata*, sit perpetuum quoddam motivum credibilitatis. Ex quo fine apparet, quatuor esse notae proprietates. Scilicet 1° sit *ecclesiae nexu necessario conjuncta*, ne ullum dubium relinquatur. 2° Sit *ecclesia cognitu facilior*, ut ex magis cognitis incognita patescant. 3° Sit *obvia*, ut omnes, servata proportione, eam sufficienter perspiciant. 4° Sit *positiva*, non mere negativa; quod quidem judicio positivo de veritate ecclesiae consentaneum est.

III. Quatuor notae Nicaeno-Cpolitanae. Notae, quas profitemur in symbolo Nicaeno-Cpolitano, sunt *unitas, sanctitas, catholicitas* et *apostolicitas*. Theologi omnes, quod ad quatuor notas attinet, *re* concinunt; alii tamen aliis restrictiorem recensionem aut ampliorem seligunt. S. Thomas ait: „ecclesia sancta habet quatuor conditiones: quia est una, quia est sancta, quia est catholica, id est universalis, et quia est fortis et firma." *Opusc. in Symb.* art. 9. *Firma* autem hoc loco idem sonat ac apostolica. Aquinas scilicet firmitatis vocabulo *et* Christum, qui est ecclesiae fundamentum principale, *et* apostolos, qui sunt secundarium fundamentum, *et* ecclesiae inexstirpabilitatem expressit. Bellarminus, *De eccles. milit.* lib. IV. 3, quindecim notas proponit, quas tamen, si quis velit, facile poterit ad quatuor revocare.

Unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas notae sunt, 1° ecclesiae ex Christi institutione nexu necessario connexae, ut infra patebit; 2° ipsa intrinseca ecclesiae essen-

tia sunt notiores, 3° obviae et 4° positivae, quandoquidem *facta* sunt eaque *maxime publica*. Adjicitur, quod concilium Cpolitanum I. (381) fidem suam profitetur: *Εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν: unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam;* cui symbolo patres Chalcedonenses (451) ac subsequentes synodi assentiuntur. His igitur notis ecclesia discernitur non mere *ontologice* et *in se*, sed etiam *logice*, hoc est, *quantum ad nos* et in ordine cognitionis.

IV. De pulchritudine ecclesiae. Rerum omnium Conditor opera manuum suarum accommodate moderatur, donec universi saeculi pulchritudo velut magnum carmen cujusdam ineffabilis modulatoris excurrat, atque inde transeant in aeternam contemplationem speciei qui Deum rite colunt. S. Aug. *Ep.* 130, 5. Quam profecto pulchritudinem ecclesia divinitus instituta secum resplendens semper manifestat. Eamque conspiciens S. Augustinus exclamat: „Unde haec tanta pulchritudo?“ Radicem quaerens, Christum invenit crucifixum, et causam indicans, ait: „In Ecclesia gloria radicis pollet.“ Serm. XLIV, 2. — Doctor angelicus, qui pulchritudinem spiritualem consonantiam seu bonam proportionem esse docet secundum spiritualem rationis claritatem (II. II, 145, art. 2), *dignitatem et pulchritudinem Ecclesiae* piissime nobis exposuit.[1]) Decor autem, quo Christus suam ornat ecclesiam, haud dubie principaliter in interioribus consistit; sed per gratiam clarificata domus Dei visibiles etiam radios spargit in unitate et ordine; in sanctis et liturgia; in persecutionibus et victoria; in dogmate et regula morum.[2]) Quamobrem ecclesiae pulchritudo peregrinos plurimos saepe attraxit et habitatores domus sanctae Dei sicut lux laetificare non desinit. Veruntamen ut *nota* specialis non consideratur, sed potius tanquam specialis

---

[1]) Cf. S. Thom. II. II, 183, 2; *In Ps.* XXV, 5; XLIV, 8—11; *In Sent.* IV. dist. 15, q. 3, 1, etc.

[2]) Cf. Souben, *L'esthétique du dogme chrétien;* E. Lingens, *Die innere Schönheit des Christentums* (1902); H. Krug, *De Pulchritudine divina* (1902); Grabmann, *Die Lehre des hl. Thomas von Aquin von der Kirche*, S. 305—307; Commer, *Die Kirche in ihrem Wesen und Leben*, I, S. 240—249; Newman, *Sermons; Discourses.*

quatuor notarum resplendentia. Nec absurdum videtur hic adhibere hanc Aquinatis sententiam: „Ex hoc ipso quod aliquid appetit bonum, appetit simul pulchrum et pacem.“ *De verit.* XXII, 1 ad 12. Utique in ecclesia. Quare Leo XIII. verissime dixit: „Multum in intuentium animis nativa Ecclesiae pulchritudo speciesque posse debet.“ Encycl. *Satis cognitum,* 29. Junii 1896.

V. Praemonita de notarum indole. 1° Notae illae ab ipso auctore ecclesiae Christo profectae sunt. Earum *causa prima* haberi debet voluntas Christi et operatio S. Spiritus. Unde S. Thomas: „Ipse enim Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat et sibi consignat Spiritu sancto quasi suo charactere et sigillo.“ *Contra errores Graecorum,* cap. XXXII. Juxta connexionem hanc cum sua radice, quae est Christus ordinans et operans, in notis veram ecclesiam, quae est *spiritualis vinea* (S. Thom. I. II, 102, 6 ad 9), contemplemur, ut *ab omni plantatione, quam non plantavit Pater caelestis,* tuto dignoscatur. Matth. XV, 13. 2° Quatuor notae in hoc ultimo principio, quod est S. Spiritus, ita conjunguntur, ut si una adsit, coexistant ceterae. 3° Cum notae sint proprietates ecclesiae *essentiales,* singulas haberi *positivas* necesse est; nec unquam fieri potest, ut proprietas essentialis ecclesiae verae in falsis ecclesiis *realiter* et *formaliter* reperiatur. 4° Notas semper intelligimus in sensu proprio et Christiano; quocirca secernendae Christi ecclesiae a sectis perquam aptae sunt. Aliae religiones falsae, quae Christianae dici non possunt, velut Buddhismus et Mahumetis error, aliis argumentis impugnantur. Expansio v. g. earum polytheismi formarum, quae communi et vago Buddhismi nomine designantur, et catholicitatis nota, cum ne materialiter quidem inter se similitudinem habeant, *nullius comparationis* subjectum praebent. 5° Ad prudens judicium de veritate ecclesiae non opus est adaequata omnium notarum *scientia,* sed notitia quaedam fundata eaque in rudioribus simplicissima generatim sufficit. 6° Requiritur tamen ad fidem defendendam tractatio scientifica. — Cf. S. Thom. II. II. 1, art. 4. ad 3, art. 5. ad 1.; *Quodl.* II. art. 6. Recole dicta quaest. I. art. 2. et 3.

VI. Protestantium falsa opinio de notis. Protestantes, etsi hac in re a conceptu suo de ecclesia discedunt (cf. quaest. II.), notis suis gloriantur; „habet (ecclesia) — inquiunt — externas notas, ut cognosci possit“ *Apol. confess. August.* art. 4. §. 144. Luther notas septem proponit, de quibus cf. Bellarm. *De eccl. milit.* lib. IV. 2. Calvinus autem decernit: „Ubicunque enim Dei verbum sincere praedicari atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei ecclesiam nullo modo ambigendum est.“ *Instit.* lib. IV. cap. 1. n. 9. Quibus verbis et Lutheri et protestantium plurimorum mentem expressit. Nam et in Anglia auctores protestantes verbi *Dei puri praedicationem* et *sacramentorum, quoad ea quae necessario exiguntur juxta Christi institutum, rectam praedicationem* tanquam notas unicas aut radicales constituunt.[1]) Rejectis itaque notis concilii Cpolitani, duas notas catholicis objecerunt suas, videlicet 1° puri verbi Dei praedicationem; 2° rectam administrationem sacramentorum.

VII. Duae protestantium notae falsae sunt. Etenim 1° in iis pro principio habetur, quod quaeritur. Et re quidem vera „purum verbum“ praecise per ecclesiam cognoscitur. Protestantes ergo rogantibus, quaenam ecclesia „purum verbum“, hoc est, veram Christi doctrinam praedicet, nihil responderent, nisi affirmarent illud praedicari in ea, quae „purum verbum“ praedicat. Quod non est notas indicare, sed in circulo vitioso circumferri. Idem de altera nota valet. 2° Neutra nota est *obvia;* facilius enim est *factum* ecclesiae verae, quam „purum verbum“ veritatum altissimarum rectamque sacramentorum administrationem *in se* et *in particulari* cognoscere. 3° Utraque nota, contra doctrinam veteris ecclesiae proposita, potius ad obtegendam falsam ecclesiam excogitata videtur quam ad investigandam veram.

---

[1]) Cf. P. Murray, *De Ecclesia Christi* (1860—1866), Vol. III; A. Tanquerey, *Synopsis theologiae dogmaticae fundamentalis,* (1896), p. 422—478.

Articulus II.

Utrum ecclesia Christi una sit.

I. Quid sit nota unitatis. Unitatis nota definiri potest: *ecclesiae proprietas, qua in fidei professione, in regimine et cultu est indivisa in se et divisa a quolibet alio.* 1° Dicitur *proprietas;* agitur enim, non de unitate quadam *accidentali, mere materiali* et *extrinseca*, sed de unitate *essentiali* et *formali,* quae *a principiis* ecclesiae constitutivis sua sponte enascitur. 2° Additur: *in fidei professione;* fides enim mere interna ecclesiam non manifestat. 3° *In regimine;* namque sola auctoritate fideles, qui sunt multitudo *physica, moralis* unitas efficiuntur. 4° Et in *cultu,* hoc est, primario in sacramentis, quibus cultus *essentialis* continetur; secundario in cultu *accidentali,* in quantum caeremoniarum varietate *una* doctrina exprimitur. 5° Haec tria *conjunctim* et *formaliter* accipienda sunt: *conjunctim,* quoniam non nisi simul sumpta *unam totamque* ecclesiam exhibent; *formaliter,* quoniam factum materiale cum firmo, stabili et constitutivo unitatis principio cohaerere necesse est. Ita sua unitate *symbolica, hierarchica, liturgica* consistit ecclesia *indivisa in se et divisa a quolibet alio.*

In describendis autem ecclesiae lineamentis „praecipua consideratione — ait Leo XIII. — dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit.“ Encycl. *Satis cognitum,* 29. Junii 1896.

II. Vera notio unitatis fidei. Fidem non intelligimus *fiduciam,* sed assensum intellectus veritatibus a Deo revelatis. Quae sane fides considerari potest aut ut habitus, quo credimus, et sic fides est una specie, et differens numero in diversis; aut objective et sic est una fides; „objectum enim formale fidei est veritas prima, cui etiam inhaerendo credimus quaecumque sub fide continentur.“ S. Thom. II. II. 4. art. 6.; *Expos. in Ephes.* IV. lect. 2. Manifestatur autem fidei unitas in quantum omnes fideles adhaesionem suam uni eidemque fidei objecto profitentur.

Quare si notam unitatis in fide recte dijudicare velimus, haec etiam duo intelligenda sunt. 1° Etsi alius alio, pro sua quisque conditione ac statu, plures veritates explicite credit, oportet tamen unumquemque *omnia credere implicite* paratumque esse explicite credere omnia, si omnia sciret. 2° Haec fides implicita *externe* manifestatur ut elementum *notae unitatis*, si omnes *principium aliquod manifestum* explicite admittunt, in quo toti fidei adhaereant. 3° Cui principio non nisi suprema unius auctoritas ad plenum respondet. Quare S. Thomas docet: „Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur; scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem, seu communicatione; et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput." II. II. 39. art. 1.; cf. II. II. quaest. 5, art. 4.; *De regim. princ.* lib. I. 1. Ex quo intelligi potest, fidei unitatem cum auctoritate unius rectoris, hoc est, Romani Pontificis, indissolubili nexu ligari.

III. Unitas fictitia articulorum fundamentalium. Post Hunnium et Georgium Calixtum Jurieu, minister Calvinista, edito libro de *vero systemate ecclesiae* (Le vrai système de l'Eglise, Dordraci 1686), systema *fundamentalium articulorum* expolivit. Protestantes scilicet, cum nec in unitatis principio, nec in ipsis articulis fidei convenirent, Jurieu ejusmodi *fidei* unitatem proposuit, ut fideles illos tantum fidei articulos crederent, quos ipse fundamentales vocat; eos tamen articulos profitendos esse censuit in aliqua ex societatibus Christianis, quae dogmata fundamentalia complectuntur. Haec autem distinctio *fundamentalium* et *non fundamentalium* et doctrina catholicorum de *explicite* et *implicite* credendis in eo differunt, quod catholicorum distinctio a majori minorive fidei *cognitione* repetitur, dum Jurieu distinctionem suam *in ipsis fidei veritatibus* collocat. Catholici affirmant, omnes fidei articulos ab omnibus saltem *implicite* credendos esse et ad unam ecclesiae fidem pertinere; Jurieu contendit, illos articulos, qui fundamentales non sunt, ad unam ecclesiae fidem pertinere *nullo modo*, nec fideles ad eos quovis modo credendos obligari. Conf. S. Thom. II. II. 2, art. 5—7.; S. Bonav. *Comment in III. Sent.*, dist. 25, 1, q. 3.

IV. Rejicitur unitas articulorum fundamentalium. 1° Fides est *indivisibilis* in *suo objecto formali*, quod est Deus, et in *suo fonte*, qui est Christus. Itaque Deum et Christum simul coli et repudiari oporteret ab iis, qui veritates, *Dei auctoritate ex aequo innixas*, partim ad fidei unitatem pertinere, partim articulos *ἀδιαφόρους*, seu in se indifferentes, esse praedicant. 2° Tantum abest, ut Juriaei principio generari possit aut conservari unitas, ut causa fuerit dissensionis maximae. Videlicet nemo aderat, qui fundamentalium numerum determinaret, nulla regula. Hobbes, Locke, Bayle credendi licentiam dilatarunt; moderni eousque progressi sunt, ut solam ideam vagam *boni Dei* affectumque aliquem vagissimum ad fidei unitatem sufficere decreverint. Harnack, *De essentia religionis Christianae*, asserit, fidei divisionem nihil dolendam esse, sed hoc unice curandum, ut libertas augeatur et individualitas sententiarum et doctrinarum. Susque deque omnia ferri vidimus. 3° S. Scriptura et veteres fidei unitatem simpliciter et *in omnibus revelatis* praescribunt. Corruit ergo Juriaei distinctio, utpote quae sit unitatis regula 1° fidei contraria, 2° incerta, 3° omnino arbitraria.

Thesis: *Ecclesia Christi est una.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex institutione Christi, generatim.* Multa probant, Christum voluisse, ut ecclesia esset unitate conspicua. *a)* Ecclesia similis est *ovili, corpori, regno.* Jam de *ovili* scriptum est: *et fiet unum ovile et unus pastor.* Joan. X. 16. De *corpore: omnes nos in unum corpus baptizati sumus*, I. Cor. XII. 13.; atque: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. XII. 4, 5 Et de *regno: omne regnum divisum contra se, desolabitur.* Matth. XII. 25.

b) Christus passurus de insigni ecclesiae suae unitate hoc praeclarum reliquit testimonium: *Pater sancte, serva*

eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos . . . Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti. Joan. XVII. 11. 20—23. Unitas autem ecclesiae, qua *credat mundus,* qua *cognoscat mundus* divinam Christi missionem, haud dubie conspicua sit splendeatque longe lateque necesse est.

Arg. II. Nota unitatis est ecclesiae proprietas, qua *in fidei professione,* in *regimine* et *cultu* est indivisa in se et divisa a quolibet alio. Ecclesiam autem divinitus in hac indivisione constitutam esse, sequentia monstrant.

a) Una fidei professio probatur 1° ex principio efficiente fidei ecclesiae, quod est S. Spiritus. Matth. XXVIII. 20.; Joan. XIV. 16.; XVI. 13. 2° Ex firmitate ecclesiae; etenim fundata est super *petram,* Matth. XVI. 18.; est *columna et firmamentum veritatis,* I. Tim. III. 15. 3° Ex directa sententia Christi et apostolorum. Christus enim praecepit: „docete *omnes* gentes . . . servare *omnia quaecunque* mandavi vobis," *Matth.* XXVIII. 19, 20.; atque S. Paulus cap. IV. epistolae ad Ephesios, partem epistolae hujus paraeneticam aggressus, ad veram animorum unitatem commendandam, ea quae maxime una habet, fidelibus proponit his verbis: „Unus Dominus, *una fides.*" 4° Ex horrore haereseos. Unde S. Paulus ad Titum scripsit: *Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem devita.* Tit. III. 10. Cf. II. Petr. II., Jud. etc.

b) Unum regimen. 1° S. Paulus unitatem scopum esse docet auctoritatis ministerii ecclesiastici. „Et ipse — inquit — dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi . . . *Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis,* secundum operationem in mensuram uniuscujusque

membri, augmentum corporis facit" etc. *Ad Ephes.* IV. 11, 12, 16. 2° Rectores plures in unum conjungi necesse est. Quapropter ad Corinthios: „unusquisque vestrum dicit. *Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo: ego vero Cephae: ego autem Christi. Divisus est Christus?*" I. Cor I. 12, 13. 3° Firmata est *una* rectio in *uno,* qui praeest. Scriptum est enim: *tu es Petrus; — tibi dabo claves; — Pasce oves meas.* Matth. XVI. 18, 19.; Joan. XXI. 17.

c) Unus cultus. Cultus Christianus ex baptismo, sacramentorum principio, et ex Eucharistia, omnium sacramentorum fine, cognoscitur. Atqui in eo cultus principio et fine maxima unitas divinitus constituta est. Ergo. Prob. *minor.* 1° Christus omnibus unum baptismum constituens, ait: *baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti,* Matth. XXVIII. 19. et S. Paulus: „una fides, *unum baptisma.*" Ephes. IV. 5. 2° Unam autem Eucharistiam docuit Christus, cum diceret: „*Hoc* facite in meam commemorationem." *Luc.* XXII. 19. S. Paulus idem praedicat I. *Cor.* XI. 24.; quin imo totam ecclesiae unitatem ex Eucharistiae unitate commendat: *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* I. Cor. X. 17.

Arg. III. Patres apostolici et veteres omnes unitatem proprietatem ecclesiae visibilem esse docent.

a) Patres apostolici. S. Clemens Romanus in epistola prima, quam ad Corinthios scripsit, ecclesiae unitatem passim supponit aut inculcat. „Nonne unum Deum — inquit — habemus et unum Christum et unum spiritum gratiae super nos effusum, et una vocatio est in Christo? Cur divellimus et discerpimus membra Christi et contra proprium corpus seditionem movemus, eoque vesaniae devenimus, ut alios aliorum membra esse obliviscamur?" *Ep.* I. cap. XLVI. n. 6, 7. *S. Ignatius Antiochenus* cum alias plurimas de ecclesiae unitate scripsit sententias tum hanc, qua fideles obsecrat „solo christiano alimento uti, ab aliena autem herba abstinere, quae est haeresis." *Ad Trall.* VI. 1. Et alibi: quotquot „redierint *ad unitatem ecclesiae,* et *hi Dei erunt,*" *Ad Philad.* III. 2.; atque fideles hortatur, „ut unio sit et carnalis et spiritualis" *Ad Magn.* XIII. 2. Praeterea

beatus ille Martyr unitatem regiminis, fidei, cultus aperte designat: „Si quis *schisma* facientem sectatur, regni divini haereditatem non sequitur; si quis ambulat in *aliena doctrina*, is non assentitur passioni. Studeatis igitur *una eucharistia* uti, una enim est caro Domini nostri Jesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis." *Ad Philad.* III. 3.; IV. 1. — Hermas in *Pastore*, Simil. IX, 13, 5: „vides — inquit — turrim (ecclesiam) monolitham factam esse cum petra. Sic etiam qui crediderunt Domino per filium ejus et induti sunt spiritus istos, *unus erunt spiritus, unum corpus, et unus color vestium eorum.*" Item Didache IX, 4 et 5 unitatis sensum spirare videtur.

b) Alia veterum testimonia. 1° *De una professione fidei.* *S. Justinus* haereticos eos esse dicit, „qui se esse Christianos profiteantur, et Jesum, qui crucifixus est, Dominum confiteri, *nec tamen illius doctrinam teneant.*" „Nonnulli — inquit — vocantur Marciani, alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Saturniniani, alii aliud vocabulum habent ex suae sectae principe." Veri autem Christiani sunt „verae ac purae Jesu Christi doctrinae discipuli;" sunt „*una* anima et *una* synagoga ac *una ecclesia.*" *Dial. cum Tryphone*, cap. XXXV et LXIII. *Hegesippus* haereticos vocat eos, „qui *seorsim singuli* proprias opiniones induxerunt;" „qui *adulterinam invehentes doctrinam* adversus Deum et adversus Christum ejus, *unitatem ecclesiae disciderunt.*" Ap. Euseb. *Eccl. Hist.* lib. IV. 21. *S. Irenaeus:* „Ut sol in universo mundo unus atque idem est: ita etiam veritatis praedicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat . . . Vera et universa ecclesia *unam et eamdem toto terrarum orbe fidem* tenet." *Adv. haer.* lib. I. 10. *S. Cyprianus:* „Deus unus est, et Christus unus, et una ecclesia ejus, et *fides una.* Scindi unitas non potest." *De unit. eccl.* Cf. S. Aug. *Contra Cresc.* II. 42.; S. Cyrill. Alex. *In ps.* XLIV. 10. etc.

2° *De unitate regiminis et cultus.* Haec unitas in fidei unitate includitur. Fides enim de regimine quoque et de cultu veritatem unam proponit; nec desunt testimonia,

quibus unitas alterius ambarumve expresse proponitur. *S. Clemens Romanus* in *epistola I. ad Corinthios* regiminis unitatem commendat. *S. Ignatius Antiochenus* altaris et episcopatus unitatem identidem conjungit. *S. Cyprianus* ait: „*unum baptisma,* unus Deus.“ *De eccles. unit.* cap. IV. Et alibi: „aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest.“ *Ep.* 40. 15. Atque in aureo libro *De cath. ecclesiae unitate* regiminis unitatem adversus Novatum, Felicissimum et Novatianum, schismaticos, strenue defendit. Denique *ep.* 52. 24.: „cum sit a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus, episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.“ *S. Hieronymus:* „unum . . . est altare in ecclesia, et unam fidem, et unum baptisma apostolus docet, quod haeretici deserentes, multa sibi altaria fabricati sunt.“ *In Osee,* cap. VIII. Cf. alia plura, ubi de primatu disseritur.

Objectiones.

Obj. I. Fieri non potest, quin in maxima hominum multitudine dissidia et rebelliones oriantur. Ergo nota unitatis absurda est.

Resp. Dist. antec : fieri non potest, quin oriantur dissidia, quibus dividantur individui nonnulli, *conc.;* quibus dividatur ecclesia, *nego.* Ecclesia est societas et institutum organicum, cujus unitatem talem esse oportet, ut ipsi societati *principium* inhaereat, *quo* singulorum dissidia tollantur aut rebelles expellantur, ipsamet autem societas in unitate conservetur.

Instabis. Ad ecclesiae indivisionem unitas caritatis opus est. Haec autem in terris haberi non potest. .

Resp. Dist. maj.: ad ecclesiae indivisionem opus est unitas caritatis communionis, *conc.;* caritatis privatae, *nego.* Et sic distincta minore, *nego* conclusionem. Etsi fides caritate perficienda est, non inde tamen sequitur, ut peccatores aut peccata singulorum contra caritatem ab ecclesia excludantur. Sed unitas caritatis *communionis* in connexione organica membrorum et ministrorum conspicitur. Unde

S. Thomas: „Manifestatur autem hujusmodi amor si verus est, quando membra pro se invicem sunt solicita, et quando invicem compatiuntur. Ephes. IV. 15.: *In caritate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus: ex quo totum corpus connexum et compactum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate:* quia quilibet de gratia sibi collata a Deo, debet proximo servire: unde nullus debet contemnere, nec pati ab ista ecclesia abjici et expelli; quia non est nisi una ecclesia in qua homines salventur, sicut extra arcam Noe nullus salvari potuit.“ *In symbol.* art. IX.

Urgebis. Quod est merum ideale, nota esse nequit. At unitas est *ideale,* non factum. Ergo. Prob. *min.* Christi sententia: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est,* Matth. V. 48., nullum factum, sed ideale, quo tendamus, exhibet. Ergo et textus de ecclesiae unitate per analogiam cum dictis in eum sensum accipiendi sunt.

Resp. Dist. min.: ecclesiae unitas est ideale, quod in facto concreto exprimitur, *conc.;* abstracte tantum exsistens. *nego.* Ad probationem minoris *dist.* antec.: *estote perfecti* est ideale ratione perfectionis subjectivae singulorum, *conc.;* ratione perfectionis *objectivae* ecclesiae, qua talis, *nego.* Ecclesiae atque individui dispar est conditio. Namque ecclesia, ut *institutum,* a Christo divino Conditore perfecta prodiit, atque omnes ecclesiae perfectiones et constitutiva semper *in actu* sunt; singulorum autem perfectio personalis, libero arbitrio proposita, paulatim obtinetur.

Obj. II. Aetate apostolorum plures ex Judaeis conversis, quanquam legem Mosaicam sectarentur, ecclesiae membra habiti sunt. Ergo unitas determinata in ecclesiae primordiis nulla cernitur. Patet *antec.* ex Act. XXI. 20.: *Vides frater, quot millia sunt in Judaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis.*

Resp. Dist. antec.: isti fideles errarunt ex pertinacia, *nego;* ex imperitia, *conc.* Re quidem vera Jacobus Paulo significat, quanta religione Palaestinenses, salvo tamen decreto concilii Hierosolymitani, septem abhinc annis habiti,

legalia observarent. At S. Augustinus et S. Thomas legalium tria tempora distinguunt: „Unum quidem — ait S. Thomas — ante Christi passionem, in quo legalia neque erant *mortifera* neque *mortua*. Aliud autem post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt *mortua* et *mortifera*. Tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo legalia quidem fuerunt *mortua*, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; *non* tamen fuerunt *mortifera*, quia illi qui conversi erant ad Christum ex Judaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. His autem qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut eo observarent." I. II. 104, art 4. Quo factum est, ut mortua mater synagoga cum honore sepeliretur.

Instabis. Etiam post decretum Hierosolymitanum Judaicam observantiam ad fidem pertinere, in ecclesia Galatiae praedicatum est. Huic autem ecclesiae, tanquam ecclesiae nequaquam abscissae, beatus Paulus conscripsit epistolam. Ex quo sequitur, ut unitas fidei ab ecclesiae membris non exigeretur.

Resp. Dist. min.: Paulus ecclesiam illam abscissam esse non putavit, quantum ad eos, qui opinionem illam de legalibus profitebantur erronee, *conc.;* pertinaciter, *nego.* Haeresis formalis, non materialis, errantes ab ecclesia abscindit. Si qui tamen ex Galatis in errore pervicaces exstiterint, eos ab ecclesiae unitate defecisse constat: apostolus enim errorem damnat ut *aliud evangelium;* erroris apostolos *falsos fratres* appellat, qui *volunt convertere Evangelium Christi,* iisque bis dicit: *anathema sit.* Ad Gal. I. 6–12; II. 4.

Obj. III. Unitas *articulorum fundamentalium* a catholicis, quod haec incerta sit, rejicitur. Haec autem incerta non erit, si pro fundamentalibus habeantur, quae S. Scriptura *diserte* docet. Unitas ergo fundamentalium sufficit.

Resp. Dist. min.: haec unitas incerta non erit, si id ipsum certum sit, quid Scriptura diserte proponat, *transeat;*

si vel id incertum est, *nego*. Omissis aliis systematis illius defectibus, hoc unum rogatur, ubi sit norma certa veritatum disertarum? Christi divinitatem in Scripturis diserte contineri Sociniani negant, Lutherani affirmant; catholici praesentiam realem diserte proponi credunt, Calviniani non credunt: ubi judex?

Instabis. Quid Scripturae diserte doceant, Christianorum consensione cognoscitur. Ita viro Christiano non deest norma certa veritatum fundamentalium.

Resp. Dist. antec.: Haec consensio valet, si Christianorum *verus coetus* jam cognoscitur, *conc.;* si iste coetus prius certo non cognoscitur, *nego*. Adversarii ea sumunt ad concludendum, quae praecise quaeruntur; id enim agitur, ubi sit norma, qua verus Christianorum coetus dignoscatur.

Urgebis. Illam veritatem credere satis est, qua vita obtinetur aeterna. Et hujusmodi Veritas est fides in Christum, Filium Dei. *Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Joan. XX. 31. Ergo nulla praeter fidem in Filium Dei unitas fidei requiritur.

Resp. Dist. min.: vita obtinetur aeterna per fidem in Christum, Filium Dei, doctrina Christi inclusa, *conc.;* ea seclusa, *nego*. S. Joannes loco prolato fidem in Christum commendat, quae totius evangelii caput est. Haec autem dignissima veritas reliquas veritates minime excludit. Cf. S. Thom. II. II. 1. art. 8.

Dices. Si omnes omnia credere oportet, ad fidem implicitam adducimur. Atqui fides implicita non nisi crassissima ignorantia videtur.

Resp. Dist. maj.: adducimur ad fidem implicitam omnium articulorum, *nego;* nonnullorum, *subdist.:* servata proportione conditionis et status, *conc.;* secus, *nego*. Calvinus, *Instit.* lib. III. cap. II. n. 2. „commentum" implicitae fidei impugnat, quasi nulla fides explicita catholicis necessaria videatur. At pro certo ponit, quod aperte falsum est. Praeterea fides implicita, qua quis paratus est, ea quae nondum explicite novit, explicite credere, si ecclesia veritates istas proponit; haec, inquam, fides implicita res summi

momenti est ac unitati servandae aptissima. Per eam scilicet fideles omnes uni fixae, stabili, objectivae *regulae credendorum* adhaerent.

Articulus III.

Utrum ecclesia Christi sancta sit.

I. Definitio notae sanctitatis. Sanctitas est *ecclesiae proprietas, qua in doctrina, sacramentis et membris ad bonum divinum perfecte ordinata est.* 1° Dicitur: ecclesiae proprietas, qua *ad bonum divinum perfecte ordinata est.* Talis autem status ordinis falsum et malum excludit, firmitatem in vero bonoque includit. Explicatur hoc a S. Thoma iis verbis: „nomen sanctitatis duo videtur importare. Uno quidem modo, *munditiam:* et huic significationi competit nomen graecum, dicitur enim ἁγιος, quasi sine terra Alio autem modo importat *firmitatem:* unde apud antiquos *sancta* dicebantur quae legibus erant munita ut violari non deberent . . . *Munditia* enim necessaria ad hoc quod mens Deo applicetur. Quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus immergitur; sicut quaelibet res ex immixtione pejoris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremae rei possit conjungi. Et ideo mens sine munditia Deo applicari non potest . . . *Firmitas* etiam exigitur ad hoc quod mens Deo applicetur. Applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio: hujusmodi autem oportet maxime immobilia esse." II. II. 81. art. 8. Eam igitur sanctitatem ab interna vita ecclesiae extrinsecus splendescere oportet, tum in rebus Deo consecratis vel Dei praesentia sanctificatis, et haec est *sanctitas realis;* tum in personis, et haec est *sanctitas per onalis.* Argumenta non levia habent, qui affirmant hunc sanctitatis conceptum secundum rationem suam profundissimam *dogmaticam* esse. Nihilominus *ad apologeticam* referri posse videtur *a)* sub respectu generaliori *ordinationis ad bonum divinum*, quae oculis etiam non positive credentium affulgeat, *b)* sub respectu magis particulari hujusmodi *ordinationis per altiora*

sanctitatis documenta, ubi comparatio instituenda fuerit inter coetus Christianos, qui talia documenta a Christo ecclesiae suae donata esse profitentur.

2° Ordinatio autem ecclesiae ad Deum elucet *in doctrina,* ob eamque causam nec in dogmate nec in morali potest esse aliquid, quod homines a Deo avertat, sed omnia oportet ad mentem actionesque hominum Deo applicandas esse idonea; — *in sacramentis,* hoc est, in ipsis sanctificationis mediis praecipuis, et maxime in sacrificio, de cujus indole dogmatici agunt, sed quod haud dubie qualelibet in ecclesia semper oblatum est;[1]) *in membris,* quod ita dictum existimes, ut sanctitas vitae insignis in aliquibus ecclesiae membris nunquam non emicet, minime vero peccatoribus exclusis ab ecclesia, cum et peccatores ecclesiae membra esse probavimus. Cf. quaest. III. art. 1. Sanctitas in mediis sanctificationis, id est, in doctrina et sacramentis, vocatur *sanctitas activa;* sanctitas membrorum *passiva* dicitur.

3° In membris ecclesiae *tres sanctitatis gradus* cernuntur; namque alii peccatis gravibus tantum vacui sunt; alii levium etiam plerumque offensarum insontes; alii denique ad eam virtutis perfectionem fulgoremque perveniunt, ut supra communem justorum operandi modum operentur ac caelestia Deo adjuvante perficiant. Reapse tamen innumeri prope sanctitatis gradus habentur. Etenim „manifestum est, — inquit Angelicus — quod charitas in quantum ordinat hominem ad finem ultimum, est principium omnium bonorum operum, quae in finem ultimum ordinari possunt". I. II. 65, art. 3. Sed augendae caritatis nullus in statu viae potest esse terminus. Nam ipsa caritas secundum rationem propriae speciei terminum augmenti non habet; est enim participatio quaedam infinitae caritatis, quae est Spiritus sanctus; similiter causa augens caritatem est in-

[1]) De sacrificio Eucharistiae Rothe, protestans, ait: „constat eucharistiam ab antiquissima ecclesia unanimi consensu tanquam sacrificium proprium et peculiare Christianorum considerari solitam esse." *Commentatio de primordiis cultus sacri Christianorum.* Cf. Probst, *Liturgie der drei ersten christlichen Jahrhunderte* et opera, quae supra p. 93 indicata sunt.

finitae virtutis, scilicet Deus; neque ex parte subjecti terminus huic augmento praefigi potest, quia semper, caritate excrescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum. S. Thom. II. II. 24, 7.

4° Ad notam sanctitatis referri possunt *charismata* et maxime *miracula.* Nam dona, quae vocantur *gratiae gratis datae,* non dantur „ad hoc ut homo ipse per eam justificetur, sed potius ut ad justificationem alterius cooperetur". S. Thom. I. II. 111. art. 1. Et vero, si plura miracula manifestant pariter sanctitatem operantis, *omnia* sanctitatem doctrinae praedicantis patefaciunt: „operatur enim ea (miracula) Deus ad hominum utilitatem. Et hoc dupliciter: uno quidem modo ad veritatis praedicatae confirmationem; alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcunque qui *veram fidem* praedicat et nomen Christi invocat: quod etiam interdum per malos fit . . . Secundo autem modo non fiunt miracula nisi a sanctis: ad quorum sanctitatem demonstrandam miracula fiunt, vel in vita eorum vel etiam post mortem, sive per eos sive per alios. Legitur enim Act. XIX. 11, 12., quod *Deus faciebat virtutes per manus Pauli: et etiam super languidos deferebantur a corpore ejus sudaria, et recedebant ab eis languores.*" II. II. 178, art. 2.

5° Quoniam miracula natura sua sunt *facta extraordinaria* et *ecclesiae,* non singulis ejus membris promissa, sua sponte apparet, *a)* miracula non nisi ex intervallo patrari, parcius, densius, ut divino ecclesiae Rectori visum; *b)* miracula patrata sanctitatem illius ecclesiae in aevum demonstrant, quae una eademque reperiatur ac ea, *in qua* et *pro qua* miracula illa facta cognoscuntur.

II. Adversariorum sententia. 1° Protestantes, cum de unitate et intima conjunctione ecclesiae visibilis ac invisibilis doctrinam admisissent aut confusam aut omnino falsam, eo sunt adducti, ut sanctitatis *notam* partim negarent, partim falso interpretarentur. Plurimi docuerunt, ecclesiam ex solis justis, atque etiam ex solis praedestinatis constare; quo posito et ablata visibilitate ab ecclesia, san-

ctitas ecclesiae, ut est *institutum objectivum*, consistere non potest. Alii sentiunt non repugnare, ut ecclesia, tanquam *institutum*, saltem ad tempus omnino depravetur; quod idem est ac nullam necessariam ecclesiae sanctitatem, sed contingentem tantum admittere.

2° Naturalistae et rationalistae sanctitatis Christianae notionem amiserunt, sejuncta prorsus moralitate a dogmate ac sacramento, et restricta ipsa moralitate ad *humanitatis*. ut ajunt, officia, hoc est, ad officia quaedam erga hominem, neglecto cultu Dei.

Thesis: *Ecclesia Christi sancta est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura, generatim.* Ecclesia habet notam sanctitatis, si missio Christi sanctifica in ea et per eam continuatur. Atqui res ita se habet. Ergo. *Major* certa ex intrinsecis et extrinsecis sanctitatis indiciis, quibus Christus missionem suam sanctificam manifestavit. Prob. *min. a)* Ex *fine* ecclesiae. Cf. quaest. II. art. 3. *b)* Ex eo quod ecclesia est *corpus Christi mysticum*. Nam *Christus caput est ecclesiae: Ipse salvator corporis ejus . . . Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Ephes. V. 23—28. *c)* Ex eo quod *cor* ecclesiae est S. Spiritus, qui in aeternum cum ea manet, *Joan.* XIV. 16.; atque „*cordi* comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam *vivificat* et unit." S. Thom. III. quaest. VIII. art. 1. ad 3. *d)* Ex eo quod ecclesia est *regnum Christi*, quod est regnum sanctificationis, sicut scriptum est: *Et scient gentes, quia ego Dominus Sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Ezech. XXXVII. 28. Cf. *Dan.* IX. 24.; *Is.* LXII. 3—6. Cf. Bartmann, *Das Himmelreich und sein König* (1904).

Arg. II. Nota sanctitatis ea est ecclesiae proprietas, qua in doctrina, sacramentis et membris ad bonum divinum

perfecte ordinata est. Jam vero ecclesia societas est, in doctrina, sacramentis et membris ad bonum divinum perfecte ordinata. Ergo. *Maj.* patet; nam in tribus istis intrinseca sanctitas externe conspicua fit. Prob. *min.*

a) In doctrina. Oportet ecclesiam esse sanctam *in doctrina,* 1° quia doctrina ecclesiae Christi est *a Christo,* qui dixit: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* Joan. V. 24. 2° Ecclesia docet *per Christum,* qui spopondit: *ego vobiscum sum omnibus diebus.* Matth. XXVIII. 20. 3° Ecclesia habet *Spiritum sanctum: alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Joan. XIV. 16. 4° Christus oravit: *Sanctifica eos in veritate,* Joan. XVII. 17.; „idest — ut ait Angelicus — in cognitione veritatis fidei et tuorum mandatorum." *In Joan.* XVII. lect. IV.

b) In sacramentis. Gratia enim sacramentalis ad duo praecipue ordinari videtur: videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu, et remanent reatu; et iterum *ad perficiendam animam in his quae pertinent ad cultum Dei* secundum religionem vitae Christianae; hanc autem virtutem ecclesiae sacramenta specialiter habent ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum, ut docet S. Thomas III. 62. art. 5. Hinc S. Paulus *baptismum* vocat *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* Tit. III. 5. Cf. *Rom.* VI. 3, 4.; I. *Petr.* III. 21. Christus *Joan.* VI. 48–61. et S. Paulus I. *Cor.* XI. 23—30. de *S. Eucharistia* sanctissima quaeque docent. Ecclesiae sacramentorumque *ministri* vocantur *dispensatores mysteriorum Dei* (I. Cor. IV. 1.), quibus *ministerium reconciliationis* (II. Cor. V. 18.) commissum est atque *gratia* peculiaris data. I. *Tim.* IV. 14.

c) In membris. Sicut ecclesia habet sanctificationis media, ita et fructus sanctitatis effert. Quod probat 1° ipsa *natura rei;* namque Servator docet: *ex fructu arbor agnoscitur,* Matth. XII. 33.; atque: *omnis arbor bona fructus bonos facit.* Matth. VII. 17. 2° *Missio Christi:* Servator ait: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*

Luc. XII. 49. Atque iterum: *Et pro iis ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Joan. XVII. 19. Rursus: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit. II. 14. 3° *Missio apostolorum et ministrorum* ecclesiae. Etenim Dominus dixit: *Ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat.* Joan. XV. 16. Deinde Paulus docet ecclesiae ministros datos esse divinitus *ad consummationem sanctorum.* Eph. IV. 12. 4° *Parabolae,* quibus supra (quaest. III.) ostendimus, peccatores etiam esse membra ecclesiae. Ait enim pater familias in parabola *zizaniorum:* „Sinite *utraque* crescere usque ad messem." *Matth.* XIII. 30. Ergo tum zizania tum *bonum semen* erit *in agro* ecclesiae *usque ad messem,* hoc est, usque ad consummationem saeculi.

d) Charismata ac miracula Christi ecclesiae promittuntur. *Marc.* XVI. 15—19.; *Joan.* XIV. 12. Cf. I. *Cor.* XII. 28.

Arg. III. *Ex veterum testimoniis.* Sanctitas ecclesiae nota est, si veteres affirmant *a)* ecclesiam esse manifestam mediis sanctificis, *b)* membris sanctis et *c)* miraculis. At res ita se habet. Prob. *min.*

a) Mediis sanctificis. 1° Ab *Ignatio Antiocheno* vocatur ecclesia *sanctifera;* hoc enim nomine directe ecclesiam Smyrnaeorum, indirecte universalem ecclesiam appellat. Cf. *Prooem.* ad Smyrn., Ephes., Magn., Trall., Rom. Ab aliis vocatur *paradisus; mater viventium; iter ad caelum; balneum spirituale; arca,* in quo sancti custodiuntur. Iren. *Adv. haer.* lib. V. 25.; Tert. *De anima,* XLIII.; Hilar. *In ps.* CXXXIII.; Joan. Chrys *In II. Cor. hom.* XV.; August. *Enarrat. in ps.* XXVIII. 10. 2° De *doctrina* sanctifica testimonium perhibuerunt *apologetae* plurimi, qui a primis decenniis saeculi II. religionem Christianam ob doctrinae sanctitatem imperatoribus commendant, et generatim *tota antiquitas,* quae ecclesiae fidem maculari posse semper negavit. Cf. quaest. VIII. art. 3. et seqq. 3° De *sacramentis* sanctiferis veteres documenta reliquerunt in *tractatibus de baptismo* et in *ritibus* in sacramento hoc administrando usitatis; in encomiis de praestantissima *Eucharistiae* sanctitate

apud Ignat. Antioch. *Eph.* V. XX.; *Rom.* VII.; *Smyrn.* VII. etc.; Justin. *Apol.* I. 65, 66.; Iren. *Adv. haer.* lib. IV. 18; V, 2 et alios; in sententiis de sanctitate ineffabili *Missae sacrificii*, de quo Justin. *Dialog.* LXI.; Iren. *l. c.;* Cyprian. *Ep. ad Caecilium;* Augustin. *De civit. Dei*, lib. XVI. 22; XVII, 20; Chrysost. *De sacerdotio*, lib. IV. 4; *Hom. XXI.* in Act. Apost. n. 4. Quid enim illo sacrificio sanctius cogitari potest, quod a Chrysostomo vocatur *horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria* et ab Augustino *Confess.* lib. IX. cap. 11—12. *sacrificium pretii nostri.* — Omitto plurima, v. g. ex S. Ephraem, *De sacerdotio.*

b) Membris sanctis. Hermas, in *Past.* Visione III, 5—6 ostensurus, justos semper in ecclesia conspiciendos esse, parabolam *turris* proponit, cujus in structuram et justi et peccatores poenitentes adducuntur. Idem, Visione I, 1, 6; 3, 4 et IV, 1, 3 ostendit, quam alte cogitet de sanctitate ecclesiae. Deinde auctor *Epistolae ad Diognetum:* „per quem (Christum) — inquit — ecclesia ditatur et gratia expansa in sanctis augetur"; praeterea sanctitate membrorum exposita, religionis Christianae veritatem ex ea nota designat his verbis: „Haec non videntur ab homine fieri; haec sunt Dei potentia; haec adventus ejus argumentum." Cap. V—VII. Similiter *S. Justinus* in *Apologia* I, 14—15 ad Antoninum Pium et *Athanagoras* in *Legatione pro Christianis* ad Marcum Aurelium et Commodum, cap. XXII. XXXI—XXXV. religionis Christianae veritatem ex sanctitate membrorum probant; eodemque argumento usus est *S. Theophilus* Antiochenus († 181), *Ad Autolycum*, lib. III. 15. Cf. Iren. *Adv. haer.* lib. III. 24.; Cyprian. *De cath. ecclesiae unitate*, cap. IX. X.; Augustin. *De moribus eccl. cathol.* cap. XXX. XXXI.; Joan. Chrysost. *In ps.* XLIV. 12.

c) Denique veteres *miraculis* ecclesiam veram ab haeresibus distingui censuerunt. „Non possunt haeretici — inquit *S. Irenaeus* — caecis donare visum etc.; tantum absunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit et apostoli per orationem et saepissime in fraternitate propter aliquid necessarium ecclesia, in quoquo loco universa per jejunium et supplicationem postulante, rever-

sus est spiritus mortuo et donatus est homo orationibus Sanctorum, ut credant, esse resurrectionem mortuorum." *Adv. haer.* lib. II. 31. *S. Augustinus* docet, ecclesiam „culmen auctoritatis obtinuisse, haereticis . . . partim etiam miraculorum majestate damnatis". *De utilit. credendi*, cap. XVII. Cf. Tertull. *Apol.* cap. XXIII.; S. Chrysost. *Hom.* IV. in Matth. etc.

Objectiones.

Obj I. Sanctitatis nota probatur ex *Ephes.* V. 27., ubi S. Paulus exhibet „gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam". Sanctitas autem tam perfecta *visibili* ecclesiae tribui nequit. Sanctitas igitur nota dici non potest.

Resp. Dist. maj.: sanctitatis nota probatur ex illo textu etiam, *conc.;* ex eo solo, *nego.* Et *dist.* min.: haec sanctitas ecclesiae visibili tribui nequit adaequate, *conc.*; inadaequate, *nego.* Illa quidem gratia sponsae Christi mysticae plenissimo sensu triumphanti conceditur ecclesiae, id est, in ultimo redemptionis termino. Sed sensu inadaequato militantis etiam ecclesiae gratia *perfecta* est, siquidem doctrinam institutaque immaculata divinitus obtinet, atque fideles, quos Christus ad ecclesiam triumphantem praeparat, in ecclesia militante sanctificantur.

Instabis. Quod mere internum est, nota non est. Atqui sanctitas membrorum interna est.

Resp. Dist. min.: sanctitas membrorum interna est principaliter, *conc.;* exclusive, *nego.* Non obstante multorum hypocrisi, vitae tamen sanctitas sincerorum virtutibus, actibus heroicis, miraculorum gratia manifestatur. Namque *ex fructu arbor cognoscitur.*

Urgebis. A majori parte sumitur denominatio. Mali plures in ecclesia quam boni esse possunt.

Resp. Dist. maj.: a majori parte sumitur denominatio, quando agitur de qualitate extensa, *conc.;* de qualitate non extensa, *nego.* Paries enim pro majori sua parte sufficienter dealbatus, albus denominatur; in aliis autem non a majori sed *a potiori parte* sumitur denominatio, seu ut ait S. Tho-

mas: „denominatio fit a forma, quae dat speciem rei.“ *Peri hermeneias*, lib. I. lect. VIII. n. 9.

Obj. II. Quod est commune non distinguit. At miracula non sunt verae ecclesiae propria. Ergo non distinguunt Prob. *min.* Sua sunt satanae miracula et idololatriae; apostolus monet Antichristi regnum fore *in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*, II. Thess. II. 9.; quin imo Christus ipse cautos nos fecit, his verbis: *dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Matth. XXIV. 24.; cf. Apoc. XIII. 13, 14.

Resp. a) Argumentum nimis probat, et eo spectat, ut etiam Christi ac apostolorum miraculis fides abrogetur. Haec ab operatione satanae internosci possunt, aut non possunt; si possunt, quidni et alia miracula, patrata temporibus subsequentibus? si non possunt, ergo Jesus absurde dixerit: „Si mihi non vultis credere, *operibus credite.*“ Joan. X. 38.

b) Dist. probationem minoris: patrari possunt miracula a malis in testimonium veritatis, *conc.*, in confirmationem erroris, *subdist.:* miracula falsa, *conc.;* vera, *nego.* Verum miraculum, cum totum ordinem naturae creatae transcendat, a solo Deo fit, qui testis falsitatis esse non potest. Revera signa pseudoprophetarum in ipsis Scripturae locis, adversus thesin allatis, *mendacia* vocantur.

Instabis. S. Augustinus de miraculis: „quaecunque — inquit — talia in catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt; non ideo manifestatur ecclesia, quia haec in ea fiunt.“ *De unit. ecclesiae*, cap. XIX. Ergo miracula ad notam sanctitatis referri non debent.

Resp. Dist. antec.: S. Augustinus ita loquitur respective, *conc.;* absolute, *nego.* Cum Donatistae patribus, conciliis, miraculis gloriarentur suis, S. Augustinus, ut effugia intercluderet, dixit, his omnibus omissis, solam ecclesiae catholicitatem seu universalitatem jam respiciendam esse. Sic enim apertissime confundebantur Donatistae, asseverantes ecclesiam Christi retineri „in sola Africa“. Praeterea Augustinus miraculorum charisma tanti fecit, ut in *Retract.* lib. I. 13, expressius sibi declarandum esse censuerit,

miracula non ad ecclesiae primordia coarctari, sed ea durare in saecula subsequentia.

Articulus IV.

Utrum ecclesia Christi sit catholica.

I. Definitio notae catholicitatis. Catholicitatis nota est *ecclesiae proprietas, qua conspicue numerosa et ubique una per mundum universum emanat.* Explicatur definitio.

1° Verbum *catholici* ductum est a graeco: *κὰθ' ὅλον*, quod est *secundum totum* seu universale. Jam vero ecclesia catholica seu universalis dici potest *a)* catholicitate *loci*, quia est per totum mundum; *b)* catholicitate *personarum*, quia plurimos complectitur et nullus abjicitur; *c)* catholicitate *temporis*, quia secundum statum praesentem a Christi temporibus usque ad finem mundi durabit; *d)* catholicitate *doctrinae*, quia totam Christi doctrinam servat Cf. S. Thom. *In Boet. De Trin.* III, 3; *In symbol.* art. IX. et *In decret. I. ad archidiac. Trident.* I; item Cyrillum Hierosol. *Cateches.* XVIII, 23. Verum conceptui catholicitatis, prout sensu strictiori *nota* est, affixa non videtur catholicitas temporis, quae partim ad ecclesiae perpetuitatem, partim ad apostolicitatem referri potest: nec universalitas doctrinae, cum praecise notarum ope internoscendum sit, *ubi* totalitas doctrinae Christianae integerrima reperiatur.

2° Dicitur *ecclesiae proprietas;* non enim agitur de universalitate qualicumque, puta de universalitate Buddhismi Mahometisve religionis, sed de *tali* catholicitate, *qualem* Christus religioni suae promiserit.

3° Additur *conspicue numerosa*, ut significetur, non opus esse, ut omnium gentium omnes homines ecclesiae aggregentur, sed eam multitudinem requiri, qua Christi ecclesia fecunditate sua numerique etiam majestate a sectis discriminari possit.

4° Tum: *per mundum universum emanat;* opus est autem, non expansione *physice* universali, sed *moraliter*, hoc est, ea expansione, quae *indoli ecclesiae* et institutis divinis respondeat. Ecclesia scilicet non subito mundum universum

pervasit, sed ut *granum sinapis* (Luc. XIII. 19.) succrescens, mundum mira fecunditate magis magisque replevit et replet.

5° Hoc etiam maximi momenti est, quod diximus: *et ubique una*. Et sane, si unitas desideretur, non est ecclesia catholica, sed ecclesiae conspiciuntur, catholicitate fucata damnatae; nulla ergo catholicitas *materialis* prodest, sed *formalis* requiritur. Quare S. Thomas: „*unum* — inquit — et idem est quod creditur *a cunctis* fidelibus: unde universalis seu catholica dicitur." *In Ephes.* IV. lect. II. Et quoniam fidei unitas rectore uno sublato cogitari non potest, luce clarius est, catholicitatis notam a centro quodam unitatis ecclesiasticae dependere.

6° Ex dictis patet catholicitatem non consistere *in solo jure* ubique praedicandi, sed *in facto* fusionis. Cave tamen, ne hoc *factum* nimis mechanice aut mathematice interpreteris, quasi vitalitas ecclesiae expansiva non esset obnoxia alternis accessus et recessus motibus, qui divino adjutorio atque portarum infernalium impetui respondeant.

II. De requisitis ad catholicitatem. 1° Ad catholicitatem tria pertinere censentur: *a)* fidelium *numerus conspicuus* tum *absolute*, id est, in se, tum *relative*, id est, instituta comparatione cum singulis aliis coetuum unitatibus, quibus ecclesiae christianae nomen attribuimus; *b) expansio realis* in totum mundum, *simultanea*, qua ecclesia eodem tempore *moraliter* ad omnes gentes pertingit; non *successiva* tantum, qua ecclesia catholica diceretur, non ob nationes plurimas actu occupatas, sed additis gentibus inter quas *fuit*, ad eas, inter quas *est; c) vitalitas* indeficiens, qua ecclesia ab uno regno expulsa in aliis enascitur, atque tam inexhausta, ut coetus semper emineat, cui Christus fidem suam propagandam demandavit.

Dixi sub *a:* „fidelium numerus *conspicuus*." Quid autem de hypothesi multitudinis majoris haereticorum aut schismaticorum quam catholicorum? Respondeo, non constare id fieri non posse, si sermo sit de multitudine *materiali* seu de catholicitate absque veris catholicitatis *modis;* sed prorsus negarem, si hypothesis ad catholicitatem *formalem* et *veram* extenderetur, v. g. ut haeresis aut schisma *ubique*

esset ac *unum*. Cf. G. Wilmers, *De Christi ecclesia* (1897), p. 554—560.

2° Non videtur fore ut omnes homines omnium gentium ad fidem veram perveniant; nec unquam in agro ecclesiae non erit frumentum et zizania. Cf. S. Thom. *Caten. aur.* et *Expos.* in Matth. XXIV. 14.; *in Rom.* X. lect. VII. Itaque ecclesia vocatur catholica non „propter singula generum, sed propter genera singulorum." S. Thom. *In Boet. De Trin.* q. III. art. 3. ad 5.

3° Nec tamen absurdum est sperare, fore ut ecclesia majorem etiam victoriam de errore et peccatis consequatur, siquidem virtus ejus divina, si jam ad omnes gentes pervaserit, plures semper ex singulis gentibus Christo lucrari poterit. Quin etiam sunt, qui in *termino* expansionis ecclesiae completam mundi conversionem ad Christum augurentur. Ita Monsabré, expositis promissis prophetarum magnificis de dominatione Messiae a mari usque ad mare et de glorificando nomine Domini, cui omnes reges terrae omnesque gentes servient, vaticinia nondum perfecte adimpleta probat et novos post tot praeclaras Christi victorias docet exspectandos esse triumphos, atque etiam triumphum universalem.[1])

III. Cani hypothesis de catholicitate. Melchior Canus, *De locis theol.* IV, 6 ad 13 et Bellarminus, *De conc. et eccles.* IV, 7, etsi *fieri* posse non affirmant, ut sola una provincia, haeresibus et persecutionibus insurgentibus, veram fidem retineret, hypothetice tamen asserunt, Christianam fidem, quamvis in unius forte provinciae angustias redigeretur, catholicam fore: „satis est — ait Canus — ecclesiam semel in totum mundum esse fusam, ut etiamnum vere catholica dicatur." L. c. Verum sententia communis id negat. Quidquid est, hujusmodi hypothesis sectis nullo modo favet, „quae ostendere nunquam poterunt communicationem cum ecclesia, quae totum aliquando orbem occupaverit." Perrone, *De loc. theol.* P. I. sect I. cap. III. n. 224.

[1]) Monsabré, *Confér.* 1889, *Le nombre des élus,* et 1890, *Amen de l'histoire humaine.* Cf. Psalm. II, LXXI et LXXXV: Isaiam, IX, 7; LII, 15.

IV. Systema rationalismi Tubingensis de origine catholicitatis. F. Chr. Baur († 1860), in academia Tubingensi professor, novum invenit systema, quod Christianae religionis originem divinam excluderet. Schola porro Tubingensis, caput suum secuta, statuit, evolutionem quandam religiosam saeculo I. evenisse, quae legibus pantheismi Hegeliani satis constanter optime responderit. Inter alia opus erat, ut ostenderetur, quaenam sit causa ecclesiae Christianae, praecise *ut catholica* est. Quaesita sunt igitur facta duo, ex quorum conflictu tertium erumperet: thesis, antithesis, synthesis Sed facta supernaturalia, cum mysteria et miracula philosophiae pantheisticae adversentur, ab illa schola *a priori* repudiabantur.

Itaque mortuo Christo duae factiones ortae sunt, quarum altera circumcisionis evangelio usa est, altera evangelio praeputii: haec homines per fidem Christi justificari credidit sine operibus legis Judaicae; illa legis etiam Mosaicae observantiam ad homines justificandos necessariam esse contendit Secta eorum, qui pro lege Judaica stabant, seu Judaeo-Christianorum, a Petro duce suo, *Petrinismus* vocatur; altera, quae est Ethnico-Christianorum, *Paulinismus*, a suo capite Paulo. Sectae illae deinceps ad Ebionitismum et Marcionitismum progressae sunt.

Saeculo II. circiter mediante *Joanneismus* praevaluit. Videlicet viri pacis studiosi, plurimos utriusque factionis assectatores ad unam formulam: „*fidei cum operibus*“ congregarunt. Petrinismus salutis principium habebat *opera* legis Judaicae, a Christo perfectae; Paulinismus *fidem* redemptionis per Christi mortem procuratae; jam, sub formula communi et conciliatoria *fidei cum operibus*, ecclesia exsurgebat *catholica*. En systema, evolutum a Baur in *Historia trium priorum saeculorum* et in plurimis aliis operibus, modificatum a J. S. Semler, Neander, Rothe, et Ritschl, qui ipsum Christum primum factionum auctorem eo fuisse perhibet, quod factis duntaxat, non doctrina, terminos *legis* praetergressus sit.

V. Recentior rationalismi de catholicitate hypothesis. Rejecta sunt a rationalistis plurimis nonnulla hypo-

theseos Tubingensis capita; sed fascinavit, etiam extra Germaniam, incredulos, ut nihil in N. T. libris, *historice* spectatis, nihil in monumentis veterum praeter sepultam illorum certaminum memoriam investigarent. Ita *catholicitatem*, quam nos *ex divina Christi voluntate* processisse credimus, illi dimicantium sectarum fetum esse arbitrantur. Tales sunt in Neerlandia Scholten († 1885), professor Lugduni Batavorum, in operibus criticis de N. Testamento, A. Pierson et S. A. Naber, *Verisimilia*. — Critica recentior ad traditionem de authenticitate et chronologia N. Testamenti atque universim scriptorum veterum Christianorum multo propius accessit; fictionem factionum apostolicarum, ad quam vita Christiana scriptoresque primaevi critica valde *a priori* et critica nimis subjectiva dijudicabantur, historicis documentis correxit. Unum tamen — alia praetermitto — valde errat: catholicitas nimirum *non* fuerit *Christi conceptus et ordinatio* paulatim exsequenda, sed *idea, per evolutionem ecclesiarum exorta*. Cujus quidem evolutionis exordia tenuia in vita Christiana primitiva latent; progressus in Pauli conscientia missionis ad Gentiles apparet; maturitas intra Trajani et Commodi aetatem collocanda est. Nihil ex Marco et Matthaeo, prope nihil ex Luca pro catholicitate eruitur; Joannes, ad universalitatem properans, non Christi praedicationem sed duarum jam generationum Christianarum crescentem tendentiam expressit. Nec ipse martyr Ignatius, quantumvis clarus in termino, catholicitatem concretam complete docuit. Ecce nova criticae sententia, cujus caput Harnack in *Chronologia* (1897) et in *Missione etc. Christianorum* (1903).[1])

Thesis: *Ecclesia Christi catholica est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex fine ecclesiae.* Finis ecclesiae est, ut homines in ea et per eam sanctificentur. At omnes gentes

[1]) Harnack, *Die Chronologie der altchristl. Litteratur bis Eusebius*, B. I, S. XI; *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*, S. 25—30; 293—294.

sanctificari oportet. Ex quo sequitur, ut ad omnes gentes diffundenda sit ecclesia. *Major* constat ex dictis, quaest. II. art. 3. Conclusio patet; nam etsi Deus mediis extraordinariis uti potest, ordinario tamen via ordinaria, hoc est, per ecclesiam, homines ad fidem et vitam veram perducit.

Arg. II. *Ex S. Scriptura.* In V. et N. Testamento *jus* et *factum* diffusionis ecclesiae per totum orbem multifariam indicatur. Ergo catholicitas est nota ecclesiae. Prob. *antec.*

a) In V. Test. 1° Dominus promisit Abrahae: „Benedicentur in semine tuo *omnes gentes terrae.*" Gen. XXII. 18. Cf. *Gen.* XII. 3.; XXVI. 4.; XXVIII. 14. 2° In psalmis legimus: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi *gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* " Ps. II. 7, 8. Cf. Ps. XVIII. 5.; XXI. 28, 29.; LXXI. 8, 11. 3° Isaias: *Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi . . . dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* LX. 4, 5. Cf. II. 2—4 et Mich. IV. 1–8. — Apud *Danielem* II. 35, 44. *caeli regnum* apparet sub figura lapidis, qui „factus est *mons magnus et implevit universam terram*". Malachias universale regnum Christi praesagit his verbis: *ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus.* I. 11. — Eadem spes Messianica regni universalis in apocryphis Christo prioribus, v. g. in *Psalmis Salomonis* (a. 50 ante Chr.), et in piis Israelitis ineuntis saeculi I. firmissima erat.[1])

Nonne mirum videretur, si synoptici hanc universalitatis conscientiam ignorarent? Habemus igitur hac in re aliquam pro N. T. probationem *a priori.*

b) In N. Test. 1° Universalitas regni Christi seu eccle-

[1]) Cf. G. Dalman, *Die Worte Jesu* (1898), B. I, S. 283 usw.; J. Stalker, *The Christology of Jesus,* p. 125—169; E. Schürer, *Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi* (3. Ausg. 1898), B. II, de quo opere Lagrange, *Rev. Bibl.* 1899, p. 310 ait: „c'est en tout cas le meilleur instrument pour connaître le monde juif au temps de Jésus Christ, de 175 avant à 125 après."

siae in vita Christi luculenter supponitur. Simeon puerum Jesum in ulnas suas accipiens, dixit: „viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti *ante faciem omnium populorum*, lumen *ad revelationem gentium*." Luc. II. 30—32. Cf. ibid. I. canticum *Magnificat* et canticum Zachariae. Servator praedicit, mulierem, quae alabastrum unguenti pretiosi super caput Domini effudit, laude dignam fore „ubicunque praedicatum fuerit hoc evangelium *in toto mundo*". Matth. XXVI. 13.; Marc. XIV. 9. 2° Idem ex actibus Christi apparuit. Voluit, ut crucis titulus conscriberetur lingua Hebraica, Graeca, Latina, quae gentium universitatem significabant. Jussit apostolos eorumque successores docere, praedicare, baptizare *„omnes gentes"*. Matth. XXVIII. 19.; Luc. XXIV. 47. Effuso S. Spiritu die Pentecostes discipuli „coeperunt loqui *variis linguis"; nationes* plurimae suam linguam audiebant. Act. II. 4, 8. Nempe Dominus suis dixerat: „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes . . . *usque ad ultimum terrae."* Act. I. 8. 3° Apostoli catholicitatem ecclesiae disertis verbis significant. Namque S. Petrus ait: *Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii et credere.* Act. XV. 7. S. Paulus docet promissionem Abrahae factam de benedictione omnium gentium in Christi religione adimpleri; *Gal.* III. 8–14.; eodem modo exponit verba Davidis: *in omnem terram exivit sonus eorum* (evangelizantium), *et in fines orbis terrae verba eorum.* Rom. XII. 18.; atque de Christo: *fecit* — inquit — *utraque unum, medium parietem maceriae solvens.* Ephes. II. 14. Cf. *Col.* I. 6. S. Joannes audivit canticum novum: *redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et populo et natione.* Apoc. V. 9. Vidit *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus et populis, et linguis, stantes ante thronum.* L. c VII. 9. Postremo ut S. Augustini verbis utar: „Prope omnis pagina (S. Scripturae) nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam toto orbe diffusam." *Serm.* XLVI. 33. Cf. Rev. Bibl. 1898, p 343—369.

Arg. III. *Ex traditione.* Cum *idea* exsisteret ab initio, S. Ignatius Antioch. primus vocabulo *καθολική* utitur, scri-

bens: „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi *catholica* est ecclesia.“ *Ad Smyrnaeos* VIII. 2. „Revera — ait Funk — ecclesiis *singulis universa* ecclesia opponitur.“ [1]) In inscriptione *Martyrii Polycarpi* legimus: „*Ecclesia* Dei, quae Smyrnae peregrinatur, *ecclesiae* Dei, quae Philomelii peregrinatur, et omnibus ubique terrarum sanctae et *catholicae ecclesiae* paroeciis.“ *Ibid.* VIII. 1 fit mentio „totius per orbem terrarum catholicae ecclesiae“. *Ibid.* XIX. 2. glorificatur Christus, pastor „catholicae in toto orbe ecclesiae“. [2]) Est haec profecto vocabuli καθολικῆς expressa notio.

S. Justinus Judaeos ex eo refellit, quod Malachiae vaticinium de oblatione „*in omni loco*“ offerenda non nisi in religione Christiana adimpleatur. *Dial. cum Tryphone*, cap. CXVII. *S. Irenaeus:* „ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam *una et eadem* salutis via *in universo mundo* ostenditur.“ *Adv. haer.* lib. V. 20. *S. Pacianus:* „Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit.“ *Ep.* I. ad Sympron. *S. Optatus* et *S. Augustinus* Donatistas catholicitatis nota redarguere consueverunt. Haec est regula S. Augustini: „Tenenda est nobis Christiana religio et ejus ecclesiae communicatio, *quae catholica est et catholica nominatur*, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis.“ *De vera relig.* 12. *S. Cyrill.* Hierosol.: „Hoc (catholicum) enim *proprium* nomen est sanctae hujus, et matris omnium nostrum, quae est sponsa Domini nostri Jesu Christi.“ *Catech.* VIII.

[1]) Funk, *Patres Apostolici* (edit. II.), vol. I, p. 283.

[2]) Praeterea *o. c.* XVI, 2. *catholica* videtur adhiberi pro *orthodoxa* ecclesia. Harnack, *Chronologie*, B. I, S. 294 hoc etiam factum memorat: „Als Bezeichnung der rechtgläubigen, sichtbaren Kirche findet sich καθολικός — nach dem Mart. Polycarpi — im Muratorischen Fragment (hier schon „catholica“ ohne „ecclesia“, wie später im Abendland häufig), beim Anonymus (Euseb., h. e. V, 16, 9.), bei Tertullian (z. B. de praescr. 26, 30.; adv. Marc. IV, 4.; III, 22.); Clemens Alex. Strom. VII, 17, 106 f.), Hippolyt Philos. IX, 12 ; Mart. Pionii 2. q. 13. 19.), Cornelius papa (bei Cypr., ep. 49, 2.); Cyprian.“

Objectiones.

Obj. I. Ecclesia nulla nota sua unquam carere potest. Jam Christi ecclesia temporibus apostolorum in paucis regionibus coarctabatur. Ergo catholicitas ecclesiae nota non est.

Resp. Dist. min.: ideo ecclesia carebat catholicitate ecclesiae adultae, *conc.;* ecclesiae adolescentis, *nego.* Nempe ecclesia statim ac exorta est virtualiter catholica erat, non formaliter; aedificanda enim ab apostolis erat cum ecclesia catholicitas. Nihilominus nota illa jam tum emicuit, primo vi expansiva maxima, secundo ipsa fidei fusione per omnes regiones, quacunque patebat orbis notus. Cf. *Rom.* I. 8.; X. 18.; S. Thom. *In Rom.* X. lect. 3.

Instabis. Si catholicitas esset ecclesiae nota, S. Petrus notitiam hujus notae a Christo accepisset. Porro Petrus non nisi post visionem animalium dicere potuit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Act. X. 34, 35.

Resp. Dist. maj.: Petrus hanc notitiam accepisset, *conc.;* et *practice* statim intellexisset, *nego.* Et sic *distincta* minori, *nego* conclusionem. Christus aperte praecepit, ut apostoli docerent *omnes gentes. Matth.* XXVIII.; *Marc.* XVI. Verum quonam ordine temporis ac personarum hoc praeceptum exsequendum esset, utrum Judaeis primo et Proselytis (Act. II. 11.), an eodem tempore et ethnicis, id Petrum, priusquam viri, missi a Cornelio, ad eum venirent, forsitan latuerit. Visio dubii practici finem fecit.

Urgebis. Christiani, audito verbum Dei a gentibus recipi, Petro dixerunt: *Quare introisti ad viros praeputium habentes, et manducasti cum illis?* Act. XI. 3. Inter fideles ergo particularismus vigebat.

Resp. Dist. antec.: istam initam cum gentibus necessitudinem Petro objecerunt aliquot fideles ex proprio affectu, *concedo;* ex doctrina fidei, *nego.* Nonnulli, „qui erant ex circumcisione“ (Act. XI. 2.), Judaei scilicet aliquot Hierosolymitani, ad fidem conversi, ex nimio affectu veteris consuetudinis Petro oblocuti sunt. Verum quatuor homi-

num genera hoc loco considerari opus est. Nimirum aderant *a)* Judaei, quos consuetudo severior ne manducare quidem cum ethnicis, veluti pollutis, sinebat; *b)* proselyti justitiae, hoc est, gentiles, qui circumcisi legem Moysis universam observabant et eunuchis aliisque quibusdam exceptis (Deuter. XXIII.) genti Judaicae veluti inserebantur; *c)* proselyti portae, qui neque circumcisi erant neque legis Mosaicae mandata custodiebant, agnito tamen uno Deo observatisque praeceptis, quae Noachica[1]) dicuntur; *d)* ethnici, quibuscum necessitudinem inire, Judaeis videbatur esse nefas. Hinc aversio nonnullorum fidelium, suam et Petri Judaicam originem implicite jactitantium. Verum audito Petro, *tacuerunt et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.* Act. XI. 18.

Obj. II. Hypothesis Tubingensis licet consenuerit, catholicitatis tamen idea Christo perperam tribuitur, siquidem Dominus Chananaeae dixerit: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel*, Matth. XV. 24.; quibus sane verbis palam est, Christum ne cogitasse quidem de ecclesia, quae ad omnes gentes sese porrigeret.

Resp. Dist. textum allatum: Christus non est missus nisi ad oves Israel proxime, *conc.;* simpliciter, *nego.* Christus — ait Aquinas *In Matth.* l. c. datus est *in lucem gentium*, secundum Is. XLIX. 6., „sed missus est primo ad Judaeos ut Judaeos ad gentes transferret". Hoc sensu Paulus, *Ad Rom.* XV. 8., dicit: „Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum". *Prius* saturandi erant filii, ut Marcus VII. 27., loco parallelo narrat. Definitiva tamen praedicatio gentium et universalitas reperitur in sermone prophetico; explicite et implicite per quatuor Evangelia; in Paulo, resonante mandatum Domini. — Denique, *gloria Israel* et *lumen ad revelationem gentium* unus et idem erat. Luc. II. 32.

[1]) Praecepta Noachica, quae filiis Noach divinitus tradita esse a Rabbinis dicuntur, septem sunt: abstinere scilicet a cultu falsorum deorum; a blasphemia; ab incestu; ab homicidio; a rapina, furto etc.; a contumacia in magistratus, judices etc.; ab esu carnium sanguinolentarum

Instabis. Antiochiae Paulus Petro *in faciem* restitit, *quia reprehensibilis erat.* Gal. II. 11. Hujus autem discrepantiae fons erat arctior Petri de universalitate sententia. Conceptus igitur catholicitatis Petri mentem nondum pervaserat.

Resp. Dist. maj.: Petrus reprehensibilis erat defectu prudentiae, *conc ;* defectu doctrinae, *nego.* Nimirum S. Petrus, cum gentibus edens, quibusdam a Jacobo venientibus, segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Rectissime Tertullianus: „conversationis fuit vitium, non praedicationis." De *praescr.* XXII. Profecto *ipse* Petrus „gentiliter" (Gal. II. 14.), hoc est, legalibus neglectis, vivebat; ergo id *per se* fas esse aeque ac Paulus credidit.[1])

Urgebis. Petrus, Jacobus et Joannes a Paulo vocantur *οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, οἱ δοκοῦντες εἶναί τι, qui videbantur columnae esse, qui videbantur esse aliquid,* Gal. II. 9.; II. 2, 6. At haec verborum acrimonia doctrinae denotat discordiam. Tunc ergo non erat ubique una ecclesia.

Resp. Dist. min.: illa acrimonia, *si* qua sit, denotat doctrinae discordiam inter S. Petrum et S. Paulum, *nego;* inter S. Paulum et falsos fratres, *conc.* Seductores nonnulli, reliquos apostolos laudibus in caelum extollentes, Paulum dedecore notabant. Hi sunt falsi fratres, qui Galatas fascinaverant *„non obedire veritati".* Gal. III. 1. Paulus igitur in apostolatu suo tuendo vocabula *δοκοῦντες* etc. *de* apostolis, non *contra* illos adhibet; quae si forte videantur acrius prolata, haec acrimonia castigat eos, quos apostolus, tanquam „subintroductos falsos fratres" (Gal. II. 4.), a S. Petro ceterisque apostolis apertissime secernit. Accedit quod in ipsissimo capite II. 7, 8. perfecta inter utrumque apostolum doctrinae concordia apparet. Cf. I. 18. Ita intellexit S. Thomas etiam II. Cor. XI. 5. de *„magnis apostolis" (οἱ ὑπερλίαν ἀπόστολοι)*: „Petrus et Paulus, quos *isti* habebant magnos." In l. c. lect. 2. Similiter in II. Cor. XII. 11.: *„qui sunt supra modum apostoli,* id est, qui videntur a *quibusdam* digniores Apostoli quam ego sum." Cf. *In Gal.* II. lect. 2.[2])

[1]) Cf. J. Belser, *Die Selbstvertheidigung des hl. Paulus im Galaterbriefe* (1896).

[2]) Cf. G. Semeria, *Venticinque anni di storia del cristianesimo nascente* (2. éd. 1905), p. 337—361.

Dices. Catholicum est quod est ubique unum. Duplex autem evangelium fuisse, testis est Paulus, inquiens: *creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis.* Gal. II. 7.

Resp. Dist. min.: a Paulo significatur distributio officii, *conc.;* separatio evangelii, *nego.* Adjicitur ut istiusmodi distributio exclusiva non sit; namque S. Scriptura et veteres prodiderunt, nec Paulum solis gentibus, nec alios apostolos Judaeis solis praedicasse. Cf. I. *Cor.* IX. 19—22.; *Rom.* I. 14.; *Act.* passim.; Justin. *Dialog.* LIII.; Iren. *Adv. haer.* lib. III. 3, 4.; Euseb. *E. Hist.* lib. II. 23, 25.; lib. V. 3.

Articulus V.

Utrum Christi ecclesia sit apostolica.

I. Apostolicitatis definitio. Apostolicitas est *ecclesiae proprietas, qua per legitimam, publicam et nunquam interruptam pastorum ab apostolis successionem in identitate doctrinae, sacramentorum et regiminis continuatur.* Quod explicandum est.

1° In definitione proponitur apostolicitas, accepta sensu pressiori et ut *nota.* In suo autem conceptu latiori apostolicitas est ecclesiae *identitas* cum apostolorum ecclesia, et quaedam ecclesiae ab apostolis *origo.* Cf. S. Thom. *In symb.* art. IX.

2° *In identitate doctrinae, sacramentorum et regiminis.* Si tria haec praecipua, ex quibus Christi ecclesia coalescit, jam identica non sint cum iis institutis, quae Servator apostolis suis tradidit, ab *humana* auctoritate haec derivari oportet, hoc est, eorum institutio *divina* negatur.

3° *Per legitimam, publicam et nunquam interruptam, pastorum successionem.* Nimirum ut proprietas identitatis cum apostolorum ecclesia *nota* sit, identitatis illius publica et certa testificatio requiritur. Testes autem illi sunt, quibus Christus ecclesiam suam regendam commisit. Commissa est autem ecclesia hierarchiae pastoribus. Ita per *pastorum* successionem continuatur ecclesia. Quae quidem *successio* necessum est,

a) legitima sit, ut habeatur successio *formalis*, non mere *materialis*. *Formalis* enim successio fit ex praeceptis Christi; *materialis*, neglecto Christi praescripto, in mera sedis pastoralis occupatione consistit.

b) Publica; tum quia pastorum visibilium successio publica est natura sua, tum quia successio occulta nullum discriminandi medium nec notam praebet.

c) Nunquam interrupta; nimirum quod, conjunctione interrupta, *vetus*, apostolica, divina *non* continuatur. *Nova* ergo fundanda erit; sed si nova, erit *humana*.

4° Successio, quam exposuimus, habetur *immediata* in iis ecclesiis, quas aliquis apostolorum fundavit; *mediata* in ecclesiis, quae ex ecclesiis apostolicis ut suboles genuina nascuntur.

II. Status quaestionis adversus protestantes. Convenit inter protestantes, ecclesias suas quadam ratione esse apostolicas. Sed quaeritur, *quanam*. Duo responsa. 1° Nonnemo protestans reponit, servandam esse doctrinae veritatem; evanidum esse praetextum successionis, nisi Christi veritatem salvam et incorruptam posteri retineant. Cf. Calvin. *Instit.* lib. IV. cap. II. n. 2. — Sane quidem; at praecise id agitur, unde cognoscamus, in quo coetu posteri veritatem incorruptam retineant. — 2° In Anglia ecclesiae *constitutae* major pars et Puseyitae successionem pastorum ad apostolicitatem pertinere non diffitentur; hoc tamen errant, quod *legitimum* successionis ordinem non satis considerant, *materialem* potius successionem quam *formalem* investigantes. *Formale* autem in successione est *jus* et legitima missio, qua deficiente *jurisdictionis* potestas nulla habetur. Hoc igitur probandum est, utrum Christus constituerit, ut ecclesia esset eo modo apostolica, quo supra diximus, et ut esset semper *numerice* eadem ac ea, quae sub apostolis erat.

Thesis: *Ecclesia Christi apostolica est.*

Argumenta.

Arg. I. Apostolicitas est proprietas ecclesiae, qua per successionem legitimam, publicam et nunquam interruptam

pastorum ab apostolis, in identitate doctrinae, sacramentorum et regiminis continuatur. Christus autem, ut ecclesia tali modo continuaretur, decrevit. Ergo ecclesia Christi est apostolica. Prob. *min.*

a) Doctrinae sacramentorumque originem apostolicam necessariam esse, protestantes nobiscum affirmant. Scriptum est enim: *superaedificati super fundamentum Apostolorum,* Ephes. II. 20.; et alibi: *fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum.* Apoc. XXI. 14.

b) Successio pastorum non interrupta. 1° Apostolorum exempla talem successionis legem ostendunt. Paulus enim et Barnabas *per singulas ecclesias presbyteros* constituisse leguntur, *Act.* XIV. 22.; itemque Paulus ad Titum scripsit: *Reliqui te Cretae, ut . . . constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Tit. I. 5. Et sic series continuata est. 2° Non datur in ecclesia *legitima missio,* si deest *legitima successio.* Ergo ad apostolicitatem successio legitima requiritur. *Conseq.* patet; non est enim ecclesia vera nec apostolica, quae caret missione legitima. Prob. *antec.* Legitima missio habetur *aut* per se in unoquoque, *aut* per vocationem mere internam, *aut* per transmissionem legitimam ab iis, qui legitime missi sunt in alios mittendos. Atqui *primum* falsum esse constat ex argumentis, quibus probavimus, missionem divinitus pertinere ad principatum sacrum, non ad omnes, sive seorsum sive conjunctim; *secundum* et iisdem argumentis refellitur, et contra visibilitatem ecclesiae militat, et sectas phantasticas, non ecclesiam ordinatam parit. Ergo admittendum est *tertium,* pastorum successio. Diximus: *non interrupta;* quia missio, quae desiit esse, *continuari* non potest.

Arg. II. *Ex testimoniis veterum.* Supervacaneum est sententias veterum de *doctrinae* ac *sacramentorum* apostolicitate afferre, quam protestantes rejicere non consueverunt. Sed probandum est, quaestionem illam, *ubi* vera doctrina et sacramenta reperiantur, a veteribus solutam fuisse *per legitimam pastorum successionem.*

a) S. Irenaeus, Adv. haer. lib. III. 3. apostolorum doctrinam *per successiones episcoporum* probari affirmat. Sic

enim loquitur: „Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus annumerare eos, qui *ab apostolis instituti sunt episcopi* in ecclesiis, et *successiones eorum usque ad nos,* qui nihil tale docuerunt.“ Atque: „eis qui in ecclesia sunt presbyteris obedire oportet, *his qui successionem habent ab apostolis,* sicut ostendimus, qui *cum episcopatus successione* charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt . . . *qui absistunt a principali successione . . . hi decidunt a veritate.*“ Lib. IV. 43.

b) Tertullianus in opere, quod inscribitur *De praescriptionibus haereticorum,* ostendens nullam haereticorum postulationem de vera ecclesia ratam esse, *factum successionis* perquam firmiter proponit. 1° Statuit autem hoc principium: „quid illis (apostolis) Christus revelaverit, et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi *per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt.*“ Cap. XXI. 2° Haereticos compellans ait: „*Edant ergo origines ecclesiarum* suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita *per successiones ab initio decurrentem,* ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.“ Cap. XXXII. 3° Concludit adversus haereticos. „Qui estis? quando, et *unde venistis?* quid in meo agitis non mei? . . . mea est possessio, olim possideo, prior possideo, *habeo origines firmas,* ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. *Ego sum haeres apostolorum.* Cap. XXXVII.

c) Origenes: „servetur vero ecclesiastica praedicatio *per successionis ordinem* ab apostolis tradita.“ *De principiis,* praef. n. 2 *S. Cyprianus* Novatianum confundit his verbis: „Novatianus in ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta, *nemini succedens,* a se ipso ortus est. Habere namque aut tenere ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in ecclesia non est.“ *Ep.* 76. *S. Optatus* contra Donatistas: „Vestrae cathedrae vos *originem reddite,* qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare.“ *De schism. Donatistarum,* lib. II. cap. II. Similiter *S. Augustinus:* „Unde Donatus apparuit?

De qua terra germinavit? De quo mari emersit? De quo caelo cecidit?“ *Contra Donat.* lib. III. 3. Rursum sanctus Manichaeorum vicem dolet, quod contradicant „auctoritati a temporibus apostolorum usque ad haec tempora *certis successionibus* custoditae atque perductae.“ *Contra Faustum*, lib. XXXII. 21.

Objectiones.

Obj. I. Nullo argumento idoneo probatur, totam doctrinam revelatam ab apostolis traditam esse ecclesiis. At si totam doctrinam non tradiderint, fieri potest, ut aliquot fidei Christianae capita, quanquam sunt vera, tamen ab apostolis ecclesiae transmissa non fuerint. Ergo apostolicitas non est nota *totius* veritatis.

Resp. Dist. maj.: non probatur, illam traditionem esse factam ecclesiis omnibus et singulis, *conc.;* ecclesiis collective sumptis, *nego.* S. Spiritus apostolos omnia docuit. *Joan.* XIV. 26.; XVI. 13.; S. Thom. I. II. 106, art. 4. ad 2.; II. II. 176, art. 1. ad 1. Apostoli thesaurum revelatorum ecclesiae *universali* tradiderunt, usque ad mundi finem custodiendum; et de apostolicitate, prout ecclesiam *universalem* designat, hic agitur. Quod ad ecclesiam Romanam pertinet, praerogativa fidei speciali decoratam, de ea hujus loci non est disserere.

Instabis. Ut apostolicitas doctrinae fidei perspiciatur, magno labore opus est et acumine ingenii. Haec autem nonnisi a paucis praestantur. Ergo apostolicitas, cum obvia non sit, nota non censetur.

Resp. Dist. maj.: his opus est, si fidei apostolicitatem investiges per *certam successionem* pastorum, *nego;* per doctrinam in se, *subdist.:* si veritates inquiras singillatim, *conc.*; si generatim per viam praescriptionis, *nego.* Deus per ecclesiae pastores homines veritatem edocet; ex quo consequitur, perspicuam *originem* doctrinae apostolicam per successiones pastorum dignosci oportere. Neque haec cognitio negotium facessit, siquidem in *facto publico* versamur, ex quo praescriptionis argumentum haud magno labore eruitur.

Urgebis. Doctrina ecclesiae aut vera est aut falsa. Si

vera, pastorum successio abundat; si falsa, successio nihil sanat. Igitur doctrinae apostolicitas per successionem pastorum non cognoscitur.

Resp. *Concessa* secunda parte minoris, primam *dist.;* successio abundat, ut doctrina *sit* vera, *conc.;* ut cognoscatur, *nego.* In ecclesia notae sunt, non ut efficiatur veritas, sed ut cognoscatur; et successiones pastorum idcirco constitutae sunt, non ut doctrinam veram efficiant, sed ut vera sit *obvia.* Praeterea, sicut ab apostolis doctrina derivatur, ita et hierarchia jussa divinitus docere gentes.

Obj. II. Ecclesiae Romana, Graeca et Russica apostolicitate successionis gloriantur. Haec igitur non est nota verae ecclesiae propria.

Resp. *Dist.* antec.: ecclesiae illae gloriantur successione materiali, *transeat;* formali, *subdist.:* omnes merito, *nego;* una merito, *conc.* Non opus est in legitima alicujus ecclesiae successione perscrutanda omnium ecclesiarum seriem, ab aetate apostolica decurrentem, permeare. In falsis ecclesiis „semper apparet et apparebit sanguinolentus quasi vulneris *locus, quo* a vivo ecclesiae corpore *abscissae sunt,* et prosectae.“ Regnier, *Tract. de eccl.* p. I. sect. II. art. 4. prop. 4. Sed fulget in ecclesia vera *prioritas;* at icit omnes haereses ac schismata hoc Tertulliani: „Ubi tunc Marcion?“ etc. *De praescr.* cap. XXX.

Urgebis. Sedes, quae a Pontifice Romano avulsa prius schismatica habebatur, fit apostolica, simulac Pontifici Romano parebit. Jam vero apostolicitas, si a Deo constituta esset in ecclesia, hoc modo amitti et acquiri non posset. Ergo apostolicitas non est nota, qua Christus suam consignavit ecclesiam.

Resp. *Dist.* min.: apostolicitas amitti et acquiri non potest quantum ad ecclesiam universalem, *conc.;* quantum ad ecclesias particulares, *nego.* Ecclesia sub apostolis tanquam *unum corpus* constituta est. Partiales ecclesiae, quotquot corpori huic toti conjungerentur, unam constituebant ecclesiam. In hoc uno corpore omnes permanere oportet. Si abscinduntur ecclesiae, si cum corpore, quod prius erat, vivere desinunt, certe nec apostolicae ecclesiae dicuntur,

nec membra viva. Sarmenta praecisa sunt, in quibus vitis apostolica non continuatur. Una via est recuperandae apostolicitatis: redire ad unitatem corporis, quod prius est, et in eo permanere. Centrum autem unitatis Romanus Pontifex; de quo inferius.

Quaestio VI.

De ecclesia, cui unitatis nota competit.

Probata notarum exsistentia, earum *subjectum* inquiri oportet, ut veram Christi ecclesiam in concreto videamus. Ejusmodi vero quaestiones tam negative quam positive tractari solent: *negative*, ut coetus, in quibus notae non insunt, rejiciantur; *positive*, ut ecclesia vera, notis divinis signata, prudenter asseratur. Et primo quidem de unitate agendum est. Porro quicunque coetus Christiano nomine gloriantur, aut ad protestantismum, aut ad schisma, aut ad ecclesiam Romanam pertinent. Unde quaeritur:

Primo. *Utrum unitatis nota in protestantismo reperiatur.*

Secundo. *Utrum unitatis nota in ecclesiis schismaticis reperiatur.*

Tertio. *Utrum in ecclesia Romana unitatis nota reperiatur.*

Quarto. *De via vera procurandi Christianitatis unitatem.*

Articulus I.

Utrum unitatis nota in protestantismo reperiatur.

Protestantes vulgo appellantur, qui Lutheri, Calvini et aliorum reformatorum religionem profitentur; cujus nominis origo fuerunt comitia Spirae (1529) habita: novatores scilicet decreto de catholicis in partibus Lutheranorum tolerandis restiterunt, et protestati sunt. Calvinus, Jurieu, Mosheim, Pusey aliique protestantes *aliquam* ecclesiae suae unitatem

allegarunt. Ideo permagni refert probare eam, quam Christus ecclesiae suae addixit unitatem, in protestantismo non reperiri. Supponitur quaest V. art. 2.

Thesis: *Unitatis nota in protestantismo non reperitur.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex principiis.* In protestantismo nullum est firmum unitatis principium; ergo unitatis nota in eo non reperitur. *Conseq.* patet. Probatur *antec.*

Principium fundamentale protestantismi est *spiritus privatus.* Atqui spiritus privatus divisionis principium est. Protestantismus igitur est essentialiter unitati contrarius. Revera spiritus privatus, quoniam auctoritatem excludit, subjectivismum et individualismum gignit; quibus invectis quot capita, tot sensus erunt. Ita protestantismus, quovis destitutus efficaci unitatis principio, dissipabitur; nam: *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Prov. XI. 14.

Arg. II. *Ex factis.* Unitas, ut nota, est ecclesiae proprietas, qua in fidei professione, in regimine et cultu est societas indivisa. Protestantismus autem in fidei professione, in regimine et cultu plane divisus est. Ergo unitatis nota non signatus est. Probatur *minor.*

a) In fidei professione. Protestantismus infinitas fidei professiones easque valde contradictorias *formaliter* complectitur. Ergo in fidei professione non est unus. Prob. *antec.* Ab ipsis protestantismi primordiis usque ad hanc diem variationibus variationes successerunt: Lutherani, Calvinistae, Anglicani, inter se divisi, sectas permultas, inter sese fidei professione divisas, tanta ubertate protulerunt, ut praeter mutationem nihil firmum esse videatur.[1]) Hoc est

[1]) Cf. Bossuet, *Histoire des Variations; Défense de l'Histoire des Variations* contra Burnet et Basnage; *Avertissements aux protestants* contra Jurieu. — Cf. de multis factis, huc spectantibus, J. A. Möhler, *Symbolik,* et Raich, *Ergänzungen zu Möhlers Symbolik;* J. E. Jörg, *Geschichte des Protest. in seiner neuesten Entwicklung;* Janssen, *Geschichte des deutschen Volkes,* Bd. II.; Hohoff, *Die Revolution seit dem sechzehnten Jahrhundert;* J. Röhm, *Der Protestantismus unserer Tage* (1897); G. Goyau,

illud S. Augustini: *Qui se ab unitate praeciderunt, in quot frusta divisi sunt?* Serm. IV. 21. — Haec porro divisio *formalis* est atque ipsa protestantismi natura; siquidem nullum in eo principium efficax et divinum designari potest, quo divisi in unius fidei professione conjungantur, rebelles expellantur et incolumia custodiantur revelata dogmata. Freti spiritu privato, singuli cuivis auctoritati ecclesiasticae respondent illud Tertulliani de antiquis haereticis, nominibus mutatis: *Quod licuit Valentino, licet et Valentinianis, quod Marcioni, licet et Marcionitis.* Tert. *De praescr.* XLII.

L'Allemagne et la Réforme; K. Krogh-Tonning, *Le protestantisme contemporain* (1904), et passim opera quae post conversionem scripserunt Newman et Manning. — A tempore Bossuet sectae multiplicatae sunt. Jam Th. Beza dixerat: „In quo tandem Religionis capite congruunt inter se ecclesiae, quae Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias, ab uno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet". (Epist. ad Andream Dud.) D. Steeg, minister protestans, Parisiis anno 1867 coram ministris octoginta, contradicente nemine, haec legit: „Ce nom de protestants, commun à un si grand nombre d'hommes, abrite bien des diversités . . . Elles subsistent dans le même pays, dans la même ville, dans la même rue. Sont-ce des diversités de médiocre importance? Nullement; elles sont parfois très profondes. Quelle distance sépare l'Eglise anglicane, qui fait profession de croire au symbole d'Athanase, et les Eglises unitaires, qui regardent la Trinité comme un blasphème? Le luthérien considère les sacrements comme des véhicules de la grâce divine, le calviniste n'y voit que des signes commémoratifs. Quelle profession de foi, quel catéchisme réunirait l'assentiment des baptistes, des méthodistes, des millénaires, des sectes fondées par Penn, Zinzendorf, Irving, Darby, Rapp, Michel Hahn, etc., sans parler des grandes Eglises officielles? Si des Eglises, nous passons aux individus, qui les composent, les différences paraissent plus considérables encore. On peut affirmer hautement qu'il n'y a pas un seul point de doctrine admis par les uns qui ne soit rejeté par d'autres, ou soumis aux interprétations les plus opposées. Je ne parle pas seulement des points de détail, mais des dogmes mêmes qu'on appelle fondamentaux, de ceux qui définissent la personne et l'oeuvre de Jésus-Christ, la nature du péché, l'autorité de la Bible. Les termes employés par tous le sont dans des sens différents: rédemption, prière, grâce, Saint-Esprit, Eglise, conversion, salut."

b) In regimine. Regiminis unitas oritur ex uno, cui omnes dicto sint audientes. Atqui in protestantismo nulla usquam habetur authentica auctoritas. Ergo. Prob. *min.* 1° Sectae quam plurimae atque independentes ubique spectantur. 2° Quin etiam membra sectae unius, si ad regnum diversum pertinent, diverso capiti parent. 3° Protestantismus saepe probavit laudavitque *ecclesias nationales* et praeceptum: *cujus regio ejus et religio*, quae cum unitate ecclesiae minime congruunt. 4° Protestantismus manifeste ad anarchiam vergit. Et profecto Lutherus et Henricus VIII. Pontificem Romanum rejecerunt; mox et episcopi, presbyteri, „pastores" ipsi ac „praedicantes" rejici coepti sunt.

c) In cultu. Protestantismus neque in sacramentis neque in caeremoniis est concors. Ergo. Prob. *antec.* 1° Lutherus cum baptismate et coena poenitentiam profitetur aliquam, scribens: „Occulta autem confessio, quae modo celebratur, etsi probari ex Scriptura non possit, miro tamen modo placet, et utilis, imo necessaria est." *De captiv. Babyl.* Atque Melanchton: „Vere igitur sunt sacramenta: baptismus, coena Domini, absolutio, quae est sacramentum poenitentiae." *Apol.* art. VII.; cf. IV. et V. Alii baptismo et coena, alii baptismo duntaxat, alii nullo sacramento utuntur. Ipsa vocabula *coenae* et *baptismi* sectis aliis aliud significant. 2° Neque caeremonia concors; siquidem fidei discordia et divisio spiritus privati totum cultum penetrant

Objectiones.

Obj. I. S. Scriptura est principium unitatis. Atqui doctrina protestantium de Scripturarum auctoritate concors est. Protestantes igitur suam habent notam unitatis.

Resp. Dist. maj.: S. Scriptura est unitatis principium in se, *conc.;* quoad nos, *subdist.:* remote, *conc.;* proxime, *nego.* Et *dist.* min.: S. Scripturarum auctoritatem admittunt protestantes moderni, *nego;* orthodoxi, *subdist.:* Scripturas admittunt, *conc.;* iisque recte utuntur, *nego.* Hic tria consideranda sunt:

a) Ecclesia est *societas.* Jam vero vix erit, qui asse-

rat, unitatem *socialem* proxime collocari posse in *Libro.* Ergo Libri divini *quoad nos* proximum *unitatis ecclesiasticae* principium esse nequeunt. *b)* Deinde *spiritus privatus* efficit, ut sectae sexcentae earundem Scripturarum auctoritate dogmata contraria spargant. *c)* Protestantes inter se dissident de numero, authenticitate et auctoritate Librorum sanctorum; neque ullam habent regulam, qua finiatur dissidium.

Instabis. Testimonium S. Spiritus est firma regula, qua scrutemur Scripturas. At protestantes scrutantur Scripturas, illuminati arcano testimonio Spiritus. Hoc sufficit.

Resp. Dist. maj.: hoc valet de testimonio certo, *conc.;* de testimonio, quod gratis asseritur, *nego. Dist.* minorem: protestantes habent Spiritus testimonium, *transeat;* et hoc est principium efficiens *unius ecclesiae, nego.* Testimonium istud S. Spiritus gratis asseritur; gratis igitur negari potest. Sed dato hoc testimonio, nihil sequitur. Et sane hoc testimonium est omnino *arcanum* et omnino *subjectivum.* Propterea non modo ad nullam unitatem *ecclesiasticam* valet, sed ne ad minimam quidem umbram unitatis. Visibilis enim ac socialis ecclesiae constitutio postulat principium externum et objectivum. Quis autem dijudicet, utrum Lutheranus illuminetur an Quakerus? Protestantismus in labyrinthum delapsus est.

Urgebis. Unitas in fundamentalibus opus est. Atqui protestantes in fundamentalibus consentiunt. Idcirco non carent unitate.

Resp. Dist. maj.: opus est unitas in fundamentalibus inclusive, *conc.;* exclusive, *nego. Nego* min. Systema fundamentalium quam falsum sit, vidimus. Cf. quaest. V. art. 2. Tantum autem abest, ut omnes protestantes in fundamentalibus consentiant, ut haec ipsa novarum dissensionum fomes fuerint. Atque quod caput est, divisionem protestantismo *essentialem* esse constat. *Sola fides* et *clara et sufficiens Scriptura* tanquam geminum individualismi et subjectivismi principium viscera haereseos illius dilacerat. Protestantes in ipso protestantismo protestantur; conten-

ditur ut in dies reformetur reformatio. Atque nomine *clarae et sufficientis Scripturae* sua quisque fundamentalia et non fundamentalia rejicit, assumit, commutat.

Obj. II. Ecclesiae cujusvis membra foederare pacem poterunt *articulis*, ut ajunt, *stabilitis*, symbolis, synodis, consistoriis. Atqui nulla est secta, quin istiusmodi mediis saepenumero usa sit. Ergo protestantes, puta in Anglia, Gallia, Germania non sunt exsortes unitatis.

Resp. Dist. maj.: symbolis etc. obtineri potest pax seu unitas, si admittitur in iis auctoritas divina, *conc.;* auctoritas mere humana, *nego.* Et *dist.* min. protestantes istis mediis saepe usi sunt, tanquam auctoritate humana, *conc.;* tanquam auctoritate divina, *subdist.:* quandoque inconsequenter, *transeat;* fixe et consequenter, *nego.* Synodi etc. protestantium duobus malis laborant *a)* Ex natura sua non complectebantur omnes ecclesias protestantes, tanquam unam universalem ecclesiam. *b)* Principium dissolvens *spiritus privati*, omnes et singulas sectas *essentialiter* afficiens, unitatem veram excludit. Nempe excitatis saeculo XVI. novarum rerum studiis, in auctoritatem ecclesiae, quoniam rebus evertendis obstabat, impetus conversus est. Mox Lutherus, qui ab anno 1517 „papatum" adortus fuerat, maxime ab anno 1525 obsequium sibi fidemque poposcit.[1]) Calvinus Genevae dominatus est, Elisabetha in Anglia, in Neerlandia Dordracensis synodus. At principium „libertatis evangelicae", magisterio infallibili contrarium, in visceribus protestantismi continebatur; spiritum privatum in manicis et compedibus humana sub auctoritate teneri, taedebat plurimos. His de causis spreta sunt symbola et synodi; novae sectae institutae.

Instabis. Hierarchia putatur unitatis esse principium. Porro ecclesia excelsior (high church) in Anglia hierarchiam divinitus institutam profitetur.

Resp. Dist. maj.: hierarchia, debitis conditionibus praedita, est unitatis principium, *conc.;* illis conditionibus pri-

---

[1]) Cf. inter alia illud: *sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas,* in *ep.* Lutheri ad Link, anno 1530.

vata, *nego.* Et *dist.* min.: ecclesia excelsior profitetur hierarchiam fictive divinam, *conc.;* vere divinam, *nego.* Et vero *a)* hierarchiae Anglicanae deest auctoritas; nullus enim legitimae successionis titulus ab iis assignari potest, qui Henrico VIII. et Elisabetha ducibus ab ecclesia Romana discesserunt. Adde ordinationem cleri Anglicani jure ac merito invalidam haberi. Sed de hoc alias pluribus. *b)* Illa hierarchia a parte multo majori protestantium rejicitur. *c)* In eadem hierarchia, cum capite supremo ac universali careat, unitas desideratur. *d)* Ipsa ecclesia *excelsior* non nisi partem esse dixerim ecclesiae *constitutae,* quae praeterea ecclesiam *inferiorem* (low church) et ecclesiam *latam* (broad church) aliarumque sectarum subdivisiones comprehendere censetur. *e)* Ecclesia Anglicana dictis factisque ostendit, obtemperandum esse a se civili auctoritati, moderatrici suae et capiti. Haec autem et unitas divino jure instituta pugnant.

Urgebis. Sectae, quotquot sunt, unitis viribus papatum impugnant. En unitatis vinculum.

Resp. Dist. antec.: et haec est unitas negativa, *transeat;* positiva, *nego.* Vix potest dici, quam diversis elementis odium papatus coalescat. Quod nihil est aliud, quam absurdam unitatis speciem prae se ferre, de qua Hieronymus: „inter se discrepant, in Ecclesiae oppugnatione consentiunt, juxta illud quod Herodes et Pilatus inter se discordantes, in Domini Passione amicitia foederantur.“ *In Is.* VII.

Articulus II.

Utrum unitatis nota ecclesiis schismaticis competat.

I. Synopsis historica. Cum S. Thoma schismaticos eos dicimus, „qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris ecclesiae ei subjectis communicare recusant.“ II. II. 39, art. 1. Ecclesiae schismaticae praecipuae sunt *ecclesia Cpolitana* et *ecclesia Russica,* quam et *Ruthenicam* appellant. A Photio, schismatis auctore, *Photianae* dicuntur;

ab eis distinguendae videntur sectae Orientales, Nestoriana, Jacobitica, etc.[1])

1. Ecclesia Cpolitana. Haec ecclesia ab ecclesia Romana disjuncta est Photio (820—891) et Michaele Caerulario († 1059) auctoribus. Photius die natali Domini anno 857 episcopus consecratus est promoventibus Michaele, imperatore sed juvene secordi ac fatuo, et Barda, qui Michaelem, ut summam rerum publicarum obtineret sibi, morum integritate spoliaverat. Consecratus est Photius *a)* contra ac canonibus statutum erat, ex laico intra paucos dies, neglectis interstitiis; *b)* in sedem Cpolitanam, quae Ignatii, episcopi legitimi et superstitis, neque depositione canonica vacabat neque abdicatione valida; *c)* a Gregorio Syracusano, episcopo schismatico, quem Ignatius deposuerat.

Photius, cum Nicolaus Magnus, Romanus Pontifex, tantae praevaricationi resisteret, malis artibus in Ignatii sede mansit; Latinos de disciplinae nonnullis differentiis, velut de jejunio et coelibatu castigavit; doctrinam de processione S. Spiritus ex *Patre Filioque* quasi errorem dogmaticum iisdem exprobravit; quin etiam perhibuit, „quando de Romana urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanae Sedis ad Cpolitanam ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse." Cf. Nicol. M. *Ep.* 70, et J. Roy, *S. Nicolas Ier.*

Photius in concilio oecumenico VIII. (869) depositus, deinde a Joanne VIII., Romano Pontifice, mortuo Ignatio (877) adjectisque certis conditionibus in patriarcham Cpolitanum „pro ecclesiae Dei pace et utilitate" receptus (879), mox adauctis fraudibus suis iterum depositus et e sede ejectus schismatis resuscitandi auctor fuit. Anno 891 exsul et, quantum videtur, pertinax vitae finem implevit.

Saeculo IX. exeunte sub Antonio Caulea († 895) unio Orientalium cum ecclesia Romana restituta est. At saeculo XI. mediante Michael Caerularius schisma instauravit. Is enim, ubi saltu, non intervallo canonico, a laica conver-

[1]) Cf. L. Duchesne, *Églises séparées* (2. édit. 1905).

satione ad sedem Cpolitanam pervenit, odium in Latinos aut concepit aut jam pridem occulte conceptum superbia fovit. Tandem erumpens Latinos incusavit, quod in Eucharistia conficienda pane *azymo*, non fermentato, uterentur; quod carnem suffocatam comederent; quod vocabulum *Filioque* symbolo inseruissent, etc. Sese *patriarcham oecumenicum* appellare et scribere non timuit. Concitando plurimorum animos, iris Photianis implicatos, ad mentem schismaticam abduxit. Anno 1054 die 16. Julii legati Leonis IX. excommunicationis sententiam in Caerularium in altari ecclesiae S. Sophiae Cpolitanae deposuerunt.

Caerularius anno 1059 ab Isaac Comneno imperatore in exilium missus et haud multo post demortuus, subsequentium schismaticorum laudibus effertur. Dissidii calamitas Oriente toto grassata est. Photius crimina decem, Caerularius viginti duo, Nicetas Seidus ineunte saeculo XII. triginta duo maleficia Latinis affinxit; saeculo XIII. criminatio multum crevit; saeculo XIV. sexcentae haereses ecclesiae Romanae objectatae sunt; maximeque Pontificum Romanorum auctoritas repudiata est.

Saepenumero Summi Pontifices in id toto animi nisu incubuerunt, ut pax conciliaretur, maxime in concilio Lugdunensi II. (1274) et in synodo Florentina (1439). *Marcus Ephesinus* nobilem laborem Eugenii IV. et Nicolai V. instigando irritum reddidit. Anno 1453, capta Cpoli a Mahometo II. ecclesia Graeca infidelium jugum subiit.[1]) Ecclesia schismatica, quae a suis *Orientalis-orthodoxa* vocatur, jam praecipue in imperio Turcico manet.

2. Ecclesia Russica. Ut antiquiora praedicationis vestigia praetermittamus, Russorum gens a sacerdotibus, ad patriarchatum Cpolitanum pertinentibus, evangelium audivit per ea tempora, quibus ecclesia Orientalis cum Ecclesia Romana conjuncta erat (886—1054). Quo factum est, ut Michael I., Leontius, Joannes I. et Theopemptus, qui primi

[1]) Cf. Hergenröther, *Photius;* Jungmann, *Diss. hist. eccles.* diss XVII. — Goloubinski fatetur separationem non exstitisse ante 1054, et admittit „le fait de rapports très suivis entre Russes et Latins". Vide *Rev des quest. hist.* 1881, Janv p. 638. J Pargoire, *L'Église Byrantine* (1905).

metropolitae Kiowenses fuerunt, concordiae nexu cum ecclesia Romana conjungerentur. Quod idem de Hilarione, Georgio I., Joanne II., Joanne III. et Ephraem (1090—1096), Theopempti successoribus, affirmandum est.[1])

Nikifor I. (1104—1119), metropolita Kiowensis, praecipuus schismatis Russorum auctor habetur. Deinde germina scissionis Cpolitanae in Russiam universam sparsa sunt. Nec tamen scissio probata est omnibus. Decretis autem Florentinis anno 1439 subscripsit *„Isidorus Metropolita Kioviae et totius Russiae"*.

Anno 1458 metropolia Kiowensis in duas partes ita divisa est, ut metropolita *Moscovensis* Russiam septentrionalem, *Kiowensis* meridialem regeret. Metropolitae Moscovenses in unionem cum ecclesia Romana infesti erant: Kiowenses ab Isidoro ad Jonam II. (1440—1519) decretis Florentinis non adversati sunt; quin etiam Isidorus ipse et Gregorius II. (1458—1472) et Joseph II. Soltan adlaboraverunt, ut unio propagaretur et confirmaretur. A Jona II. usque ad depositionem Onesiphori (1519—1588) in sede quoque Kiowensi schisma praevaluit. Tum demum Russorum seu Ruthenorum magna pars, quae metropolitae Kiowensi parebat, unionem expetiit. Regnante Clemente VIII., Pontifice Romano, episcopi, quotquot ad metropoliam Kiowensem pertinebant, duobus tantum exceptis, ad unitatem redierunt. Sed Unitis saepius usque in hodiernam diem vis facta est.

Anno 1589 cum Jeremias II., patriarcha Cpolitanus, Moscovensem metropoliam in patriarchatum evexisset, Job metropolita Moscovensis primus sedis illius patriarcha creatus est a Theodoro I. imperatore. In erectionis instrumento scriptum videmus, antiquam Romam Apollinaris haeresi infectam esse, novam Romam seu Cpolim Turcarum jugum

---

[1]) Pelesz, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, Bd I. p. 169—182. Cf. de ecclesia Russica: Vladimir Soloviev, *L'idée Russe;* De Maistre, *Du Pape*, L. IV.; Custine, *La Russie en 1839;* Frank, *Russische Selbstzeugnisse* I. Russisches Christentum; Tilloy *Les Eglises orientales dissidentes et l'Eglise romaine;* Pierling, *Papes et Tsars;* C. Tondini de Quarenghi, *La Russe et l'Union des Églises.*

subiisse, sed *tertiam Romam* evasisse Moscoviam.[1]) Decernitur etiam, ut primus patriarcha sit Cpolitanus, secundus Alexandrinus, *tertius Moscovensis*, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus. Sed spernitur falsus pastor Occidentalis, Romanus Pontifex.

Anno 1721 Petrus I. cognomine Magnus, imperator, abolito patriarchatu Moscovensi, „spirituale collegium", hoc est, *synodum permanentem Petropolitanam* instituit; quae quidem institutio hujusmodi est, ut tota negotiorum spiritualium moderandorum auctoritas ad Russorum imperatorem devolvatur.[2]) Quod tamen non ita dico, quasi Russi *doctrinam* cesaropapisticam admitterent; solummodo libertatis impedimenta monstravi. — Ab anno 1878 synodum efficiunt membra 7, quorum metropolitae 3, archiepiscopi 2, protopapae 2, et assessores 4, quorum 1 archiepiscopus, 1 episcopus, 2 laici. Semper adest synodo procurator summus aut ejus vicarius, qui decreta, si imperatori, domino synodi, displiceant, vetando dirimat. Orientales et Russi nomine communi *Photiani* appellantur.

II. Nullum prope schisma purum. Etsi *solum schisma* in ecclesiis Photianis considerare consuevimus, atque id totius mali origo habetur, quod Christi vicario in terris subesse nolunt, generatim tamen ecclesiae schismaticae ab erroris labe immunes haberi nequeunt. Negant enim et Orientales et Russi 1° S. Spiritum ex Patre *simul et Filio* aeternaliter tanquam ab unico principio et unica spiratione procedere. 2° Negant purgatorii poenis post mortem purgari eorum animas, qui vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, et 3°) Romanum Pontificem esse verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput. et omnium Christianorum patrem et doctorem.[3]) 4° Quan-

---

[1]) Cf. textum apud Pierling, *La Russie et l'Orient*, p. 143—145.

[2]) Ecce jusjurandum synodale: „Confiteor porro, et jurejurando assevero *supremum hujusce collegii* ipsum esse totius Russiae monarcham", etc. *Stat. canon.* Petri M.

[3]) Photiani Deiparae conceptionem immaculatam in cultu suo profiteri videntur. Cf. Pelesz, o. c. B. II. p. 791; Passaglia, *De imm.*

tum ad *epiclesin*, id est ad eas preces, quae in Photianorum liturgiis verba Dominica: *Hoc est corpus meum*, etc. sequuntur, plurimi errant quod ad consecrationem Eucharisticam credunt etiam epiclesin esse necessariam, quamvis Orientales in Concilio Florentino, Congr. gener. 5. Julii 1430 et sess. XXV, professi sint, verba Dominica „*omnem* virtutem transsubstantiationis" habere.[1])

Quod ad cultum attinet, Clemens VIII. in bulla unionis nationis Ruthenae cum ecclesia Romana declarat: „omnes sacros ritus, et caeremonias quibus Rutheni Episcopi et Clerus juxta Sanctorum Patrum Graecorum instituta in Divinis Officiis, et Sacrosanctae Missae sacrificio, ceterorumque Sacramentorum administratione, aliisve sacris functionibus utuntur, dummodo veritati, et doctrinae Fidei Catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, eisdem Ruthenis Episcopis, et Clero ex Apostolica benignitate permittimus, concedimus et indulgemus." Bulla *Magnus Dominus, et laudabilis*, 23. Decembr. 1595. — Cf. Leon. XIII. encycl. *Orientalium dignitas*, 30. Nov. 1894.

Thesis: *Unitatis nota schismaticis ecclesiis non competit.*

Argumenta.

Arg. I. In ecclesiis Photianis non est principium efficiens unitatis ecclesiasticae. Ergo unitatis nota carent.

Deiparae conceptu; Gagarin, *L'Eglise Russe de l'Immaculée Conception;* Besson, in period. *Civiltà cattolica*, 1876.

[1]) Cf. secundum Joan. Marković et de Waal, *Zeitschrift für kath. Theologie*, 1896, S. 342—351, 743—751; 1897, 372—378. — Pro aliis doctrinis cf. Matulewicz, *Doctrina Russorum de statu justitiae originalis* (1903); Marković, *Gli Slavi ed i Papi* (1897). Qui ex fontibus liturgicis ipsisque Photianis doctoribus cupit erudiri circa Russorum et Orientalium dogmata, consulat seriem operum, quae edidit archipresbyter russicus Alexius de Maltzew 1890—1903, quorum ultimus est *Oktoichos oder Parakletike der Orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes*, et Jon Michalcescu, *Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen Kirche* (1904).

Prob. *antec.* Principium unitatis inter schismaticos aut est unus ex patriarchis, aut omnes patriarchae simul, aut synodi. Sed nullum ex illis principium efficiens unitatis haberi potest. Quod pro singulis probatur.

a) Non unus ex patriarchis. Exploratum est enim nullum ex patriarchis jure divino caput esse *totius* ecclesiae. Nulla Scriptura, nullus pater auctoritatem summam penes patriarcham aliquem Photianum esse docet.

b) Non omnes patriarchae simul. 1° Nusquam enim in S. Scripturis aut in patribus legimus, quinque quatuorve patriarchis ecclesiam esse concreditam. 2° Oportet esse unum, per quem patriarchae isti colligentur in unum. Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. III. 64.

c) Non synodi. 1° Ipsa synodus, quamtumvis universalis, rejecto visibili capite supremo, suo caret *divino* unitatis principio. 2° Principium unitatis *permanens* esse necesse est; concilia autem generalia non nisi ex intervallo haberi possunt. Ab ultimo concilio oecumenico Photianis validum, id est a Nicaeno II. (787), plus mille anni elapsi sunt. Nunc ob crescentem *autonomarum* ecclesiarum schismaticarum numerum — sunt quatuordecim — convocandi difficultas quotidie crescit. Deinde quis convocabit? Quis praesidebit? Major pars theologorum Russicorum jam censet concilium oecumenicum moraliter, quin etiam absolute celebrari non posse.[1]) 3° Concilia vere oecumenica saepissime declararunt, potestatem supremam esse penes Romanum Pontificem. Id enim declarant plus semel concilia, quae *ante* Photium et Caerularium celebrata sunt. Addo concilium Florentinum (1438—1439), cujus definitioni de primatu Romano adhaeserunt patriarchae Cpolitani legati tres, Isidorus Kiowensis, totius Russiae metropolita, 16 metropolitae Graeci, et Orientales quotquot aderant, excepto solo Marco Ephesino. Joseph autem, patriarcha Cpolitanus, qui durante concilio mortuus est, morti proximus vicarium

[1]) Testes sunt Philaretus, metropolita Moscovensis; Sergius, rector academiae ecclesiasticae Petropolitanae; Světlov, archipresbyter et professor in Kiew; quorum testimonia videsis in *Études*, 20 Déc. 1904, p. 874—879.

D. N. J. Chr., Papam antiquae Romae, dignissime professus est.

Arg. II. *Ex factis.* Photiani de facto unitate carent. Quod ex sequentibus apparebit.

a) Regimen divisum. 1° Conditio *nationalis* ecclesiae est ejusmodi, ut fideles iisdem limitibus atque regna dividantur. Atqui professio nationalis ecclesiae in Photianis ecclesiis, praeprimis in Russica, manifeste praevalet. 2° *Russi* autem, renunciata jurisdictione Cpolitana, ab anno 1721 non nisi synodo suae parent; *Graeci* habito Naupliae episcoporum conventu anno 1833 Hellenicam ecclesiam patriarchae Cpolitano in posterum non subjectam esse declararunt; *Bulgari* ab anno 1873 jurisdictionem Cpolitanam recusarunt. Ecce quatuor saltem Photiani coetus: Cpolitanus, Russicus, Atheniensis, Bulgaricus. In summa *quatuordecim* certo sunt ecclesiae schismaticae autonomae.

b) Fides non vere una. Coetus *unitatis principio* carens, exortis inter suos sectis, reapse dividetur. Atqui in Photianismo, qui unitatis principio caret, bene multi sectam efficiunt. Ergo. *Major* patet: namque non nisi unitatis principium efficit, ut dissidentes re definita aut resipiscant, aut e corpore expellantur. *Minor* probatur. 1° Ex *Raskolnicis*,[1]) quorum in Russia 12000000 aut 14000000 esse censentur;[2]) qui et ipsi in plures sectas scinduntur. 2° Ex

[1]) Anno 1667, cum librorum liturgicorum correctio, Nikone, patriarcha Cpolitano, auctore peracta, Russis constitueretur, Raskolnici, jam pridem exorti, propalam refragati sunt. Sibi *credentes antiqui, recte credentes*, seu starowjerci et prawoslawnyji esse videbantur; adversarii vero *Nikoniani, haeretici, Antichristiani.* Sed a Russis ceteris *schismatici,* Raskolnici, vel mitius *ritus veteris sectatores,* staroobrjadci appellati sunt. Raskolnici dividuntur in eos, qui sacerdotes habent, et in alios, qui nullos habent sacerdotes; dicuntur Popowschtschyki et Bespopowschtchyki. Sectae illae in alias plures subdividuntur, quae saepe de SS. Trinitate, Incarnatione etc. errores graves docuerunt Cf. Pelesz, *Gesch. der Union,* t. II. p. 757.; De Maistre, *Du Pape,* lib. IV. ch. I—II.

[2]) Youzov in opere de *Dissidentibus Russicis,* quod editum est Petropoli, 1881, censet esse Raskolnicos 13 000 000; Prugawin et Soloviev idem tenent. Cf. Arndt, *Das Sektenwesen in der russischen Kirche.* Zeitschrift für kathol. Theol. 1890, p. 416—446. — Markovic,

Palamitarum quietismo in ecclesia Graeca, longe lateque diffuso. Malum igitur haereseos, cum legitima et infallibilis auctoritas a Photianis indicari nequeat, schismati *publice* et *formaliter* inhaeret.

Objectiones.

Obj. I. Nullum firmius unitatis principium quam Christus. Jam vero ecclesia Graeco-Russica Christum caput suum sequitur. Ergo suum firmum habet *unitatis principium.*

Resp. Dist. maj.: Christus est caput ecclesiae invisibile, *conc.;* caput visibile, *nego.* Et *dist.* min.: ecclesia Graeco-Russica hoc gratis asserit, *conc.;* hoc probat, *nego.* Philaretus, metropolita Moscovensis, in suo *Catechismo,* ad probandam unitatem ecclesiae suae Christum allegat et concilia. Verum *a)* non quaeritur de capite invisibili, sed de capite *visibili,* quod a Photianis etiam admittendum est, nisi ad invisibilitatem protestantium confugere velint. *b)* Quaeritur de *nota* unitatis, qua cognoscatur, *ubi Christi* ecclesia sit.

Instabis. Ecclesiae Graeco-Russicae concilia generalia habent, quae sunt centrum unitatis. Ita unitatem habent.

Resp. Dist. antec.: habent concilia generalia manca, *conc.;* apta ad servandam veram unitatem, *nego. a)* Responsionis veritas ex argumento I. apparet. *b)* Schismatici re ipsa non nisi *septem* prioribus conciliis fidem adhibent et quandoque *Papatui* sese tanquam *ecclesiam septem conciliorum* opponunt;[1]) ex quo perspicuum est, illud unitatis principium totam vitalitatem suam inter eos amisisse, erupta corruptela schismatis. *c)* Factis conciliorum auctoritatem negant. Etenim synodus Quinisexta seu Trullanum concilium (692) ab iis concilio oecumenico VI. additur et in

---

Gli Slavi ed i Papi, p. 215—288 de schismate disserens, refert sectas 200 ab ecclesia Russica defecisse et sectariorum numerum esse 15 000 000. Ab anno 1897 dissensus sine dubio crevit.

[1]) Ita Anthymus, patriarcha Cpltanus in encyclica, quam encyclicae *Praeclara* (1894) Leonis XIII objecit. Cf. L. Duchesne, *Églises séparées,* p. 59—112.

oecumenicorum conciliorum numero absque causa computatur. Concilium VIII. seu Cpolitanum IV. (869), arbitrario damnatum a Photio, rejiciunt; concilium Lugdunense II. (1274), sub beato Gregorio celebratum, et Florentinum (1438—39), sub Eugenio IV. habitum, quibus interfuerant et adhaeserant, deinceps spreverunt.

Articulus III.

Utrum unitatis nota ecclesiae Romanae competat.

Ecclesiae Romanae unitas in varietate liturgiarum legumque disciplinarium. 1° Fides, regimen ac cultus in se una sint oportet, sed diversis mediis et fides exprimi potest et exerceri regimen. Jam vero quemadmodum actus exteriores, quibus una eademque veritas exprimatur, multiplices in omni genere disciplinae adinveniri solent; ita, nil laesa sacramenti unitate, in perfunctione munerum sacrorum caeremoniae variae ad unam fidem protestandam exprimendamque usurpantur. Tantum igitur abest, ut liturgiarum ac caeremoniarum varietas ecclesiae unitati officiat, ut fidem unicam supponant exprimendam et quam perfectissime protestandam. Cf. S. Thom. I. II. 103, art. 4.

2° Quod ad disciplinam ecclesiasticam pertinet, una est auctoritas et potestas legislativa, recte vivendi principia una sunt. Verum generalia principia sunt ad particulares casus eosque valde diversos applicanda. Quapropter usu venit, ut leges disciplinares, natura sua temporum necessitatibus accommodandae, diversae pro locorum temporumque diversitate constituantur. Atque haec quidem de varietate.

Thesis: *Unitatis nota competit ecclesiae Romanae.*

Argumenta.

Arg. 1. *Ex principio unitatis.* Ecclesia Romana habet principium extrinsecum efficiens unitatis in fide, regimine cultuque essentiali. Ergo ecclesia Romana una est. Prob. *antec.*

a) In fide. Principium efficiens unius fidei est magisterium supremum et in se unum, quod ab omnibus societatis membris admittendum est. Atqui hujusmodi principium est auctoritas Summi Pontificis et conciliorum oecumenicorum sub uno illo Pontifice; haec enim auctoritas aptissima est discordiis reprimendis, dubiis solvendis, fidelibus adunandis, rebellibus expellendis.

b) In regimine. Unus est caput totius ecclesiae Romanae, Romanus Pontifex. Hic ergo coetus habet centrum unitatis atque per unius regimen omnes uniuntur in unum.

c) In cultu. Principium efficiens unius cultus est una fides, quam cultus exprimat, unumque regimen, quod cultum custodiat. Atqui in ecclesia Romana fides una est unusque Summus Pontifex, a quo sacramentorum administratio ac omnes liturgiae ritus custodiantur.

Magna praeterea in unitate varietas, quam Leo XIII. coram Polonis (die 21. April 1888) extollens: „Nobilissima — inquit — haec est, et verae Christi ecclesiae unice propria laus, populos uno omnes complexu tenere conjunctos, simulque efficere ut, permanente morum atque originum discrimine, idem tamen universi sentiant, idemque velint. — Quod ad diversos caeremoniarum ritus attinet, profecto Apostolica Sedes, quemadmodum re ipsa semper perspectum est, non modo non recusat, sed volens et libens concedit ut gentes singulae consuetudines legitimas traditumque a majoribus morem custodiant ac tueantur. Tanta in unitate varietas, regii instar amictus est, specie formaque varia conspicui, qua immaculata Christi sponsa magis efficitur ad spectandum insignis.“

Arg. II. *Ex factis. a) Una fides* spectatur in symbolis, in fidei professionibus, quae a praelatis emittuntur, in catechismis, orationibus publicis atque in ea maxime obedientia, qua suas quisque privatas opiniones decretis Romanorum Pontificum et sacrorum conciliorum canonibus subjicere tenetur.

b) Unum regimen. Fideles cum episcopis, episcopi cum Romano Pontifice cohaerent; omnes ecclesiae particulares, per seriem ordinatam subministrationis uni capiti conjunctae

corpus unum efficiunt. Haec est una acies Israelis in tentoriis per tribus suas commorantis. *Quam pulchra* — inquit Balaam — *tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel.* Num. XXIV. 5.

c) Unus cultus. Septem sacramenta sub *uno* rectore supremo per ecclesiae Romanae ministros ubivis administrantur; unicum orbe toto sacrificium. Neque ullum monumentum clarius quam *unius cultus* expressio in praxi publica; in missarum codicibus, quovis sermone confectis; in libris liturgicis omnibus ecclesiarum, tum Orientalium tum Occidentalium; denique in more sacerdotum, ut in quavis orbis ecclesia catholica sacrificium faciant.

Confirmatio. Haec argumenta nostris temporibus ut sol splendent. Sectae tristissimam divisionis faciem prae se ferunt; schismatici partim divisi sunt, partim non nisi per vim profanam jugum unum accipiunt; in ecclesia Romana religionis unitas regnante Pio IX., Leone XIII. et Pio X. novis semper splendoribus illustrata est. Nec miramur, quod adversarius robustus ecclesiae Romanae unitatem vocavit „magnam et admirabilem".[1])

Haec est unitas illa non mechanica, sed viva, qua corpus Christi mysticum contra solventia quaelibet indivisum in se esse et divisum a quolibet alio nunquam desiit. — Cujus unitatis fontem Aquinas indicat, fidem profitens „in Spiritum sanctum unientem Ecclesiam." *In Sent.* III. dist. 25. q. 1. art. 2. ad 5. Rursus. III. 8, 1 ad 3 S. Spiritus dicitur *vivificare* et *unire* Ecclesiam. Caritas unit totam ecclesiam in unitate spiritus. Quae Angelici (II. II. 39, 1.) sententia quid complectatur, Cajetanus locum illum commentans, sic exponit: „Quilibet enim fidelis credit se membrum Ecclesiae et ut membrum Ecclesiae credit, sperat, ministrat sacramenta, suscipit, docet, discit. Et

[1]) Bismarck, 16. Maj. 1873, *Reden*, Th. V. p. 79—81. „Ihre grosse und bewunderungswürdige Einheit." A. Harnack, *Das Wesen des Christentums*, lectionem 14 de religione catholica his verbis orditur: „Die römische Kirche ist das umfassendste und gewaltigste, das kompplizierteste und doch am meisten einheitliche Gebilde, welches die Geschichte, soweit wir sie kennen, hervorgebracht hat."

propter Ecclesiam haec facit ut pars propter totum, cujus est, quicquid est et secundum Ecclesiae fidem et traditionem haec operatur."

Objectiones.

Obj. I. Inter catholicos, puta inter Franciscanos, Dominicanos, Jesuitas, inter episcopos Gallicanos et ultramontanos, lites de fide creberrimae exarserunt. Ecclesia igitur Romana una non est.

Resp. Dist. antec : exarserunt lites de rebus fidei definitis, *nego;* de rebus dubiis et liberis, *subdist.:* et parati erant viri catholici subjicere sese, ecclesia definiente, *conc.;* secus, *transeat.* Hoc in primis animadvertendum est, usque in mundi finem tum infirmitatem humanam tum divinam virtutem conspiciendam fore; ab illa lites et controversiae, in hac remedium. Neque superstitibus etiam apostolis nullae controversiae fuerunt; sed per magisterium ecclesiae servata est unitas. Ita liti de legalibus componendae veritas in concilio Hierosolymitano stabilita est.

Instabis. Infallibilitas Romani Pontificis habetur firmissimum unitatis principium. Atqui controversia de Pontificia infallibilitate non nisi nostra aetate finita est. Ergo ecclesia Romana suae unitatis principio diu caruit.

Resp. Dist. minorem: et haec controversia non nisi nostra aetate finita dicitur, quasi infallibilitas illa prius dubia esset toti ecclesiae, *nego;* aliquot ecclesiae membris, *subdist.:* iisque errantibus materialiter, *concedo;* formaliter, *nego.* Ecclesia Romanum Pontificem a principio supremum certissimumque fidei magistrum habuit; quod alias demonstratur. Sed et illi, qui ante concilium Vaticanum aliud sentiebant, catholici esse minime potuerunt, nisi retenta fide, qua omnes omnium saeculorum catholici professi sunt, Pontificis cum episcopis consensionem errori nulli esse obnoxiam. Ergo nunquam in ecclesia non fuit unitatis principium.

Obj. II. Ad unitatem servandam auctoritate opus est, quae contumaces expellat. At legimus Polycarpum et Polycraten et ecclesias Asiae, cum a ceteris orbis partibus

et ab Aniceto ac Victore de tempore paschatis celebrandi dissentirent, in ecclesiae tamen communione permansisse.

Resp. Dist. min: haec controversia erat res fidei, *nego;* res disciplinae, *subdist.:* ad quam dirimendam ecclesia tunc temporis auctoritate sua suprema usa est, *nego;* in qua dirimenda pacis ergo clementius actum est, *conc.* . . .

Rem breviter exponam.

a) Duo paschata erant: *pascha crucifixionis,* cujus festi character praecipuus in morte Christi esse dicebatur, et *pascha resurrectionis,* in quo Christi resurrectio celebrari solebat. Quatuordecimani diem 14. Nisan, quod ea die Christum mortuum esse rebantur, solemnissime celebrabrant; terminabatur solemne jejunium, aut, ut alii credunt, interrumpebatur; tertia post die celebrabant resurrectionis festum, in quamcunque septimanae diem incideret. Romanorum Pontificum consuetudo, ritui Quatuordecimanorum contraria, hac regula continetur: *ne videlicet ullo alio quam Dominico die mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur, utque eo duntaxat die paschalium jejuniorum terminum observemus.* Euseb. E. H. lib. V. 23. Ergo quaestio ad disciplinam spectabat.

b) Ecclesiae principes in ea quaestione dirimenda pacatissimi fuerunt. S. Petrus et S. Paulus morem celebrandi Romanum constituerunt; Asianorum consuetudo S. Joannis et S. Philippi concessione admissa videtur, nullo tamen instituto mandato. Anicetus, Romanus Pontifex, cum Polycarpum, episcopum Smyrnensem, traditionis Asianorum tenaciorem vidisset, instare rei noluit; Soter, Aniceti successor, id tantum egit, ut fideles, quamquam Asianorum more in propriis ecclesiis pascha celebrare nefas non habebatur, Romae tamen, si festivitatem paschalem ibidem celebrare ipsis contingeret, morem Romanum servarent. Victor autem, qui ultimo saeculi II. decennio ecclesiam rexit, veritus, ne Asiani Judaizantium aut Ebionitarum errores ritui suo inspergerent, rei fortiter intervenit; nullum tamen decretum [1]) ab illo Pontifice ad *plenam exsecutionem* deductum

[1]) In decretis, quae primis jam ecclesiae temporibus contra errantes edebantur, duplex *communionis privatio* considerанda est.

esse creditur, sed adversus Asianos, vehementiori consuetudinis affectu commotos, indulgentia adhibita est, sive beatus Victor, S. Irenaei aliorumque episcoporum precibus consilioque obtemperans, Asianos ritus sui tenaciores clementer tulerit, sive Pontificis illius (c. 202) successores rem ulterius urgendam esse non arbitrati sint.

Urgebis. Eusebius haec refert: „Victor . . . omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias, tanquam contraria *rectae fidei* sentientes, a communione abscindere conatur.“ E. H. lib. V. 24. Ergo fides quoque in disceptationem venit.

Resp. Dist. antec.: hoc loco vocabulum *fidei* usurpatur sensu latiori, *conc.;* strictiori sensu, *nego.* Asianorum consuetudo fidei contraria dici potuit propterea quod, haereticis Judaizantibus ea consuetudine abutentibus, floridus fidei status imminueretur. Et vero S. Irenaeus beatum Victorem „decenter admonuisse“ narratur, „ne integras Dei ecclesias *morem* sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat“. Euseb. l. c.

Obj. III. S. Cyprianus, Romani Pontificis sententia damnatus, cum ceteris omnibus per orbem Christianum episcopis semper communicavit. Ergo Cypriani temporibus ecclesia catholica nullum habuit fixum veritatis principium.

Resp. Dist. antec.: Cyprianus damnatus erat sententia non simpliciter definitiva, *conc.;* simpliciter definitiva, *nego.*

a) *Usus* potestatis triplicem indulgentiam admittere videtur; etenim fit, ut judex *ante* sententiam latam errantes admoneat; ut *in* sententia ferenda damnationem mitiget; ut *post* latam sententiam addita mora damnatis paulisper indulgeat, tum ob bonam eorum fidem, quos aestu controversiae commotos intellexerit, tum ob spem emendatio-

---

„Altera — ait Benjamin Bossue, Bollandista — veram constituit excommunicationem et ab ecclesiae corpore rescissionem; altera solum interrumpit mutuum inter ecclesias vel etiam personas commercium, neque anathemati est aequiparanda.“ Cf. Jungmann, *Diss in hist. eccl.* t. I. diss. IV. 4.; Alex. Nat. *In hist. eccl.* saec. V. diss. XX.; t. IX. p 622.

nis, quae affulgere videatur. Quibus positis factum considerabimus.

b) Factum autem hoc est. Ecclesiae praxis communior eaque antiquissima erat, ut haeretici rite baptizati, cum ad ecclesiam redirent, denuo non baptizarentur. At saeculo III. mos rebaptizandi haereticos quoscunque conversos in Africa nonnullisque Asiae tractibus ita praevaluit, ut annis 254–256 gravis hac de re controversia orta sit inter S. Stephanum et S. Cyprianum, cui Firmilianus, Caesareae Cappadociae antistes, cum pluribus Africae et Asiae episcopis obsecundavit. Cyprianus in synodo Carthaginiensi II. decrevit, haereticos et schismaticos, „profanae aquae labe" maculatos, quando ad ecclesiam, „quae una est", venerint, esse baptizandos. Cypr. *ep. 70. ad Januar.* etc. S. Stephanus autem 1° legatos episcopos synodi Carthaginiensis II. (alii dicunt III., ubi secundae decretum confirmatum est) „nec ad sermonem colloquii saltem communis" admisit, praecipiens „fraternitati universae ne quis eos in domum suam reciperet". Firmil. *ep. ad Cypr.* inter epp. Cypr. 75. 2° Idem Summus Pontifex hoc decretum edidit: *Si quis ergo a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* Cypr. *ep. 74. ad Pompejum.*

c) Sententia. Stephani sententia, cum ex cathedra non sit, simpliciter definitiva dici non potest. Namque hujusmodi sententia nec Pontificis severitate adversus legatos ostenditur, ut patet; neque verbis edicti proprie vereque continetur. *Jussit* enim Pontifex non rebaptizari; sed haereticos non rebaptizandos esse tanquam de fide explicite non edocuit; ergo fidei quaestio, quamvis *implicite* decideretur, *explicite* tamen sub respectu doctrinali definita non fuit.[1]) Quare S. Augustinus: „quamvis commotius, sed tamen fraterne indignarentur (Stephanus et Cyprianus); vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nul-

[1]) Cf. J. Ernst, *Papst Stephan I. und der Ketzertaufstreit* (1905), S. 70–93 et *Zeitschr. für kathol. Theolog.* 1894, S. 481 usw., explanantes, utrum Stephanus excommunicationis sententiam vere tulerit, an poenam Cypriano ejusque sequentibus tantum minatus sit.

lum inter eos schismatis malum oriretur.“ *De bapt. c. Donat.*, lib. V. 25; cf. *De unico bapt. c. Petil.* n. 23.

Instabis. Ut unitas servetur, decretis etiam illis, quae definitiva non sint, obsequendum est. Cyprianus autem cum episcopis pluribus, quos habebat secum consentientes, etsi decreto Pontificis non parebat, catholicus haberi non desiit. Ergo ecclesia Romana non est una.

Resp. Dist. maj.: Decretis etiam non definitivis obsequendum est, *conc.;* et decreta semper aequaliter urgenda sunt, *nego. Dist.* min.: Cyprianus catholicus haberi non desiit toleratus, *conc.;* approbatus, *nego.*

Gubernatores, cum et legum efficaciam et subditorum utilitatem spectent, saepenumero, si non nisi paulatim consilium suum assequantur, necessitate id sat habendum judicant; praesertim si de consuetudinibus agatur. „Consuetudines — ait Ballerini — ejusmodi diversae, quae, salva unitate, apud catholicos utrimque vigent, ita rem obscuram faciunt, ut quamvis versentur in materia sacramentorum, incertum videri possit, num ad fidem an vero ad disciplinam diversam pertineant.“ *De vi ac ratione primatus*, cap. XIII. 3. S. Augustinus Cypriani culpam hac excusatione tegens: „Quomodo enim — inquit — potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret.“ *De baptismo*, lib. II. 5. — Toleratus est igitur beatus Cyprianus, episcopus doctrina virtutibusque excellens. Nempe Stephanus, motus iis fortasse precibus, quas S. Dionysius Alexandrinus litteris datis ad ipsum direxit, ut rebaptizantibus parceret, excommunicationem proprie dictam, si Africanis ac Asianis eam forte minatus sit, non pronuntiavit. Romanus Pontifex mox martyrii laurea donatus est (Aug. 257). Cyprianus († 258) cum Sixto II. pacem habuit.

Urgebis. S. Cyprianus, etsi ab ecclesiae capite et unitatis centro dissidere ausus est, sanctus ab omnibus habetur.

Resp. S. Cyprianus sanctus habetur, satisfactione accepta, *conc.;* simpliciter comprobatus, *nego.* Hac de causa S. Augustinus: „Cyprianus — inquit — aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit regula veritatis; aut hunc quasi naevum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum *unitatem ecclesiae toto orbe crescentis et copiosissime defendit,* et perseverantissime tenuit vinculum pacis . . . Accessit huc etiam quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerit emendandum, purgavit Pater falce passionis." *Ep. 93. ad Vincentium.* — Ecclesia Romana martyrem gloriosum semper pie venerata est.

Obj. IV. Ecclesiae Romanae unitas ab uno Summo Pontifice exoritur. At saeculo XIV. de administranda re catholica tres Pontifices dimicaverunt. Igitur ea saltem tempestate ecclesia Romana decus unitatis amisit.

Resp. Dist. minorem: de administranda ecclesia dimicarunt tres Pontifices legitimi et certi, *nego;* quorum unus erat legitimus et certus, *subdist.:* ita tamen, ut ecclesiae *pars* rejecerit hunc Papam *materialiter* per errorem facti, *conc.; formaliter,* negando jus Papatus, *nego.*

Factum. Postquam Pontifices Romani annis ferme 70, unde captivitas Babylonica haec epocha dicitur, Avenione sederant a Clemente V. (1305—1314) ad Urbanum V. (1362—1370), Gregorius XI. (1370—1378 Romae vitam posuit. Anno 1378 cardinales 16 Urbanum VI. (1378 1389) elegerunt, cui paucis post mensibus Clemens VII. (1378—1394) oppositus est.[1])

[1]) De electione legitima Urbani VI. cf. Baldi de Perusio, *Allegationes pro Urbano;* Joan. de Lignano, *Tract. pro Urbano VI.;* Papebroch., *Conatus chronico-hist. catal. Pont.* Boll. Propyl. Maji; Scheuffgen, *Beiträge zu der Gesch. des grossen Schismas,* Kap. II. Contra sententiam communem historicorum catholicorum legitimam Urbani VI electionem in dubiis posuit Gayet, *Le grand Schisme d'Occident;* verum R. Jahr, in period. *Hallesche Beiträge zur Geschichtsforschung,* 1892, H. II iisdem, quae Gayet protulerat, documentis diligentius consideratis, affirmat „de valore omnimodo electionis Urbani VI. non posse admitti dubium". Urbanum VI. prius agnitum fuisse etiam a cardinalibus, qui Avenione erant, ostenditur in *Hist. Jahrb.* B. XXVI.

Urbani VI. successores legitimi fuerunt Bonifacius IX. (1389—1404), Innocentius VII. (1404—1406), Gregorius XII. (1406—1415), qui abdicavit. — Clementis VII. successor fuit Benedictus XIII. seu Petrus de Luna (1394—1417), qui depositus est.

Annis 6 (1409—1415) tres sacerdotes fuerunt, qui de Pontificatu dimicarunt. Synodus enim Pisana anno 1409 Gregorium XII. et Benedictum XIII., qui abdicare nolebant, jure privatos esse declaravit elegitque Alexandrum V. (1409—1410), cui Joannes XXIII. (1410—1415) successit.

Explicatio. Plurimi catholici legitimos Pontifices, Urbanum VI., Bonifacium IX., Innocentium VII., Gregorium XII., agnoverunt; ecclesiae tamen particulares non paucae pseudopontifici alicui adhaerebant. Sed omnes mentem gerebant a schismate prorsus aversam, huic obedire parati, qui Pontifex legitimus esse intelligeretur. In *facto* erratum est; *jus* illaesum fuit. Et quantumvis tristis ea tempestate sese offerat conspectus malorum, quibus ecclesia Christi afficiebatur, fides in *unum Pontificatum Romanum* tanquam principium vitale unitatis, omnem divisionem circa personam superavit. Cf. Christophe, *Hist. de la Papauté pendant le XVe siècle*, t. I.; Pastor, *Gesch. der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters*, B. I.

Articulus IV.

De via vera procurandi Christianitatis unitatem.

I. Unionis conamina. Saepe Romani Pontificis pacem et unionem cum ecclesiis separatis restaurare conati sunt, uti Eugenius IV. et Leo XIII. Inter acatholicos Leibniz unionis studiosissimus fuit. Qui cum saeculo XVII

(1905), S. 314—317. — Cf. Valois, L'élection d'Urbain VI in *Rev. d. quest. hist.* 1890, Oct.; Valois, *La France et le grand schisme d'Occident* (1896) et Salembier, *Le grand schisme d'Occident* (1900); L. Pastor, *Gesch. der Päpste*, B I (1901), p. 117—163. Fr. Bliemetzrieder, *Das Generalkonzil im grossen abendländischen Schisma* (1904), rationes aliquas dubitandi exponit, quibus tamen dubium vere fundari non videtur Josepho Höller in *Theol.-prakt. Quartalschrift*, 1905, p. 906—907.

fidei formulam meditatus esset, cui tum catholici quam Lutherani subscriberent, Spinola, episcopus Tinensis i. p. et Bossuet cum Molano, doctore Lutherano, et Leibniz de adducendis ad unitatem catholicam Lutheranis praeparatorie egerunt.[1]) Nostris temporibus inter alios Halifax, Ritualistarum dux, et Spencer Jones, parochus Anglicanus, multum pro pace ecclesiarum laborant. Notissima sane illa *Societas ad procurandam Christianitatis unitatem* (Association for Promoting the Union of Christendom), quae anno 1857 Londini erecta est et cujus propositum edito libro *de Anglia et de S. Sede* (1902) de novo manifestatum est [2]) Inter catholicos multi praestantissimae probitatis viri ubique terrarum de novis semper mediis cogitant, quo facilius qui dissident ad catholicam unitatem traducantur. Ecclesia catholica, quae cunctis pro pace et unione laborantibus *per se* favet, nullam tamen veram reconciliationis viam agnoscit, quae suis constitutis essentialibus atque adeo dogmatibus suis aversa sit. Quamobrem contra ac Leibniz sperabat catholici in eo permanserunt, ut omnes fidei articulos integerrimos tuerentur; quo factum est, ut controversia, cum Lutherani concilium Tridentinum suspendi reposcerent, infecta pace finiretur. Atque Leo XIII., ad Card. Gibbons scribens die 22. Jan. 1899, docet alio itinere, quam quod Christus monstrarit, eos ire, qui opportunum esse contendunt, „ad voluntates discordium alliciendas, si quaedam doctrinae capita, quasi levioris momenti, praetermittantur, aut molliantur ita, ut non eundem retineant sensum, quem constanter tenuit Ecclesia.“ Quam unitatis suae profundam conscientiam etiam sequitur Romana ecclesia, cum societati, quae dicitur „ad procurandam Christianitatis unitatem“, catholicos adscribi prohibet.

---

[1]) Bossuet, *Projet de réunion entre les Catholiques et les Protestants d'Allemagne;* F. X. Kiefl, *Der Friedensplan des Leibniz zur Wiedervereinigung der getrennten christlichen Kirchen* (1903) — De Hugone Grotio quo tenderit, cf. K. Krogh-Tonning, *Hugo Grotius und die religiösen Bewegungen im Protestantismus seiner Zeit* (1904).

[2]) Spencer Jones, *England und der Hl. Stuhl,* versio germanica cujusdam Benedictini congregationis Beuronianae (1904).

In hac ipsa prohibitione, quae vera unionis via sit, paulo diligentius considerabimus.

II. Dictae societatis indoles et ecclesiae catholicae de ea sententia. *a)* Indoles ab ipsa suprema S. Romana et universali Inquisitione his verbis describitur: „A protestantibus quippe (ea societas) efformata et directa eo excitata est spiritu, quem expresse profitetur, tres videlicet Christianas communiones Romano-catholicam, Graeco-schismaticam et Anglicanam, quamvis ab invicem separatas et divisas, aequo tamen jure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patet omnibus ubique locorum degentibus tum Catholicis, tum Graeco-schismaticis, tum Anglicanis, ea tamen lege, ut nemini liceat de variis doctrinae capitibus in quibus dissentiunt quaestionem movere, et singulis fas sit propriae religiosae professionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsa recitandas, et sacerdotibus sacrificia celebranda indicit juxta suam intentionem: ut nempe tres memoratae Christianae communiones, utpote quae, prout supponitur, Ecclesiam Catholicam *omnes simul jam constituunt*, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coeant.“ *Epistola S. Rom. et Univ. Inquis.* data die 16. Sept. 1864.

b) Per epistolam supremae S. Rom. et Univ. Inquis. data die 16. Sept. 1864, quam C. Card. Patrizi subscripserat, fideles edocti sunt, ne societati huic quoquomodo faverent, „et ne fallaci novae Christianae unitatis desiderio abrepti ab ea desciscant unitate perfecta, quae mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consistit.“ Porro cum decani, canonici, parochi aliique sacerdotes Angliae 198 eminentissimo domino C. Card. Patrizi, S. Officii praeposito, respondissent, se quaestionem *facti* non *juris* tractasse, neque aliud sese a Deo O. M. enixe rogare, quam illam „quae ante Orientis et Occidentis scissionem, intercommunio oecumenica extitit“, Card. Patrizi die 8. Novembris 1865 ad litteras honorabilium dominorum rescribens, haec inter alia declaravit: „Id porro Sacra Congregatio vobis contigisse vehementer dolet existimantibus, ad veram Jesu Christi Ecclesiam pertinere, tamquam partes, Christianos illos

coetus, qui sacerdotii et catholici nominis haereditatem habere se jactant, licet sint ab Apostolica Petri Sede divisi ac separati. Qua opinione nihil est, quod magis a genuina catholicae Ecclesiae notione abhorreat. Catholica enim Ecclesia . . . ea est quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit."

Quamobrem non quaevis precum societas ad procurandam Christianitatis unitatem respuitur, siquidem Gregorius XVI., Pius IX. et Leo XIII. iis indulgentias concesserunt, qui dissidentibus reconciliatam cum ecclesia catholica concordiam imploraverint; at quod Christifideles *juxta intentionem societatis memoratae* pro Christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest.

III. Ecclesia Romana societati, quae dicitur „ad procurandam Christianitatis unitatem", catholicos adscribi jure optimo vetuit. 1° Societas enim Londinensis fundamento innititur, quo divina ecclesiae constitutio subvertitur. Et vero societas illa supponit, veram Christi ecclesiam constare partim ex Romana ecclesia, partim ex Photianorum et Anglicanorum coetibus. Omnes autem catholici profitentur, Photianum coetum schisma esse, Anglicanum haeresin. Praeterea preces ab ea societate et sacrificia indicuntur, ut a Deo gratia cujusdam unitatis impetretur, quae non sit ecclesiae Romanae unitas. Quod sane idem est ac unitatem veram ecclesiae Romanae negare, *aut* ut unitatem illam deserat, irreligiose orare. Quamobrem catholici societati memoratae adscribi jure optimo prohibentur.

2° Catholici, qui in societatem Londinensem conspirant, indifferentismo favent et scandalum ingerunt.

Indifferentismo favent. Societatis enim illius conditores et rectores asserunt, tres ecclesias esse *tres ejusdem verae* religionis Christianae formas; unam eandemque ipsarum manere fidem; quo fit, ut in Photianismo et in Anglicanismo aeque ac in ecclesia catholica Deo placere datum sit. Ex quo licet intelligi, catholicos, si dictae societati inscribantur *scandalum ingerere* 1° acatholicis, cum facile

futurum sit, ut ipsi studium unitatis Romanae deponant ex vana illa exspectatione, ut tres communiones integrae et in sua quaeque persuasione persistentes simul in unum coeant; 2° catholicis, cum sit timendum, ne fallaci novae Christianae unitatis desiderio abripiantur, qui societati isti favent.[1])

IV. Duo dubia solvuntur. 1° Societas — ajunt — Londinensis in programmate suo non affirmat, tres communiones catholicum nomen *aequo jure* sibi vindicare, sed societatis fundatores *facti*, non *juris*, quaestionem tractarunt. Jam nihil est, quod in ejusmodi assertione catholicos deterreat. Ergo societas Londinensis absque causa culpatur. *Respondeo*, quaestionem *juris* non tractari his ipsis verbis, sed tractari *re*. Societas illa catholicitatis *factum* tribus communitatibus attribuit. *Factum* autem verae catholicitatis *tribus* communitatibus attribui nequit, quin *jus unitatis* negligatur. Catholicitas enim absque unitate non dicitur. Ergo quoniam unitatis et jus et factum ex irreformabili Christi institutione *simul semper* in ecclesia Ejus adsunt tanquam certissima nota, qua vera ecclesia semper a sectis quibuscunque tuto et facile secernatur, *allegata* distinctio seu abstractio *juris* a *facto* catholicos jure meritoque deterret: *jus* scilicet *unitatis* ea distinctione, implicite saltem, negatur.

2° Ad ea, quae dicta sunt, plures afferunt, quod societas Londinensis non aliud desiderat quam illam, quae ante Orientis et Occidentis scissionem intercommunio oecumenica exstitit, unius ejusdemque fidei catholicae professione stabilitam et compactam. Et id adjuvare — hic addunt — catholicis licet. At fieri non potest, ut societas Londinensis intercommunionem dictam desideret, illaesa unitate Romana. Haec nimirum ab adversariis indirecte saltem rejicitur. Nam supponunt, tres communiones, *in sua quamque persuasione adhuc persistentes et nondum a suis erroribus ereptas, veram efficere ecclesiam*. Sed si tres communiones, erroribus non obstantibus, *vera* ecclesia esse censeantur, infallibilitate

[1]) Cf. Manning, *England and Christendom*, p. 137 et sqq.; Newman, *Notes of a Visit to the Russian Church*. By the late William Palmer, M. A. Selected and arranged by Card. Newman.

procul dubio singulae carent, quandoquidem infallibilitas errorem excludit. Ex quo consequens est, *a)* ut ecclesiae Romanae principium unitatis efficacissimum, infallibilitas, abjudicetur; *b)* ut communiones in sua quaeque persuasione persistentes simul in unum coire possint, cum judex infallibilis, ad diffiniendum, quaenam communionem persuasio sit erronea necne, nusquam adesse videatur.

Denique intercommunio oecumenica ante schisma Photianum Oriente toto viguit, quia Orientales ecclesiae nondum a debito Apostolicae Cathedrae obsequio desciverant. Neque ad optatissimam hanc intercommunionem restaurandam satis est, „simultates et odia in Romanam Ecclesiam deponere, sed omnino, ex praecepto et instituto Christi" oportet „Romanae Ecclesiae fidem et communionem amplecti". Card. Patrizi in epist. 8. Nov. 1865. — Cf. Leonis XIII. Ep. apost. 14. April. 1895 *Ad Anglos regnum Christi in fidei unitate quaerentes.*

Quaestio VII.

De ecclesia, cui sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis notae competant.

Notae gratiam illam manifestant, quae a capite Christo in ecclesiam, corpus Ejus mysticum, profluit. Coetus religiosus, si gratia illa destituatur, nulla nota effulgebit; si gratia non destituatur, ceterae notae, ubi una ex iis adest, abesse nequeunt: in eadem enim *causa,* quae est Christus, quatuor notae conjunguntur. — Porro superius probavimus, unitatis nota tam protestantes quam Photianos carere; at eam in ecclesia Romana reperiri. Ex quo indirecte efficitur, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem, quae cum unitate intime cohaerent, ecclesiae Romanae soli competere. Restat, ut de notis illis directe agamus; hoc enim pacto ecclesiae Romanae veritas magis elucescet. Quaeritur autem

Primo. *Utrum sanctitas, catholicitas et apostolicitas ecclesiis protestanticis competant*

Secundo. *Utrum notae illae Photianismo competant.*

Tertio. *Utrum ecclesia Romana sancta sit.*

Quarto. *Utrum ecclesia Romana sit catholica.*

Quinto. *Utrum ecclesia Romana sit apostolica.*

Articulus I.

Utrum sanctitas, catholicitas et apostolicitas ecclesiis protestanticis competant.

Observationes quatuor generales. 1° Notas recensitas eo, qui supra (quaest. V. art. 1.) stabilitus est, sensu intelligimus; spectantur ergo et *facta* et *principia*, atque notae tam *formaliter* quam *materialiter*. 2° De sanctitate disserentes eam notam *ecclesiis* protestanticis competere negamus, sed omnes, qui hunc errorem bona fide sequuntur, Deo displicere nequaquam affirmamus. 3° Quod ad Anglocatholicos seu *Ecclesiam constitutam* pertinet, hoc omitti non potest, spem catholicitatis absque centro unitatis inanem esse et titulum sine re. 4° Apostolicitati demonstrandae non satis est quascunque omnium aetatum haereses undique colligere, sed successio publica, non interrupta, legitima omnino requiritur. Recolantur quae de singularum notarum indole disputata sunt.

Thesis: *Sanctitas, catholicitas et apostolicitas ecclesiis protestanticis non competunt.*

Argumenta.

A.

Sanctitas ecclesiis protestanticis non competit.

Arg. I. *Ex principiis et aliquibus doctrinis protestantismi.* Protestantismi *a)* principia; *b)* multa doctrinae capita sanctitati contraria sunt. Ergo protestantismus ratione doctrinae non est sanctus. Prob. *antec.*

a) Principia fundamentalia sunt: *sola Scriptura* et *sola fides*. Haec autem pugnant cum sanctitate doctrinae.

1° *Sola Scriptura.* Hoc principium Christi doctrinam *spiritui privato* tradit. Sed fieri non potest, ut doctrina sublimissima morumque corruptelae maxime contraria, sanctitate integra servetur, nisi auctoritas legitima privatas opiniones corrigat. Ergo protestantismus doctrinae sanctitati essentialiter adversatur. Adde quod spiritus privatus, auctoritate despecta, mentis superbiam alit.

2° *Sola fides.* Hoc principium *caritatis* excellentiam despicit, ut apparet ex libro, quem Luther *De captivitate Babylonica* inscripsit, et ex ejusdem epistola, anno 1521 ad Melanchtonem scripta, in qua legitur: „*Esto peccator et pecca fortiter: sed fortius fide.*“ [1]) — Idem principium et tres alii errores inter se cohaerent, quorum primus est hoc notum: *justificatio per imputationem mere extrinsecam;* secundus *negatio liberi arbitrii* seu libertatis a necessitate, post Adae lapsum in homine relictae (Luther, *De servo arbitrio;* Calvinus, *Instit.* lib. II. cap. 2. et 3.; tertius *decretum horribile* seu systema reprobationis positivae, quae non sit ex praevisis demeritis. (Calv. *Instit.* lib. III.) — Protestantismus nova quidem reformatione hos errores partim reformavit; hac autem ratione non delevit originis suae maculam, sed injustitiam defectionis ab ecclesia catholica testatur. Quod Krogh-Tonning sincere exponit in suo libro *De gratia et de libero arbitrio* etc. (1898), ubi p. 87 sic concludit: *Protestantismus positive credens, ergo, „tacita reformatione“ intus commotus, quoad doctrinam de gratia Christi et de libero arbitrio, paulatim revertit ad principia Ecclesiae veteris et medii aevi, praesertim per instaurationem principiorum ethicorum, quibus reformatio saeculi XVI., qualis principalis erat ejus forma, locum satis amplum non concesserat.*

b) Doctrinae capita sanctitati contraria. 1° Contemptus

[1]) Bossuet ait: Qui eût cru que la réformation dût enfanter un tel prodige, et que cette proposition, „les bonnes oeuvres sont nécessaires au salut“, pût jamais être condamnée? Elle le fut par Mélanchton et par tous les luthériens, en plusieurs de leurs assemblées, et en particulier dans celle de Worms en 1557. *Histoire des Variations,* liv. V. — Cf. H. Denifle, *Luther und Luthertum.* Dritter Abschnitt, et *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über* Justitia Dei (Rom. 1, 17) *und* Justificatio (1905).

jejunii, virginitatis, consiliorum evangelicorum, invocationis Matris Dei, cultus sanctorum et rerum plurimarum, quae sanctimoniae subsidia aut fructus merito habentur. 2° Error de divortiis et repudiis, quem patres Tridentini anathemate perculerunt. Sess. XXIV. can. V.: Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; a. s. — Item can. VII.: Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere: moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit; a. s. — Constat consultis et „dispensantibus" Luthero, Bucero et Melanchtone Philippus, Hassiae landgravius, anno 1540 vivente Christina, uxore legitima, Margaritam de Saal matrimonio sibi junxisse. 3° Effatum statolatriae: *cujus regio hujus et religio.* 4° Superstitiosa sectarum, quae fanaticae dicuntur, vecordia earumque falsa de pietate opinio. 5° Modernorum naturalismus aversaque supernaturalibus praedicatio, quae in medio protestantismo grassatur.

Arg. II. *Ratione sacramentorum.* Eo nomine *a)* ipsa sacramenta, *b)* sacrificium, *c)* hierarchiam, *d)* liturgiam complectimur. Sed in his omnibus protestantismi sanctitas deficit. Ergo protestantismus ratione sacramentorum non est sanctus. Prob. *minor.*

a) Sanctissima septem sacramentorum plenitudo in protestantismo ad unum alterumve decrevit; imo vero non desunt moderni, qui ne unicum quidem baptismi sacramentum admittant. Accedit quod protestantismus de sacramentorum sanctitate multum derogavit, docens per novae legis sacramenta *ex opere operato* non conferri gratiam.

b) Protestantismus contra antiquissimum ecclesiae consensum (cf. p. 143.) S. Missam ut „idolatriam papisticam" et „impiam fabulam" detestari consuevit; in Germania, Anglia, et Hollandia *Missae odio* perdiu tabuit. Id pro-

bant Lutheri liber *De missa privata;* Calvini *Institutiones,* lib IV. cap. 18.; ecclesiae Anglicanae *art.* 31.; sermones Knox, etc.

c) Hierarchici *instituti* sanctitas — de *personis* enim jam non agitur — in protestantismo deleta est, defectu *ordinationis,* quam omiserunt aut essentialiter corruperunt; defectu *missionis,* quia Romano Pontifice spreto reformatores nullum auctoritatis suae *titulum* proferunt; defectu *ministrationis,* quia nec sacra faciunt, neque auctoritate divinitus accepta populum Dei regunt.

d) Liturgia sacramenta, sacrificium, hierarchiam comitatur. Atqui haec omnia propemodum in protestantismo interierunt. Ergo nec liturgiae sanctitas permansit.

e) Ordine everso novatores spreverunt illud Aegidii Viterbiensis: *Homines per sacra immutari fas est, non sacra per homines.*

Arg. III. *Ratione membrorum.* Protestantismi nec auctores principales, neque fructus sancti fuerunt. Ergo ratione membrorum sanctus dici non debet. Probatur *antec.*

a) Auctores principales fuere *Luther,* vir truculentus, superbus, maledicus, Librorum divinorum adulterator, votorum transgressor, potationibus nimis indulgens, auctoritatis contemptor, populi turbator, quem convicii nullius nulliusque sordidi dicti unquam suppuduit.[1]) — *Calvinus,* homo frigidus, mordax, crudelis, arrogans infallibilitatis suae vindex, veteribus ecclesiae patribus despectis, Luthero hanc laudem tribuit: „testamur, eum nos habere pro *insigni Christi apostolo.*[2]) — *Henricus* VIII., adulter et inter-

[1]) Cf. Lutheri *Opera,* non excepto libro, qui inscriptus est: *Tischreden;* Denifle, *Luther und Luthertum* (2. Aufl.); G. Evers, Los von Rom, *Geburtsgeschichte der Los von Rom-Bewegung im 16. Jahrhundert* (1902); A. Baudrillart, *L'Église cath., la Renaissance, le Protestantisme* (1904); Grisar, *Der „gute Trunk" in den Lutheranklagen.* Hist. Jahrb. 1905, S. 479—507; Dr. Paulus, *Die deutschen Dominikaner im Kampf gegen Luther* (1903).

[2]) Resp. contra Pugium, *De libero arbitrio.* Cf. Audin, *Histoire de la vie, des ouvrages et doctrines de Calvin.* Bossuet ait: „S'il faut faire la comparaison de ces deux hommes, il n'y a personne qui n'aimât mieux essuyer la colère impétueuse et insolente de l'un

fector. — *Elisabeth* Henrici, patris sui, dissimulatione immutata effigies.

b) Protestantismus sanctitatis fructus non tulit. 1° *Luther* ait: „Mundus in dies fit deterior; sunt nunc homines magis vindictae cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati, multoque deteriores quam fuerunt in papatu.“ *Postilla in Evang. dom. I. Adv.* — *Melanchton* queritur: „Saeculum est plenum sceleris et furoris et magis amans sycophantiarum, quam fuit illa aetas. Omnino crescit manifestus contemptus religionis. Majorum nostrorum saeculo nondum fuit talis ingluvies, qualis apud nostros homines magis magisque crescit. Ideo veniunt bella, explicationes immodicae et aliae calamitates magnae, quia certatim student omnes obtinere immoderatam libertatem et infinitam licentiam omnium cupiditatum suarum.“ — *Erasmus:* „Scio — inquit — nusquam fuisse majorem luxum, plus adulteriorum, quam inter evangelicos, sic enim appellari gaudent. Nonne Lutherus dixit, se malle pristinum papae et monachorum regnum, quam hoc hominum genus sub Evangelii praetextu in Sogdianorum vitam sese proripientium? Nonne idem suis ad me literis deploravit Melanchton? Nonne idem in colloquio fassus est Oecolampadius? ... Quum tam multa submoveant, nihil succedit melius.“ Haec reformationis primordia fuerunt. Merito *Dietrich*, protestans, eodem tempore scripsit: „crescit cyclopica feritas ubique.“ *Enarr. Psalmi secundi* auctore Luthero. Sane doctrina protestans tantae corruptelae conducebat.[1])

2° Praeterea protestantismi sanctitas veris vitae supernaturalis indiciis nullo unquam tempore manifestata est.

(Lutheri), que la profonde malignité et l'amertume de l'autre, qui se vante d'être de sang-froid, quand il répand tant de poison dans ses discours.“ *Hist. des Variations,* liv. IX.

[1]) Cf. Döllinger, *Die Reformation,* passim; Janssen, *Geschichte des deutschen Volkes,* B. II et III, passim; Hohoff, *Die Revolution;* A. Weiss, *Apologie des Christentums,* B. V.; Nicolas, *Du protestantisme,* t. II. livre III. ch. 4. — Ad rem Bossuet: „Ainsi la réformation véritable, c'est à dire celle des moeurs, reculait au lieu d'avancer, pour deux raisons: l'une, que l'autorité était détruite; l'autre, que la nouvelle doctrine portait au relâchement.“ *Histoire des Variations,* liv. V.

Deest ipsi heroica sanctorum virtus; jacent evangelica consilia; non florescunt instituta, heroismo caritatis, apostolatus, poenitentiae, abnegationis praeclara: missiones heroicarum virtutum fructibus aut eorum, qui praedicant, aut eorum, qui errores suos relinquunt, neque vera martyrum caterva sunt insignes.

3° Nulla denique in protestantismo miracula conspiciuntur, neque spes miraculorum aliqua. Luther ait: „A nobis qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent.“ *De servo arbitrio.* Calvinus ad regem Galliae scribit: „Quod miracula a nobis postulant, improbe faciunt.“ *Instit.* Praef. Erasmus affirmat: „Nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.“ *Diatrib. De libero arbitrio.* — Ad hanc horam miraculorum charisma haud magis quam Erasmi temporibus in protestantismo apparuit.

B.

Catholicitas ecclesiis protestanticis non competit.

Arg. I. Catholicitas est ecclesiae proprietas, qua conspicue numerosa et ubique una per omnes pene mundi terminos emanat. Atqui haec proprietas protestantismo non competit. Ergo protestantismus catholicitate non signatur. Prob. *minor.*

a) Protestantismus non est unus, uti supra probatum est. Ergo nec catholicus.

b) Nec in extensione nec in expansione protestantismi nota catholicitatis *formaliter* elucet. Numero et ambitu satis est conspicuus, ita tamen, ut coetus protestantici, qui plus ducentas sectas efficiunt, catholicis numero longe sint inferiores. Extensio autem illa *materialis* minime signata est signo catholicitatis, quod ex voluntate Christi ecclesiae verae competit. Etenim 1° in Europa ferro atque igni primum et modo nimis humano propagatus est; 2° mox in se divisus non *dilatatio unius* coetus fidelium, sed cohabitatio discrepantium sententiarum sub uno tecto acatholicitatis facta est; 3° missionum opus, cum annis 130 de propagando Christi nomine inter paganos non cogitasset, Joannes Elliot, Anglica civilitate compellente anno 1846,

primus in Americae septentrionalis coloniis aggressus est; postea missionum opus diu fructus relative exiguos tulit; recentioribus temporibus majorem quidem successum habuit, sed generatim nec quantitate neque qualitate majorem quam qui vi et clientela obtineri potest; 4° tam intra missiones quam extra illa principia dissolventia catholicitatem seu coetum *ubique unum* perrodunt, quae protestantismi, *qua* talis, visceribus inhaerent.[1])

Arg. II. Protestantismus — quod Ehrhard recte observat — ab initio usque in hodiernum diem movetur sub signo *revolutionis*, rerum traditarum audax contemptor, novis rebus plus aequo studens; sub signo *subjectivismi extremi*, quo factum est, ut individuorum potius systemata, quam veritas Christiana, objective data, per diversitatem gentium dispergerentur; sub signo *nationalismi* et *ecclesiarum nationalium*, in quibus Christianitatis non nisi fragmentis et fractionibus esset locus; sub *signo defectionis et apostasiae* ab essentia religionis Christianae, *qua* religionis supernaturalis, ita ut praedicatio evangelica in propagationem rationalismi et naturalismi transiret.[2]) Protestantismus igitur natura sua et origine non est catholicus, sed notae catholicitatis negatio.

C.

Apostolicitas ecclesias protestanticis non competit.

Arg. I. Ecclesia dicitur apostolica, si *a)* per legitimam pastorum successionem, *b)* ab apostolis nunquam interruptam, *c)* in identitate doctrinae, sacramentorum et regiminis continuatur. Haec autem in protestantismo nullo modo conspiciuntur. Haec ergo religio dici nequit apostolica. Prob. *min.*

---

[1]) Cf. Wiseman, *Lectures on the cath. church*, lect. V.; Marshall, *Les missions chrétiennes;* librum anglice scriptum gallice reddidit De Waziers. — Macaulay, Essay on Ranke's *History of the Popes;* Hist.-polit. Blätter, 1893; Ragey, *Les missions anglicanes* (1899); P. Pisani, *Les missions protestantes à la fin du XIXe siècle* (2. édit. 1903).

[2]) Cf. A. Ehrhard, *Der Katholizismus* (1902), S. 116—122.

a) Ad legitimam pastorum successionem requiritur 1° ordinatio valida; 2° missio legitima ab iis, qui apostolis successerunt. At neutrum in protestantismo reperitur. Igitur apostolicus non est.

1° *Ordinationis validae* generatim ne umbra quidem profertur. Id inter omnes constat. Validitas autem ordinum in ecclesia Anglicana seu *constituta*, etiamsi *firmissimae* negandi rationes non suppeterent,[1]) non nisi paucis, membris scilicet ecclesiae *constitutae*, quidpiam opitulari posset.

2° *Missio legitima* in protestantismo ex stirpe deleta est. Nam reformatores neque *ordinariam* neque *extraordinariam* missionem sibi vindicare potuerunt. Non *ordinariam*, quoniam ejusmodi missionem ab ecclesia jam exsistente obtineri oportuit; reformatores autem ab ecclesia jam exsistente non missi sunt, sed contra eam rebellarunt ac protestati sunt. Neque *extraordinariam*, quae gratis asseritur; cui facta contradicunt; quam Servator a missione legitima et ordinaria nullo unquam tempore separandam esse docuit. Firma plane est ea ratio; nec mirum, Lutherum intra annos 24 sententiam de missione sua contra ecclesiam catholicam *quaterdecies* mutavisse.[2])

b) Multo minus protestantismus publica successione *usque ad apostolos* adscendit. Id duo probant.

1° Inter reformatores convenit ecclesiae primordia et „evangelium purum' magno illo, quo ecclesiae doctrina, sacramenta, regimen corruptissima erant, intervallo dividi.[2]) Ergo protestantismi connexio cum ecclesia apostolica interrupta est. Consequentia patet. Connexionem scilicet

---

[1]) Cf. E E Estcourt, *The question of Anglican ordinations* et Gallwey, *Anglican Orders*, inter alia pag. 601 et seqq., ubi emendatur opinio rev. D. Estcourt de decreto Rom., diei 10. Aprilis 1704. — Leo XIII. in bulla *Apostolicae curae* 13. Sept. 1896, decessorum suorum decreta confirmans ac veluti renovans, declaravit „Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas". Cujus dein declarationis fundamentum solidum monstravit card. Vaughan, *A vindication of the bull Apostolicae curae* (1898).

[2]) Döllinger, *Die Reformation*, Bd. III, S. 213—223.

disrupit *Babylon, Antichristi regnum, apocalyptica bestia;* sic enim ecclesiam Romanam reformatores indicare solebant. Ita Calvinus asserere potuit: „Papae tyrannide abrupta fuit vera ordinationis series; novo subsidio nunc opus est ad ecclesiae instaurationem.“ *Ep.* 190. Sed quidquid de „Papae tyrannide“ reformatores saeculi XVI. docuerunt, praeter ecclesiam Romanam indubitanter per plura saecula nulla erat Christiana ecclesia.[1]) — Accedit quod ecclesia vetus plurima reformatorum dogmata jam dudum damnaverat.

2° Protestantismus est ecclesia *nova.* Ergo non apostolica. *Antec.* factis publicis palam est. Protestantismus enim ecclesiam, quae per successionem non interruptam Romanorum Pontificum ad beatum Petrum adscendit, rebellis reliquit. Ideo, ut S. Cyprianus in *ep. ad Magnum* Novatiano exprobrat, *nemini succedens a seipso ortus est.* Praeterea haereseos illius initia saeculo XVI. affixa sunt; quis enim ante Lutherum Lutheranos, Calvinistas ante Calvinum vidit? Quapropter adversus protestantismum eadem, qua Tertullianus *Adv. Prax.* 2., ratiocinatione utimur: *Novelli estis, posteri estis, hesterni estis.*

c) Protestantismus perpetuo doctrinam suam mutat. Ergo non est apostolicus. Inde a saeculo XVII., quo Bossuet de *Variationibus* scripsit, protestantismus tantum ab eo errore mutatus est, quem primi novatores docuerunt, vix ut opus suum redivivi agnoscerent.

Objectiones.

Obj. I. Protestantes Veteris et Novi Testamenti libros suam et credendi et agendi regulam esse profitentur. Ergo sanctitate non orbati sunt.

Resp. Dist. antec.: protestantes eos libros suam cre-

---

[1]) Guizot, protestans, ait: „Je porte à l'Église catholique un profond respect. *Elle a été, pendant des siècles, l'Église chrétienne de toute l'Europe*“ Études morales. 1851. — De defectu catholicitatis et apostolicitatis in Anglicana ecclesia consule Du Perron († 1618), *Opera* t. II adversus Casaubonum.

dendi agendique regulam esse profitentur, imperfectissime, *conc.;* perfecte, *nego.*

Protestantismus, quam in ea re sit imperfectus, quatuor ostendunt. *a)* Librorum non paucorum authenticitas a multis rejicitur; *b)* plures inspirationem divinam non credunt; *c)* spreta ecclesiae auctoritate S. Scripturam imbecillitati spiritus privati tradiderunt; *d)* Lutherus, Calvinus et sectae fanaticae Scripturas suis impiis absurdisque doctrinis profanarunt.

Praeterea protestantismus, etiamsi Scripturas divinas integerrime conservasset, non ob eam solam custodiam sanctitatis nota fulgeret; cum nullus codex, ne sacerrimus quidem, supernaturalem ecclesiae vitam solus patefaciat.

Instabis. Multi saepe protestantes probitate ac moribus insignes fuerunt; instituta pia, orphanotrophia etc. ab iis fundata sunt. Protestantismus igitur sanctus est.

Resp. Dist. antec.: protestantium et hominum et institutorum sanctitas aut *naturalis* est aut *ordinaria, conc.; heroica* et *supernaturalitatis extraordinariae, nego.*

Haec propositio: „Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia" contra Bajum, et altera: „Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia" contra Paschasium Quesnellum a Romanis Pontificibus damnatae sunt. Cf. Pii V. bullam: *Ex omnibus afflictionibus,* 1. Oct. 1567; Clementis XI. constitutionem: *Unigenitus,* 8. Sept. 1713. A fortiori virtutes quaedam naturales in protestantibus reperiuntur, qui fide bona errent. Quin etiam, cum baptismate et fide satis explicita in SS. Trinitatem et Verbum incarnatum Christo conjungantur, fieri potest, ut virtutibus supernaturalibus Deo placeant et institutorum piorum aliqua lux coram hominibus luceat. Quis autem dixerit, haec effectus esse principiorum, quae sunt *specifice* protestantica, puta *spiritus privati* aut *justificationis per fidem solam?* Imo *his non obstantibus* gignuntur. Virtutes autem *heroicae* et supernaturalitas *extraordinaria,* relucens in sanctis, miraculis, charismatibus, inter sectas frustra quaeras. Jacent consilia evangelica; nullus sacerdos ut S. Vincentius a Paulo; nullus monachus ut S. Bernardus, nullus rex ut

S. Ludovicus; nullus doctor ut S. Thomas Aquinas. Quid multa? typus *sacerdotis, monachi, martyris, virginis Deo sacrae* inter protestantes exstinctus est.

Urgebis. Protestantismus sanctus est, si suo influxu ipsam ecclesiam Romanam reformavit. Jam exorto protestantismo ecclesiae Romanae reformatio secuta est. Ex quo sequitur, ut opus novatorum fuerit insignite sanctum.

Resp. Dist. maj.: Si protestantismus emendandae ecclesiae Romanae *causa* fuit, *conc.; occasio, nego. Dist.* min.: exorto protestantismo ecclesia Romana reformata est, vi protestantismi, *nego;* virtute intrinseca, *conc.*

Sophisma est: *post, ergo propter hoc.* Jam vero protestantismus neque doctrina sua, neque exemplo Romanos emendavit, quandoquidem *doctrina* ejus ab ecclesia Romana prorsus rejecta est; *exemplum* vero hujusmodi, ut Lutherus, Melanchton ceterique novatores sequacium suorum perversitatem horruerint. Nullum sane bonum morale haeresis illa mundo *per se* donavit; *per accidens* autem, ut morbus animo, pluribus catholicis profuit, quos Dominus *castigando* erudivit.[1]) Iterum dico, protestantismus nullum bonum morale *novum* mundo donavit, nec individuo, neque familiae, neque societati. In bonis, quae manifestat, heres est antiquae ecclesiae.

Obj. II. Protestantismus toto orbe propagatur. Ergo catholicus est. Patet *antec.* ex magno numero eorum, qui praedicandi causa a societatibus biblicis aliisque id genus institutis in omnes mundi partes mittuntur; ex coetibus protestanticis, ubique sparsis, etc.

Resp. Dist. antec. et probationem antec.: ista propagatione acquiritur catholicitas *materialiter, transeat; formaliter, nego.* Catholicitas *formaliter* haberi sine unitate nequit. Idcirco protestantismus, carens principio unitatis, a vera catholicitate *essentialiter* alienus est. Quantum ad activitatem et zelum missionum, vulgo fatebuntur, magnam vim auri in evangelizandis gentilibus impendi, pluresque viros

---

[1]) Cf. Balmès, *Le protestantisme comparé au catholicisme dans ses rapports avec la civilisation européenne.*

dignos et laboriosos operam dare, ut sedentibus in umbra paganismi lux evangelica oriatur. Sed fertilitas quantitativa et qualitativa maximis subsidiis non proportionatur; virtutes apostolicae multo magis in missionibus catholicis elucent; magna sectarum diversitas efficit, ut cum fide partiali divisio simul propagetur, et ut ethnicis multis non elucescat illa religio, quam Conditor sub imagine *unius ovilis et unius pastoris* descripserat.

Instabis. Celerrima propagatio *catholicitatis* habetur *indicium.* At protestantismus, ut primum Luther exsurrexit, celerrime Europa tota propagatus est. Ergo est catholicus.

Resp. Dist. maj.: Celerrima propagatio indicium catholicitatis habetur, in quibusdam adjunctis, *conc.;* per se sola, *nego.* Pariter *dist.* min.: protestantismus celerrime propagatus est modo divino, *nego;* modo prorsus humano, *subdist.:* multis Europae partibus, *conc.;* Europa tota, *nego.*

Facilius creduntur, quae homini terreno (cf. I. Cor. XV. 47.) placent. Porro evangelium, quod a reformatoribus praedicatum est, 1° proposita nescio qua spiritus et conscientiae libertate, effrenationis studia pellexit, qua homines, *auctoritatis impatientes*, saepenumero in haereses prolapsi sunt; 2° spretis jejuniis, coelibatu, legibus ecclesiasticis, oblata hominibus salute ex *fide sola,* bonis ecclesiasticis principum cupiditati assignatis et suggesto rerum mutationis cupidis praetextu bellandi et rebellandi, multitudinem ingentem illecebra aut delicate vivendi aut liberius peccandi attraxit; 3° cum ea esset temporum conditio, ut non pauci paganorum doctrinas animo imbibissent, disciplina vero in multis utriusque cleri membris propemodum desiisset, fieri non potuit, quin error in praedispositos grassaretur. Nec ignari sumus, protestantismum latis atrocissimis legibus in catholicos saeviisse.

Obj. III. Apostolicitate non caret ecclesia, cujus doctrina ex apostolorum scriptis hauritur. Et protestantium doctrina ex eo sacro fonte sumpta est. Protestantismus ergo apostolicus censeri debet.

Resp. Dist. maj.: apostolicitate non destituitur ecclesia, cujus doctrina ex apostolorum scriptis colligitur *auctoritate*

legitima, conc.; nulla legitima auctoritate, nego. Quod ipsum notis investigandum est, nota dici nequit. Quamobrem factum externum et publicum apostolicitatis requiritur, ut pateat, utrum penes protestantes verus Scripturarum intellectus sit, an in ecclesia Romana. Factum porro publicum apostolicitatis est *legitima pastorum successio.* Nobis igitur jus est compellandi protestantes fundatissima hac veterum sententia: *Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum.* Tert. *De praescr.* XXXII.

Dices. A principio non defuere, qui spiritum privatum ecclesiae auctoritati opponerent, uti vetera haereticorum monumenta probant. Per eos autem apostolorum ecclesia ad protestantes derivatur.

Resp. Dist. maj.: A principio non defuere, qui spiritum privatum ecclesiae auctoritati opponerent, per successionem legitimam et non interruptam ab apostolis, *nego;* secus, *transeat.*

Quotquot ecclesiae auctoritatem spreverunt, 1° recentem originem suam prodiderunt, cum eam, quae ante ipsos erat, ecclesiam reliquerint; 2° nullum *successionis* legitimae exhibuerunt indicium, cum sola *dissidentia,* tam ab ecclesiae auctoritate quam inter se sectae, pullularint. Longum est omnes commemorare haereses, quibuscum protestantes, ut apostolicitatis speciem prae se ferrent, sese communicare pro certo affirmarunt; at undecunque genus suum repetunt, haereses et modernae et antiquae *novitate* sua condemnantur.

Articulus II.

Utrum sanctitas, catholicitas et apostolicitas Photianismo competant.

I. Ecclesiae schismaticae nomen Photianismi acceperunt. Tantum abest, ut omnes et *singulos* schismaticos coram Deo malos esse asseramus, ut eos, qui bona fide coetus illius membra sunt, in veritatibus et sacramentis, quae Photianismus ab ecclesia Romana accepit, efficacissima salutis aeternae media nancisci confidamus. At quaeritur, utrum notae Photianae *ecclesiae* competant.

Thesis: *Sanctitas, catholicitas et apostolicitas Photianismo non competunt.*

Argumenta.

A.

Sanctitas Photianismo non competit.

Arg. I. Photianismus neque in doctrina, neque in sacramentis, neque in membris ad bonum divinum ordinatus esse apparet. Ergo sanctitatis nota orbatus est. Prob. *antec.*

a) Ratione doctrinae. Rejecto infallibili et vivo magisterio, doctrinae sanctitas aut privatorum erroribus aut statu *stagnantiae* profanatur. Atqui magisterium infallibile et vivum in Photianorum ecclesia nullum designatur. Ergo doctrinae sanctitas corruit. Quod idem res docuit, cum dogmata in Photianismo formam cadavericam induisse videantur. Ea silentio praetereo, quae de Raskolnicorum et Palamitarum erroribus alias retulimus.

b) Ratione sacramentorum. Ad sacramenta hierarchia quoque pertinet. Atqui hierarchicus ordo a Photianis vere profanatus est. Etenim Photianismus totus primum patriarchae Cpolitano, deinde maxima pars *synodo sanctae* Petri Magni paruit, quod nullo sane *juris divini* titulo, sed ex profano Basileolatriae et Caesaropapismi motivo factum est. Ergo Photianismus ipsam sanctam hierarchiae rationem profanavit.

c) Ratione membrorum. Photianismus auctores perversos habuit; veri nominis sanctos non genuit; miracula, quae sanctitatis signa sunt, non patravit. Ergo sanctitate destituitur.

1° *Auctores praecipui* sunt Photius, Michael Caerularius, Georgius Cyprius, Marcus Ephesinus, Petrus Magnus, imperator. Jam vero *Photius* a synodo oecumenica VIII. ob facinora nefaria damnatus est; ipsum ambitiosum, potestatis modo contemptorem modo adulatorem, falsarium et fraudibus plenum fuisse inexpugnabilibus historicorum pro-

bationibus constat.[1]) *Caerularius* autem Photii mores, non ingenium, referebat. *Georgius Cyprius* fidem Romanam, quam impense defenderat, ambitiosa petitione patriarchatus negavit atque Joannem Beccum, patriarcham legitimum, de sede Cpolitana dejecit. *Marcus Ephesinus* in concilio Florentino et redux in patria mendaciis, textibusque adulterandis paci ac unioni ecclesiasticae turbulenter offecit. *Petrus I.*, imperator, procul dubio sanctitatis gratia cognomen *Magni* non habuit.

2° *Veri nominis sancti* inter eos, qui extra communionem Romanam decesserunt, non reperiuntur. Sancti vero, quos schismatici in menologiis suis et hagioptychis recensent, aut unitatem Romanam non reliquerunt, aut vera sanctitate caruerunt. Quod liquet 1° ex defectu argumentorum, quibus Graeco-Russi vel unius hominis schismatici sanctitatem confirment; 2° ex ordinatione divina. Nam eximium charisma sanctitatis promissum est coetui unitatis; schismatici autem extra communionem Romanam, cujus unitatem probavimus, moriuntur.[2]) Ceterum instituta religiosa, societates piae etc. in Photianismo aut nulla prope vitalitate gaudent, aut a civili potius prudentia quam a religione proficiscuntur.[3])

3° *Vera miracula* pro schismate nulla reperiuntur; etenim quae nonnunquam pro ecclesia separata et contra Ruthenorum unionem cum Petri sede patrata feruntur, ea

---

[1]) Cf. Hergenröther, *Photius;* Hefele, *Konziliengeschichte,* B. IV. L. Duchesne ait: „En réalité, le schisme grec remonte au IVe siècle; ses premiers auteurs ne sont ni Cérulaire, ni Photius, mais Eusèbe de Nicomédie et les complices de son opposition au concile de Nicée.“ Idem de Photio: „Photius avait évidemment les défauts de son compatriote Ulysse, mais il en avait aussi les qualités redoutables.“ *Églises séparées* (1905), p. 223 et 219.

[2]) Anno 1882 Yahontov librum edidit, qui inscribitur *Vita sanctorum Russiae septentrionalis.* J. Martinov hunc librum Occidentalibus minoris pretii fore existimat, „l'ouvrage étant d'un intérêt trop local et traitant de personnages pour la plupart inconnus, sinon d'une sainteté problématique.“ Revue des Questions hist., Oct. 1883, p. 639.

[3]) Cf Tondini, *Règlement ecclésiastique de Pierre-le-Grand.*

facta non sunt hujusmodi, ut causam supernaturalem postulent. Gobulev quidem in libro, quem scripsit de Petro Mohila, metropolita Kiowensi, miracula pro schismate divinitus patrata alacrius allegat; sed Martinov, rerum Russicarum expertus, miracula ista modo minime supernaturali explicari pro certo affirmat.[1])

B.

Catholicitas Photianismo non competit

Arg. I. Catholicitatis nota definitur: ecclesiae proprietas, qua conspicue numerosa et ubique una per omnes pene mundi terminos emanat. Atqui talis non est ecclesia Photiana. Ergo catholica dici non debet. Prob. *minor.*

a) Ecclesia Photiana non est una. Ergo nec catholica; quandoquidem S. Pacianus catholicum acute definivit: *quod est ubique unum.*

b) Ecclesiae *nationales* et *catholica* ecclesia inter se pugnant. Atqui ecclesiae Photianae nationales sunt. Ergo catholicitate carent. *Minor* patet ex iis, quae de ecclesiis Cpolitana, Russica, Hellenica et Bulgarica, a se invicem non dependentibus, in primis autem de ecclesia Russica diximus. Haec enim, quae Photianorum longe maximam partem complectitur, *practice* Russorum imperio colligata est, atque regnum spirituale iisdem atque civile limitibus includitur.[2])

[1]) Cf Revue des Questions historiques, Janv. 1884. p. 272.

[2]) Ivan Aksakov, acatholicus, de ecclesia Russica ait: „Une Église qui fait partie d'un État, d'un „royaume de ce monde", a abdiqué sa mission et devra partager la destinée de tous les royaumes de ce monde. — Elle n'a plus en elle-même aucune raison d'être, elle se condamne à la débilité et à la mort." *Oeuvres complètes*, t. IV. p. 111. et 93. apud Soloviev, *L'idée Russe*, p. 27.

Atque Leroy-Beaulieu, auctor liberalis, vere scripsit: „Dans tout l'Orient, l'obstacle à l'union avec Rome est plus politique que religieux . . . principal avantage qu'un chrétien trouverait à l'Union, l'indépendance de l'Église, devient un inconvénient pour les politiques, qui préfèrent tenir l'Église dans la dépendance. Si tant de Russes redoutent l'Union, c'est, en grande partie, parce qu'elle doterait la Russie de ce qui lui a fait défaut depuis des siècles: un pouvoir spirituel." *L'Empire des Tsars*, t. III, p. 612.

c) Ecclesiae Photianae nec numero, neque extensione neque propagandi virtute eminent. Ergo catholicitas eis non competit. Prob. *antec.*

1° *Numerus* omnium ecclesiarum Photianarum, Raskolnicis additis, catholicorum dimidiam partem non efficit.

2° *Extensione* Photiani Czaris imperium et fines Turcicos vix egrediuntur; quo fit, ut in nullo Europae regno, excepta Russia, neque in America, neque in Australia, neque in Asiae partibus, in ditionem Czaris non redactis, Photiani coetus alicujus momenti reperiantur.

3° *Fidei propagandae virtutem* supernaturalem in Photianismo frustra quaeras. Conspicuus enim non est missionum fertilitate; neque evangelii praeconum heroismo; neque martyrio conversionum fecundo; neque iis fidei propagandae sacrificiis et fructibus, quibus ecclesia Romana abundat. Postremo ecclesiae Photianae, vitalitate destitutae, limites primaevos parum mutarunt, praeterquam quod regiones nonnullae aut Mahometis gladio schismati perierunt, aut Russorum expugnatione, tyrannide et perfidia deterrima ad illud accesserunt.[1])

C.

Apostolicitas Photianismo non competit.

Arg. I. Apostolicitas est ecclesiae proprietas, qua per legitimam pastorum successionem, ab apostolis nunquam interruptam, in identitate doctrinae, sacramentorum et regiminis continuatur. At ea Photianis attribui non potest. Haec igitur ecclesia apostolica non est. Prob. *min.*

[1]) Saeculo XIX. mediante Schouvaloff, cum ipse et princeps Gagarin librum perlegissent, quem Mouravieff inscripserat: *Veritas de ecclesia universali*, suam mentem de isto conamine ad catholicitatem Graeco-Russicam defendendam ita exponebat: „Heureusement pour nous et pour tout lecteur impartial, ce livre a manqué son but; car il prouve en effet la vérité, tout en voulant défendre l'erreur; et, c'est après l'avoir étudié avec soin, que nous fumes presque entièrement convaincus que l'Église qui s'appelle catholique est la seule qui le soit en effet. On peut usurper un nom, mais on ne peut pas forcer le public à le donner à qui il n'appartient pas, les titres n'ont de valeur qu'en tant qu' ils sont légitimes.“ Schuvaloff, *Ma conversion* (3. édit. 1901), p. 230.

a) Graeco-Russi ante et post schisma Photianum primatum Romanum professi sunt. Ergo ecclesia Photiana in identitate saltem *doctrinae* et *regiminis* non continuatur. *Antecedens* probatur.

1° Ante Photium septem concilia oecumenica, praecipue Ephesinum (431), Chalcedonense (451), Cpolitanum III. (680) primatum Romanum agnoverunt; quem eundem ecclesiae patres tam Orientales quam Occidentales docuerunt. Cf. infra, ubi de primatu tractabimus.

2° Post Photium concilium Lugdunense II. (1274) et Florentinum (1439), Photianis consentientibus, eam fidem professa sunt. In conc. Lugdunensi sessione IV., habita die 6. Julii, lectae sunt litterae, quibus praelati Graeci primatum Romanum profitebantur; quae litterae leguntur scriptae nomine 26 metropolitarum, 9 archiepiscoporum et episcoporum illis subjectorum, qui ad patriarchatum Cpolitanum pertinebant. Cf. Labbe XI. 962 et 968. — Joannes lector, scrinarius patriarchatus Cpolitani, nomine praelatorum Graecorum schisma ejuravit. — Concilio Florentino adhaeserunt, ut antea dictum est, legati tres patriarchae Cpolitani, Isidorus Kiowensis, totius Russiae metropolita, 16 metropolitae Graeci et, Marco Ephesino excepto, quotquot ex Orientalibus aderant.

Ergo Photiani, primatum Romanum repudiantes, ratione *fidei* et *regiminis* apostolici non sunt.

b) Ante Photii concitationes ecclesia Cpolitana erat *pars subordinata* catholicae ecclesiae, quam Romanus Pontifex jure divino regebat. Atqui Photianismus ejusmodi pars esse desiit. Ergo Photianismus non est apostolicus. *Major* factis publicis probatur. 1° Cum Nicolaus I. M. in epistola, quam Michaeli, imperatori, scripsit, primatus jus divinum ostenderet, nullus episcopus Orientalis, illud directe negare potuit. 2° Ignatius, patriarcha Cpolitanus, litteris anno 867 ad Romanum Pontificem datis, idem jus luculenter profitetur. 3° Patres synodi oecumenicae VIII. (869), illam Ignatii epistolam laudantes, *libellum fidei* subscribentes, canonem XXI. constituentes, idem professi sunt. Textus, qui hoc palam faciunt, infra de primatu tractantes

exscripsimus. Inter alia *libellus fidei* seu *satisfactionis* professionem primatus Romani apertissimam continet. Ipse Photius primatum Romanorum Pontificum, quem tempore primi patriarchatus sui, cum aestus concertationis eum absorberet, aggressus est, plus semel, implicite saltem et indirecte, agnovit; quod argumentis evincit Hergenröther, *Photius* III. p. 336 340. 4° Liturgia Graeco-Russica *Petri* primatum, id quod in thesibus de primatu probabimus, etiamnum celebrat.[1])

Objectiones.

Obj. I. Ecclesiae Photianae eadem fere dogmata quae catholici profitentur; septem sacramenta et hierarchiam agnoscunt. Ergo ecclesiae illae sanctae sunt.

Resp. Dist. antec.: Dogmata, sacramenta et hierarchia in illis ecclesiis reperiuntur *illegitime* et *truncata*, *conc.*; *legitime* et *intacta*, *nego*. Etenim ut errores praetermittamus, quorum antea mentionem fecimus, omnino constat, auctoritatem legitimam et infallibilem a Photianis rejectam fuisse; quo fit, ut sancta, quae unitatem ecclesiae relinquentes

[1]) T. J. Lamy, *L'Église russe et l'Église romaine* in period. *La science cath.* 1890, p. 424 ad rem scribit: „Si la séparation d'avec l'Eglise mère et maîtresse de toutes les autres ne se justifie, ni au point de vue du dogme, ni au point de vue de la discipline et des rites, n'est-il pas temps que l'Eglise orthodoxe entende la voix de ses premiers apôtres, saint Cyrille et saint Méthode, saint Vladimir et la bienheureuse Olga, la voix de ses prières liturgiques et des grands docteurs de l'Eglise grecque qui lui crient de revenir au centre de l'unité établi à Rome par le Prince des Apôtres. Que les prélats russes se recueillent, qu'ils examinent les questions controversées avec calme, sans parti pris, que les théologiens scrutent les anciens monuments, et ils prépareront le retour à cette union qui fera de tous les peuples chrétiens un seul troupeau sous un seul pasteur.“ Duchesne, *Églises séparées*, p. 227 haec sapientissime monet: „Nos ancêtres se sont querellés; les uns avaient tort, les autres avaient raison; peut-être n'étaient-ce pas toujours les mêmes Qu'ils dorment dans l'histoire! Pour nous, tenons-nous-en à l'Évangile vivant, où l'unité nous est présentée comme un devoir essentiel, où le centre de cette unité nous est indiqué par ces claires paroles: Tu es Pierre, et sur cette pierre je bâtirai mon Église.“

sibi adsumpserunt, *illegitime* possideant. Quid quod fidei regulam vivam amiserunt, hierarchiam sine capite constituerunt, ecclesiam practice potestati civili tradiderunt. Ergo Photiani sancta Dei nullo modo intacta reliquerunt.

Obj. II. Photii vita tenebras ecclesiae Graeco-Russicae nullas offundit; 1° quia Byzantini eum in sanctorum numero habent; 2° quia etiam inter Romanos nonnulli culpatae vitae praelati reperti sunt. Ergo Photianismus sanctitatis nota non destituitur.

Resp. Nego antec.: Probationem 1ᵃᵐ *dist.:* Photius in sanctorum numero habetur immerito. *conc.;* merito, *nego.* Nullum alicujus momenti testimonium pro sanctitate Photii hactenus ostenditur; at maximo firmissimorum testimoniorum numero illum fas ac jus omne persaepe delevisse constat. Probationem 2ᵐᵉ *dist.:* praelati illi ecclesiae nostrae *fundatores* habentur, *nego;* simpliciter praelati fuerunt, *conc.* Photius ecclesiam suam *fundavit;* namque antea patriarchatus Cpolitanus *pars subordinata* erat ecclesiae catholicae, quae Oriente toto et Occidente primatus Romani *jus divinum* profitebatur. Sed ab innovatore *extraordinario* signa divinae missionis extraordinaria requiruntur insignisque morum sanctitas, quae in Photio frustra quaesiveris.

Urgebis. Photianismus seu ecclesia Graeco-Russica plures inter membra sua homines honestissimos et sanctos enumerat. Ergo sanctus est.

Resp. Dist. antec.: homines sanctos enumerat sensu latiori, *trans.*; sensu stricto, *subdist.:* et isti sancti schismatici fuerunt, *nego;* catholici, *conc.* Sancti sensu latiori dicuntur, qui pie in Christo vivunt, quamquam ad virtutum supernaturalium heroismum et miraculorum charisma non perveniunt; tales autem inter schismaticos, qui fide bona errant, hac etiam aetate reperire non negamus. Quantum ad eos, qui strictiori sensu sancti dicuntur, Photianismus plerosque colit, quos a V. Testamento habet; vel ex N. Testamento et coaevis Domini, inter quos „Procla", uxor Pilati; vel numerosissimos ab ecclesia catholica ante separationem. Alii vero, quos Graeci aut Russi schismatici sibi proprios esse gloriantur et ex quibus ultimus (27. Februarii

1903) canonizatus Seraphinus est, monachus de Sarov aut argumentis admodum exilibus sancti strictiori sensu dicuntur, aut evidenter extra schismatis culpam vixisse existimes.[1])

Dices. Saltem veteres sancti, qui ante divisionem ecclesiarum vitam posuerunt, nominatim Cyrillus et Methodius ad Photianismum exclusive pertinent.[2])

Resp. Nego assertum. *a)* Sancti ad eam ecclesiam *exclusive* pertinent, quae ante Photium primatum Romani Pontificis tanquam articulum fidei revelatae et ab apostolis traditae publice professa est. Atqui Photianismum eam ecclesiam non esse probavimus.

b) S. S. Cyrillus et Methodius, Photii *novitates* minime secuti, Apostolicae Sedis primatum fideliter professi sunt. Revera 1° sancti fratres, cum Romam venissent (867), cum Hadriano II., Pontifice Romano et Nicolai Magni successore, in pace communionis ecclesiasticae vixerunt. 2° S. Cyrillus,

---

[1]) Cf. Bolland. Tom. I. Maji, *Praefatio.* — De sanctis aliquibus, quos Tillemont aut forsitan ejus interpolator extra communionem ecclesiae Romanae mortuos esse falso asserit, cf. Boll. Tom. I. Aug. *Tract. praelim.* p 48 etc. — Valmy, *Menologion* recensens, quod archipresbyter Alexios de Maltzew edidit, ait: „Le jour viendra, nous l'espérons, où l'Église d'Orient enfantera une race de bollandistes, prêts comme les nôtres à rendre aux saints le service de détacher de leur piédestal, d'une main à la fois pieuse et ferme, le séculaire tissu des légendes.“ *Études,* 1903, 20. Déc. p. 852.

[2]) Inter alios Platonov in *Anti-encyclica* contra encyclicam *Grande munus* (30. Sept. 1880) et in *Responsum auctoris Anti-encyclicae* contra Strossmayer, episcopum de Diacovo, Cyrillum et Methodium Photianismo assignat. In eodem errore versatur Boudilovitch, *De charactere Graeco-Slavonico actuum S S. Cyrilli et Methodii.* SS. Leo XIII. sanctorum fratrum cum Romana ecclesia conjunctionem his verbis indicavit: „duo isti christiani nominis propagatores, de quibus locuti sumus, Constantinopoli quidem ad ethnicos populos discesserunt; sed tamen eorum missionem ab hac Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, aut omnino imperari, aut, quod plus vice simplici actum est, rite sancteque approbari potuit. Revera hic in Urbe Roma ab iis est et suscepti muneris ratio reddita, et ad accusationes responsum; hic ad sepulchra Petri et Pauli in fidem catholicam juratum, consecratioque episcopalis accepta una cum potestate sacri imperii retento ordinum discrimine, constituendi.“ *Grande munus.*

eo tempore Romae mortuus (14. Febr. 869), in basilica sancti Clementis compositus est magnamque in urbe venerationem habuit. 3° Methodius autem, archiepiscopus atque *legatus* Sedis Apostolicae creatus, ad evangelium Pannoniis aliisque gentibus praedicandum profectus est. 4° Methodius, ab adversariis accusatus, jubente Summo Pontifice Romanum iter ingressus est. 5° Joannes VIII. beatum Methodium diligenter — „coram positis fratribus nostris" — interrogatum, „in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum" repertum esse declaravit (880).

Replicabis. Ex *Commonitorio* Stephani V., successoris Joannis VIII., pro legatis missis ad Slavos et ex *epistolis* ejusdem Pontificis patet, facinora quaedam Methodii Romano Pontifici displicuisse. Ergo discordia erat.

Resp. Posita auctoritate documentorum illorum, *dist.:* Romanus Pontifex improbavit ista facinora tanquam errores de primatu, *nego;* tanquam errores in disciplina, *subdist.:* ex falsa criminatione, *conc.;* ob aliquam contumaciam Methodii, *nego.* Wichingus Methodium plus semel accusavit. Joannes VIII. Methodium, Romam evocatum, culpa carere cognoverat; virum sanctissimum, ad suos reversum iterumque pressum, ut parens consolatus est. At anno 885, cum Joannes VIII. obiiset, Wichingus rem eo adduxit, ut Stephanus V. adversariis Methodii ex parte assentiendum esse arbitraretur. Sed interea S. Methodius „ea vita, quae sibi via in coelum fuit, placidissime defunctus est". Leo XIII., *Grande munus*, 30. Sept. 1880.[1])

Obj. II. Apostolicitas in ea permansit ecclesia, quae ab antiqua ecclesia secessionem non fecit. Atqui secessio nulla ab iis, qui Photiani dicuntur, sed a Romanis facta

---

[1]) Cf. Stimmen aus Maria-Laach, B. XXII. studia de S. Cyrillo et Methodio, quibus illustratur opus card. Dom. Bartolini, quod inscribitur *Memorie storico-critiche archeologiche dei sancti Cirillo a Metodio,* etc.; Rev. des Questions histor. t. XXVIII. *S. Méthode et les lettres des souverains Pontifes conservées au British Museum;* t XXXVI. p. 110—167 et t. XLI. p. 220—232. *La légende Italique de S. S. Cyrille et Méthode;* Mullooly, *Saint Clement and his Basilica in Rome.* Edit. 2.

est. Ergo Photianorum ecclesiae apostolicitas competit. Probatur *minor*. Ecclesia antiqua *a)* vocabulum *Filioque* symbolo non inseruit; *b)* primatum Romanum non cognovit; *c)* in fermentato Eucharistiam esse celebrandam a Christo edocta est. Jam haec tria Photianismus servavit. Ergo apostolicus merito dicitur.

Resp. Conc. maj. *Negata* minori et conclusione, ad singulas probationis partes respondeo. *a)* Ecclesia antiqua vocabulum *Filioque* symbolo non inseruit, *dist.:* quia doctrinam, vocabulo *Filioque* expressam, rejecit, *nego;* quia generatim quidquam symbolo ingeri vetuit, *subdist.:* simpliciter, *nego;* secundum quid, *conc.*

Tantum abest, ut antiqua ecclesia doctrinam, quae vocabulo *filioque* exprimitur, erroneam esse crediderit, ut patres etiam Graeci ante schisma et post schisma in concilio Florentino docuerint, Spiritum sanctum ex Patre et Filio aeternaliter *tamquam ab uno principio* et unica spiratione procedere. Cf. scriptores dogmaticos.

Quod autem patres symbolo Nicaeno-Cpolitano quidquam addi vetuerunt, id *secundum quid* ab iis statutum est; quaedam enim *ad exponendum*, non *ad corrumpendum*, addi nefas esse non censuerunt, dummodo ab auctoritate justa gravesque ob causas id fieret. Porro particula *Filioque* symbolo addita est 1° grassante errore contra processionem Spiritus sancti;[1]) 2° auctoritate Romani Pontificis, quem ecclesia universalis secuta est, non exceptis Graecis, qui in conciliis Lugdunensi et Florentino factum probarunt.

b) Quod Photiani Pontificum Romanorum primatum ab antiqua ecclesia non admissum fuisse affirmant, illud ex argumentis allatis et postea exponendis apparet esse falsum.

c) Quantum ad usum fermentati, *dist.:* fermentatum est

---

[1]) Vocabulum *Filioque* primum symbolo suo inseruisse videtur concilium Toletanum, quod anno 447 habitum est; dicitur enim S. Spiritus „Patre *Filioque* procedens". Patres Toletani Leonem M. sequebantur, qui in ep. ad Turibium, c. 1. de S. Spiritu dixerat: *qui de utroque processit.* Mansi, t. V. p. 1290. Cf. Hefele, *Konziliengeschichte*, B. II. S. 306—307; Duchesne, *Eglises séparées* (1905), p. 75—87; S. Thom., *Contra errores Graecorum.*

materia necessaria, *nego;* conveniens, *subdist.:* sola, *nego;* etiam, *conc.*

Mota contra Latinos accusatione, quod in pane azymo S.S. Eucharistiam conficerent, Michael Caerularius materiam schismatis igni praebuit. At azymus *panis triticeus* est: hoc autem unice ad materiae necessitatem pertinet, ut Eucharistia in pane triticeo conficiatur. Unde Graeci cum Latinis in concilio Florentino definierunt: „in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.“ [1])

Neque in ea lite seu *ἀρτομαχία* schismaticorum cum „azymitis“ rationes convenientiae Photianis favent. Etenim „consuetudo de pane azymo celebrando — ait Angelicus — rationabilior est, primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit *prima die azymorum*, ut habetur Matth. XXVI. et Marci XIV. et Lucae XXII., qua die nihil fermentatum in domibus Judaeorum esse debebat, ut habetur Exodi XII. Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius . . . Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quae requiritur ad usum hujus sacramenti, secundum illud I. Corinth. V. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis*“, III. 74., art. 4. — Ceteroqui Gregorius VII. *Ep.* 8, 1 testatur: „Graecorum fermentatum nec vituperamus nec reprobamus.“ Neque S. Thomas Graecorum consuetudinem reprobat. L. c.

Urgebis. Leo III., Romanus Pontifex, docet a patribus

---

[1]) Contra J. Sirmondum, qui azymum ab anno 867 usque ad 1053 inter Latinos receptum arbitratur, 1° card. Bona existimat, primis ecclesiae saeculis Latinos pro temporum atque locorum opportunitate pane azymo et fermentato promiscue usos esse; 2° J. Mabillon in ecclesia Latina fermentatum putat nunquam fuisse receptum; 3° S. Thomas *In IV. Sent.* dist. 4, q. 2, 3, sol. 3. affirmat usum panis azymi, ab apostolis acceptum, imminenti haeresi Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, ad tempus a patribus, ne haereticis consentire viderentur, relictum fuisse; postea, cessante haeresi, ecclesiam Romanam, non Graecam, ad pristinum morem rediisse. Cf. P. Schanz, *Die Lehre von den hl. Sakramenten der kath. Kirche,* p. 378—383.

vetitum esse, „novum ultra symbolum a quoquam qualibet necessitate seu salvandi homines devotione condere, et in veteribus tollendo, addendo mutandove quidquam inserere.“ Ergo *Filioque* symbolo inseri nulla ratione licuit.

Resp. Dist. antec.: haec patrum prohibitio privatas personas afficit, *conc.;* auctoritatem ecclesiae supremam, *subdist.:* directive, *conc.;* praeceptive, *nego.* Ephesinum scilicet decretum his verbis conceptum est: „*Statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt*“ etc. Sess. VII. can. VI. Jam vero, cum quidam patres synodi oecumenicae Chalcedonensis, quae paucis post annis habita est, S. Leonis Papae epistolam ob eum canonem admittendam esse non censerent, inter alia hoc responsum legitur: „si omnes contenti essent fidei constituto, et pietatis semitam nulla innovatione turbarent; deceret Ecclesiae filios nihil amplius excogitare, quam symbolo constat esse declaratum. Sed quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant . . . necesse nobis est . . . commenta quoque eorum devia *salutaribus adjectionibus* refutare“, etc. Allocutio, Sess. V. Ecce synodi Ephesinae Chalcedonensis interpretatio. „Adjectiones“ autem fidei consentaneae, quanquam privatis illas symbolo inserere vetitum est, ab iis fieri possunt, penes quos eadem potestas est, quae penes patres Ephesinos, *decretum suum* sancientes. Jam vero potestas illa in conciliis oecumenicis perseverat et in Sede Apostolica.

Articulus III.

Utrum ecclesia Romana sancta sit.

Adversariorum sententia. Discessio schismaticorum et haereticorum ab ecclesia Romana talis fuit, ut egressis ecclesiam illam pessimam haberi expediret; ecclesiae Romanae nimirum corruptio videbatur defectionis excusatio; superbia Papatus et Romae indoles, transigendi nescia, vehementer increpabatur; perpetua Romanensium accusabatur deformatio: religio catholica nullam vim emen-

datricem in hominum mores dicebatur influere; Romae tam certo renata *Babylon* Apocalypseos, ut reformationem, non *intra* ecclesiam, sed *extra* legitimam esse concluderes atque exeundum de civitate peccatrice propter conscientiam. Nec hujusmodi mentis et cordis dispositionem inter coaevos nostros et auctores acatholicos exstinctam putamus.

Itaque ut facilius sedari possit controversia, pauca praedicam. 1° Non praetereundum est, quantum intersit inter vitia nonnullorum membrorum et ipsam fidem, cultum, regimen. 2° Adversarii quaesiverunt ecclesiam, quae esset in *omnibus et singulis membris* immaculata, cum tamen divinus ecclesiae Conditor peccatores in ecclesia fore docuerit: quod quaest. III. art. 3. ostendimus. 3° Falsa principia circa libertatem, circa hierarchiam et constitutionem catholicae ecclesiae organicam, saepe mentes eo abducunt, ut profundissima vita catholica et spiritus Christi, qui ipsam externam et internam permeat, multis abscondatur. Igitur lector meminerit, quae de ecclesiae constitutione supra disputata sunt.

Thesis: *Ecclesia Romana sancta est.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia Romana est sancta in doctrina, sacramentis et membris. Ergo. Prob. *antec.*

A. In doctrina. 1° *In doctrina dogmatica.* Ecclesia de Deo, de incarnatione, de redemptione, de gratia, de hominum fine sanctissima quaeque docet. Cui rei indicio est, *negative,* quod nullus unquam articulus fidei Romanae sanctitati contrarius ab adversariis ostenditur. Idem probatur *positive* ex conciliorum canonibus, qui a Nicaena synodo et subsequentibus, nominatim a patribus Tridentinis et Vaticanis, editi sunt; deinde ex ecclesiae patribus et doctoribus, in quorum ordinibus S. Augustinus et S. Thomas Aquinas eminent; postremo ex facto publico damnationis, qua ecclesia Romana haereses veritati Christianae contrarias *sola cunctas* impugnaverit.

2° Ecclesiae Romanae *doctrina moralis* sancta est; etenim

omnia hominem officia erga Deum, seipsum et proximum perfectissime docet; jura civilis auctoritatis,[1]) libertatem Christianae religionis,[2]) unitatem matrimonii,[3]) praestantiam consiliorum evangelicorum a quacunque doctrinarum sive dissolutione sive nimia severitate et impavida, etiam potestate fremente, defendit; singulis hominibus, societati domesticae, civili hominum societati legem justitiae et caritatis sanctissimamque morum disciplinam demonstrat. Cui rei documento sunt *Conciliorum acta, Corpus juris canonici, Summorum Pontificum encyclicae*, etc. Quorum nobilissima praecepta S. Augustinus ad compendium videtur contulisse, ecclesiam his verbis compellans: „Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione praeponis . . . Tu cives civibus, tu gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur injuria.“ *De moribus eccl. cathol.* lib. I. 30. — Cf. Leonis XIII. celeberrimam encyclicam *Rerum novarum*, tractantem *de conditione opificum.*

B. In sacramentis. Sacramentorum sanctitas conside-

---

[1]) Cf. Litt encycl. Leonis XIII. *Quod apostolici muneris*, 28. Dec. 1878; *Diuturnum illud*, 29. Junii 1881.

[2]) Cf. Litt. encycl. Leonis XIII. *Immortale Dei*, 1. Nov. 1885.

[3]) Cf. Litt. encycl. *Arcanum divinae sapientiae consilium*, 10. Februarii 1880.

rari potest 1° in ipsis sacramentis, potissimum in Missae sacrificio; 2° in liturgia, quae sacrorum usum explicat; 3° in hierarchia, cui sacrorum custodia et administratio committitur. Atqui ecclesiae Romanae sanctitas in singulis est eximia. Quod sic probatur.

1° *Septem sacramentis*, quae ab ipsa conservantur incolumia, hominum saluti optime consulitur, cum totum vitae cursum a primo natali die ad horam supremam iis praesidiis communiat, quae mirabiliter ad duo ordinantur, „scilicet ad perficiendum hominem in his, quae pertinent ad cultum Dei, secundum religionem Christianae vitae, et etiam in remedium contra defectum peccati." Cf. S. Thom. III. 64, art. 1. — Sacerdotes autem catholici ubique terrarum rem divinam faciunt. Et quoniam contraria juxta se posita magis apparent, idcirco ecclesiam Romanam sanctitate protestantismum superare hoc etiam argumento cognoscimus, quod sectarum cultus ferme totus *praedicatione* continetur, catholicis vero centrum cultus religiosi *sacrificium* est.

2° *Liturgiae* sanctitas in *Missali*, *Ritualibus* ceterisque libris liturgicis conspicua est.[1]) Quidquid enim sacerdos in Missa orat ac peragit, orationes, caeremonia, id est omne religiosissimum. Similiter exprimitur fidei caritatisque sanctitas in ritibus sacris *de consecratione ecclesiae*, *de altaris consecratione*, *de ordinatione presbyteri*, id est, in toto Pontificali Romano; in officiis de *Nativitate Domini*, *pro hebdomada sancta*, de *Resurrectione Domini*, in festo *Corporis Christi*, in festis *B. M. Virginis*, pro *Defunctis*, in toto Missali; in canticis: *Veni Creator Spiritus*, *Te Deum*, *Vexilla Regis*, *Stabat Mater*, *Dies irae*, *Pange lingua*, *etc.* Quorum

[1]) De caeremoniis Missae cf. S. Thom. Aq. III. 83, 3—5.; I. II., 101. Copiose de liturgia scripserunt Guéranger, *L'année liturgique*; P. Schanz, *Die Lehre von den heiligen Sakramenten der kathol. Kirche*; N. Gihr, *Das heilige Messopfer*, et *Die Sequenzen des römischen Messbuchs*; idem, *Die hl. Sakramente der kath. Kirche;* Capecelatro, *La Dottrina cattolica esposta in tre libri*, lib. III. 10.; Thalhofer, *Handbuch der katholischen Liturgik*; P. F. Bäumer, *Geschichte des Breviers*; F. Cabrol, *Le livre de la prière antique*.

omnium concrescentia cum Vita sacramentali et Sacrificio totam ecclesiam efficit vineam spiritualem; excelsa mens exclamat: *Quam dilecta tabernacula Tua, Domine Deus virtutum,* et cor, abundans consolationibus, majestati divinae se totum subjicit. Relucet in hoc tabernaculo perfectionum divinarum infinitas; justitia et misericordia; apparet gratia et benignitas Salvatoris nostri Jesu Christi; saturantur pauperes; exaltantur humiles; homines exules ad caelestia elevantur; aeternitas et tempus convivunt. Omnia plena sunt sapientiae et caritatis Illius, qui mundum edocuit: *Estote perfecti* et *Ego reficiam vos.*[1])

Cf. S. Thom. *C. Gent.* IV, 54—55; *Summa Theol.* III, 14, 1; 46, 3—4.

3° *Hierarchiae* institutum, destructo aut charactere aut ordinis ratione, profanatur. Sed ecclesia Romana hierarchiae et characterem et ordinis rationem adversus haereticos et Caesaropapistas tueri nunquam desiit. Quapropter ecclesia Romana hierarchiae sanctitate praecellit *protestantismum,* utpote qui hierarchiae *characterem* prorsus amiserit; *Photianismum* superat, a quo hierarchiae totius *ordo ad Petrum* subversus est atque libertas ecclesiastica nimis sub civile imperium demersa.

C. In membris. Membrorum sanctitas apparet 1° in auctore ecclesiae; 2° in membris; 3° in institutis; 4° in miraculis. Atqui hujusmodi sanctitas in ecclesia Romana conspicua est. Prob. *min.*

1° *Auctores* ecclesiae Romanae sunt Christus et apostoli. Quod quidem duobus factis constat. Romana enim ecclesia habet successionem publicam, qua per Pontifices suos ad S. Petrum et ad *divinum* ecclesiae Conditorem adscendit. Cf. art. 5. Deinde haeretici et schismatici *humanam* ecclesiae Romanae originem adhuc probare nequiverunt.

---

[1]) Card. Newman, cum adhuc longe esset ab ecclesia (1833), templum catholicum intrans, sanctitatis illius radium et vocem Samaritani miserentis percipiebat, atque in poemate pulchro suum animum sursum tendentem ita effundebat:

Oh that thy creed were sound!
For thou dost soothe the heart, thou Church of Rome.

2° *Membra* sancta hominesque clarissimae virtutis in ecclesia Romana non defecerunt, verum etiam abundarunt. *Summorum Pontificum* tertia fere pars martyrio aut heroica confessorum virtute claruerunt, inter quos Clemens I., Leo Magnus, Gregorius Magnus, Nicolaus I., Gregorius VII., Innocentius III., Pius V. Praeterea *confessorum, martyrum, virginum* maximus numerus, in quorum numero recensentur *illustrissimi principes:* Ludovicus IX., Eduardus, Stephanus, Henricus imperator, Cunegonda, Elisabeth; *episcopi:* Ignatius Antiochenus, Irenaeus, Athanasius, Chrysostomus, Martinus Turonensis, Bonifacius, Cyrillus et Methodius, Anselmus, Bonaventura, Antoninus Florentinus, Carolus Borromaeus, Franciscus Salesius, Alphonsus de Ligorio; *sacerdotes:* Hieronymus, Bernardus, Thomas Aquinas, Vincentius Ferrerius; Franciscus Xaverius, Philippus Nerius, Vincentius a Paulo; *virgines:* Caecilia, Agnes, Clara, Catharina Senensis, Theresia, Angela Mericia; *martyrum* fortitudine, ab iis, qui in catacumbis olim depositi sunt usque ad eos, qui Japonensium et Sinensium furore heroes invicti exstiterunt, Romana ecclesia nobilitari non desiit. Quorum omnium heroica sanctitas partim veracissimis historiae monumentis consignata est, partim canonizationum processibus diligenter exquisita. Atque ne longum sit, Romana sunt *Bollandiana volumina.*

3° *Sancta instituta* et *virtutum exercitationes,* quae quidem omnia et singula recensere nihil attinet; pauca tamen memorabo. *Primo, ordines et congregationes religiosae,* quorum fundatores plerique inter sanctos rite relati sunt, velut S. Benedictus, S. Franciscus de Assisi, S. Dominicus, S. Ignatius de Loyola, S. Alphonsus de Ligorio; ex quibus innumeri viri et mulieres prodierunt, sanctitate, caritatis operibus, martyrio, tam in Europa quam in maximis missionum periculis, hodie etiam conspicui; verbi causa, solus S. Vincentius a Paulo virginum millia excitavit, quae corpora animasque Deo et proximis addicerent. *Secundo, confraternitates,* quae, pro adorandis Christi mysteriis et recolenda memoria vitae, passionis et resurrectionis Ejus institutae ad fovendam fidelium devotionem aptissimae sunt;

puta, societas adorationis S.S. Eucharistiae, S.S. Cordis Jesu, sacratissimi Rosarii. *Tertio, lex vitae caelibis* pro clero Latino. *Quarto, praxis orandi,* quae festis diebus anniversariis, ordinata piarum exercitationum fertilitate, cultu sanctorum, potissimum B. Mariae Virginis, commemoratione passionis Dominicae, lege horarum canonicarum, institutis ordinibus contemplativis et oblata communiter facilitate assistendi divinis diu noctuque accenditur. *Quinto, praxis jejunandi,* quam catholici non pauci convenienter, religiosi Carthusiani, Trappistae, alii austere conservant. *Sexto, praxis confessionis et S. Communionis,* qua millia fidelium peccata turpissima vicerunt aut magnam conscientiae puritatem custodierunt. *Septimo, cultus consiliorum evangelicorum et vitae asceticae,* quo factum est, ut ecclesia Romana librorum asceticorum florem tulerit, in quibus S. Cypriani *De habitu virginum;* Chrysostomi *De compunctione;* Ambrosii *De virginibus;* Augustini *Confessiones;* Cassiani *Collationes;* Isidori *De contemptu mundi*; Bernardi *De diligendo Deo;* quibus addenda sunt opera ascetica Rich. a S. Victore, S. Bonaventurae, Joannis a Ruusbroec, Tauleri, Henrici Susonis; Thomae a Kempis *De imitatione Christi;* opera S. Catharinae Senensis, Dionysii Carthusiani, Joannis Geileri Cesaremontani, Ludovici Granatensis, S. Theresiae; S. Ignatii *Exercitia spiritualia.* Alii plures tractatus unctione plenos scripserunt, ut S. Franciscus Salesius, Bourdaloue, Fénelon, S. Alphonsus de Ligorio, Faber, Manning. *Octavo,* id etiam maximi momenti est, quod *auctoritatis principium* in ecclesia Romana *fidei humilitatem* gignit atque nutrit.[1])

---

[1]) A. Sabatier, quemadmodum plures defensores *religionis Spiritus* seu *libertatis*, vitam catholicam in duas partes discerpendam credit; laudat vitam religiosam, quae conservanda est; damnat hierarchiam, dogmata. Hoc est velle flores et fructus, nolle conditiones vitales, quas Dominus vineae constituit. Audiatur tamen quaenam bona in religione catholica viderit: „Il y a deux choses dans le catholicisme: une religion profonde et belle, une sève de vie chrétienne, une source d'élans mystiques et d'héroïques dévouements que ne peuvent oublier les âmes qui en ont été rafraîchies et renouvelées. N'est-ce point par cette piété qu'elles ont été engendrées à la vie

4° *Miracula.* Gratiam miraculorum perseverasse in ecclesia Romana, fidem faciunt 1° testes fide digni; 2° disquisitio ecclesiae severa. Miraculorum igitur charisma ecclesiae Romanae competit. *Prob. antec.*

1° *Testes fide digni* sunt *S. Irenaeus*, Adv. haer. II. 32. et 36.; *S. Ambrosius*, Sermo in translatione reliquiarum S.S. Gervasii et Protasii; *S. Augustinus*, Confess. IX. 17.; De civitate Dei, XXII. 8. Similiter per aetates subsequentes testes de visu aut de auditu, iique graves, plurimorum miraculorum veritatem et naturam comprobarunt; sunt enim miracula certissima, quae a S. Bernardo, Dominico, Francisco de Assisi, Francisco Xaverio patrata leguntur. Quod collectis documentis, perpensis etiam factis diligentius, abunde confirmant *tam Bollandianorum volumina*, quam opus a Benedicto XIV. elucubratum *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione.* Quin etiam pagani Christianos ob miracula patrata „magicos" appellarunt. Cf. Origenes, *Contra Celsum*, I. 1.; Lucanus, *Pharsal.* V. 3.; Suetonius, *In Neron.* cap. XVI. Cf. S. Thom. *C. Gent.* I, 6.

2° *Disquisitio ecclesiae severa.* Examinantur enim canonizandorum scripta, mores, miracula et a cardinalibus pluribus et ab aliis plurimis viris prudentibus, ex quibus *Sacra Rituum Congregatio* constat; de factorum veritate juridice, adhibitis multis testibus fide dignis, diu multumque in utramque partem inquiritur; cum de miraculo sanationis sermo est, adsciscuntur a causae postulatoribus medici iique omnes, qui curam aegroti susceperunt; adjiciuntur alii medici doctrina praestantes, ut rem inquisitam iterum expendant, etc., qui omnes et singuli nonnisi interposito jurisjurandi sacramento suam possunt aperire sententiam.[1])

---

supérieure et idéale du devoir et de l'amour?" *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit*, p. 249.

[1]) Cf. Bened. XIV., *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione;* Perrone, *De loc. theol.* I. n. 236., et specimina diligentissimae inquisitionis de miraculis, *Hist.-pol. Bl.*, Bd. XXXI, p. 158; Moigno, *Le miracle au tribunal de la science:* Gutberlet, *Apologie*, B. II., p. 264 et seqq.; de miraculis S. Bernardi vide *Hist. Jahrbuch.* X.; de sanctuario in Lourdes Boissarie, *Lourdes, hist. médicale.*

Arg. II. Sanctitas illi ecclesiae competit, quae speciali Dei providentia ad bonum divinum ordinatur. Haec autem ordinatio in ecclesia Romana eminet. Ergo ecclesia Romana sancta est. Probatur *minor* nonnullis factis historicis valde manifestis.

a) Mundi conversio ad Christum solius fere ecclesiae Romanae opera perfecta est. Cf. infra art. 4.

b) Ecclesia Romana *Christiani nominis per omnes aetates strenuus defensor* esse non desiit. Defendit enim fidem in unum Deum contra Caesares; Christi divinitatem contra Arium; justitiam, castimoniam, humanitatem contra barbaros; ecclesiae libertatem contra principes potentissimos, ut S. Martinus I. († 655) et Pontifices complures contra Byzantinismum; S. Gregorius VII. contra Henricum IV.; Innocentius III. ejusque successores contra Fredericum II., imperatorem; Pius VII. contra Napoleonem; sanctitatem denique et perpetuitatem matrimonii contra haeresin protestantium de divortiis et repudiis, necnon contra principum inconstantiam. „Quam ad rem — ait Leo XIII. — omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I. edita adversus Lotharium, ab Urbano II. et Paschali II. adversus Philippum I. regem Galliarum; a Caelestino III. et Innocentio III. adversus Philippum II. principem Galliarum; a Clemente VII. et Paulo III. adversus Henricum VIII.; denique a Pio VII. sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I., secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.“ Encycl. *Arcanum divinae sapientiae consilium.* — Atque etiam hoc saeculo XIX. ecclesia Romana religionis Christianae incolumitatem contra errores quoscunque tam digne fermeque tuetur, ut cuncta splendore superans velut lumen in caelo splendeat.

c) Perennis vitalitas. Nam adversus eam tot saeculorum decursu nec hostilis politica, neque philosophia falsa, neque populorum clades, neque haereses aut ipsorum fidelium defectiones praevaluerunt. Damna, ipsi furenter illata, mirabiliter resarcit et, morum etiam corruptela fideles multos invadente, interna virtute perpetuo, ut ita dicam, renascitur. Ita fit ut inter spinas scepticismi ethici et doctri-

narum amoralium ecclesiae lilium floreat tanquam praeclarissima vis moralis.[1])

Ecce sanctitas, exterius apparens mentis oculo, mystice radicata in Spiritu sancto. De qua sanctissima vitae radice Aquinas: „Si dicatur — inquit — (credo) *in sanctam Ecclesiam catholicam*, est hoc intelligendum secundum quod fides nostra refertur ad Spiritum Sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit sensus: *Credo in Spiritum Sanctum sanctificantem Ecclesiam.*" II. II, 1, 9 ad 5.

Objectiones.

Obj. I. Quidquid homines a Christo avertit, sanctum dici nequit. Jam vero multa Romana dogmata homines a Christo avertunt. Igitur ratione doctrinae sanctitas Romana deficit. Prob. *min.* Missae sacrificium eo spectat, ut meritorum Christi sufficientia negetur; cultus Deiparae animos a Christo, Redemptore nostro, abstrahit; confessio sacramentalis et indulgentiae mores depravant; doctrina de sacramentis, *ex opere operato* sanctificantibus, efficit, ut vita Christiana res mere exterior esse credatur.

Resp. Concessa majori, minorem *dist.:* ecclesiae Romanae dogmata a Christo avertunt, in se, *nego;* ab adversariis depravata, *conc.* Jam ad singula.

a) Missae sacrificium Christi sufficientiam excludit, *dist.:* si diversum esset a crucis sacrificio, quantum ad *substantiam et pretium, conc.;* quantum ad *modum tantum* et *applicationem pretii, nego.* Haec in conc. Trid. Sess. XXII. cap. II.: „Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa.*" Item l. c. cap. 1. dicitur Christus sponsae suae ecclesiae visibile sacrificium reliquisse, „quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque

[1]) Newman, *Difficulties of Anglicans,* vol. II, p. 197: „Such is the actual fact that, whereas it is the very mission of Christianity to bear witness to the Creed and Ten Commandments in a world which is averse to them, Rome is now the one faithful representative, and thereby is heir and successor, of that free-spoken dauntless Church of old."

memoria in finem usque saeculi permaneret; atque *illius salutaris virtus* in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum *applicaretur*". Cf. S. Thom. III. 83, art. 1. et 2. Jam vero, nihil obstat, quominus *ea ratione* Christus sit „*semper vivens ad interpellandum pro nobis.*" Hebr. VII. 25.

b) Quod colenda Deipara homines a Christo abstrahi dicuntur, *dist.:* cultu inordinato, *conc.;* cultu ordinato, *nego.* Colendae B. Mariae praecipuum motivum est dignitas *matris Dei;* ex quo intelligitur, ad Christum referri, quidquid honoris Deiparae tribuitur. Res etiam docuit, Christum ab iis maxime diligi, qui matrem Ejus *sincere* venerantur, velut a S. Bernardo, ab Angelico. Cf. S. Thom. I. 26, art. 6.; *In Sent.* I. 44, q. 1. art. 3. ad 4. et Newman, *Difficulties of Anglicans,* t. II, p. 26—119.

c) Quod confessio mores depravare dicitur, pariter *dist.:* confessio juxta fidem catholicam, *nego;* juxta somnia protestantium, *conc.* Protestantes falso contendunt, in ecclesia catholica rei non contriti delicta vi solius confessionis exterioris deleri. Docet enim concilium Tridentinum, Sess. XIV. cap. IV.: „Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius." Hujus vero confessionis utilitas est maxima. Ad rem Origenes († c. 230): „qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam." *Hom.* 2. in psalm. XXXVII.; cf. inter testes saeculi IV. Aphraaten *De poenitentibus;* Asterium Amasenum, *Adhortatio ad poenitentiam.* Quod idem milliamillium catholicorum tam sacerdotum quam laicorum confirmant.[1])

[1]) Jam inde a principio dissidii saeculo XVI. Joannes Wild (1551) testatur: „Ich sehe, dass mit dieser Beichte viel Gutes ge-

d) Similiter ad ea, quae de indulgentiis objiciuntur, respondendum videtur. Adversarii scilicet, ut ecclesiam Romanam in summam invidiam apud omnes inducant, indulgentiarum genus nescio quod invenerunt, ut *non contritorum* crimina et praeterita et *futura* condonarentur. At omnium theologorum et documentorum testimonio constat, peccatorum tantum *sensu latiori,* id est, *poenarum* indulgentiam *sincere ad Deum conversis,* et expiata peccatorum mortiferorum labe, concedi. Quare S. Thomas *Quodlibeto II.* art. 16. de crucesignatis ait: „Ad hoc ergo quod indulgentia alicui valeat . . . requiritur, ut sit *in statu caritatis* ille, qui indulgentiam percipere vult."

e) Quod doctrina de *opere operato* vitam Christianam ad externam mere sanctitatem redigit, *dist.:* doctrina conficta, *conc.;* doctrina vera, *nego. Opus operatum* est sacramentorum vis, qua ex meritis et institutione Christi gratiam instrumentaliter efficiunt; requiritur autem in suscipientibus, tanquam conditio sine qua non, ut obicem gratiae non ponant. Horrent heterodoxi „fanaticam" *operis operati* opinionem et vim, ut ajunt, magicam. At supernaturale inter et magicum quid intersit, haud considerant; neque fanatica dicenda est

---

fallen ist . . . Zu dem allem ist diese Beichte auch der ungezogenen, leichtfertigen Jugend ein Zaum und Gebiss gewesen, wodurch sie in Schamhaftigkeit, Zucht, Ehre und Furcht gehalten und von vielen Sünden und Lastern abgezogen wurde. Das liegt aber nun alles danieder. Der Feind hat uns diese edle Perle nicht allein aus der Hand geschlagen, sondern uns auch so verhasst und unwert gemacht, dass wir uns lassen bedünken, es gehe nun erst in der Kirche recht zu, so die Beichte ausgemustert und versagt ist." Cf. *Hist. Jahrb.* 1903, p. 792—793; P. H. Kirsch, *Gesch. der kath. Beichte* (1902) et *Die Beichte, ihr Recht und Geschichte* (1904); Vacandard, *La confession sacramentelle dans l'Église primitive* (1902); Batiffol, *Études d'histoire et de théologie positive* (1904); P. Pellé, *Le Tribunal de la pénitence devant la théologie et l'histoire* (1903) — Testis etiam Voltaire, qui ait: „Les ennemis de l'Église Romaine, qui se sont élevés contre une institution si salutaire (confessio auricularis), semblent avoir ôté aux hommes le plus grand frein qu'on peut mettre à leurs crimes secrets." *Annales de l'Empire,* t. I. — Item Marmontel: „Il n'existe pas de meilleur moyen pour maintenir la jeunesse dans la pureté des moeurs que la confession de tous les mois." *Mémoires,* I. 1.

opinio, quae suscipientium dispositionem requiri affirmat, sed eam dispositionem *causam efficientem* gratiae esse negat.

Obj. II. Qui religionibus comparandis studuerunt et catholicas regiones peragrarunt, satis cernunt, plurima quae sanctitatem ecclesiae probare crederes, sacramenta, hierarchiam, liturgiam, ceremonias, ordines religiosos, praecepta etiam moralia pariterque principia asceseos ab iis, quos paganos vocant, originem duxisse; magnam usque adhuc inter religiones paganas et catholicam ecclesiam intercedere necessitudinem; religionem catholicorum pagana superstitione ex parte constare. Nihil igitur apparet in ecclesiae Romanae sanctitate eminens.

Resp. Dist. antec.: haec ita cernuntur ab iis, qui ecclesiam *materialiter* considerant, *trans.;* qui *formaliter, nego.* Quae in ecclesia esse videntur, penitius perscrutanda sunt, ut scientiam, *quomodo* in ea sint, adipiscamur. 1° Amelineau religionis nostrae fontes in Aegypto reperit; Harnack in Hellade; Burnouf in India; Herbert Spencer, E. Clodd et alii ubicunque traditionum popularium (Folk-lore) convenientias cum religione christiana et catholica perspicere putabant. Nec tamen in hoc ex toto errant. *Similia* haud dubie invenerunt. Vera namque Christi religio supernaturalis naturalia *mentis* et *cordis* totiusque indolis humanae non rejecit, sed pleraque assumpsit, altiori ordini subordinanda, et ideo perficienda. Cf. S. Thom. *In Boeth. De Trin.* II, 5; I. II, 109; II. II, 10, 4. Sacrificium, altare, jejunium haudquaquam *exclusive* ad vitam supernaturalem pertinere, docet Aquinas II. II, 85, 1; 147, 3 et I. II, 103, 1 ad 1 et 2. Alia id genus sunt. Quid quod veteres ecclesiae doctores aperte loquantur *de anima humana naturaliter christiana* (Tert. *Apol.* XVII)? quod jam a Justino, *Apol.* II, 8 praedicatur *λόγος σπερματικός*? S. Augustinus, *Contra Faustum* XX, 20 ait: „Habemus quaedam cum gentibus communia, sed finem diversum." *Natura* homines similia symbola docuit. Sed tamen differentia essentialis inter ecclesiam et alios cultus manifesta est ex dogmatibus et affectibus, quae sua per symbola exprimit. — 2° Quod de superstitione dicitur, accusationem ecclesiae conflant immerenti.

Nonnullos, priusquam in religione plane erudirentur, saepe species pietatis erga Deum deceperit; alii principia vera insipienter exsecuti fuerint aut nimio plus indulsisse videantur intemperantiae devotionis vulgaris: haec omnia in ecclesiam conferri non possunt, quae remedia corrigendorum abusuum ex se gignere non desinit. Sed adversariis animo tantum opus est non confundente disparata: res, quibus pagani utebantur, non ob eum solum usum paganae seu Christianae religioni contrariae existimandae sunt; errores et excessus accidentales catholicorum non corrumpunt ecclesiae catholicae essentiam.[1])

Obj. III. Saepe ecclesia Romana in morum perversitatem lapsa est. Ergo ratione membrorum sancta dici nequit. *Antec.* innumeris exemplis probatur. Etenim Alexandrum VI. et alios Romanos Pontifices moribus corruptos fuisse constat; clerus ineunte saeculo XVI. ab evangelio deflexerat; ordines religiosi conditoribus suis haud digni fuerunt; laici vitiis imbuti sunt.

Resp. a) Generaliter. Dist. antec.: Saepe hujusmodi perversitas visa est in multis ecclesiae membris, *conc;* in ipsa ecclesia, *nego.* Nihil huic thesi nostrae adversatur, quod peccatores in ecclesia Romana reperiuntur; in hoc enim agro, docente Christo, zizania et triticum usque ad messem crescunt (Matth. XIII. 30.). At tria haec consideranda videntur: 1° mores non vi doctrinae catholicae, sed ea prorsus repugnante, corrupti sunt; 2° vel in maxima temporum invidia praestantissimarum fuerunt exempla virtutum multorumque corda munda vitiis; 3° ecclesiae vitalitas nova semper suis membris paravit auxilia, quibus

---

[1]) Ita Card. Wiseman confutavit John Poynder, qui scripserat *Popery in alliance with Heathenism,* in *Essays,* I, ubi p. 262 sophisma notat: „There are processions, and lights, and incense in the Catholic, and in the ancient Roman worship; therefore the two religions are identical.“ Delehaye, *Les légendes hagiographiques,* p. 168—241. temperat auctores praecipites, ut Th. Trede, *Das Heidentum in der Römischen Kirche.* Cf. F. Nicolay, *Hist. des croyances* (4. édit. 1903); C. Clemen, *Die religionsgeschichtliche Methode in der Theologie* (1904); De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions.*

temporum iniquitatem superavit. Verissime jam Augustinus, *De moribus eccl. cathol.* XXXV. adversariis respondit: „Frumenta in area quaerite: apparebunt facile, seque offerent ipsa quaerentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? Quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis?“

b) *Singillatim.* 1° Quod de Romano Pontifice asserunt, *dist.:* Pontifices paucissimi mali fuerunt, *transeat;* plures, *nego.* Concedamus, Alexandrum VI. gravius in vitia corruisse. Sed tamen, eo concesso, sanctitas ecclesiae Romanae non exstinguitur. *Primo,* Pontifices etiam illi, qui pessimi fuisse feruntur, doctrinae sanctitatem servarunt incolumem; *secundo,* paucis exceptis Pontifices Romani probatissimi fuerunt et in plurimis tam magna eluxit vitae integritas, ut Sedes Apostolica omnes inter familias regias sanctitate longe praestet; *tertio,* ex ipsis protestantibus nonnulli viri, veritatis cupidiores quam improperii, accusationes, in Romanos Pontifices factitatas, documentis certissimis redarguerunt, uti Voigt, *Gregorius VII.;* Fred. Hurter, *Innocentius III.*

2° Quod de clero, religiosis ordinibus et laicis dicunt, *dist.:* in illis non conspicitur sanctitas absolute, *conc.;* relative, *nego.* Ecclesiae Conditor malos etiam in ecclesia futuros esse praedixit; neque is est status cleri, ut in eo vitae genere nihil possit esse imperfectum.

Nihilo setius ecclesia Romana sanctitate membrorum *relative* fulgere non desiit. 1° In ea heroica innocentiae tum poenitentiae exempla nunquam non cernuntur; 2° in durissimis temporibus ecclesia Romana propria vitalitate tantum semper effecit, ut disciplinam labentem salutari morum reformatione suppleret. Ejusmodi reformatores juxta cor Dei se praebuerunt S. Benedictus, S. Gregorius VII., S. Bernardus, S. S. Franciscus et Dominicus, et erupto Luthero S. Ignatius, S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromaeus, S. Pius V., alii usque ad Pium X., cui vitae lex: *instaurare omnia in Christo*[1])

[1]) De clero Rémusat: „sans doute les prêtres sont des hommes, et ne sont pas tous des saints; mais beaucoup ont été des saints,

Obj. IV. Nationes catholicae vulgo protestanticis nationibus honestate inferiores sunt. Ergo sanctitas ecclesiae Romanae nota dici non potest. Patet *antec.*, ex eo quod Borussia v. g. et Anglia moribus Galliae, Hispaniae, Italiae antecellunt.

Resp. Dist. antec.: nationes catholicae protestanticis honestate inferiores sunt, in quantum fidem catholicam deserunt, *transeat*; in quantum fidem catholicam retinent, *nego.*

Falsa veris intermiscent, qui haec nobis objiciunt. Quamobrem facta nonnulla, quae manifesta sunt, hoc loco complectar. 1° Copiae, incrementa bonorum materialium et disciplina militaris causis pluribus connectuntur; nec fas est, ejusmodi bonis sanctitatem Christianam metiri. Ecquid veritas imperatores sequitur? Heri Napoleontem, hodie Moltke, cras Oyama? Neo-judaeismus non idcirco quod haec categoria tot hominum pecuniosorum est, inter omnes religiones praestat. Saepius etiam prosperitatem modernarum nationum materialem cum progressu vitae Christianae minime parallelam vidimus. 2° Adversarii minime probant, in regnis, quae ab iis dicuntur acatholica, plus pro Deo et ex dilectione Jesu Christi patrari ab *acatholicis*, quam in catholicis regnis ab iis, *qui fidem catholicam servarunt.* 3° In regnis catholicorum *mores labentes labenti fidei* respondent. Nulla porro ratione, si quandoque unius alteriusve populi conspicitur labes, hoc Pii IX. oblivisCamur: „Summopere dolendum, quod certum non est, hanc vel illam nationem pretiosissimum divinae nostrae fidei religionisque thesaurum semper esse servaturam.“ Encycl. *Non semel*, 29. Oct. 1866. 4° In regnis catholicorum, licet per plurimos annos sub dominatu societatum clandestinarum admodum depressis, nihilominus cultus Dei et virtutis Christianae ac supernaturalis indicia plurima effulgent. 5° Inter acatholicos religio torpet; longe minora spectantur pro Deo heroica sacrificia; nec ullo modo apparet, in illis regnis non late fundi scelera. 6° Statisticis publicis morum quam imperfecte religionem catholicam metiamur, satis inde ap-

et la plupart ont été parmi ces hommes au nombre des meilleurs.“ *Rev. des deux mondes*, t. LXIV., Nov.

paret, quod hujusmodi statistica natura sua circa directionem actuum humanorum ad ultimum finem nihil referunt; quod generatim prorsus tacent de vitiis internis et de delictis, quae plurima codice poenali subducuntur; quod vix ulla ratio haberi potest circumstantiarum ad justam taxationem status moralis delinquentium; quod actiones coram Deo et Christo virtuosae, puta humilitas, sinceritas cordis contriti, pietas aliaque innumera in tabellis non scribuntur. Pro statistica pharisaeus justificatus in domum suam descendit, publicanus autem in Evangelio (Lucas XVIII), et statisticarum numeri juxta aliam normam colliguntur ac illa, juxta quam dictum est: *meretrices praecedent vos in regnum Dei* (Luc. XXI, 31). 7° Inter acatholicos *principia pessima* sparguntur; ecclesia Romana habet *principia sanctifica* et vim ea servandi in maxima temporum calamitate. Cf. Leonis XIII. encyclicas, nominatim encycl. *Sapientiae christianae.* Constat autem tum ex natura rei tum ex omnium saeculorum memoria sanis in principiis spem esse resurrectionis perpetuam, quo fit, ut in ecclesia catholica mores semper renascantur.[1])

Articulus IV.

Utrum ecclesia Romana sit catholica.

Adversarii. Diversa nomina nobis imponere haeretici consueverunt: at vetustissimum catholici nomen (cf. Ignat. M. *Ad Smyrn.* VIII.) ecclesiae Romanae nemo unquam eripuit. „Velint nolint enim — ait S. Augustinus — ipsi quoque haeretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed

[1]) Cum plane compertum sit, ad disquisitionem completam quaestionum, quas agitavimus, integros tractatus requiri, consulantur Balmès, *Le protestantisme comparé au catholicisme;* Lacordaire, *Conférences,* années 1844–1845; Ravignan, *Conférences,* Newman, *Difficulties of Anglicans,* t. I, p. 229–261; Hettinger, *Apologie;* Weiss, *Apologie des Christentums;* B. Gonzales, *Naciones catolicas y naciones protestantes,* in *La Ciudad de Dios,* 1901; H. A. Krose, *Der Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit* (1900); J. Mausbach, *Die kathol. Moral, ihre Methoden, Grundsätze und Aufgaben* (2. Aufl. 1902); M. Reichman, *Der Zweck heiligt die Mittel* (1903); Etudes, 1905, 5. et 20. Sept.

cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur." *De vera religione*, c. VII.; cf. *Contra Epist. Manich. quam vocant fundament.* c. IV.

Non defuere, qui secedentes ab unitatis radice, *catholici* nomine insigniri cuperent, sed uni tantum coetui cum Paciano *Ep.* I, 4 vere dicere licuit: „Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen."

Nec desunt, qui catholicitatis conceptum omnino mutarint, ut negatam ecclesiae Romanae catholicitatis notam sibi coetibusque suis acatholicis arrogarent. Scilicet ex eo quod quibusdam *humanitatis* doctrinis apud gubernatores modernos ubique multum valeat, et quod in leges multorum populorum penetret, religionis suae expansionem metiendam esse perhibent. At ecclesiae verae pondus et auctoritas non hominum arbitrio, sed ad Christi praecepta perpendenda sunt. Ne in re nota multus sum, unum illud dico, multa, quae humanitatis vago vocabulo comprehenduntur — eheu! mixta malis — nobilissima bona, ab initio sine malis propagata fuisse hodieque praedicari ab ecclesia. Haec autem sola propagatio catholicitatem non constituit; nec catholicitas evanescit, si non intelligunt, qui reipublicae gubernacula moderantur, aut si erudiri renuunt, qui judicant terram. Quare recolantur, quae de catholicitatis *indole* supra probavimus, ut vere intelligatur

Thesis: *Ecclesia Romana est catholica.*

Argumenta.

Arg. I. Catholicum est, quod est ubique unum. Atqui ecclesia Romana est ubique una. Ergo est catholica. Prob. *minor.*

Est *una*, prout antea probavimus. Est *ubique*, moraliter quidem, non physice. Namque 1° a principio ferme praedicationis in omnibus *mundi cogniti partibus*, quae adiri poterant, fideles Christo genuit et nostra aetate in quinque mundi partes sonus ejus exivit; 2° tam numerosa est, ut

eam vere, etsi *moraliter,* in terris fundatam, non tantum huc illuc dispersam esse videamus.

Arg. II. Catholicitas respondet mandato Christi, dicentis: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Matth. XXVIII. 19. Jam vero mandatum illud in ecclesia Romana egregie adimpletur. Ita ecclesia Romana optimo jure nominatur catholica.

a) Ecclesia Romana, persecutionibus saepissime turbata, in dies magis dilatata est omnesque sectas numero longe superavit. Juxta recentissimas tabellas statisticas fide valde dignas ex iis, qui Christiani censentur, jam ad ecclesiam catholicam pertinent 270 000 000; ad ecclesias schismaticas, inclusis multis dissentientibus, 110 000 000; ad coetus protestantium circiter 150 simul sumptos 167 000 000.[1])

b) Ecclesia Romana Europam universam ante rebellionem Lutherianam ad fidem et vitam Christianam adduxit; in aliis autem mundi partibus sola *pondus diei et aestus* portavit, et fere sola in asperis gentilium barbarorumque terris viam Domini paravit. Quidquid in acatholicis religionis Christianae positivae superest, sunt in iis quasi sacrae reliquiae illius fidei, quae patribus eorum nobiscum commune erat.

c) Ecclesia Romana sola gloriari potest tam eximiis evangelii praeconibus permirisque praedicationis fructibus, quales in vita S. Vincentii Ferrerii, S. Ludovici Bertrandi, S. Francisci Xaverii, beati Joannis de Britto admiramur. Catholicitatis monumenta sunt *Propaganda* Romana; institutum, quod dicitur *La propagation de la foi* in Gallia, et alia. Libelli, qui inscribuntur *Annales de la propagation de la foi* seu *Annales propagandae fidei,* et vitae virorum apostolicorum confirmant, ecclesiam Romanam altricem esse fidei in universo mundo.[2]) Haec igitur ecclesia Christi est, *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.* Ps. CXXXII.

[1]) Cf. H. A. Krose, *Stimmen aus M. Laach,* 1903; Baumgarten, *Das Wirken der kath. Kirche auf dem Erdenrund* (1902). Otto Hübner, *Geograph. statist. Tabellen* (1900) ita recenset: Catholici sunt 256 115 963; schismatici 113 914 000; protestantes 174 319 140.

[2]) Cf. Marshall, *Les missions chrétiennes,* t. II. chap. XI, *Résumé;* period. *Les missions cath.* 1890, Avril; Piolet, *Missions cath. françaises au XIXe siècle* (1902). Cf. supra p. 198.

Objectiones.

Obj. I. Aliquot gentes sunt, quae ecclesiam Romanam non nisi post multa saecula cognoverunt. Ergo ecclesia Romana semper catholica non fuit.

Resp. Dist. antec.: ejusmodi gentes aliquot sunt mundi incogniti, *transeat;* mundi cogniti, *subdist.:* et id probat non fuisse catholicitatem metaphysicam, *conc.;* moralem, *nego.*

Ecclesiae Conditor evangelii praecones non regionum detectores, sed regionum detectarum praedicatores constituit. Quapropter catholicitati non repugnat, quod ante Columbum Americanis evangelium minime praedicatum est. Sed per regiones cognitas ecclesia *locum tentorii sui* (Is. LIV. 2.) dilatare non destitit Et si Tertullianus suo jam tempore de Christo affirmare non dubitavit: *ubique regnat, ubique adoratur* (Adv. Jud. cap. VII.), profecto hodierna ecclesia numero atque extensione tantum valet, ut moraliter nullis regionum finibus contineatur.

Instabis. Catholicitas ecclesiae Romanae non est factum fixum, quandoquidem multum fluctuavit, cum Mahumetis religio magnam Christianitatis partem inundaret, cum Photius a Roma discederet, cum reformatores saeculi XVI. nationes plures ipsi eriperent. Praeterea hoc saeculo XX. nec in Asia nec in Africa magna catholicorum multitudo reperitur. Itaque ecclesiae Romanae catholicitas non competit.

Resp. Dist. consequens: Ecclesiae Romanae non competit catholicitas mathematica, *conc ;* moralis, *nego.* Antea naturam notae catholicitatis ex dictis Christi et ex natura rei descripsimus. Juxta hunc conceptum catholicitas spectanda est etiam dynamice. Christi virtus, ecclesiam inhabitans, non excludit clades magnas, quas ipse Christus ecclesiae suae praedixit; nec effectus summus aut definitivus hujus supernae virtutis, quantum ad tempus determinatus est, sed inter magnas ruinas templum ecclesiae in unitate sua servans admirabile restaurationis et amplificationis opus ita semper continuat, ut hoc: *ubique unum,* in quonam coetu sine intermissione actuandum sit, tuto discernatur. Quamobrem cum Donatistae catholicis osten-

derent multas gentium barbararum, quae in Christum nondum crediderant, vel haereses multas, quae a communione catholicae societatis erant alienae, S. Augustinus ecclesiam indicavit, quomodo „crescendo fructificare non cesset, donec in omnibus cum fuerit praedicatum veniat finis". *Contra Cresconium* III, 71. Rursus *Ep.* 199, 47: „*crescit* — ait — (ecclesia) in universo mundo. Adhuc enim habet quo crescat, donec fiat quod de Christo in Salomonis figura prophetatum est: *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrae.*"

Obj. II. Praedicandi charisma non est ecclesiae Romanae proprium. Ergo intima catholicitatis *causa* ex eo probari non potest. Probatur *antec. a)* Missionarii protestantium lucem evangelicam ubique terrarum diffundunt; *b)* vastum Russorum imperium a Photianis Christi fidem didicit.

Resp. Dist. antec.: Praedicandi charisma non est ecclesiae Romanae proprium, *materialiter, conc.; formaliter, nego.* Distinctio patet ex iis, quae supra discussimus. Ad probationes autem respondeo

a) Quod de protestantibus asseritur, *nego.* Quidquid enim protestantium missionarii societatesque biblicae perficere satagunt, *unitas* ipsis deest, qua sublata, catholicitas ne cogitari quidem potest. Jam silentio praetereo, quae de relativa missionum sterilitate, deque apostolatus protestantici indole dicta sunt.

b) Quod de Russorum conversione perhibetur, pariter *nego.* Namque maxima Russorum pars ad fidem Christianam eruditi sunt anno 857—1015, praesertim Wolodimiro regnante (980—1015), quo tempore unio Russorum cum Sede Romana disrupta non erat.[1]) Praeterea praedicandi charisma non ideo conspicitur, quod opiniones in unum alterumve regnum sparguntur; Russorum autem ecclesia extra Russiam nulla est, ac intra flagello et corruptela propagatur. Constat enim inter omnes, ab anno 1772 praecipuos evangelii praecones fuisse Catharinam II., Nicolaum et Alexandrum II., quorum Siemaszko et Popiel mercenarii fuerunt lugubres.

[1]) Pelesz, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, B. I. S. 33—182. Cf. supra, p. 195—204; 231—243.

Dices. Romanum excludit catholicum, quia catholicitas vocabulo *Romani* restringitur.

Resp. Dist.: *Romanum* catholicitatem explicat, *conc.;* restringit, *nego.* Revera catholicum dicitur, quod est *ubique unum;* ad catholicitatem igitur, perinde atque in circulo, centrum et circumferentia requiritur. *Romanum* autem *unitatis centrum, catholicum* latum ecclesiae *ambitum* designat. Est igitur *Romano-catholicum* ipsissimae catholicitatis expressio *magis explicita* et apprime vera.

Articulus V.

Utrum ecclesia Romana sit apostolica.

Adversarii nihil antiquius habent, quam ut ecclesiae Romanae apostolicitatem explodant; quin etiam complures *verum apostolicitatis conceptum* amiserunt. Videndum est ergo, utrum ecclesia Romana ea, quam ante exposuimus, apostolicitate insignita sit. Dogmatici singulorum dogmatum originem apostolicam veterum testimoniis confirmant; nobis autem quibusdam *factis publicis* ac manifestis generatim probandum est, apostolos, Christi nuntios, ecclesiae Romanae fuisse auctores. Ad ecclesiam autem Romanam pertinent quicunque in radice cum Petri cathedra manserunt. Protestantes (Luther, Calvin) et increduli (Renan, Réville, Harnack) *religionis Christianae origines* et ecclesiam Romanam valde inter se dissimiles esse contendunt. Contra quos sit

Thesis: *Ecclesia Romana est apostolica.*

Argumenta.

Arg. I. Ad apostolicitatem requiritur *a)* successio publica, legitima, non interrupta, eaque *b)* in identitate doctrinae, sacramentorum et regiminis. Et haec omnia in ecclesia Romana reperiuntur. Ergo ecclesia Romana est apostolica. Prob. *min.*

a) Successio publica, legitima, non interrupta liquet ex facto publico Romanorum Pontificum beato Petro in Sede

Romana succedentium.[1]) Id quod inferius, de primatu Romano tractantes, argumentis ostendemus. Unum idemque S. Augustinus nos admonet, dicens: „Tenet me in ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum, successio sacerdotum.“ *Contra Epist. fundament.* cap. IV.

b) Identitas doctrinae, sacramentorum et regiminis servatur ab iis, qui apostolis legitime succedunt; sicut ex hierarchiae institutione patet. Atqui sola Romana ecclesia hujusmodi successionem documentis confirmare potest. Ergo in ea „semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio“. Irenaeus, *Adv. haeres.*, lib III. c. 3.

Arg. II. *Ex praescriptione.* Cum ecclesia Christum auctorem apostolosque propagatores habuerit, hoc Tertulliani ratum est: *Id verum quod prius.* Atqui ecclesia Romana quibuscunque Christianorum coetibus est anterior. Ergo est apostolica. Prob. *min.*

a) Generatim de successione. Nullum unquam probari potuit ecclesiae Romanae recentius apostolica aetate initium; sed ceteri coetus omnes ab ea secesserunt. „Haereses omnes — S. Augustinus ait — de illa exierunt“ (Serm. 1, de Symb. ad Catech. VI. 15.); schismatici autem „*altare contra* altare“ (S. Opt. *De schismate Donatist.* I. 7; II. 2.) antiquius et prius erexerunt.

b) Speciatim. 1° *De identitate doctrinae.* Nullum assignari potest tempus, quo ab ecclesia Romana apostolica mutata sit fides. Errores Macedonii, Nestorii in sede Cpolitana; Dioscori, Petri Mongi aliorumque opiniones pravae in sede Alexandrina; Arianismus, Photianismus, Lutheranismus notas habent origines, et quando praecisi fuerint, novimus; ecclesiae Romanae fides, quando mutata fuerit, prorsus ignoramus. Ergo in ecclesia Romana nulla fidei mutatio facta est.

2° Pro *sacramentorum identitate* idem argumentum praescriptionis valet, praesertim cum septem sacramenta Missae-

[1]) De plurimis aliis episcopis Gams, *Series episcoporum* et C. Eubel, Ord. M. Conv, *Hierarchia.*

que sacrificium in iis etiam ecclesiis obtineant, quae quinto sextove saeculo ab ecclesia Romana secesserunt, sicut Nestoriani, Jacobitae, etc. Cf. Assemani, *Biblioth. Orient.* t. III.; Renaudot, *Perpétuité de la foi*, t. IV.; Franzelin, *De sacramentis in genere*, cap. VI; Schanz, *Die Lehre von den heiligen Sakramenten.*

3° Idem dici potest de *identitate regiminis.* Ab acatholicis enim non exhibentur rectorum catalogi nisi catalogis Summorum Pontificum et complurium episcoporum catholicorum longe recentiores. — Itaque *„posterior nostra res non est, imo omnibus prior est; hoc erit testimonium veritatis“.* Tert. *De praescr.* cap. XXXV. Cf. Klee, *Dogmengeschichte;* Schwane, *Dogmengeschichte;* Tixeront, *Hist. des dogmes* (1905).[1])

Objectiones.

Obj. I. Priorum saeculorum monumenta ecclesiam illorum temporum ab ecclesia Romana valde discrepantem exhibent. Ergo ecclesia Romana non est apostolica. Prob. *antec.* Ex simplicitate ecclesiae primitivae, quae a multitudine dogmatum abhorret.

Resp. Dist. antec., haec discrepantia substantialis est, *nego;* accidentalis, *conc.*

Adversarii modo immutabilitatem, modo mutationes quam maximas ecclesiae Romanae objiciunt. Verum immutabilis omnino est ecclesiae *substantia;* in accidentalibus autem et quantum ad conclusiones principiorum eorumque applicationem progressus certus ab ipsis catholicis admittitur. Ea sola ratione inter ecclesiae primordia et statum hodiernum aliquid differt. Verum „eadem — ait Angelicus — est numero ecclesia quae tunc erat et quae nunc est; quia eadem est fides et eadem fidei sacramenta, eadem auctoritas, eadem professio: unde dicit Apostolus I. Cor. I. 13.: *Divisus est Christus?* Absit . . . est alius status ecclesiae nunc et tunc, non tamen est alia ecclesia“. *Quodl.* XIII. art. 19. — Veniamus ad probationem *antec.*

---

[1]) Cf. testimonium, quod veritati catholicae perhibent Harnack et Pfleiderer, in *Stimmen aus Maria-Laach,* 1902, Juli, S. 111—112.

Quod ecclesiam primitivam ajunt a multitudine dogmatum abhorrere, *dist.:* dogmatum falsorum fratrum *conc.;* dogmatum Christi, *nego.* Eadem semper fuerunt ecclesiae dogmata; sed dubiis emergentibus aut erroribus, veritas *magis explicite proposita* est atque *solemnius declarata;* scilicet ut ecclesia fidelibus consuleret, ne exciderent *„a simplicitate, quae est in Christo“.* II. Cor. XI. 3.

Instabis. Veteres ab hierarchiae fastu et Pontificum Romanorum dominatu immunes fuerunt.

Resp. Dist.: Saeculis prioribus non videtur eadem hierarchiae ac primatus potestas *quantum ad jus, nego; quantum ad usum juris, conc.* In civitatum primordiis non illico potestas in omnes usus adhibetur, cum usus pro rerum statu moderandi sint. Ipsam vero potestatem hierarchicam ab initio in ecclesia fuisse, quaest. III. monstravimus.

Urgebis. Praxis primitiva admodum simplex erat; in qua nec Deiparae cultum, neque sanctorum invocationem, neque usum reliquiarum aut alia id genus fuisse constat, quae ecclesiam Romanam dehonestant.

Resp. Dist. Veteres hujusmodi cultum ignoraverunt, *nego*; nonnullos colendi modos, *conc.* Veteres nequaquam ignorarunt sanctos, aeterna felicitate fruentes, esse invocandos, nec ipsis visum est nefas, corpora, quae templa fuerunt Spiritus Sancti, cultu quodam venerari; quod a dogmaticis ubique solide probatum archaeologi monumentis antiquissimis confirmarunt.[1]) Aliquos tamen *colendi modos,* velut associationes sanctissimae Virginis, in prima ecclesia non conspici, nihil sane ambigendum est. Neque idcirco istos modos superstitionem novam et pravam habemus. Hoc enim veritatis catholicae proprium est, quod apto tempore, caelestis instar viridarii novos piarum exercitationum fructus efferat. Adversarii legem *evolutionis* ignorant, de qua post.

---

[1]) H. de l'Épinois, *Les Catacombes de Rome,* nouvelle édit par P. Allard (1896); H. Marucchi, *Élements d'Archéologie chrétienne* (1900—1903); Liell, *Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau auf den Kunstdenkmälern der Katakomben;* Wilpert, *Die Malereien der Katak. Roms* (1903); C. M. Kaufmann, *Handbuch der christl. Archäologie* (1905).

Obj. II. Apostolicum non est, quod apostoli ecclesiae non tradiderunt. At plurimi conciliorum canones et exercitationes piae, quas ecclesia Romana admittit, ab apostolis in ecclesiam minime translata sunt. Ergo.

Resp. Dist. maj.: apostolicum non est, quod apostoli non tradiderunt quantum ad fidem *in se, conc.;* quantum ad omnes *explicationes* et *applicationes* fidei, *nego.* Hinc patet responsum ad minorem et conclusionem. Etenim quia plures fidei veritatem perverterunt, „ideo — ait Angelicus — necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores". II. II. 1, art. 10. ad 1. Neque novae pietatis exercitationes sunt ejusmodi, ut apostolicitati contrariae haberi debeant, cum unum idemque dogma ratione diversa in cultu exprimi fas sit, sicut una caritas Dei diversis formis externis manifestatur.

Instabis. Cyrillus Lucar, patriarcha Cpolitanus ad circiter annum 1625 fidei professionem edidit, in qua haec leguntur: „Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, a supremo legislatore Christo sancita." Art. 15. Ergo ecclesiae Romanae sacramenta apostolica non sunt.

Resp. Cyrillus, vir Calvinianis devinctus, in hoc articulo mendacium composuit. Neque enim mendacium non damnatum est Oriente toto. Georgius Coressius et Gregorius Proto-Syncellus Cyrilli fraudem redarguerunt; tres patriarchae, Cyrillus Beroensis, patr. Cpolitanus, Metrophanes Alexandrinus et Theophanes Hierosolymitanus, habito concilio Cpoli (1638), anathema dixerunt Cyrillo, „credenti non esse . . . ex apostolorum traditione, praxique perpetua septem ecclesiae sacramenta". Aliis Orientalium conciliis accedentibus, res confecta est.

Obj. III. Fieri potuit, ut insensibilibus mutationibus dogmata nova formarentur. Ergo ecclesiae Romanae apostolicitas incerta videtur.

Resp. Dist. antec.: id fieri potuit in abstracto, *transeat;* in hoc casu concreto, *nego.* Primum ecclesia Romana sensibilibus factis probat, se apostolorum esse legitimam haeredem; jam vero *factum publicum* et *certum* possibilibus

ac insensibilibus non destruitur. Deinde nunquam ab ecclesia non evigilatum est, ut omnes traditis starent; quam quidem in veritate constantiam adversarii Romanensem „immobilitatem“ appellare consueverunt. Postremo ex monumentis jamdudum notis aliisque denuo repertis, puta in Catacumbis, priorum saeculorum exsurgit imago, quae hodiernam ecclesiam tam vere repraesentat, ut protestantes non pauci, praesertim in Anglia, ad fidem Romanam redire impulsi sint studio antiquitatis, certam salutis viam quaerentes, ubi continuationem ab apostolis dogmatumque integritatem conspexerant.[1])

Quaestio VIII.

De dotibus seu de indefectibilitate et infallibilitate ecclesiae.

Ubi vera sit ecclesia, vidimus. Venimus ad *dotes* nobilissimas ecclesiae, quae sunt *indefectibilitas*, ne intereat, et *infallibilitas*, ne erret in fide et moribus. Hoc loco quatuor quaeruntur.

Primo. *Utrum ecclesia sit indefectibilis.*

Secundo. *Utrum ecclesia in statum meliorem mutanda sit.*

Tertio. *Utrum ecclesia sit infallibilis.*

Quarto. *Utrum ecclesia docens sit infallibilitatis activae subjectum.*

[1]) Audiatur Card. Newman, *Difficulties of Anglicans* (1873), vol. II., p 198: „In truth, this fidelity to the ancient Christian system, seen in modern Rome, was the luminous fact which more than any other turned men's minds at Oxford forty years ago to look towards her with reverence, interest, and love. It affected individual minds variously of course; some it even brought on eventually to conversion, others it only restrained from active opposition to her claims; but none of us could read the Fathers, an determine to be their disciples, without feeling that Rome, like a faithful steward, had kept in fulness and in vigour what our own communion had let drop.“

Articulus I.

Utrum ecclesia sit indefectibilis.

I. Indefectibilitatis definitio. Indefectibilitas est ecclesiae dos seu propietas a Christo donata, *qua usque in mundi finem talis immutata permanebit, qualis a Christo instituta est.* Haec definitio includit: 1° ecclesiae exsistentiam *nunquam interrumpendam;* 2° *essendi identitatem* quantum ad omnia, quibus ecclesiae essentia continetur; 3° *perennem* ecclesiae *visibilitatem*, siquidem visibilitatem ecclesiae essentialem esse probavimus. Sed non excluditur 1° hominum progressus in credenda, explenda, scientifice declaranda Christi lege; 2° modificationes earum rerum, quas Servator in particulari determinandas ecclesiae suae reliquit, veluti jejunii certa tempora, etc. Indefectibilitas autem a nonnullis etiam perpetuitas appellatur.

II. Adversariorum sententia. Omissa Donatistarum obsoleta sententia, qui catholicitatem ecclesiae, hoc est, saltem indirecte, ecclesiam ipsam defecisse perhibebant, 1° *naturalistae* et *rationalistae,* si quidpiam immortalitatis ecclesiae tribuant, certe non aliam ac religioni Mahometis. Voltaire, David Strauss, E. v. Hartmann et homines cordis alti, qui jam se culturam vocant, fere omnes ecclesiam catholicam demolitum iri, nedum prope deletam asseverant.[1]) 2° *Protestantes* asserunt: *a)* fieri posse, ut ecclesia ad tempus aut in perpetuum errores contra fidem revelatam admittat; qua falsa opinione directe infallibilitatem attentant; *b)* contendunt, ecclesiam esse defectibilem et reapse ante

---

[1]) E. v. Hartmann, *Die Selbstzersetzung des Christentums* (3. Aufl.), p. X de Ultramontanismo, hoc est de ecclesia catholica, ait: „Auf der einen Seite muss derselbe sich geschmeichelt fühlen, dass ich den wahren Vertreter des historischen Christentums in ihm sehe, und sein Vorgehen gegen die moderne Kultur als den letzten Selbsterhaltungsversuch des historischen Christentums bezeichne. Anderseits ist ihm über seine mumienhafte Abgestorbenheit und religiöse Leistungsunfähigkeit seit der Reformation wohl kaum irgendwo ein härteres Urtheil gesprochen worden."

Lutherum defecisse. Re quidem vera id *absolute* non affirmant, „sed dicunt — Bellarminus ait — id intelligi debere de *ecclesia visibili.*“ Protestantium parum firma sententia satis aperte a Calvino declarata videtur, qui *Instit.* lib. IV. c. II. n. 11. asserit, Deum sua providentia effecisse, ut praeter Baptismum „aliae quoque reliquiae exstarent, ne Ecclesia prorsus interiret. Ac quemadmodum ita saepe diruuntur aedificia ut fundamenta et ruinae maneant, ita non passus est Ecclesiam suam ab Antichristo vel a fundamento subverti, vel solo aequari . . . sed ab ipsa quoque vastatione semirutum aedificium superesse voluit“. 3° Pachasius Quesnellus signa maxime sensibilia „senectutis Ecclesiae“ conspicienda esse perhibet. Cf. Clementis VIII. Const. *Unigenitus*, 8. Sept. 1713. Synodus autem dioecesana Pistoriensis contendit, „postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quae sunt basis Fidei et moralis doctrinae Jesu Christi;“ quam propositionem *haereticam* damnavit Pius VI. per constitutionem *Auctorem fidei*, 28. Aug. 1794.

Thesis: *Ecclesia est indefectibilis.*

Argumenta.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* Vaticinia V. T., promissa Christi ejusque parabolae et instituta designant indefectibilem ecclesiam. Ergo ecclesia Christi est indefectibilis. Probatur *antec.*

a) Vaticinia. Vaticinia identidem *regnum Christi et Davidis per Christum* annuntiant, quod *stabit in aeternum*, Dan. II. 44. Legitur enim: *super solium David sedebit, ut confirmet illud, . . . amodo et usque in sempiternum*, Isaias IX. 7.; item: *Feriam eis pactum sempiternum*, Jeremias XXXII. 40.; iterum: *potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum ejus quod non corrumpetur*, Daniel VII. 14.; ibidem cap. II. 44.: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum quod in aeternum non dissipabi-*

tur . . . et ipsum stabit in aeternum. Cf. Isaias LXI.; ps. LXXXVIII.; ps. XLVII., quem S. Augustinus et Angelicus de ecclesia intelligendum esse exposuerunt. Atqui regnum illud aeternum est vera Christi ecclesia. Ergo. Prob. *minor.*

1° Messiae regnum, in synagogae locum subrogatum, nullum indicatur nisi religio Christiana, quam Christus in ecclesiae formam constituit. 2° Ecclesia in N. T. Christi *regnum* vocatur. 3° Vaticiniorum sensus in N. T. dilucide explicatur. Angelus enim, ad Mariam missus, de Emmanuel: *Dabit illi* — inquit — *Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis,* Luc. I. 32. Paulus autem Vetus Testamentum ad Novum tanquam *mobile* ad *immobile* comparans, haec docet: *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam.* Hebr. XII. 27, 28.

b) Promissa Christi. Aedificatur ecclesia *super petram; portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. XVI. 18.); ipse Christus cum ecclesia est *usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII. 20.); cum ea Paraclitus *in aeternum* manet (Joan. XIV. 16.). At his omnibus indefectibilitas *absolute* perspicue promittitur. Et certe si quidquam, aedificium, *super petram* seu saxum exstructum, id firmum et immotum est, praesertim cum metaphora *petrae* his verbis illustratur: *qui audit verba mea haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram.* Matth. VII. 24—26. Quidquid ergo irruit, etiamsi *portae inferi* prorumpant, ecclesia victrix permanet, *usque ad consummationem saeculi, in aeternum.* Christi pollicitatio absoluta est.

c) Christi parabolae et instituta. In terris nunquam non erunt fideles, ministri, sacramentum. Ergo ecclesia est indefectibilis. Prob. *antec.* 1° *Fideles* permansuros, parabolis zizaniae superseminatae atque sagenae edocti sumus. Legitur enim: *sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis Angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala,*

et eos qui faciunt iniquitatem et mittent eos in caminum ignis, Matth. XIII. 40, 42.; ibidem, v. 48, 49.: *elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum.* 2° *Ministros* perpetuo fore, S. Paulus significat, scribens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi; donec* (μέχρι) *occurramus omnes in unitatem fidei, . . . in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Eph. IV. 11—13. Quibus verbis tempus *messis* et resurrectionis sanctorum indicatur. 3° *Sacramenti* perpetuum esse institutum, S. Paulus declarat. *Quotiescunque enim* — ait — *manducabitis panem hunc, et calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis, donec* (ἄχρι) *veniat.* I. Cor. XI. 26. „*Donec veniat* — Angelicus ait — idest usque ad ultimum ejus adventum: in quo datur intelligi quod hic ritus Ecclesiae non cessabit usque ad finem mundi." *Expos. in ep.* l. c.

Arg. II. *Ex veterum testimoniis.*

S. Ignatius Antiochenus, beati Joannis apostoli discipulus, ait: „Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut ecclesiae spiret incorruptionem (ἀφθαρσίαν)." *Ad Ephes.* cap. XVII. Quibus verbis indirecte saltem ecclesiae indefectibilitas designatur. *S. Justinus:* „Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quae fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat, idem quoque nobis evenit. Plantata enim a Deo et Salvatore Christo vitis, populus ejus est. *Dial. cum Tryphone,* cap. CX. *S. Joannes Chrysostomus:* „Ecclesia est caelo validior. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam." *Hom.* ant. exil. 1. *S. Augustinus* ecclesiam ita loquentem inducit: „Quamdiu ero in hoc saeculo? Annuntia mihi propter illos qui dicunt: Fuit et jam non est . . . Et annuntiavit, nec vacua fuit vox ista. Quis annuntiavit mihi, nisi ipsa Via? Quo-

modo annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.“ In ps* CI., serm. 2.

Cf. Originem, *Exhortatio ad martyrium;* S. Hippolytum, *De Chr. et antichr.* cap. LIX.; S. Hieronymum, *In Isaiam* V.; S. Ambr., *In ps.* XL. 30.; *Hexaem.* lib. IV. c. 2.; S. Leon. M. *Ep.* 102, etc.

Arg. III. *Ex origine, fine, historia ecclesiae.* 1° Nemo est, qui non videat, quam inconveniens sit, eam perire ecclesiam, quam dedit nobis Deus in Filio, *quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.* Hebr. I. 2. 2° Christus ecclesiam instituit, ut homines per eam salutis media recipiant. Cf. quaest. II. art. 3. At homines nunquam istis mediis non indigent. Ex quo intelligitur, ordinem salutis a Deo constitutum postulare, ut ecclesia semper maneat. 3° Historiae fide comprobatum est, ecclesiam per medias persecutiones vicisse. Tot autem reportatae victoriae divinam dexteram manifestant, et spondent de futuro. Complures etiam acatholici invictum ecclesiae regnum agnoverunt.[1])

[1]) Macaulay, *Essays, Ranke's history of the Popes,* ait: „There is not, and there never was on this earth, a work of human policy so well deserving of examination as the Roman Catholic Church . . . Nor do we see any sign which indicates that the term of her long dominion is approaching.“ Et cetera, quae notissima sunt. Ipse Ranke, *Päpste,* t. III., quaerens, utrum Roma modernis vincenda sit, respondet: „Das ist eine der grossen Fragen des Jahrhunderts, von allen, welche vorliegen, vielleicht die inhaltschwerste.“ Firmius Guizot: „L'Église catholique ne périra pas.“ *Rev. d. quest. hist.* 1885, p. 257. A. Comte, *Cours de phil. posit.* t V.; Mallock, *Is life worth living,* ch. XI.: Doumergue, *Le problème, protestant* et O. Lorenz, Prof. in Jena, *Die Geschichtswissenschaft in Hauptrichtungen,* t. II. ecclesiam minime mortuam ostendunt; Lorenz, v. g. affirmat. „jam validiorem esse ecclesiam quam unquam fuit“ et Doumergue contra sepulturos ecclesiam: „le mort est plus vivant qu'il y a des siècles.“ Ideo juvat repetere quod de ecclesiae firmitate exponit F. Delaborde in *Rev. des deux Mondes,* 1896, 1. Juni, p. 654: „A toutes les attaques, la papauté n'a qu'une réponse: elle dure. Elle dure, non pas inerte ni défaillante, mais fortifiée de son passé, vivante de son activité présente, jeune de la conscience de son avenir.“

Objectiones.

Obj. I. Ecclesiae Judaicae promissa haud obscuriora quam ecclesiae Christianae facta sunt. Et ecclesia Judaica defecit. Ergo incertum est, an nunquam peritura sit ecclesia.

Resp. Dist. maj.: promissa, ecclesiae Judaicae facta, continuanda erant et adimplenda sub Novo Testamento, *conc.;* in lege veteri, *nego.* Minorem *dist.:* ecclesia Judaica defecit in figura, *conc.;* in figurato, *nego.* Et quidem religio Judaica ab apostolo dicitur *umbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Hebr. X. 1. Quapropter S. Augustinus: „Quando — inquit — ei (sacerdotio Aaronitico) aeternitas promissa est, non ipsi umbrae et figurae, sed ei, quod per ipsum adumbrabitur et figurabitur, promissum est." *De civ. Dei,* lib. XVII. 6.

Urgebis. Ante Christum natum ecclesia Judaica defecit, v. g. tempore captivitatis. Ergo promissis non obstantibus perire potest ecclesia.

Resp. Dist. antec.: Ecclesia Judaica ante Christum natum defecit in multis membris, *conc.;* in omnibus, *nego.* Nullo unquam tempore non fuerunt, in quibus vera colendi Dei ratio perseveraret. Ecclesia autem Judaica multo magis quam ecclesia Christiana obumbrari potuit; *a)* quia particularis, non universalis, erat; *b)* quia gratiarum ubertate, ecclesiae donata, carebat; *c)* quia ipse Deus praedixerat: *Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri . . . auferam Israel de superficie terrae, quam dedi eis.* III. Reg. IX. 7. Quare Deus ecclesiam Judaicam interdum ita percussit, ut prope deleta esse videretur.

Instabis. De mundo finaliter dissolvendo in S. Scripturis legimus: *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Matth. XXIV. 24. Item: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Luc. XVIII. 8. S. Paulus diem Domini non instare docet, *„nisi venerit discessio primum."* II. Thess. II. 3.

Ecclesia igitur, quoniam finaliter deficiet, indefectibilis non est.

Resp. Dist. antec.: hisce testimoniis praedicitur persecutio ecclesiae maxima, *conc.;* ecclesiae interitus, *nego.* Ad singula.

a) Pseudochristorum prodigiis in errorem inducentur multi, *conc.;* universa ecclesia, *nego.* Allatus Domini sermo per exaggerationem quandam dictus est; sed *electi,* ut ipse textus ostendit, non deficient.

b) Quod ex S. Luca objicitur, *dist.:* haec spectant ad fidem perfectam, *conc.;* ad fidem simpliciter, *nego.* Si Bedam venerabilem secutus, dixeris: „tanta erit raritas electorum ut non tam ob clamorem fidelium, quam torporem aliorum totius mundi sit acceleranda ruina," haec tamen relative de fide perfecta, non absolute, intelligenda sunt, siquidem S. Augustinus ait: „qui autem habeant fidem tanquam granum sinapis, qua montes etiam transferantur, rarissimo omnino sunt. De *tali* enim fide Dominus dicebat: *Putas*" etc. *Contra Gaud.* II. 6.; cf. S. Thom. in *Catena* ad l. c.

c) Discessio, quam S. Paulus praedicit, est omnium discessio, *nego;* multorum, *conc.* „Futurum erat — Angelicus ait — ut fides a toto mundo reciperetur . . . et post multi discedent a fide. I. Tim. IV. 1.: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide.* Matth. XXIV. 12.: *Refrigescet caritas multorum.*" *In Ep. II. ad Thess.* cap. II. lect. 1.

Obj. II. Ecclesia defecit. Ergo deficere potest. Probatur *antec. a)* Defecit ecclesia, cum V. Testamentum, moriente Christo, recederet et eodem tempore discipuli cum Petro vacillarent. *b)* Exorta Arii haeresi defecisse ecclesiam, Hieronymus testis est. „Ingemuit — inquit — totus orbis, et Arianum se esse miratus est." *Dial. adv. Lucifer.* n. 19.

Resp. Nego antec. Ad probationem respondeo. *a)* Defecit ecclesia moriente Christo, hoc est, aliquot ecclesiae membra, *conc.*; tota ecclesia, *nego.* Aliqua certe fidei trepidatio a Servatore discipulis praedicta fuerat. *Omnes vos* —

inquit — *scandalum patiemini in me in ista nocte.* Matth. XXVI. 31. At nullo prorsus idoneo argumento constat, omnes aut apostolos aut discipulos fidem perdidisse. Alioqui triduo mortis Christi nondum illud impletum fuerat, *Ego confirmavi columnas ejus;* iterum posteaquam Petrus ac reliqui apostoli definitive pastores ecclesiae constituti sunt, in fidei confessione nequaquam defecerunt; a fortiori, accepto Spiritu veritatis, in falsam fidei doctrinam venire non poterant. Cf. Canum, *De loc. theol.* IV. 5.

b) Quod de orbe mirato dicitur, *dist.:* miratus est se esse Arianum haeresi *imputata, conc.;* haeresi, *nego.* Anno 359 episcopi catholici, Arimini congregati, formulae, in qua vox ὁμοούσιος, *consubstantialis*, non legebatur, incauti subscripserunt. Sperabant scilicet fore ut Arianos, *fidem* catholicam simulantes, praetermissa hac *voce,* sibi devincirent. At Ariani fidem Nicaenam ob praetermissum vocabulum eversam contenderunt. „Ingemuit totus orbis — ait S. Hieronymus — et Arianum se esse miratus est.“ Idem vero doctor sanctissimus verba hyperbolica de Arianismo *imputato* explicat, haec subdens: „Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia haeretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, et quidquid in ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis; nec in ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.“ *Dial. adv. Luciferianos,* n. 19. Praeterea acta Ariminensia a Liberio, Summo Pontifice, rescissa sunt.

Obj. III. Non repugnat, ecclesiam, quantum ad membrorum numerum aliaque plura, tam vehementer minui, ut nulla species emineat. Quod si fiat, ecclesia visibilis esse desinit. Ita ecclesiam saltem visibilem deficere non repugnat.

Resp. Dist. maj.: fieri potest, ut minuatur ecclesiae species accidentalis, *conc.;* essentialis, *nego.* Catholicitatem ut visibilitatem ab ecclesia auferri non posse, ex dictis de notis et de visibilitate ecclesiae dilucide apparet. Neque saevientibus persecutoribus ecclesiae visibilitas deficit. Ad

rem S. Augustinus: „Oportebat autem — inquit — ut eadem vitis, sicut a Domino identidem praedictum erat, putaretur, et ex ea praeciderentur infructuosa sarmenta, quibus haereses et schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quaerentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur ecclesia, et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia.“ *De catechiz. rudibus,* cap. XXIV.

Articulus II.

Utrum ecclesia in statum meliorem mutanda sit.

I. Status quaestionis hujus, qui omnino distinguenda est ab ea, quam catholici doctores de *progressu* et de *evolutione* in ecclesia proponunt. Statum *meliorem,* quem jam consideramus, *objectivum* intelligunt; est enim ejusmodi, ut ipsum Christi institutum tangat, ipsam fidem, sacramenta potestatemque ecclesiae. Status igitur ille melior commutationem postulat essentialem et substantialem. Status contra *subjectivus* ad ecclesiae membra spectat. Porro non inficiamur, *statum novae legis diversificari secundum diversa loca et tempora et personas, in quantum gratia Spiritus sancti perfectius vel minus perfecte ab aliquibus habetur.* „Non est tamen exspectandum — Angelicus ait — quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius gratia Spiritus sancti habeatur, quam hactenus habita fuerit, et maxime ab Apostolis, qui *primitias Spiritus acceperunt,* id est, *et tempore prius et ceteris abundantius.*“ S. Thom. I. II, 106, art. 4. Status igitur melior *subjectivus* catholicis non displicet, sed *objectivus* rejicitur.

II. Adversarii. Sunt qui ecclesiam *in se* meliorem fieri posse perhibeant, sed alii aliter. Quorum tria sunt genera: *a)* falsi quidam mystici; *b)* sectae fanaticae protestantes; *c)* increduli.

a) Saeculo XII. Joachim, abbas Cisterciensis († 1202), tres status mundi esse docuit, quorum tertius, ab anno 1260 usque ad mundi finem permanens ceterisque perfectior, *evangelium aeternum,* quod et *evangelium regni* seu *evangelium*

spirituale vocavit, tanquam *spiritum* ex *littera evangelii Christi* procedentem amplecteretur. Est autem *evangelium aeternum* sensus spiritualis evangelii Christi, quod ad statum mundi secundum (a Chr. nato ad annum 1260) pertinet. In statu *evangelii aeterni* spiritualibus viris *spiritualis intelligentia* datur. Spiritualis intellectus evangelii litteram tanquam ignis consumet; in quo *finis perfectionis nostrae* consistet. Tunc aderit *spiritualis ecclesia.* Neque tamen deficiet ecclesia Petri, „sed commutata in majorem gloriam manebit stabilis in aeternum."[1])

b) Inter sectas protestantes *Irvingiani,* ab Eduardo Irving, Anglicano, et *chiliastae* recentiores, uti Hoffmann, futuram ecclesiam exspectant; scilicet pentecosten novam, adventum Domini, revelationem complendam, Sion aedificandam confinxerunt.[2]) Quibus olim praelusere Montanistae et Manichaei, qui S. Spiritum, a Christo promissum, non apostolis sed Montano et Manichaeo complete datum esse putarunt.

c) Modernorum industria magna est in meliori ecclesiae statu creando. Verum tantum abest, ut revelationem perficiendam exspectent, ut revelationem supernaturalem

---

[1]) Cf. Denifle, *Archiv des Mittelalters,* B. I., 50 et seqq.

[2]) Recens est inter catholicos millenarismus ille, quem propugnat Bigou in operibus, quae inscribuntur: *L'avenir, ou le règne de Satan et du Monde prochainement remplacé sur toute la terre par une domination indéfinie de Jésus-Christ et de l'Eglise,* et *Justification du Nouveau Millénarisme, ou glorieux avènement de Jésus-Christ, refoulement de tous les démons dans l'enfer et long règne spirituel de l'Eglise sur toute la terre, démontrés par l'Ecriture et la vraie Tradition.* — Tituli praecipua systematis elementa designant. Auctor, etsi meliorem ecclesiae *statum,* de quo in thesi, non praedicat, impugnatus tamen a pluribus est, quod videretur ejus doctrina communi S. Scripturarum interpretationi contraria. Quod severius etiam dicendum videtur de chiliasmo novo, quem docuit E. H. Chabauty in opere, quod inscribitur: *Études scripturales, patristiques, théologiques et philosophiques sur l'avenir de l'Église catholique selon le plan divin ou la Régénération de l'humanité et la Rénovation de l'univers.* Opus *Decr.* 18. Dec. 1896 in *Indice librorum prohibitorum* positum. Item decreto ejusdem diei aliud opus ejusdem auctoris: *Le système de la rénovation n'a pas été condamné en lui-même par l'église.*

sensim projecerint. Abolenda est antiqua ecclesiae constitutio hominumque arbitrio fas est ecclesiam cultioribus ingeniis aptari. Ipsos audiens crederes, idem esse progredi ac destruere dogmata, sacramenta, totam ecclesiae essentiam. *Theologia media* (Vermittlungstheologie), quae mediam quandam inter credendum et non credendum sequitur viam; *rationalismus biblicus* et sectatores evolutionismi indefiniti religionum eum *statum meliorem* inquirunt; rationalismus mysticus praecipuos doctores suos, inter quos Tolstoi, tanquam prophetas Christianismi novi ac novorum saeculorum praecursores respicit. Sequaces Augusti Sabatier religionem Christianam tum demum ad statum suum perfectum assurrecturum praesagiunt, cum omnes *religiones auctoritatis* in *religionem Spiritus*, quae est *autonoma*, transierint.

Thesis: *Ecclesia in statum meliorem mutanda non est.*

Argumenta.

Arg. I. Soli Deo competit, ecclesiam Christianam in statum meliorem mutare. Jam Deus statuit, ne ecclesia in statum meliorem mutaretur. Patet *major;* Deum enim auctorem et dominum ecclesiae esse, ex antea probatis constat. Probatur *minor*. Ecclesia in statum meliorem mutari potest *a)* neque novo Christi adventu aut nova Paracleti missione; *b)* neque hominum arbitrio. Ergo nullo modo.

a) Ecclesia, quae in terris est, *neque novo Christi adventu neque nova Paracliti missione* in statum meliorem mutabitur. 1° Quia hoc nusquam scriptum aut traditum est; 2° „quia ultima consummatio gratiae facta est per Christum," ut docet Angelicus II. H. 1. art. 7. ad 4. Idque Christus nos edocet: *non veni solvere, sed adimplere.* Matth. V. 17.; — unus Evangelii et mundi finis erit: *Praedicabitur* — inquit — *hoc Evangelium regni in universo orbe, et tunc veniet consummatio.* Matth. XXIV. 14.; ecclesiae status, quem Christus adduxit, a S. Paulo vocatur *plenitudo temporis.* Gal. IV. 4.; cf. Eph. I. 10.; Rom. X. 4.; — est illud, *quod manet,* Vetus autem Testamentum illud, *quod evacuatur.* II. Cor. III. 11. etc.

b) Non hominum arbitrio. 1° Ob utramque rationem allatam. 2° Quia ecclesia est regnum Dei et societas supernaturalis, quae nulla potestate humana mutari possunt. 3° Quia permutationes, quas moderni moliuntur, dogmata, sacramenta et cuncta ecclesiae essentialia destruunt. Atqui ecclesiam deficere non posse, ostendimus. Cf. art. 1. Ergo ecclesiae status melior modernorum, cum sit corruptio, rejiciendus est.

Arg. II. Non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae quam status novae legis, a Christo constitutus in ecclesia. Ergo ecclesia in statum meliorem non mutatur. Prob. *antec.* Unumquodque tanto est perfectius, quanto est ultimo fini propinquius. At nova lex fini maxime propinqua esse non abs re creditur. „Nihil enim — Angelicus ait — potest esse propinquius fini ultimo quam quod immediate in finem ultimum introducit; hoc autem facit nova lex: unde Apostolus dicit, ad Hebr. X. 19.: *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, accedamus.*" I. II. 106, art. 4.; cf. II. II. 1, art. 7.

Arg. III. *Ex patribus.* De veritate theseos testantur veteres omnes, qui ecclesiae apostolicitatem, perpetuitatem, et nihil innovandi necessitatem defendunt. Cf. supra, art. 1. et quaest. V. art. 5.

Objectiones.

Obj. I. Status legis veteris convenit Patri, status novae legis Filio. Tertius ergo status erit Spiritus sancti.

Resp. Dist. antec.: Status veteris legis et novae Patri et Filio exclusive conveniunt, *nego;* inclusive. *conc.* Lex enim vetus est etiam Filii, qui in ea figurabatur et prophetis sese manifestavit; est Spiritus sancti, quia *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* II. Petr. I. 21. — Pariter sub nova lege Spiritus sanctus saepius sese manifestavit, velut in baptismate Christi, die Pentecostes. Cf. Joan. I. 32.; XIV. 26.; Act. II. 3.; Rom. V. 5.; I. Cor. XII. 11.

Obj. II. Oportet adimpleri vaticinia. At vaticinia

magnifica de Christi regno nulla in ecclesia adimplentur. Ex quo efficitur, ut in meliori ecclesiae statu vaticinia adimplenda sint.

Resp. Dist. min.: vaticinia non adimplentur in ulla protestantium ecclesia, *conc.;* in ecclesia catholica, *subdist.:* non adimplentur *consummate, conc.; inchoative, nego.* In vaticiniis Christi triumphus regnumque, quod *post judicium* erit, saepius praedicitur. In ecclesia vero catholica quidquid de Christi regno *in terris* annuntiatum est, quotidie adimpletur.

Obj. III. Debet ecclesia respondere animarum desideriis. Porro hujusmodi desideria progrediente humanitate mutantur. Status igitur ecclesiae cum ipsis mutandus est.

Resp. Dist. maj.: oportet ecclesiam respondere animarum desideriis ordinatis, *conc.;* inordinatis, *nego.* Et *dist.* min.: hominum desideria mutantur, et ab ecclesia impleri non possunt, si sunt inordinata, *conc.;* si ordinata, *nego.* Ecclesia non hominum, sed Dei opus est; neque philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. Cf. Pii IX. encycl. d. 9. Nov. 1846. Ipsa quoque synodus Vaticana hoc definivit: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; a. s." Constit. *Dei Filius,* cap. IV, 3.

Veritas prima, quae in ecclesia relucet, „est finis omnium desideriorum et actionum nostrarum" (S. Thom. II. II. 4. art. 2. ad 3.); maximis igitur ecclesiae verissimisque principiis in desideriis suis dirigendis utantur homines, ne tanquam *parvuli fluctuantes omni vento doctrinae* circumferantur. *Eph.* IV. 14.

Articulus III.

Utrum ecclesia sit infallibilis.

I. Definitur infallibilitas. Infallibilitas est *ecclesiae dos, qua per assistentiam divinam errare non potest in rebus fidei et morum.* Dicitur: „errare non potest;" siquidem

ecclesia non solum non errat, quod est *factum*, verum etiam errare non potest, quod ad *jus* pertinet. Dicitur: „per assistentiam divinam"; solus enim Deus *ex se* infallibilitate gaudet, sed ecclesiae, Deo assistente, inerrantia *participata* competit; „in rebus fidei et morum", quia infallibilitas ad ea, quae fidem et mores nullo modo attingunt, non extenditur.

II. Explicatur infallibilitatis indoles. Infallibilitas per influxum Dei in ecclesiae membra, non humana quadam virtute, efficitur. Loquitur enim Scriptura: *Hoc est opus Dei, ut credatis*, Joan. VI. 29. Et profecto mens humana, quanquam ad veritatem ordinata, non est in veritate confirmata. Quemadmodum in plurimis scientiis, si homines lumine naturali minus diligenter utantur, errorum fons latissime patet, sic „ratio . . . humana in rebus divinis est multum deficiens". S. Thom. II. II. 2, art. 4. Quod a fortiori de rebus supernaturalibus dici debet. Igitur ecclesia *ex se* infallibilis non est.

In Deo autem, cujus intelligere est mensura et causa omnis alterius esse et omnis alterius intellectus, et qui ipse est suum esse et intelligere, non solum est veritas, sed etiam ipse est ipsa summa et prima veritas. Apprime clarum est, homines ab Eo, cujus solius infallibilitas *imparticipata* propria est, aliquam posse *participare* infallibilitatem. Infallibilitas autem in ecclesiam influit,

1° per divinam et arcanam operationem primae ac immutabilis Veritatis, cujus absoluto imperio mens humana subjicitur. 2° A Christo, capite totius corporis ecclesiae. Nam „a capite — Angelicus ait — ad alia membra, quae sunt ei conformia in natura, quodammodo sensus et motus derivantur: sic a Christo et gratia et veritas ad alios homines derivantur: unde ad Eph. I. 22.: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius" (Comp. theol.* 214). 3° A S. Spiritu, secundum hoc Augustini: „Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est ecclesia: hoc agit Spiritus sanctus in tota ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis." *Sermo de die Pentec.*

III. Explicatur doctrina de assistentia S. Spiritus

in ecclesia. Theologi docent, divinas Personas in prima hominis *justificatione* et in quolibet augmento gratiae substantialiter (*οὐσιωδως*), non mera operatione (*ἐνεργεια*), praesentes esse animae. Quod igitur etiam de S. Spiritu affirmandum est. *Assistentia* vero specialis, qua Spiritus sanctus ecclesiam dirigit, ne erret, et quae vera *inhabitatio* S. Spiritus in anima (I. Cor. III.) non videtur, ad eam praesentiam generalem potius pertinet, qua Deus est in omnibus per operationem. Cf. Billuart, t. I. diss. VI. art. 4. — Quidquid est, „Si dicatur: *In sanctam Ecclesiam catholicam* (credo), hoc est intelligendum secundum quod fides nostra refertur ad Spiritum sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit sensus: *Credo in Spiritum sanctum sanctificantem Ecclesiam.*“ Ita S. Thom. II. II. 1. art. 9. ad 5.; cf. *Opusc in Symb.* art. IX. Ita quonam sensu *assistentiam* illam, infallibilitatis effectricem, S. Spiritui tribuendam esse putemus, ex eo facile colligimus, quia Spiritus sanctus intellectum illuminare dicitur, in quantum „omnia quae scimus, a Spiritu sancto scimus“, ut ait Angelicus, *In Symb.* VIII. Qui praeterea suam doctrinam de *infallibilitatis fonte* his complexus est: „Ecclesia universalis non potest errare, quia Spiritu Sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis: hoc enim promisit Dominus discipulis, Joan. XVI, dicens: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*“ II. II, 1, 9. — Cf. *Quodl.* IX, 16.

IV. Assistentia, revelatio et inspiratio. 1° Assistentia Dei specialis, qua ecclesia semper ab errore servatur immunis, *a revelatione* distinguitur; quia, Deo stricte revelante, nova doctrina *manifestatur*, per assistentiam autem tradita revelatio sancte custoditur. 2° Distinguitur etiam assistentia *ab inspiratione*, quae de libris V. et N. T. affirmatur propterea, quod *Spiritu sancto inspirante conscripti* Deum habent auctorem. 3° Assistentia ecclesiae conceditur, ut revelata et inspirata serventur incolumia. 4° Ceteroqui Deus non sola assistentia *negativa* suam ecclesiam tutam ab errore tuetur, sed *positiva* etiam, quatenus opus sit.

V. Infallibilitas activa et passiva. Infallibilitas *passiva* est ecclesiae ab errore immunitas in *credendo* et in

discendo; activa est hujusmodi immunitas in *docendo.* In hac thesi generatim inquirendum est, utrum ecclesiae infallibilitatis praerogativa divinitus concessa sit. Ecclesiam autem hic intelligimus fidelium coetum, tam eorum, qui discunt, quam eorum, qui docent. Cujus ecclesiae infallibilitas in *credendo* et *profitendo* his, quae sequuntur, continetur. 1° Ecclesiae fides deficere non potest. 2° Ecclesia in credendo errare non potest; quod sic accipiendum est, ut ne inculpato quidem errore falli possit, et ad nullum errorem ne insciens quidem moveri. 3° Non solum ecclesia antiqua in fide errare non potuit, sed neque ecclesia, quae nunc est, quaeve futura est usque ad consummationem saeculi, errare in fide aut potest, aut poterit. Cf. Canum, *De locis theol.* IV. 4.

VI. Adversarii; Puseyitae. Protestantes ecclesiam infallibilem esse negant. Puseyitae tamen in abstracto profitentur eam infallibilitatem, cujus subjectum esset ecclesia Romana, ecclesia Graeca et ecclesia constituta Anglica, in unam ecclesiam universalem conjunctae. Verum haec ecclesia universalis, in tres communitates divisa, cum testificandae fidei impar sit, eo ducit, ut infallibilis ecclesia *in concreto* nulla conspiciatur. Ceterum error ille de tribus communitatibus supra dilutus est.

Thesis: *Ecclesia Christi est infallibilis.*

Argumenta.

A. Ex S. Scriptura.

Arg. I. Quod est immutabile et inexpugnabile in fide, infallibile dicimus. Ecclesia autem est immutabilis et inexpugnabilis in fide. Infallibilis igitur est. *Major* patet; nempe quod fallitur, mutatur et ab errore vincitur. Prob. *minor* ex *Matth.* XVI. 18. et I. *Tim.* III. 15., *a)* quantum ad immutabilitatem, *b)* eamque in fide.

a) In Scripturis ecclesia dicitur aedificata 1° *super petram,* Matth. XVI. 18.; 2° vocatur *columna et firmamentum;*

3° *portae inferi non praevalebunt adversus eam,* Matth. l. c. Ergo est immutabilis et invincibilis.

1° Jesus beato Petro ait: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Jam vero vocabulum *petra,* quo Salvator hic utitur, syriace, hebraice, aramaice *saxum, rupem* et ideo in casu fundamentum petrosum significat, quod aedificii totius immutabilitatem conservet. Cf. *Matth.* VII. 24—26.

2° Ecclesia, ut ait S. Paulus, est *columna et firmamentum veritatis,* στῦλος καὶ ἑδραίωμα; quae metaphora eandem atque metaphora *petrae* firmitatis notionem ingerit. Id enim ex ipsissimo verborum sensu usuque S. Scripturae cogitur. Cf. I. *Cor.* XV, 58.; *Coloss.* I. 23. etc. vocabulum ἑδραῖος; *Gal.* II. 9.; LXXIV. 3. etc. στῦλος.

3° *Portae inferi* per synecdochen *regnum* seu *civitatem inferi* designant. Cf. *Gen.* XXII. 17.; *Ps.* LXXXVI. 2. Ecce vis hostilis, qua major dari non potest. Atqui ne maxima quidem illa vi subigetur ecclesia: *non praevalebunt adversus eam.* Ergo ecclesia, quam ne potentissimi quidem hostes vincent, vinci nequit.

b) Haec immutabilitas et invincibilitas est circa fidem, id est, circa veritates fidei.

1° *Super petram* aedificata ecclesia procul dubio quantum ad eas res firmissima est, quas Christus incolumes servari voluit. Atqui Christus fidei veritates incolumes servari voluit. Nam fidei unitas a Christo, ab apostolis et a patribus omnibus absolute inculcatur, atque in vita supernaturali fides primum est ac radix aliorum. Cf. de unitate fidei, quaest. V. art. 2.

2° *Columna et firmamentum* ostendit ecclesiae firmitatem in fide. Namque apostolus ait: „columna et firmamentum *veritatis*“. At vocabulo *veritatis* veritates fidei Christianae manifesto designantur. Hoc autem argumentum tam evidens est, ut protestantes nonnulli hunc Scripturae locum corruperint. Apostolus enim scribit: *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis,* quod a nonnulis in hunc modum corruptum est: „ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. Columna

et firmamentum veritatis, et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne." Vides, quomodo verba *columna* et *firmamentum*, ab *ecclesia Dei vivi* avulsa, cum sequentibus connectant. At patres et codices interpretationem istam recentem nequaquam admittunt.[1])

3° *Portae inferi* procul dubio etiam errores contra fidem designant. Atqui portae inferi non praevalebunt adversus ecclesiam. Ergo neque errores contra fidem praevalebunt. Et sane error contra fidem ab apostolis et patribus semper maximum malum habitus est; quare S. Paulus ad Timotheum scribit: *Mali autem homines, et seductores, proficient in pejus; errantes et in errorem mittentes. Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi,* II. Tim. III. 14.; et ad Galatas: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit.* Gal. I. 9.

Arg. II. Jesus apostolorum collegio locutus est: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Matth. XXVIII. 18–20. Ita promittitur *a)* infallibilitas in fide; *b)* eaque non solis apostolis, sed ecclesiae — *c)* usque ad mundi finem. Quod probatur.

Verba: *Ego vobiscum sum,* et similia, quibus Deus promittit, se cum aliquo futurum in opere peragendo aut in munere fungendo 1° in Scriptura significant opus illud certo perficiendum. V. g. Exod. III. 11, 12.: *Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Aegypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum.* Conf. Gen. XXVI. 3, 28.; Deut. XXXI. 8.; Jerem. XXX. 10, 11.;

---

[1]) Daillé, auctor protestans, fatetur, lectioni expositae concordare *omnia exemplaria Graeca, Latina, Syriaca, Arabica* ac praeterea *cunctos Patres.* Serm. Gall. in I. Tim. III, serm. 21. — Cf. Palmieri, *Tract. de Rom. Pont.* Proleg. §. XXI. — Harnack, epistolam nostram aliquot annis recentiorem esse putat, sed sensum *auctoritativum* textus allati concedit, in suo opere: *Die Mission und Ausbreitung des Christentums,* p. 163 et 293.

Act. XVIII. 9, 10. etc. 2° Felix operis exitus ex verbis allatis per se intelligitur, quoniam Dominus in negotio ferendo se sponsorem fore declarat. Quibus positis sic ratiocinor.

a) Christus fidem docendi opus prospere cessurum promisit dicens: *euntes ergo docete . . . et ego vobiscum.* Haec autem promissio, in ordine ad fidem praedicandam facta, verissime infallibilitatem includit. Etenim 1° promittitur assistentia Christi specialis et ideo felix exitus pro omnibus et singulis fidei articulis edocendis, cum praecipiatur: *docente eos servare* omnia quaecunque *mandavi vobis.* 2° Negata veri nominis infallibilitate, memorata assistentia nulla est. Etenim si fieri potest, ut ecclesiae fides in aliquo articulo deficiat, semper haeremus dubii, utrum hoc vel illud vere credendum sit, necne. Ergo verbis allatis *infallibilitas* in *fide* vere promittitur.

b) Infallibilitatis promissio ecclesiae, non solis apostolis, facta est. Etenim 1° coetus apostolicus Christi ecclesiam repraesentabat. 2° Promissa ad *omnes gentes* edocendas ordinantur; hoc autem praedicandi opus, ab apostolis inchoatum, ab apostolorum successoribus usque ad mundi finem continuari debet. 3° Promissa ultra apostolorum aetatem *usque ad consummationem saeculi* extenduntur. Ergo assistentia promissa ad apostolos, *non exclusive personales,* sed tanquam ad *corpus morale,* in successoribus permansurum, pertinet.

c) Promittitur infallibilitas usque ad mundi finem. Dicitur enim: *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Haec consummatio aut est *finis aevi apostolici,* aut *finis mundi.* Jam hoc alterum affirmandum esse patet. 1° Ex verbis in se, quae minime restringuntur. 2° Ex usu S. Scripturarum. Namque praeter hunc locum, de quo agitur, locutio: *consummatio saeculi* in N. T. *quater* occurrit, et semper, nemine contradicente, mundi finis significatur. Ita Matth. XIII. 39. Christus parabolam zizaniorum edisserens ait: *Messis vero, consummatio saeculi est.* Cf. Matth. XIII. 40, 49.; XXIV. 3.

Arg. III. Salvator Spiritum veritatis ter promisit

(Joan. XIV. 17.; XV. 26.; XVI. 13.), et inter alia his verbis utitur: *ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis,* Joan. XIV. 16, 17.; *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis,* Joan. XIV. 26.; *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* Joan. XVI. 13. At haec est *a)* promissio infallibilitatis in fide; *b)* quae ecclesiae, non solis apostolis, facta est; *c)* usque ad mundi finem continuanda. Ergo ecclesia est infallibilis. Prob. *minor.*

a) Infallibilitas in fide conceditur iis, quibus ipse Spiritus veritatis promittitur eo praecise fine, ut *omnem veritatem* doceant. Jam id a Christo promittitur. Patet *minor* ex textibus allatis, ubi nominatim legitur: *vos docebit omnia, — omnia, quaecunque dixero vobis — omnem veritatem.*

b) Promissio ecclesiae facta est. Etenim 1° chorus apostolicus ecclesiam repraesentabat. 2° *Finis* missionis S. Spiritus ad successores etiam apostolorum extenditur, siquidem finis ille est totum praedicandi negotium, ut patet ex sequentibus: *Ille* (S. Spiritus) *testimonium perhibebit de me,* Joan. XV. 26. *Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio,* Joan. XVI. 8. *Ille me clarificabit,* Joan. XVI. 14. 3° Verbum illud: *in aeternum,* de corpore morali tantum, non de *personis* apostolici chori dici potuit. 4° Connectuntur textus allati cum *Joan.* XVII. 20, ubi Jesus orans ait: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

c) Usque ad mundi finem. Christus dixit: *in aeternum, εἰς τὸν αἰῶνα.* Atqui hujus locutionis sensus hoc in loco est: *usque ad mundi finem;* ut tria probant. 1° Ea locutio in plurimis S. Scripturae locis longinquitatem omnium saeculorum significat. 2° Finis missionis S. Spiritus jam memoratus et analogia cum promissis *Matth.* XVI. 18.; XXVIII. 18—20. et cum Pauli doctrina I. *Tim.* III. 15. eum sensum postulant. 3° S. Joannes eum sensum confirmare videtur de fidelibus („omnes qui cognoverunt veritatem") scribens:

propter veritatem, quae permanet in nobis, et nobiscum erit in aeternum, εἰς τὸν αἰῶνα. II. Joan. v. 2.

Confirmatio *ex vaticiniis V. T. a)* Christi regno, quod est ecclesia, perennitas et firmitas a prophetis promissae sunt (cf. art. 1.). Perennitas autem et firmitas in ecclesia sine infallibilitate cogitari nequeunt. Etenim 1° fides in Christi regno radix est ac fundamentum; quemadmodum et patres de fide ecclesiae intelligunt hoc Oseae II. 19, 20.: *Sponsabo te mihi in sempiternum . . . et sponsabo te mihi in fide.* 2° Ecclesiam perpetuam fore, prophetae praedixerunt, cum Christum in ea in aeternum regnaturum praenunciaverint. „Si ergo — Canus ait — in aeternum Ecclesia Christi manu sustinetur, Christi praesidio ornatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientia regitur, fides profecto in ea permanebit, sine qua regnum Christi in terris nullum est.“ *Loci Theol.* IV. 4, concl. 1.

b) Isaiae vaticinatio haec: *spiritus meus, qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* LIX. 21. Et inferius: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam: non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* LX. 19, 20. Quae ad ecclesiam referri videntur. Ergo ecclesiae fides non occidet

Argumenta ex *Luca* XXII. 31—32.; *Joan.* XXI. 15—17, inferius, ubi de primatu, exponenda sunt.

B. Ex patribus.

Arg. 1. *Negative.* Qui ecclesiae infallibilitatem negant, asserunt, non solum ecclesiam esse erroribus obnoxiam, verum etiam fieri posse, ut ipsa per plura saecula credat et profiteatur errores turpissimos. Id enim in ecclesia Romana, extra quam per plura saecula nulla ecclesia conspiciebatur, evenisse dictitant. Atqui patres ne uno quidem vocabulo unquam affirmaverunt aut conjecturae quadam specie significaverunt, fieri posse, ut Christi ecclesia vel unicum in errorem incidat. Ergo infallibilitas patrum menti valde congruit.

Arg. II. *Ex patribus apostolicis.* Patres apostolicos infallibilem credidisse ecclesiam, spectatis adjunctis, constat. Ergo ecclesiae fides deficere non potest. Dixi: *spectatis adjunctis,* quae sunt: 1° paucitas operum, ab apostolicis patribus aut scriptorum, aut superstitum; 2° operum indoles et materia, quae controversias nostras adeo non contingunt; 3° doctrina S. Scripturae, quae patres apostolicos praeluxit, necnon doctrina patrum subsequentium, qui fidem ab aetate apostolica acceptam declararunt. Prob. *antec.*

a) S. Clemens Romanus I. Cor. XLVI. 6. et *S. Ignatius Antiochenus* ad Ephes. V. unionem Christi cum ecclesia maximam esse docent: „ubi fuerit Christus Jesus — ait S. Ignatius — ibi catholica est ecclesia.“ Jam vero fieri non potest, quin tanta unio firmissimam in fide ecclesiam efficiat. Quapropter auctor *epistolae ad Diognetum,* cap. XI. Dei Filium esse praedicat, „per quem ecclesia ditatur . . . evangeliorum fides stabilitur (ἵδρυται), et apostolorum traditio custoditur, et ecclesiae gratia exultat.“ Itidem ab *Herma* in *Pastore,* Simil. IX. 12—13 „turris“, quae est „ecclesia“, super petram aedificata, „petra“ vero „Filius Dei“ esse dicitur. Addit: „turrim *monolitham* factam esse cum petra“; quod magnam fidei firmitatem indicare videtur.

b) Patres apostolici in ecclesia salutem et adversus errores remedium reperiri affirmant; in luce ambulare, qui ecclesiae conjunguntur; haeretice sentientes ab ecclesia Christi prorsus discedere; haeresin „mortiferum pharmacum“ esse profitentur. Cf. quaest. V. art. 2. Praeterea

1° *S. Ignatius* Philadelphenses, cap. III. in hunc modum adhortatur: „*Abstinete ab herbis noxiis,* quas Jesus Christus non colit, quia non sunt plantatio patris . . . Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot poenitentia ducti *redierint ad unitatem ecclesiae,* et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant.“ — Idem eos, qui ecclesiam pravis doctrinis perturbare conantur, his verbis condemnat: „Familiarum perturbatores regnum Dei non haereditabunt. Si autem ii, qui secundum carnem haec operati sunt, morte sunt affecti; quanto magis, si

quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Jesus Christus crucifixus est? Talis, inquinatus factus, in ignem inexstinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum. Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut ecclesiae spiret incorruptionem. Ne ungamini tetro odore doctrinae principis hujus saeculi, ne captivos vos abducat a proposita vita." *Ad Ephes.* XVI—XVII.

2° *S. Polycarpus* ecclesia adhaerendum esse tam strenue defendit, ut Marcioni, haeretico, dicenti: Agnosce nos; respondisse feratur: Agnosco te primogenitum Satanae. Euseb. E. H. lib. IV. 14. Idem ad *Philippenses*, cap. VII.: „relinquentes - inquit — vanitatem multorum et falsas doctrinas ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur;" item cap. III.: „aedificari poteritis si in Pauli epistolas intueamini in fide, quae vobis est data; *quae est mater omnium nostrum.*" Quin etiam S. Irenaeus „in conspectu Dei" affirmavit, beatum Polycarpum, si Florini haeresin audiisset, „exclamaturum continuo, et obturatis auribus suis dicturum fuisse prout ipsi moris erat: Deus bone, quae me in tempora reservasti, ut haec sustinerem: atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans seu sedens, ejusmodi sermones audiisset." S. Iren. in *epist. ad Flor.* ap. Eus. E. H. lib. V. 20.

Ex quibus apparet, quantopere patres illi censerent, a quovis errore maxime alienam esse Christi ecclesiam.

Arg. III. *Ex aliis nonnullis patribus. S. Irenaeus*, beati Polycarpi discipulus, apostolica successione exposita ita prosequitur: „non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, cum *apostoli* quasi in depositorium dives, *plenissime in eam contulerint omnia*, quae sint veritatis, *ut* omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones." *Adv. haer.* III 4. — Ab eodem fides in ecclesia esse dicitur, „semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, et juvenescere faciens ipsum vas, in quo est." III. 24. Item l. c. „Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia

et omnis gratia; *Spiritus autem veritas.*“ — Libro V. cap. 20. haec addit: „ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei.“

Clemens Alexandrinus: „homo Dei esse, et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum haereseon desiluit opiniones.“ *Strom.* VII. 16. — *Origenes:* „Non debemus attendere eis, qui dicunt: ecce Christus, non autem ostendunt eum in ecclesia; . . . quae plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis.“ *In Matth.* tract. XX. — *S. Athanasius:* „Sufficit his duntaxat verbis ad illa (haereticorum paradoxa) respondere: Haec catholicae ecclesiae non sunt.“ *Epist. ad Epict.* — *Tertullianus:* ecclesiae infallibilitatem non nisi absurde negari docet. „Age nunc — inquit — omnes erraverint . . . nullam respexerit Spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat“. *De praescr.* cap. XXVII. — *S. Hieronymus* ait: „Poteram omnes propositionum (falsarum) rivulos uno ecclesiae sole siccare.“ *C. Lucifer.* cap. XXVIII. — *S. Augustinus:* „Ipsa est ecclesia sancta, ecclesia una, ecclesia vera, ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans; pugnari potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illo exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua.“ *De symb. ad Catech.* Serm. I. 6.

Arg. IV. *Ex praxi ecclesiae et monumentis. a)* Ecclesiae praxis ea semper fuit, ut quicunque cum ecclesia catholica dissentirent, haeretici haberentur. Quod quidem factum publicum universarum haereseon historiis certissimisque conciliorum ac Pontificum decretis memoriae proditum est.

b) In monumentis spectantur: 1° *Columba*, quae est

S. Spiritus, insidens *cathedrae*, quae est signum magisterii ecclesiastici. (In *graffito* coemeterii *Ad duas lauros*, etc.) 2° *Columna*, supra quam Christi monogramma conspicitur, Petrum inter et Paulum collocata (Buonarotti, *Vetri*, t. XIV.) 3° *Navis*, quae portatur a pisce seu delphine, Christi symbolo (Kraus, *Real-Encyklop.* B. I, 521; II, 731). Pictura quaedam in coemeterio S. Callisti protectionem divinam in hunc modum exprimit: navicula in medio mari jactatur fluctibus, qui virum extra navim obruunt, mox, ut videtur, periturum; at alii viro, in navicula oranti, brachium Dei de nubibus praesidium porrigit. (J. Wilpert, *Die Malereien der Sacramentskapellen*, S. 23—24. 4° *Arca*, qua naufragium non passa homines diluvii eripiuntur fluctibus (Kraus, II. p. 500).

Objectiones.

Obj. 1. Infallibilitas humano generi perniciosa est. Ergo Christus eam suae ecclesiae non concessit. Prob. *antec.* Qui sese infallibilem esse credit, neglecta ulteriori veritatis inquisitione, iners evadit; dissentientium opiniones intolerantia fanatica spernit. Haec autem maxime perniciosa sunt.

Resp. *Nego* antec. Ad probationem *dist.:* infallibilitas inertiam et intolerantiam parit per se, *nego*; per abusum, *transeat.* Assistentia divina hominem in cognoscenda veritate dirigit; activitatem autem humanam, quae plurimis scientiis vi naturalis luminis exercetur, non minuit, cum inquirendi nulla aut facultas, aut objectum, aut impulsus infallibilitate dematur. — Neque tolerantia caritatis et certitudinis, sed indifferentismi tolerantia infallibilitate prohibetur.

Instabis. Qui habet finem, quiescit. Jam veritatem, quae est inquirendi finis, se habere autumant, qui infallibilem ecclesiam credunt. Ita quiescunt inertes.

Resp. *Dist.* maj.: Qui habet finem, quiescit a fruitione finis, *nego;* a petitione finis, *subdist:* quantum ad finem, quem habet, *conc.;* quantum ad omnia, *nego.* *Dist.* min.: infallibilistae autumant, se habere *quamcunque veritatem,*

nego; veritatem, a Christo ecclesiae relictam, *subdist.:* per modum fidei, *conc.;* cum sacrae doctrinae scientia, *nego.* Et *nego* conclusionem. Et sane 1° quae fides docet, tractatum scientificum non excludunt, prout Angelici *Summae* commonstrant; 2° praeter fidei veritates, infinitae propemodum veritates naturales investigandae relinquuntur; 3° vera hominis activitas non in eo sita est, quod in aeternum dubius veritatem exquirat, sed in iis capessendis bonis, quae, fide praelucente, obtineri possunt.

Urgebis. Si ecclesia deficere in fide nunquam potest, S. Spiritui eam docenti resistere nequit. At si resistere nequit libera non est. Infallibilitas igitur absurda est.

Resp. Dist. maj.: S. Spiritui resistere non potest universa ecclesia, *conc.;* singula ecclesiae membra non possunt, *nego.* Et *dist.* min.: libertate destituitur, si resistere non potest ex necessitate naturae, *conc.*; ex efficacia gratiae, *nego.*

Dices. Etiam universa ecclesia est libera.

Resp. Conc. antec. *Nego* consequens. Sicut enim aliquis potest, salva libertate, confirmari in bono, ita et in vero. Itaque libertas non perit, cum Christus per assistentiam Spiritus sancti constituit ecclesiam in veritate infallibilem.

Obj. II. Si ecclesia ob textus allatos dicitur infallibilis, ob aliorum textuum analogiam dici debet impeccabilis. At non est impeccabilis. Ita nec infallibilis. Prob. *major:* v. g. Christus discipulis suis ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est.* Matth. V. 48.

Resp. Dist. maj.: ecclesia dici debet impeccabilis, in quantum singula ejus membra possunt peccare, *nego;* in quantum necesse est, ut in membris semper sanctitatis fructus operetur, *conc.* Et contradistincta minori, *nego* conclusionem. Probationem majoris *dist.:* Christus dicens: *estote perfecti* etc. ad perfectionem invitat, *conc.;* perfectionem suis donat, *nego.* Probavimus autem, infallibilitatem a Christo fuisse donatam ecclesiae.

Urgebis. In Christi sermone, quo S. Spiritum ecclesiae promissum esse catholici asserunt, nonnulla ad solos apostolos pertinere constat; v. g. Joan. XIV. 28.: *Si diligeretis*

me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: etc. Ergo nihil obstat, quominus sermonem totum exclusive ad apostolos habitum esse putemus.

Resp. Dist. antec.: in Christi sermone *nonnulla* ad solos apostolos pertinent, *conc.;* ea, quibus infallibilitas probari solet, *nego.* Solutio ex argumentis patet.

Instabis. Textuum, in argumentis allatorum, haec interpretatio videtur verior, ut locutio: *in aeternum,* ad apostolorum aetatem, et assistentia, si divinitus apostolorum etiam successoribus promissa sit, ad veritates fundamentales restringatur. Ergo infallibilitas incerta est.

Resp. Nego antec. Probavimus enim, claram Christi pollicitationem nulla prorsus interpretatione eludi posse. Contextus; textuum collatio, uti illud Matthei: *usque ad consummationem saeculi,* et hoc Joannis: *in aeternum;* et veterum consensio rem minime incertam relinquunt. De articulis fundamentalibus quaest. V. art. 2. dictum est satis.

Articulus IV.

Utrum ecclesia docens sit infallibilitatis activae subjectum.

I. Infallibilitatis charisma ecclesiae concessum vidimus. Speciatim addamus, utrum omnia ecclesiae membra eodem modo subjectum infallibilitatis dici debeant.

Richeriani, Pistorienses aliique multitudinistae (cf. q. III. De hierarchia), ut omnia, quae ad potestatem ecclesiasticam spectant, ita maxime infallibilitatem prius, immediatius et essentialius fidelium universitati, *secundario* tantum et ministerialiter episcopis ac Romano Pontifici collatam esse contendunt. Catholici episcopos cum Romano Pontifice praecipuum infallibilitatis subjectum esse docent.

II. Duplex infallibilitatis species ecclesiae concessa est, quarum altera *passiva* seu in credendo dicitur, altera *activa* seu in docendo. Et duplex in ecclesia membrorum species reperitur; altera eorum est, qui *discunt,* altera eorum, quibus *docendi* munus incumbit. Infallibilitatem passivam ecclesiae discenti sic competere asserimus,

ut ecclesiae docenti conjuncta unum cum ea mysticum Christi corpus efficiat; nulla tamen fidelium infallibilitas, si suis non uniantur pastoribus. Sed pastores independenter a fidelibus infallibilitate activa pollent. Itaque ecclesia docens infallibilitatis activae subjectum habetur.

III. Ecclesia docens ex iis constituitur, qui proprie jus officiumque authentice docendi universam ecclesiam commissum est. Quod quidem jus officiumque spectari potest 1° in Romano Pontifice, *ex cathreda* docente; 2° in conciliis oecumenicis; 3° in corpore episcoporum, Summo Pontifici unitorum, per orbem disperso. De tertio jam disseritur. Animadvertendum est autem, infallibilitatem episcopatui seu universitati episcoporum attribui, non singulis episcopis.

Thesis: *Ecclesia docens est infallibilitatis activae subiectum.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia discens audire debet ecclesiam docentem, id est, ecclesiae pastores. Ergo si pastores errarent, universa errare cogeretur ecclesia. Porro ecclesiam infallibilitate instructam esse probavimus. Ergo ecclesiae pastores in fidem docendo errare nequeunt. Quod autem ecclesia discens audire debet docentem, id patet, *a)* ex eo quod pastorum coetus in hominibus fidem edocendis Christi personam gerit, qui post resurrectionem apostolis suis apparens ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. XX. 21.; *b)* ex constitutione ecclesiae hierarchica, alias demonstrata; *c)* ex ecclesiae magisterio, divinitus instituto. Cf. quaest. X.

Arg. II. Christi promissiones de infallibilitate primario et immediate factae sunt ecclesiae rectoribus et in ordine ad docendi munus. Docens igitur ecclesia subjectum est infallibilitatis activae. Prob. *antec. Matth.* XVI. 18., Petrus instituitur *petra,* a qua totum aedificium firmitatem habet; — *Matth.* XXVIII. 18—20., Christus spondet, sese in omnes aetates cum iis fore, quibus: *euntes docete,* dixerat; — *Joan.* XIV—XVI., S. Spiritus apostolis promittitur, quibus munus

testimonii de Christo perhibendi mandatum fuerat. Hinc et beatus Irenaeus iis parendum esse docet, „*qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum* secundum beneplacitum Patris acceperunt.“ Adv. Haer. IV. 26.

Arg. III. „Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.“ S. Thom. III. 27. art. 4. Atqui ecclesia docens eligitur, ut per eam fideles fidem inconcusse discant; quod infallibilitatis expers efficere nequit. -- Item: „Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii.“ *L. c.* art. 5. Jam vero ecclesiam docentem S. Spiritui, tanquam infallibilitatis principio, propinquissimam esse ex eo intelligitur quod S. Spiritus ecclesiae infallibilitatis principium est, in quantum ecclesiam docet. Etenim ecclesia docens, cum in praedicando et docendo Spiritus sancti instrumentum sit, magis Illius effectum participat, qui est in ecclesia inerrantiae principium et virtus principalis.

Veteres quid ea de re senserint, ex iis, quae de *magisterio* et de *conciliis* dicenda sunt, infra patebit.

Objectiones.

Obj. I. Fides in religione quoque Judaica conservanda fuit. Atqui rectores ecclesiae Judaicae in fide errare potuerunt. Ergo nec ecclesiae Christianae pastores infallibiliter docere opus est.

Resp. Trans. min. Et negata paritate, *nego* conclusionem. Quidquid de synagogae inerrantia censueris,[1]) praerogativas ecclesiae Romanae non labefactabis. Inter legem enim antiquam et novam triplex differentia, quantum ad hanc quaestionem, reperitur, videlicet: *a)* in gente Judaica praeter sacerdotum ministerium ordinarium aderat extraordinaria prophetarum missio; *b)* ecclesia Judaica, cum

[1]) Cf. argumenta, quibus infallibilem et visibilem fidei regulam pro lege antiqua propugnat Joannes a S. Thoma, *Cursus theolog.* Tract. de auctor. Summi Pontif., disp. I. art. 1.

particularis uniusque gentis esset et veritatum revelatarum numero ecclesia Christi valde inferior, charismate infallibilitatis minus periculose carebat; *c)* ecclesiae Judaicae nusquam factae sunt infallibilitatis promissiones illae manifestae et locupletes, quas factas esse constat ecclesiae Christi.

Obj. II. Ecclesia docens infallibilis non erit, si omnes apostoli erraverint. At erraverunt omnes; nam Christus mox ad Patrem rediturus *undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Marc. XVI. 14.

Resp. Dist. maj.: si apostoli *in docendo* erraverint post adventum S. Spiritus, *conc.;* ante adventum, *nego.* Et hoc responso omnes id genus objectiones solvuntur. Audiatur S. Thomas: (discipuli) „quamvis prius Spiritum sanctum habuissent in munere gratiae, quo perficiebantur ad ea quae ad singulares personas eorum pertinebant, tamen in die etiam Pentecostes susceperunt Spiritum sanctum, sed in munere gratiae quo *perficiebantur ad promulgationem fidei in salutem aliorum.*“ *In IV. Sent.* dist. 7, q. 1, art. 2, 2.

Instabis. Apostolorum infallibilitas non competit nisi eis, ad quos transmissae sunt apostolorum praerogativae omnes. At non omnes ad successores apostolorum transmissae sunt. Ergo nec infallibilitas.

Resp. Dist. maj.: infallibilitas non competit nisi eis, ad quos transmissae sunt apostolorum praerogativae ordinariae, *conc.;* extraordinariae, *nego.* Et *dist.* min.; non transmissae sunt praerogativae extraordinariae, *conc.;* ordinariae, *nego.* Potestas et praerogativae, quae *ad fieri,* ut ajunt, ecclesiae eamque fundandam, aut ad apostolos ut privatos spectabant, in successores transmittendae non fuerunt; sed quaecunque ecclesiae conservandae causa et ad regimen ordinarium divinitus concessa sunt, haec necessum fuit cum ipsa ecclesia manere.

Obj. III. Infallibilitas moram nullam laboremve in definiendo requirit. Atqui maxima saepe mora et ecclesiae labor in docendo conspicitur, velut in definienda immaculata Conceptione et infallibilitate Pontificia.

Resp. Dist. maj.: nulla mora aut labor requiritur, ubi habetur infallibilitas revelationis, *transeat;* assistentiae, *nego.* Et *dist.* min.: illa mora et labor a S. Spiritu ad definitionem opportunam et certam diriguntur, *conc.;* ea directione vacant, *nego.* Responsum paucis exponam.

a) Quantum ad moram. Infallibilitas assistentiae humanam operationem non excludit, sed eam excitat et dirigit ad ecclesiae salutem procurandam. Jam vero inter ecclesiae rectores, cum non omnes et singuli infallibilitatem acceperint, nonnunquam de credendis lis movetur. Neque tamen quaevis orta lis definitione dirimenda est, sed si fidelium salus inter hujusmodi lites periclitetur, aliave causa gravissima id postulet, ecclesia per S. Spiritus assistentiam, quantum opus est, ad definiendum excitatur et dirigitur. Ita saeculo IV. consubstantialitas Filii contra Arium, hac aetate nostra Pontificia infallibilitas decreto solemni declarata est; alia contra, v. g. quaestio de auxiliis nunquam. Judicium autem de mora privato nulli competit, sed ecclesiae, quam Deus in temporibus etiam cognoscendis dirigit.

b) Nihil demum obstat, cur *labor* infallibilitatem *assistentiae* comitetur. Nam ecclesiae definitiones ex proxima Dei revelatione non scribuntur, sed desumuntur e fidei deposito. Quapropter res ipsa hoc poscit, ut ab ecclesiae rectoribus, quid scripto verboque traditum sit, diligentius investigetur. Quin imo apostolis et senioribus Hierosolymis ad definiendum congregatis, *magna conquisitio* facta est. *Act.* XV. 7. Auctor vero libri II. *Machabaeorum*, cap. II. 27. et S. Lucas cap. I. 1—4. in evangelio scribendo laborem se subiisse significant.

Urgebis. Si labor in docendo requiritur, in quaestionem vocari potest, utrum ecclesia docens ea, qua opus est, diligentia in definiendo usa sit. Ex hac igitur parte incerta erit ecclesiae auctoritas.

Resp. Dist. antec.: id in dubium vocari potest ratione habita infirmitatis humanae, *conc.;* divinae Providentiae, *nego.* Videlicet Christus absolute praescripsit, ut fideles ecclesiam docentem audiant; absolute igitur tenendum est,

quod communi pastorum consensu definitur. Praeterea si discentis ecclesiae sit, de sufficienti pastorum studio judicare, mox ne unicum quidem ecclesiae docentis judicium firmum erit. Ergo nisi inficiemur, Deum sapientissimum fini coaptare media, concludendum est, ecclesiae judiciis, providente Deo, nihil defuturum, quod ad judicium firmum et solidum requiratur.

Quaestio IX.

De objecto infallibilitatis ecclesiae.

Praeclara dos infallibilitatis quando lucem et pacem hominum animis afferat, nemo satis intelliget nisi comperto, quam late promissa divinitus assistentia pateat. Qui promissionem ultra quam Christo placuit, temere aut inscienter extendit, ridiculam facit inerrantiam; qui arroganter coarctat, ordinationi divinae resistit. Quapropter infallibilitatis objectum investigandum est.

Hoc loco quaeritur:

Primo. *Utrum infallibilitatis objectum sint omnia immediate revelata.*

Secundo. *Utrum infallibilitatis objectum sint conclusiones theologicae.*

Tertio. *Utrum infallibilitatis objectum sint facta dogmatica.*

Quarto. *Utrum infallibilitatis objectum sint res disciplinae.*

Quinto. *Utrum infallibilitatis objectum sit canonizatio sanctorum.*

Sexto. *Utrum infallibilitatis objectum sit approbatio ordinum religiosorum.*

Articulus I.

Utrum infallibilitatis objectum sint omnia immediate revelata.

I. Infallibilitatis objectum generatim spectatum. Generatim infallibilitatis objectum non est nova *doctrina revelanda*, sed *revelata custodienda et exponenda*. Siquidem Spiritus veritatis Petri successoribus ecclesiaeque ipsis conjunctae non promissus est, „ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent.“ Conc. Vatic. Constitutio *Pastor aeternus*, cap. IV. Et quoniam revelatio veritates tam speculativas quam practicas continet, infallibilitatis objectum merito habetur *revelata Christi doctrina de fide et moribus*.

II. Revelationes communes et privatae. Revelatio *communis* est, quae ecclesiae universae credenda proponitur; revelatio *privata*, quae personae privatae fit, ut privata et particularis est, velut revelationes, factae S. Catharinae Senensi, S. Theresiae aliisque sanctis. Revelationes privatas, etsi veritas earum doctrinalis aut falsitas ecclesiae judicio subtrahi nequit, hoc loco agitare non attinet; nam, ut Angelici verbis utar: „Innititur fides nostra revelationi Prophetis et Apostolis factae, qui canonicos libros scripserunt; non vero revelationi, si quae fuit aliis Doctoribus facta.“ *S. Theol.* I. 1. art. 8. ad 2.

III. Revelata immediate et mediate. *Immediate* seu *formaliter* revelatum dicitur, quod est revelatum *in se* ipso; *mediate* seu *virtualiter* revelatum, quod revelatum est *in suis principiis* seu *in sua causa*.

Quaeres, quonam modo veritates per discursum ex suis principiis inferantur. *Resp.* Quaedam in principiis, id est, in praemissis continentur, „ut pars in toto, vel ut singulare in universali, vel ut implicitum in explicito terminis aequivalentibus expressum“. (Bill. *Diss. prooem. De theologia*, art. 7.) Haec autem inferuntur per discursum *improprium* et *pure*

explicativum, non per discursum *proprium* et *rigorosum:* discursus autem pure explicativus non est causa movens assensum, sed causa, quae assensus motivum, id est, revelationem applicat.

Alia „ratione connexionis naturalis, — ita Billuart l. c. — hoc est vel ut proprietas in essentia, vel ut effectus in causa" in praemissis continentur; *conclusiones theologicae* nuncupari solent, de quibus pauca sequenti articulo praenotabimus. Haec porro per *discursum proprium* ex praemissis revelatis inferuntur.

IV. Veritates, quae per discursum improprium et pure explicativum ex una aut duabus praemissis immediate revelatis inferuntur, aequivalenter immediate revelatae censentur. Hujusmodi enim veritates, ut modo diximus, propositiones particulares sunt, quae in universali immediate revelata includuntur. Sed propositiones particulares in universali quasi partes actuales in toto includuntur, et ab ea modo tantum significandi differunt. Exempli causa ponatur haec propositio universalis immediate revelata: *Christus pro omnibus mortuus est;* quae propositio, cum Dei cognitionem circa homines non confusam, sed explicitam et distinctam singulorum exprimat, cadit formaliter et expresse, quantum est ex parte Dei, supra omnes et singulos eorum. Qua de causa earum propositionum revelatio a pluribus theologis non virtualis sed *formalis confusa* nuncupatur; ita tamen, ut *confusa* non ex parte Dei, sed respectu nostri dicatur; namque ut distincte percipiamus, v. g. Christum pro Salomone mortuum esse, revelatio Dei expressior non requiritur, sed certo tantum cognoscere opus est, Salomonem esse hominem. Cf. Salmant. Tract. XVII., *De fide;* disp. I. dubium III. §. 3.; Billuart, *diss. prooem. De theologia,* art. 7.; *De regulis fidei,* disp. IV. art. 9.

V. Doctrina de fide et moribus. Diximus infallibilitatis objectum esse revelatam doctrinam de fide et moribus. In hac autem formula omnia comprehenduntur, quae ad doctrinam de fide, quamvis *sub diverso respectu,* vere pertinent. Objectum enim fidei est 1° *proprium* et

commune. Objectum *proprium* sunt veritates supernaturales; objectum *commune* veritates, quae naturali etiam lumine rationis, etsi praeterea revelatae sunt, ab homine cognoscuntur. Cf. S. Thom. II. II. 2. art. 4. — 2° *Principaliter intentum* et *ad principaliorum manifestationem ordinatum.* Ita docet S. Thomas: „per se ad fidem pertinent illa quae directe nos ordinant ad vitam aeternam; sicut sunt tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, et alia hujusmodi . . . Quaedam vero proponuntur in sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum manifestationem, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisaei suscitatus est mortuus, et alia hujusmodi, quae narrantur in S. Scriptura in ordine ad manifestationem divinae majestatis vel incarnationis Christi.“ II. II. 1. art. 6. ad 1um. 3° *Per se* aut *per accidens:* „fidei objectum per se est id per quod homo beatus efficitur . . . Per accidens autem aut secundario se habent ad objectum fidei omnia quae in sacra Scriptura divinitus tradita narrantur, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai.“ S. Thom. II. II. 2. art. 5. — 4° *Directe* et *indirecte:* „ad fidem — Angelicus ait — pertinet aliquid dupliciter: uno modo directe, sicut ea quae nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse trinum et unum . . . Indirecte vero ad fidem pertinent ea ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei.“ I. 32. art. 4. — Ad revelationis ergo depositum diversa pertinent, quae in formulam *doctrinae de fide* conclusa sunt.

VI. Güntheriani. Probandum est infallibilitatis objectum esse immediate *revelata omnia: omnia*, ut eorum excludatur error, qui infallibilitatem ad fundamentalia quaedam restringunt; *revelata*, id est, revelatorum veritatem, ut excludatur error Antonii Günther (1783—1863), qui ecclesiam infallibilem esse asserit, non ut dogmatis *veritatem* doceat, sed ut eos dogmatis intelligendi modos proponat, qui diversis aetatibus *aptissimi* sint; scilicet Güntheriani ad supremam et veram dogmatum intelligentiam ope scientiae philosophicae perveniendum esse arbitrantur. Cf. Conc. Vatic. sess. III., *De fide et ratione,* can. III.

Ecclesia catholica profitetur, ecclesiae infallibilitatem in immediate revelatis esse dogma revelatum; hujus autem negatio haeresis haberi debet.

Thesis: *Infallibilitatis objectum sunt omnia immediate revelata.*

Argumenta.

Arg. I. Quod hominibus infallibiliter ab apostolis tradendum fuit, id ab ecclesia infallibiliter conservandum est. Apostoli autem infallibiliter *omnia* revelata ecclesiae tradiderunt. Infallibilitatis igitur objectum sunt omnia immediate revelata. *Major* constat ex articulis praecedentibus. Prob. *minor.*

Christus ait: *Euntes ergo docete omnes gentes ... docentes eos servare* omnia, quaecunque *mandavi vobis,* Matth. XXVIII. 20. S. Spiritus ad *omnia* docendum expresse promittitur: *vos docebit omnia et suggeret vobis* omnia quaecunque *dixero vobis.* Joan. XIV. 26. Quin etiam hic est proprius Spiritus sancti effectus, quod per Ipsum *tota* revelata veritas cognoscitur et multa creduntur, quae absque illo Spiritu veritatis prius portari non poterant; sicut scriptum est: *Adhuc* multa *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos* omnem veritatem, *ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.*“ Joan. XVI. 12, 13. Quodsi legeris: *ἐν τῇ ἀληθείᾳ πάσῃ,* sensus idem est.

Quibus firmamentum ex eo adjungitur, quod revelata ut *unum totum* et *indivisum* in ipsa S. Scriptura designantur. Veritates enim revelatae in hac formula: *veritas* et *evangelium* comprehenduntur. Etenim Servator oravit: *sanctifica eos in veritate, ἐν τῇ ἀληθείᾳ,* Joan. XVII. 17.; et S. Paulus ecclesiam vocat: *firmamentum veritatis, τῆς ἀληθείας,* I. Tim. III. 15. Veritates revelatae dicuntur *evangelium* a Christo, praecipiente: *praedicate evangelium, τὸ εὐαγγέλιον,* Marc. XVI. 15.; ob eamque rem haeresis ab apostolo tanquam „*aliud* evangelium“, Gal. I. 6. damnatur. *Totum* autem revelatum tam indivisum est, ut apostolus judicaverit: *licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Gal. I. 7. Unde simpli-

citer statuit: *una fides*, Eph. IV. 5 Ergo cum *omnia* revelata sint *una* fides, *una* veritas, *unum* evangelium, consequens est, ut quaecunque immediate revelata sunt, in iis omnibus et singulis ecclesia sit prorsus expers erroris.

Arg. II. *Ex natura infallibilitatis.* Infallibilitas in revelatis aut tota aut nulla est. At nullam non esse, theses praecedentes demonstrant. Prob. *major.*

Infallibilitas, quae ad omnia revelata non extenditur, quoad nos omnino incerta est. Incerta autem infallibilitas nulla est. Etenim ex iis etiam, quae supra (quaest. IV. art. 5.) de distinctione *fundamentalium* enucleavimus, pro certo affirmare licet nullam normam esse, quam in dijudicandis revelatis a revelatis sequeremur. Qua quidem dijudicandi facultate sublata, dubitatio universalis sancitur, evacuantur divina eloquia et missio Spiritus sancti frustratur.

Arg. III. *Ex veteribus. a)* Patres simpliciter *fidei* unitatem necessariam esse docent. Unitas autem fidei postulat infallibilitatem. *b)* Patres supra (p. 255—258) pro infallibilitate citati, eam ad omnia revelata manifesto extendunt. *c)* Est antiquissima regula, qua fideles traditis stare, nulla veritate excepta, jubentur. Cf. S. Barnabas XIX. 11.; Ign. Ant. *Trall.* VI., *Smyrn.* IV., *Eph.* VII.; S. Polycarp. *Ad Philipp.* VII.; *Epist. ad Diogn.* XI.; S. Justinus, *Dial. cum Tryph.* LXXX.; S. Irenaeus, *Adv. haer.* I. cap. 10., III. 2—4.; Clem. Alexandr. *Strom.* VII. 16.; Tert. *De praescr.* passim, etc. *d)* Ecclesiae praxis idem ostendit, in qua semper ratum fuerit principium, erroribus quibusvis, veritati revelatae contrariis, haereseos notam inuri oportere.

Objectiones.

Obj. I. „Ratio eorum quae sunt ad finem, a fine sumitur," ut docet Angelicus, *Phys.* II. lect. 2. At Christi finis fuit, ut praecipua tantum revelata crederentur. Ergo infallibilitas, quae est ad hunc finem, pro praecipuis tantum revelatis promissa est. Prob. *min.* Nimirum ipsa ecclesia paucos duntaxat articulos necessitate medii aliosque nonnullos necessitate praecepti credendos esse docet.

Resp. Conc. maj. *Dist.* min.: Christi finis fuit, ut praecipua tantum crederentur explicite et cetera implicite, *concedo;* secus, *nego.* Diligens argumentorum consideratio affatim ostendit, omnia revelata fuisse ecclesiae commissa, quae, Deo efficaciter assistente, custodiat. Scopus autem Christi partialis fuit, ut omnes et singuli fideles praecipuas saltem veritates, quae hominem ad finem supernaturalem praeluceant, explicite crederent; finis *totalis* fuit, ut ditissimus revelatorum thesaurus servaretur ab ecclesia, quae omnibus omnium aetatum fidelibus, quantum ferre possent aut vellent, doctrinae revelatae dispertiret divitias.

Ad probationem *minoris* responsum ex dictis de articulis fundamentalibus (q. V. art. 2.) in promptu est.

Urgebis. Infallibilitas hominum sanctificandorum gratia ecclesiae donata creditur. Atqui ad hominem sanctificandum exiguus revelatorum numerus plane sufficit, sicut scriptum est: *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Joan. XVII. 3. Ergo infallibilitas ad pauca revelata extenditur.

Resp. Conc. maj.: *Dist.* min.: ad hominem sanctificandum pauca revelata sufficiunt absolute, *conc.;* hypothetice, *subdist.:* simplicioribus sufficiunt, *conc.;* ecclesiae, *nego.* Id non agitur, quid fieri potuerit, sed quid factum sit. Ex argumentis porro liquet Christi praeceptum, ut *omnia* revelata et praedicata custodiantur. Discrimen autem est inter fideles aliquos et inter ecclesiam; namque fideles singuli sibi provident, ecclesiae vero omnibus omnium temporum providendi grande munus demandatum est. Ob eamque rem *omnia quaecunque* revelata, non omnibus et singulis fidelibus, sed ecclesiae ad homines sanctificandos necessaria sunt, quemadmodum omnis civitas bene ordinata legum suarum universitatem servat, etsi civibus aliis alia, secundum personarum temporumque differentias, ad bonum civile explicite respicienda sunt. Allata igitur Jesu sententia fidei compendium exhibet, ad quod alia reducuntur. Cf. S. Thom. II. II. 1. art. 8. et 6. Quid plura? Revelatione voluit Christus multas veritates manifestare: infallibilitate noluit easdem conservare?

Obj. II. Vocabulum „omnia“ sensu latiori quandoque usurpatur. Ergo non repugnat, Christum vocem sensu latiori adhibuisse locis prolatis *Matth.* XXVIII.; *Joan.* XIV. et XVI.

Resp. Transeat antec. *Nego* conseq. Etenim S. Scripturae locis, qui huc spectant, sensus latior ex nullis adjunctis assignari potest. Praeterea truncata infallibilitas tam ridicula quam inanis est; *ridicula*, quoniam nihil est, quod Spiritus Dei in una aut altera veritate se subducat; *inanis*, quoniam fallibilis infallibilitas absurda est.

Instabis. Erraverunt apostoli, jam misso Spiritu sancto, quippe qui crederent scriptisque docerent, universale instare judicium; uti S. Paulus I. *ad Cor.* X. 11. ait: *Haec . . . scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt.* Cf. I. Joan. c. II. v. 18.; *Apoc.* XXII. 20.

Resp. Dist. antec.: apostoli erraverunt in re fidei aut morum, *nego;* monuerunt omnes debere semper esse paratos, conc.[1])

Textibus in contrariam partem prolatis generatim respondendum videtur, tempus adventus Domini ipsis apostolis absconditum fuisse; quemadmodum Salvator discipulis suis dixerat: *De die autem illo, vel hora nemo scit.* Marc. XIII, 32. Cf. Act. I, 7.; S. Thom. *Suppl.* 77, 2.; *In Psalm.* VI, nr. 1.

Quod *I. Cor.* X, 11. objiciunt, apostolus non tam instantem mundi finem, quam totam illam mundi aetatem indicare videtur, quae, elapsis plurimis saeculis, a Christo incarnato et passo ad diem judicii decurrere incepit. Haec est *plenitudo temporis*, Gal. IV. 4.; Ephes. III, 11.; haec illa aetas, de qua Ad Hebr. I, 1—2. scriptum est: *novissime, diebus istis.* Alibi apostolus fideles adhortatur, ne rumore terreantur, *quasi instet dies Domini,* II. Thess. II, 2.[1])

Urgebis. Quaedam a posterioribus tanquam revelata creduntur, quae prius non credebantur. Ergo quaedam revelata ab ecclesia aut ignorata aut conficta sunt.

Resp. Dist. antec : quae prius non credebantur ab ali-

---

[1]) Ita Chr. Pesch, *Instit. propaed. ad S. Theol.* p. 157; cf. A. Lemonnyer, *Epîtres de saint Paul.* (2. éd. 1905), p. 40—43.

quibus ecclesiae membris, *conc.;* ab ecclesia simpliciter *subdist.:* non tam explicite, *conc.;* non implicite, *nego.*

Veritates fidei aut *explicite* aut *implicite* revelatae sunt. De implicite revelatis postea. Sed et veritates explicite revelatae certam explicationem admittunt, quae, assistente Spiritu sancto, ab ecclesia perficitur, 1° in quantum veritates sub conceptu verborumque forma clarius proponit; 2° in quantum veritatem prius directe propositam sub uno conceptu adversus aliquem errorem, postea sub alio conceptu adversus alium errorem declarat. Cujus explicationis exemplum insigne habetur explicatio dogmatis Incarnationis, saeculo IV. et V. adversus Arianos, Nestorianos, Monophysitas aliasque haereses a supremo ecclesiae magisterio proposita.

Articulus II.

Utrum infallibilitatis objectum sint conclusiones theologicae.

I. Definitio conclusionis theologicae. Conclusio theologica definitur: *conclusio, quae per proprium discursum infertur ex una aut duabus praemissis formaliter et immediate revelatis.* Cf. Salmantic., Tract. XVII., *De fide,* disp. I. dub. IV. § 4.; Billuart, Diss. prooem. *De theologia,* art. 7.; Canus, *De locis theolog.* lib. XII. 6. Itaque ad conclusionem theologicam requiritur et sufficit, 1° ut alterutra aut utraque praemissa immediate revelata sit; 2° ut praemissa naturalis, si adsit, in dubium vocari non possit; 3° ut conclusio per discursum *proprium* e praemissis colligatur; discursus autem *proprius* locum habet, si conclusio in praemissis continetur ut proprietas in essentia vel ut effectus in causa; 4° ut conclusio per consequentiam necessariam ex praemissis derivetur.

II. Conclusiones theologicae virtualiter revelatae sunt. Ea virtualiter revelata dicuntur, quae non in seipsis revelantur, sed in principiis, in quibus includuntur et ex quibus eruuntur *per proprium discursum.* Hoc loco triplex expendatur modus, quo conclusiones in praemissis continentur.

1° Continentur ut pars in toto, vel ut singulare in universali, vel ut implicitum in explicito terminis aequivalentibus expressum; quod quidem conclusionum genus immediate revelatis annumerari, articulo quinto praenotavimus.

2° Conclusio, quae per *proprium discursum* ex *duabus* praemissis immediate revelatis derivatur, *formaliter* conclusio theologica, *specificative* vero veritas formaliter-implicite revelata dicitur. *Formaliter* enim, id est, praecise spectata ut conclusio per proprium discursum e praemissis illata, hujusmodi conclusio immediatius praemissarum veritate et connexione quam revelatione divina nititur; *specificative*, seu praecise ratione objecti, dicitur formaliter revelata, saltem implicite, quia formaliter implicite conclusionem revelat, qui formaliter explicite revelat praemissas. Cf. Salm. l. c. n. 130—134. Dixi: *saltem implicite.* Namque fieri potest, ut aliunde immediate et explicite revelatum sit, quod in casu e praemissis revelatis infertur.

3° Conclusio, quae per *proprium discursum* ex *una* praemissa immediate revelata et ex *altera naturali* certa infertur, simpliciter et absque ulla distinctione *virtualiter revelata* et conclusio theologica dicitur. Quapropter argumenta mox exponenda hasce conclusiones theologicas expresse attingunt, alias autem conclusiones, sub numeris 1 et 2 explicatas, *a fortiori;* eoque efficacius, quo magis veritatum *immediate revelatarum* naturam habent; siquidem immediate revelata sunt infallibilitatis objectum primarium.

Quaeres, *utrum conclusio, illata ex* duabus *praemissis* mediate *tantum revelatis, theologica habeatur.*

Resp. Billuart: „affirmative, etsi forte non ita stricte. Quia adhuc deducuntur sub revelatione virtuali, licet non immediate, et potest reduci saltem mediate in formaliter revelata. Sicut in scientiis naturalibus est vera demonstratio, quamvis procedat ex principiis mediate tantum per se notis, alioquin paucissimae forent verae demonstrationes.“ Diss. prooem. *De theologia*, art. 7.

III. De ratione sub qua conclusiones theologicae infallibilitatis objectum haberi debent. Haec *ratio sub qua* est ratio connexionis inter immediate revelata

et ea, quae ad veritates sic revelatas custodiendas, proponendas, explicandas et defendendas requiruntur. *Media scilicet debent fini esse proportionata.* Finis autem infallibilitatis alius esse non potest atque finis *muneris docendi,* quod Christus ecclesiae commisit. Sed finis ille haud dubie est revelata *custodire* ac *declarare,* quod patres Vaticani in hunc modum significarunt: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda." Const. dogm. *Dei Filius,* cap. IV. Et profecto revelata declarari oportet, ne obscurentur; custodiri, ne corrumpantur. Jam vero revelata obscurari et corrumpi possunt 1° illis doctrinis, quae immediate revelatis *directe* repugnant; 2° ex affirmatione falsa aut erronea negatione earum doctrinarum, quae cum revelatis tam arcte colligantur, ut iisdem obscuratis aut corruptis ipsa fides revelata si non pereat, at certe aegrotet. „Ad quam (fidem) — ait S. Thomas — aliquid pertinet dupliciter . . . uno modo *directe* et principaliter, sicut articuli fidei; alio modo *indirecte* et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli; et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides." II. II. 11. art. 2. Hinc tria inferuntur.

1° Conclusiones theologicae, et quidquid sub ratione jam dicta ad fidem pertinet, supremo ecclesiae judicio decernuntur, quod Spiritui sancto visum sit, non quod sic discursum sit: „discursus ipse — ait Joannes a S. Thoma — et disputatio humano modo facta, non est ratio definiendi et credendi; sed quia visum est Spiritui sancto, non quidem de novo revelanti illam veritatem, sed occultam revelationem factam illuminanti et manifestanti legitimum sensum occultum . . . quia sic visum est Spiritui sancto, qui illam veritatem primo dixit, et postea manifestavit sic ibi contineri, non per novam revelationem, sed per novam manifestationem revelationis antea factae; ad quod habet ecclesia assistentiam infallibilem Spiritus sancti." *Curs. theol.* quaest. I. disp. I. art. 4.

2° Infallibilis Spiritus sancti assistentia ad ea procul dubio porrigitur, quae cum *deposito* (I. Tim. VI. 20.) revelationis cohaerent et quae ab ecclesia sine errore dijudicari necesse est, ut fides revelata tuto *custodiatur* et *declaretur*. Ob eamque rem conclusiones theologicae infallibili ecclesiae judicio, si falsae sint, damnari poterunt, approbari, si verae.

3° Neque tamen illimitatum infallibilitatis objectum adstruitur. Multa enim sunt, quae nulla ratione ad fidem revelatam referri censentur. „Non autem ad corruptionem fidei christianae pertinet, — ait Angelicus — si aliquis habet aliquam falsam opinionem in his quae non sunt fidei, puta in geometricalibus, vel in aliis hujusmodi, quae omnino ad fidem pertinere non possunt." II. II. 11, art. 2.

IV. Sententia catholica. Infallibilitatis extensio ad ea, quae dicto modo revelatis connectuntur, veritas est theologice tam certa, ut ejus negatio ex plurium sententia *haeretica*, ut alii censent *erronea*, aut *haeresi proxima*, omnibus autem consentientibus error gravissimus haberi debeat. Cf. Franzelin, *Tract. de div. trad.* etc. p. 123. Edit. 3.

Thesis: *Conclusiones theologicae sunt infallibilitatis objectum.*

Argumenta.

Arg. I. Media debent esse fini proportionata. Atqui deposito fidei custodiendo media proportionata desunt, nisi infallibilitas ad conclusiones theologicas extenditur. Ergo infallibilitatis objectum sunt etiam conclusiones theologicae. Prob. *minor*. Veritas revelata ecclesiae concredita est, ut ad multiplicia vitae momenta adhibeatur; quod haud dubie conclusionibus deducendis fieri solet. Jam error in conclusione ipsas praemissas afficit, obscurat, infirmat.

Major patet ex hac manifesta Christi lege: *docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis*, Matth. XXVIII. 20.; atque ex ipsa religionis Christianae indole, quae non est abstractio aut mere speculativa, sed perquam practica. Unde Angelicus: „regulae — inquit — ejus (religionis Christianae) universales dicuntur, utpote totam vitam hominis et

omne quod ad ipsum quolibet modo pertinet, continentes et ordinantes." *In Boet. De Trin.* quaest. III. art. 3.

Minor etiam satis evidens videtur. Conclusio enim propositionibus, e quibus vi discursus proprii infertur, necessario connexa est. Sed „ratio . . . connexi, quum concesseris superius, cogit inferius concedere, et quum inferius negaveris, superius item negare cogit." Canus, *De loc. theol.* lib. XII. 6.

Arg. II. Infallibilitatis objectum tantum patet, quantum *depositi* custodiendi officium postulat. Jam depositum, sublata infallibilitate quantum ad conclusiones theologicas, rite custodiri non poterit. Ergo. *Major* patet. Servator enim, cum fidei suae custodiam ecclesiae commiserit, *fini* huic certissime aptavit *media*. Prob. *minor*. Hominis est ex iis, quae certo scit, conclusiones evolvere, quae tamen in religiosis et moralibus sunt nimium saepe errores. Atqui ecclesia hujusmodi errores efficaciter arcere non potest, simulatque infallibilitate destituitur, qua definitive judicet, utrum dictae conclusiones cum veritatibus immediate revelatis discrepent.

Arg. III. Ecclesia falli non potest in determinando suae infallibilitatis objectum; cum ex objecto suo incerto infallibilitas ipsa practice incerta fieret. Jam vero catholica ecclesia docet, infallibilitatis objectum esse conclusiones theologicas. Id enim duabus rationibus constat.

a) Ex doctrina communi ecclesiae. Patres vaticani declarant: „Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam.[1]) Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae[2]) contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones de-

[1]) Coloss. II. 8.

[2]) Cum non exprimantur verba: „doctrinae *etiam mediate revelatae* contrariae", thesis nostra tantummodo insinuatur. Cf. Coll. Lac. t. VII, c. 208.

fendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.“ Const. dogm. *Dei Filius,* cap. IV. Cf. l. c. *De fide et ratione,* can. III. et *epist.* Pii IX. ad archiep. Monac. et Frising. *Gravissimas inter,* 11. Dec. 1862. — Rursus Leo XIII.: „judicare posse Pontifex pro auctoritate debet quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepent: eademque ratione ostendere quae honesta sint, quae turpia: quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae caussa, necesse sit: aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset.“ Encycl. *Sapientiae Christianae.* — Accedit omnium theologorum consensus.

b) Ex praxi ecclesiae. Concilium Constantiense sess. VIII. contra Wicleff, sessione XV. contra Hus, plures articulos damnavit in rebus mediate revelatis, conciliique sententia a Martino V. confirmata est; item inter theses, quas Pius V. damnavit contra Bajum; inter 101 propositiones, a Clemente XI. damnatas contra Quesnell; in *Constitutione dogmatica* „Auctorem fidei“, qua Pius VI. Pistoriensium et Jansenistarum errores, cuique appositis notis, damnavit et reprobavit, conclusiones theologicae reperiuntur. Jam vero totius orbis ecclesia istis sententiis eam obedientiam et subjectionem profitetur, quam praestare tenemur auctoritati infallibili. Ergo ecclesia est infallibilis in proponendis conclusionibus theologicis. — Quam quidem conclusionem S. Paulus complecti videtur his verbis: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* I. Tim. VI. 20, 21.

Objectiones.

Obj. I. Infallibilitatis objectum est revelata doctrina de fide et moribus. At conclusio theologica non est revelata. Ergo theologicam conclusionem infallibilitatis objectum esse, falso asseritur.

Resp. Dist. maj.: Infallibilitatis objectum est revelata

doctrina et quae ad eam referuntur, *conc.;* revelata doctrina in se tantum, *nego.* Item *dist.* min.: conclusio theologica non est revelata immediate, *conc.;* mediate seu virtualiter, *nego.* Christi ecclesia e lumine divinae revelationis de aliis etiam judicat veritatibus, quatenus cum revelatis cohaerent. „Eo ipso igitur — inquit cl. Zigliara — quod supernaturali criterio Ecclesia infallibili judicio decernit de omnibus revelatis, etiam potitur ipsa jure infallibiliter decernendi de doctrinis quae illis concordant aut adversantur." *Propaed.* lib. IV. 14. concl. 3.

Instabis. Ad fidem et mores non pertinent illae propositiones philosophicae aliarumque scientiarum conclusiones, quae de fide et moribus non agunt. Ergo hujusmodi certe propositiones ab ecclesia infallibiliter damnari aut approbari non possunt.

Resp. Dist. antec.: ad fidem non pertinent propositiones, quae de fide et moribus non agunt directe nec indirecte, *conc.;* directe solum, *nego.* Ostensum est enim, ecclesiae infallibilitatem ambitu suo complecti tum ea, quae in se revelata sunt, tum ea, quae ad fidei depositum conservandum, proponendum et defendendum requiruntur. Itaque sicuti jussi corpus servare hoc et nutrire et tueri a noxiis tenemur, ita S. Spiritus a corpore Christi mystico, quod est ecclesia, noxios errores repellit.

Articulus III.

Utrum infallibilitatis objectum sint facta dogmatica.

I. Synopsis historica Jansenismi. *a)* Anno 1585 prope oppidum Leerdamense apud Batavos natus est Cornelius Jansenius, qui, 1635 Yprensis in Belgio episcopus creatus, 1638 de vita exivit. Jansenium Lovanii studiorum causa commorantem Jacobus Jansonius doctrinae Bajanae studiosissimus theologiam docuit. Deinde Jansenius plus 20 annis usque ad mortem desudavit in conficiendo libro, qui *Augustinus* inscribitur; quem librum, explicata re Liberto Fromondo, rectori magnifico, capellano suo Reginaldo Lamaeo edendum commisit. Auctor vero in testamento suo

de opere edendo: „si tamen — inquit — Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illi Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea postrema voluntas est. Actum sexta Maii 1638.“ [1]) At *Augustinus* Yprensis, plurimum mutatus a S Augustino Hipponensi, libertate humana non salva gratiae nimis tribuit Joannes Du Verger († 1643), vulgo dictus Saint-Cyran et amicus Jansenii, Gallos quosdam in Jansenii sententiam perduxit. Famosissimi in Gallia sectatores fuere *Antonius Arnauld*, qui, mortuo Saint-Cyran, Jansenistarum Gallicorum dux effectus usque ad mortem (8. Aug. 1694) sectam suam acri studio defendit; *Blasius Pascal* († 19. Aug. 1662), qui orationis elegantia conclusionumque cavillatione causae parum honestae patronus exstitit vafer; *Paschasius Quesnell*, quondam oratorii presbyter, qui Jansenistarum sectae, cum A. Arnauld Bruxellis supremum diem explevisset, usque ad mortem (2. Dec. 1719) praefuit. Jansenismus etiam aliquos Germaniae inferioris sacerdotes infecit, primusque in hac regione Petrus Kodde, archiepiscopus Ultrajectensis, schismaticus fuit; cui Cornelius Steenhoven, Theodorus Van der Croon aliique usque adhuc successerunt.[2]) Jansenismus magis in notitiam hominum venit, cum Antonius Arnauld librum, qui inscribitur *De la fréquente Communion* (1643), et Pascal *Litteras provinciales* (Jan. 1656—Mart. 1657), edidissent.[3]) Jansenismi focus fuit Port-Royal.

Jansenistarum primus error fuerunt quinque proposi-

---

[1]) Cf. A. Vandenpeereboom, *Cornelius Jansenius, septième évêque d'Ypres, sa mort, son testament, ses épitaphes* (1882), et C. Callewaert et Q. Nols, *Jansénius, évêque d'Ypres, ses derniers moments, sa soumission au St. Siège; d'après des documents inédits* (1893).

[2]) Cf. C. P. Hoynck van Papendrecht, *Hist. eccl. Ultrajectinae;* Mozzi, *Hist. des Révolutions de l'église d'Utrecht;* Rapin, *Hist. du Jansénisme et Mémoires.*

[3]) Les Provinciales, ou lettres écrites par Louis de Montalto (Pascal à un provincial de ses amis, avec les notes de G. Wendrock (Nicole . — Cf. Ricard, *Les premiers Jansénistes;* W. Kreiten, *Die Provinzialbriefe Pascals*, in Stimmen aus M. Laach, 1893; V. Giraud, *Pascal* (2. éd. 1900); A. Hatzfeld, *Pascal* (1901).

tiones, quas ex libro, qui inscribitur *Augustinus*, excerptas damnavit Innocentius X , bulla *Cum occasione*, 1653. Cf. libros dogmaticos. Alter error circa infallibilitatis extensionem versatur.

b) Jansenistae, ne bullae auctoritate comprimerentur, quinque propositiones ab Innocentio X. legitime damnatas esse concesserunt, eas vero propositiones, saltem eodem sensu, in Jansenii libro reperiri negarunt. Haec est famosa distinctio *juris et facti*, qua sectae fautores auctoritatem ecclesiae tam perfide impugnaverunt, ut Sainte-Beuve, atheus, ipsis illuserit, dicens: „Les jansénistes ont toujours été dans l'usage de savoir les intentions des papes mieux que les papes eux-mêmes." *Histoire de Port-Royal.* Ancipitem distinctionem defendunt A. Arnauld, qui 1656 edito libro, inscripto *Lettre à un duc et pair*, ecclesiam infallibilem esse profitetur quoad doctrinam *(jus)*, sed eam fallibilem esse in judicando, utrum propositiones damnatae in aliquo libro, v. g. in *Augustino (factum)* reperiantur. Cf. Pascal in *Litteris provincialibus* XVII. et XVIII.; Quesnell in libro: *Réflexions morales*, 1687. At Alexander VII. in bulla *Ad sacram* anno 1656 definivit, quinque propositiones ex libro *Augustinus* excerptas ac in sensu ab auctore intento damnatas fuisse. Jam tum praetextus *silentii religiosi* adhiberi coeptus est; Janseniani scilicet ecclesiae judiciis, quantum *ad quaestionem facti*, non abnuerunt silentium obsequiosum seu religiosum, nullam vero mentis adhaesionem iis deberi contendebant. Demum anno 1702 editus est *casus conscientiae* seu libellus, qui inscriptus erat: *Cas de conscience.*

Alexander VII. anno 1665 hoc *formularium* Galliae ecclesiasticis subscribendum misit: „Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X. et Alexandri VII. me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen *Augustinus*, excerptas, in sensu ab eodem auctore intento, prout illas sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro", etc. Quaeritur autem in *casu conscientiae*, utrum absolutio denegari possit ecclesiastico, qui, subscripta Alexandri formula, quantum ad *quaestionem facti*

obsequiosum autumet sufficere silentium. At Clemens XI. edito solemni decreto *silentium obsequiosum* doctrinamque *casus conscientiae* in hunc modum damnavit: „condiscant, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, obedientiae, quae praeinsertis constitutionibus (Innocentii X. et Alexandri VII.) debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut haereticum, non ore solum, sed et corde rejici et damnari debere, nec alia mente, animo et credulitate supradictae formulae subscribi licite posse." Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, 1705. Jansenistarum ad extremum obloquentium casus ulteriores omitto.[1])

II. Notio facti dogmatici. Factum dogmaticum est *factum in quo exprimitur doctrina*, seu *factum connexum cum jure doctrinae*. Triplex scilicet factorum genus est; 1° factum simpliciter *particulare* et personale, de quo S. Thomas ait: „In aliis vero sententiis, quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de ejusmodi, possibile est judicium ecclesiae errare." *Quodl.* IX. art. 16. — 2° Factum *generale*, velut sanctus canonizandus, quod alio loco persequemur. — 3° Factum *dogmaticum* seu doctrinale, quod duabus rebus continetur: scilicet quaestione *juris*, utrum talis sententia doctrinae revelatae conveniat an cum ea discrepet; et quaestione *facti*, utrum talis verborum formula, seu in casu Jansenii talis liber hujusmodi sententiam contineat. Factum igitur dogmaticum, uti sensus libri, qui inscribitur *Augustinus*, quantum ad *jus* directe, quantum ad *factum* indirecte judiciis ecclesiae subjicitur, ut ea fidei depositum efficaciter custodiat. Pro hujusmodi factis dogmaticis propugnamus ecclesiae infallibilitatem non *naturalem*, quae objecti evidentia nititur, neque *moralem*, quae in notorietate textuum clarorum fundatur, quam utramque Jansenistae admittunt; sed *eam*, quae Christi promissis et S. Spiritus assistentia innititur.

[1]) Jansenismus a Lacordaire vocatur: „cette hérésie déloyale", *Conf. de Notre-Dame* 1835, conf. IV.

III. Sensus ab auctore libri intentus. Cum infallibilitas ad *sensum*, ab auctore alicujus libri intentum, extendatur, prout Innocentius X., Alexander VII et Clemens XI. actis supra memoratis contra Jansenistas decreverunt; quot sint *sensus*, in antecessum exponam. *Sensus mere subjective intentus* dicitur, qui in auctoris mente permansit; de quo, cum mere internus sit, ecclesia non judicat. *Sensus objective intentus* est, quem verba continent, si auctor, verborum significationem cognoscens, sincere locutus fuerit; de eo sensu judicat ecclesia. Jansenistae, ne veritati parere cogerentur, discrimen interposuerunt *sensus quis* et *sensus qualis*. Sensus *quis* seu grammaticalis est naturalis alicujus propositionis significatio; sensus *qualis* est propositionis qualitas, v. g. ejus veritas, falsitas. Jam vero ecclesia in primo genere, non in altero, errare potest. Ita Jac. Fouillon, auctor Belgicus libri, quem inscripsit *Via pacis* (1702). At undenam propositionis qualitatem dijudicet, qui naturalem verborum sensum non cognoverit? Aliam distinctionem prorsus frivolam, qua infallibilitas pro textibus brevioribus, non pro longioribus, agnoscitur, non attingo.

Quibus sumptis probatur, etiam contra Hermesianismum, qui Jansenistarum distinctiones repetiverunt, ecclesiam errare non posse in judicando, non utrum hic aut ille librum aliquem scripserit, sed quis talis libri verus sit sensus. Haec vero infallibilitas in factis dogmaticis est veritas saltem theologice certa; ab aliis v. g. a Bannez, *In II. II.* 11. art. 2. hujus infallibilitatis negatio vocatur *haeresis*.

Thesis: *Facta dogmatica sunt infallibilitatis objectum.*

Argumenta.

Arg. I. Infallibilitas in factis dogmaticis est infallibile judicium de signis, quibus *quaestio juris* seu doctrina exprimitur. Judicat autem ecclesia infallibiliter de signis, quibus doctrina exprimitur. Ex quo efficitur, ut ipsa in judicandis factis dogmaticis errare nequeat. *Major* patet; etenim judicare de sensu alicujus libri idem est atque

judicare de verbis, quae sunt signa conceptuum, in libro expressorum. Prob. *min.*

a) Ex ipsa natura docendi. Homines enim veritatem doceri nequeunt, veritas *proponi* non potest per solum *verbum mentis,* sed *verbum oris* seu signa adhiberi necesse est. *b) Ex impossibilitate doctrinam orthodoxam infallibiliter proponendi;* etenim si fieri potest, ut in *facto* verborumque sensu erret ecclesia, fieri etiam potest, ut fideles propositionem haereticam tanquam orthodoxam credere cogantur. *c) Ex impossibilitate propositiones heterodoxas infallibiliter rejiciendi.* Namque prolata ecclesiae sententia, ratio tergiversandi legitima relinqueretur dicentibus aut certe cogitantibus, ecclesiam quoad verborum sensum errasse. Cujus rei Jansenismi historia argumento est.

Arg. II. Ecclesia in munere docendi infallibilis est. Atqui S. Scriptura factum dogmaticum seu verborum sensum ad hoc docendi munus pertinere, expresse affirmat. Ergo. Prob. *min.* S. Paulus Thimotheo scribens ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates,* I. Tim. VI. 20.; item: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide . . . bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis,* II. Tim. 1. 13, 14.; item: *Profana autem et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum, ut cancer, serpit.* II. Tim. II. 16, 17. Quod idem apostolus superiores ecclesiae Ephesinae monet, inquiens: *Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate.* Act. XX. 30, 31. Et Ad Ephes. V. 6.: *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Itaque ecclesia infallibiliter et approbat verbum veritatis et damnat sermonem erroris.

Arg. III. *Ex traditione.* Ecclesia non errat in judicando, quid infallibilitatis suae objectum sit. Jam ecclesia facta dogmatica infallibili suo judicio subjecta esse, semper tenuit. Id factis patet. Nam *a)* concilium Nicaenum damnavit *Arii* librum, qui *Θάλεια* seu Thalia inscriptus erat; concilium Ephesinum *Nestorii* scripta damnavit, *S. Cyrilli* libros approbavit; concilium Cpolitanum II. *tria capitula* damnavit. Concilium Constantiense, hac in re a Mar-

tino V. approbatum, quemcunque suspectum interrogari jussit, „*utrum credat*, J. Wicleff etc. fuisse haereticos . . . et *libros* et doctrinas eorum fuisse et *esse perversos.*“ Patres Tridentini decreverunt Missae canonem, „ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat.“ Sess. XXII. cap. IV. Romani Pontifices, universa obediente ecclesia, idem adversus Jansenianos egerunt. Quis autem affirmaverit, Spiritum sanctum ecclesiae universae adversari, favere soli Jansenio.

b) Universa ecclesia semper credidit, ab ecclesia infallibiliter symbola fieri; usum quorundam terminorum definiri, velut ὁμοούσιος contra Arium,[1]) damnarique haereticas fidei formulas. In his autem ratio factorum dogmaticorum conspicitur. Revera si res penitus consideratur, nihil referre videtur, utrum textus, quibus fides exponitur, longiores an breviores sint, utrum in quadam haereticorum fidei *formula*, an v. g. in *libro* tali reprobentur.

Objectiones.

Obj. I. Ecclesiae judicium de factis infallibile non est. Atqui sensus alicujus libri est merum factum. Ergo. Prob. *minor. a)* Merum factum est id, quod v. g. Jansenius intendit. *b)* Et merum factum sunt libri pagina, syllabae, vocabula.[2])

[1]) Vox ὁμοούσιος seu consubstantialis, *corporali modo* accepta, in concilio Antiocheno a. 269 adversus Paulum Samosatenum damnata videtur. Cf. S. Athanas. *De Synodis Arimini et Seleuciae celebratis*, n. 43. Nullam inde difficultatem contra definitionem Nicaenam exsurgere, satis liquet. Nempe de voce *formaliter* diversa agitur.

[2]) Pascal suum „Père Annat“ in hunc modum redarguere satagit: „Vous employez les derniers efforts, pour faire croire que vos disputes sont sur des points de foi, et jamais on ne connut mieux que toute votre dispute n'est que sur un point de fait . . . Vous ne prenez pas les voies naturelles pour faire croire un point de fait, qui sont de convaincre les sens, et de montrer dans un livre les mots que l'on dit y être . . Qu'y avait-il à faire là-dessus, sinon de citer la page, si vous les aviez vues en effet (quinque propositiones), ou de confesser que vous vous étiez trompé? . . . D'où apprendrons-nous donc la vérité des faits? Ce sera des yeux, mon père, qui en sont les juges légitimes.“ *Lettres prov.* XVIII

Resp. Dist. maj.: Ecclesiae judicium de factis particularibus infallibile non est, *conc.;* de factis dogmaticis, *nego.* Et *dist.* min.: sensus alicujus libri est merum factum, in se, *conc.;* connexus cum dogmate, *nego.* Ad probationem *minoris.*

a) Dist. Merum factum est, quod Jansenius intendit subjective et interne, *conc.;* objective et externe, *nego.* Quod ab ecclesia judicatur, non est sensus, quem libri auctor in mente clausit, sed ut Innocentius XII. declarat, *sensus obvius, quem ipsamet verba prae se ferunt.*

b) Pariter *dist.:* merum factum sunt vocabula, etc. materialiter, *conc.;* formaliter, *nego.* Verba sunt signa conceptuum. Finis autem ecclesiae librum judicantis non is est, ut sententia damnata *totidem verbis* in libro aliquo reperiri credatur, sed ne verba errorem exprimentia ut *cancer* serpant. II. Tim. II. 17.

Instabis. Ecclesiae infallibilitas ultra doctrinam fidei et morum non extenditur. Atqui judicium de sensu alicujus libri ad grammaticos pertinet.

Resp. Dist. maj.: infallibilitas non extenditur ultra doctrinam fidei et morum, *et* ea, quae ad eam doctrinam proponendam pertinent. *conc.;* ad dictam doctrinam in abstracto duntaxat, *nego.* Et *dist.* minorem: judicium de sensu libri pertinet ad grammaticos primario, *conc.;* tantum, *nego.* Deus, cum docendi infallibilitatem ecclesiae largitus sit, procul dubio media ad hunc finem necessaria concessit: de doctrina vero judicare aut eam proponere nemo potest, nisi verba, doctrinam exprimentia, vere intellexerit.

Urgebis. Si erret ecclesia in factis dogmaticis, servatur tamen infallibilitas in dogmate. Hoc autem satis est.

Resp. Dist. antec.: servatur infallibilitas quantum ad dogma in abstracto, *trans.;* practice, *nego.* Angelicus: „per verba — inquit — quae quis loquitur, suam fidem profitetur; est enim confessio actus fidei . . . et ideo, si sit inordinata locutio circa ea quae sunt fide, sequi potest ex hoc corruptio fidei.“ II. II. 11. art. 2. ad 2. Ergo actum de infallibilitate est, nisi ecclesia de factis dogmaticis judicare poterit.

Dices. Ut ecclesia docendi munere rite fungatur, ipsi

satis est in iis verbis et propositionibus non errare, quibus doctrinae veritatem fidelibus proponit. Ergo infallibilitas in dijudicando sensu talis libri supervacanea est.

Resp. Dist. antec.: Infallibilitas, ab objiciente proposita, sufficit ad veritatem enunciandam, *conc.;* ad errorem condemnandum, *subdist.:* in abstracto, *transeat;* in concreto, *nego.* Requiritur enim ad errorem *practice* condemnandum infallibile judicium de iis verbis, propositionibus, libris, quibus error exprimitur ac propagatur. Nihil autem refert utrum error in libro ventiletur an in pagella.

Obj. II. Ecclesiae infallibilitas ad sola revelata se, porrigit. Atqui non est revelatum, talem librum v. g. Jansenii opus, quod *Augustinus* inscribitur, continere doctrinam erroneam. Igitur ecclesia falli potest quoad facta dogmatica.

Resp. Nego maj. Nimirum ostendimus, infallibilitatem ad ea quoque porrigi, quae cum revelatis modo jam explicato connectuntur. *Dist.* min.: factum libri Jansenii non est revelatum directe, *conc.;* indirecte, *nego.* Propositiones, quinque Jansenii erroribus contrariae, directe revelatae habentur; at factum dogmaticum errorum in tali libro indirecte. Nam ad fidem aliquid pertinet „indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli"; jam vero „si sit inordinata locutio circa ea quae sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei". Cf. S. Thom. II. II. 11. art. 2. Ergo ecclesia, cui fides seu revelata veritas *custodienda* committitur, infallibiliter judicat, utrum talis locutio v. g. Jansenii, revelatae veritatis *cancer* et corruptio dicenda sit necne.

Instabis. Infallibilitatis objectum habentur revelata, prout sunt in se, non prout in tali libro exprimuntur. Jam vero factum dogmaticum non respicit revelata in se, sed in tali libro.

Resp. Dist. majorem quoad secundam partem: prout in tali libro exprimuntur materialiter, *concedo;* formaliter, *nego.* Et dist. *minorem:* factum dogmaticum revelata respicit in tali libro formaliter, *concedo;* materialiter, *nego.* Et vero intellectus divinus veritates omnes cognoscit incomplexe,

intellectus autem humanus etiam incomplexa complexe, id est, componendo et dividendo cognoscit. Ideo ex parte credentis „objectum fidei est aliquid complexum per modum enuntiabilis". S. Thom. II. II. 1. art. 2. Objectum autem fidei et quaecunque cum revelatis connexa sunt, non in intellectu solum, verum *in voce* etiam enuntiabilia esse, constat. Et quoniam Angelico teste, si sit *inordinata locutio* circa ea quae sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei (l. c.), ecclesia, cui *depositum custodiendum* commissum est, haud dubie infallibiliter de *tali* fidei *enuntiatione* judicat.

Obj. III. *Tria capitula* sunt factum dogmaticum. At ecclesia in judicandis *tribus capitulis* erravit. Ergo infallibilitas ad facta dogmatica non extenditur. *Minor* probatur. *Tria capitula* vocantur 1° Theodorus Mopsuestenus episcopus ejusque scripta, quibus errores Nestorianos complexus est; 2° scripta Theodoreti, episcopi Cyrensis, contra anathematismos S. Cyrilli; quibus scriptis, Cyrillo vituperato, Nestorius dilaudabatur; 3° epistola Ibae, presbyteri Edesseni, ad Marim Persam, episcopum civitatis Hardoschir, in qua Theodorus Mopsuestenus evehebatur, concilium autem Ephesinum et S. Cyrillus Alexandrinus incusabantur. Atqui concilium Chalcedonense Theodorum Mopsuestenum ejusque libros non proscripsit; Theodoretum Cyrensem et Ibam Edessenum recipit eorumque in sedes restituit. At Concilium Cpolitanum secundum, quod est oecumenicum quintum, habita sessione octava die 2 Junii 553, tria capitula anathematizavit: „*id est* — ipsis sententiae verbis — *Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, et quae impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam, quae dicitur Ibae*", etc.

Resp. *Nego* min. Probationem *dist.:* concilium Chalcedonense tria capitula *probavit*, quae concilium Cpolitanum II. damnavit, *nego;* tria capitula prudenter *omisit, conc.*

a) Persona Theodori Mopsuesteni ejusque libri nullo, saltem directo, patrum Chalcedonensium judicio aut approbati aut damnati leguntur. Theodorus scilicet anno 428, controversia Nestoriana nondum exarsa, in externa communione ecclesiastica defunctus erat; concilium autem

Chalcedonense, quod anno 451 habitum est, defunctum omisit, ut Nestorianos, Theodoro faventes, suaviter alliceret.

b) Theodoretus a patribus Chalc. susceptus in sedem Cyrensem restitutus est, postquam coram patribus in sessione octava, quae die 26. Octobri 451 habita est, manifestis expressisque verbis dixerat anathema Nestorio. Scripta ejus omisit synodus.

c) Ibas a patribus Chalc. receptus et orthodoxus declaratus est, postquam errores suos correxerat. Unde in ipsa sessione decima, in qua Ibae causa tractata est, hic dixisse legitur: „jam in scripto anathematizavi Nestorium ejusque dogma, et nunc eum anathematizo decies millies.“ Scripta ejus non approbavit synodus.

Ergo concilium Chalcedonense, cum Theodori *personam* et *scripta* omiserit; *personas* Theodoreti et Ibae, non nisi fidem veram professorum susceperit; de *scriptis* autem eorum nullam sententiam tulerit, patribus Cpolitanis, *tria capitula* damnantibus, minime contradicit.

Instabis. Paschasinus, tenens locum Sedis Apostolicae, Maximus Antiochenus, Eunomius Nicomediae, lecta Ibae ad Marim epistola, ipsum Ibam orthodoxum declararunt. Atqui in ea epistola Theodorus Mopsuestenus, ut „praedicator veritatis“ laudabatur, et plures sententiae Nestorio favebant. Ergo concilium Chalcedonense, Theodori scripta *indirecte*, Ibae vero ad Marim epistolam *directe* comprobans, concilio Cpolitano II. contradicit.

Resp. Dist. antec.: Paschasinus et ceteri ipsam Ibae epistolam orthodoxam declararunt, *nego;* Ibam ipsum, *subdist.:* Ibam ab errore avocatum, *conc.;* pertinacem, *nego.* Ideo *nego* conseq. Responsio probatur.

a) Adversarii id praecipue contra Ibam urgebant, quod S. Cyrillus Alexandrinus in *epistola ad Marim* haereticus vocaretur. Unde accusatores ejus coram patribus dicebant: *Nostrum est probare, quia Cyrillum dixit haereticum,* etc. Jam vero statu quaestionis sic definito Ibas affirmabat, se *post* pacem inter Cyrillum et Joannem Antiochenum restitutam (anno 433) Cyrillum haereticum non vocasse. Revera Ibas ostendit, se ab eo tempore cum Cyrillo communicasse;

accusatores autem in epistola ad Marim ita duntaxat scriptum fuisse probarunt, ut Cyrillus *ante* hanc pacem haereticus, *post* ipsam orthodoxus ab Iba vocatus sit. Et cum Ibas aliunde ea praestaret, quae orthodoxi sunt; cum publice profiteretur: *Anathema et ipsi Nestorio et Eutychi, et unam dicenti naturam. Et omnem eum qui non sapit sicut haec sancta Synodus, anathematizo;* cum haec — inquam — praestaret omnia, patres eum ut orthodoxum receperunt.

b) Neque tamen patres ipsam epistolam simpliciter approbarunt. Paschasinus enim ait: „agnovimus *eum* (Ibam) esse orthodoxum;" Maximus Antiochenus: „orthodoxa ejus (αὐτοῦ) declarata est dictatio" (ὑπαγορία = defensio, responsio); Eunomius Nicomediae: „Jam quidem ex iis quae relecta sunt, *innoxius approbatus* est reverendissimus Ibas. *In quibus etenim dicendo male culpare visus est beatissimum Cyrillum in postremis recte confessus, illa in quibus culpaverat refutavit.*"

c) Quidquid a patribus *nonnullis* benignius de Ibae epistola dictum est, veram concilii *totius* sententiam ex eo nosse licet, quod Ibas cunctis poscentibus coactus est anathematizare Nestorium.

Urgebis. Et tamen constat, a patribus Chalc. esse omissa tria capitula, quae patres Cpolitani damnanda censuerunt. Atqui hoc probat diversam conciliorum de una re sententiam.

Resp. Conc. maj. *Dist.* min.: hoc probat diversam patrum sententiam ratione doctrinae, *nego;* ratione prudentiae, *conc.* Prudentia recte judicat de singulis agibilibus ut nunc. Cf. S. Thom. *Quaest. disp. De virt.* I. art. 6. ad 1. Jam vero tempore conc. Chalc. *alia* rerum adjuncta erant ac saeculo VI., cum controversia de tribus capitulis Graecos Latinosque moveret. Pius pacis amor patres Chalc. egit, ut ob publicam eorum resipiscentiam Theodoreto et Ibae parcerent, ne plurimi eorundem sequaces veritatem catholicam reformidarent; patres autem Cpolitani *personam* Theodori Mopsuesteni, qui Nestorianismi autor fuerat, et *scripta* Theodori, Theodoreti ac Ibae, ne Nestoriani tribus capitulis ad catholicos seducendos abuterentur, anathemate perstrinxerunt.

Repones. Vigilius, Romanus Pontifex, in *iisdem* rerum adjunctis sibi, quantum ad tria capitula, contradixit.

En factum. Anno 548 edito decreto, quod *Judicatum* appellatur, item anno 553 in epistola decretali ad Eutychium, edita die 8. Decembris, quae incipit *Scandala*, denique in *Constituto secundo*, quod datum est die 23. Februarii 554, Vigilius tria capitula condemnavit et anathematizavit. At anno 553 die 14. Maji *Constitutum primum* imperatori obtulit, quo *persona* Theodori Mopsuesteni *condemnari non conceditur*; scripta Theodoreti, „custodita in omnibus ejus personae reverentia", generali quadam duntaxat ratione damnantur; de Iba vero statuitur, „etiam in saepius memorata venerabilis Ibae epistola intemeratum patrum in Chalcedone residentium manere judicium."

Resp. Dist. antec.: Vigilius sibi contradicit ratione doctrinae, *nego*; ratione prudentiae, *transeat.*

a) Et sane Vigilius tria capitula nunquam approbavit, sed aliquandiu sententiae conc. Chalc. nihil addendum esse duxit. Quare in *Constituto primo*: „Nec quemquam — inquit — permittimus . . . in Chalcedonensi concilio consensu vicariorum Sedis Apostolicae judicatis . . . *tanquam imperfectis et reprehensibilibus*, sive per additamentum sive per diminutionem sive per immutationem, vel quoquo modo, aliquid temerariae novitatis inferre"; quippe cum timeret Pontifex, ne conc. Chalc. auctoritas laesa esse videretur. Accedit quod *Constitutum primum* formam definitivam, ut publicaretur, nunquam habuisse putatur; nec unquam publicatum est. Certe nihil *ex cathedra* determinatum fuisse, documenti indoles ostendit. Cf. Muzzarelli, *De auct. Rom. pont.* t. II. cap. IX. §. 5.

b) Quod ad prudentiam attinet, hujus loci non est persequi, utrum Vigilius summa semper prudentia usus sit. Audiendus tamen est P. de Marca, inquiens: „Observatum quidem est ab eruditis, Vigilii, quae videbatur, inconstantiam, prudentiae et maturo consilio esse tribuendam: sed non docuerunt, eum agendi modum a canonica disciplina pependisse."[1])

[1]) Hefele, *Konziliengeschichte*, Bd. II.; Jungmann, o. c. t. II.;

Dices. In *Constituto secundo* Vigilius epistolam ad Marim Ibae immerito attribui contendit. Ergo erravit.

Resp. Concesso antec., *dist.* consequens: Vigilius erravit in mero facto, *concedo;* in facto dogmatico, *nego.* Distinctio ex iis, quae in antecessum diximus, patet.

Obj. IV. Concilium oecumenicum sextum, Cpolitanum III. (680), sess. XIII. Honorii Romani Pontificis *epistolam, ad Sergium* rescriptam, his verbis damnavit: „hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus sacrorum Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abjicimus et tanquam animae noxias exsecramur.“ Porro doctores catholici hac concilii sententia errorem quantum ad factum dogmaticum contineri sentiunt. Prob. *minor.* J. Turrecremata de Honorii damnatione ait: „creditur, quod hoc fecerint orientales ex mala ac sinistra informatione de praefato Honorio decepti.“ *Summa de Eccl.* lib. II. 93. Bellarminus autem affirmat: „hos patres deceptos ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii epistolis, immerito cum haereticis connumerasse Honorium.“ *De Rom. Pont.* lib. IV. 11.

Resp. a) Ex auctoritate paucorum doctorum contra universalem ecclesiae doctrinam nihil concluditur.

b) Dist. maj. Concilii de Honorio sententia, ut jacet, Rom. Pont. auctoritate confirmata est, *nego;* in concilio nondum confirmato prolata est, *concedo.* Itaque cum sententia *ex cathedra* lata non sit, adversus infallibilitatem in factis dogmaticis in cassum affertur. Quod quidem Joannem Turrecrematam non latuit; ait enim: „nec ab Apostolica Sede, nec a patribus occidentalibus talis judicatus est.“ l. c. Revera Leo II. concilii sententiam eo sensu intelligendam esse docet, quod Honorius non docendo, sed *permittendo* et *negligendo,* peccaverit. *Epist.* ad Imp. et *ep.* ad Hisp. apud Mansi t. XI. p. 726, 1050.

c) Turrecremata factum *particulare* personae Honorii tantum respicere videtur, in quo ecclesia errare potuerit

diss. XI.; Pitra, *Analecta novissima;* Duchesne, *Rev. des Quest. hist.* 1884 et 1885.

„ex mala ac sinistra informatione de praefato Honorio"; praesertim cum o. c. lib. II. 108. Romani Pontificis infallibilitatem quantum ad *libros* doctorum „approbando aliquos, et alios reprobando", defendat. Bellarminus concilii sententiam quantum ad Honorii *personam*, non quantum ad ejus *textum* respexisse videtur.

Articulus IV.

Utrum infallibilitatis objectum sint res disciplinae.

I. Res disciplinares sunt, quae *lege ecclesiae positiva ad cultum vitamque Christianam dirigendam praescribuntur aut prohibentur*. Leges igitur disciplinares, ut tales, legi Dei positivae et naturali subordinantur iisdemque observandis inserviunt; namque „utile ··· ait Roskovány — quin et necessarium subinde est, ut legum naturalium aut positivarum obligatio quoad tempus modumve curate determinetur; ut actiones, quae ad legum divinarum observantiam pro adjunctis rerum ac temporum multum conferunt, aut eandem impediunt, speciali norma praecipiantur, aut prohibeantur; ut piae consuetudines et ritus, qui internam Religionis partem insigniter promovent, lege universali firmentur et consecrentur; ut Canones antiquati renoventur, aut adjectis novis sanctionibus inculcentur". *De prim. Rom. Pont.* § LXII.

II. Extensio infallibilitatis ad disciplinam facilius intelligetur, si pauca praefamur. 1° Considerandum est principium, quo lex disciplinaris innititur. Hoc autem principium aut *generale* est ipsaque ecclesiae potestas legislativa, quae salva fide negari non potest; aut *particulare*, scilicet ea veritas fidei aut morum, quacum lex disciplinaris connectitur, puta praeceptum communionis laicae sub una panis specie, quod veritatem realis Christi praesentiae sub alterutra specie continet. Patet autem, disciplinaria, *praecise in* hujusmodi principio generali vel particulari considerata, erroris esse immunia.

2° Lex disciplinaris in se *generalis* est, si quid ecclesiae universae praescribitur; *particularis*, si uni tantum ecclesiae

particulari aut aliquibus particularibus ecclesiis ordinationes fiunt. Thesis infallibilitatem ecclesiae pro disciplina duntaxat universali tuetur.

3° Finis legum disciplinarium est sanctitas et ordo ecclesiae. Ex quo palam fit, *a)* leges mere disciplinares pro temporum personarumque necessitate mutari posse, ecclesiam autem in lege disciplinae universalis, quantumcunque mutantur, contra fidem et mores praecipere aut vetare non posse. *b)* Legum proportio ad circumstantias cum quaestio *prudentiae* sit, infallibilitas quoad disciplinaria per se poscere non videtur, ut omnes ecclesiae leges summum prudentiae gradum attingant. Itaque omissa quaestione, utrum id, quod disciplina generali statuatur, sit *optimum*, asserimus nihil in disciplinam generalem irrepere posse, quod sit doctrinae fidei et morum contrarium. — 4° Quando ecclesia festum aliquod instituit absque ulteriori definiendi voluntate, doctrina hoc festo expressa si theologice certa videri possit, fide tamen credenda dici non debet. Praeterea distinguamus inter festum, quo aliqua *veritas dogmatica* colitur, et illud, quo *factum* colitur, v. g. translatio S. Domus Lauretanae.[1])

Thesis: *Res disciplinae sunt infallibilitatis objectum.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia nullis in doctrina fidei vel morum erroribus obnoxia est. At ecclesia in ipsa fide aut in moribus erraret, si disciplina *generalis* esset alterutri contraria. Prob. *minor*. In *statuenda* hujusmodi disciplina erronea potestas ecclesiastica *practice* contra juberet ac Christus constituit; in observanda vero eadem disciplina plebs Christiana fidem falsam profiteretur: siquidem „per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus et rationis conceptus *efficacissime* declaratur", ut docet Angelicus I. II. 98, art. 3.

Arg. II. Ecclesia in determinando suae infallibilitatis

[1]) Ita L. Janssens, *Summa theol.* t. V, p. 121.

objecto non errat, ut vidimus. Atqui ecclesia suam in disciplinaribus infallibilitatem dictis factisque affirmavit. Primum apostoli prohibitioni *suffocati, sanguinis et idolothytorum,* quae lex disciplinaris erat, apposuerunt: *Visum est enim Spiritui sancto et nobis.* Act. XV. 28. *S. Augustinus* ait: „Ecclesia Dei . . . quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet nec facit.“ Idem ea commemorans quae „tota per orbem frequentat ecclesia“, addit: „et hinc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.“ *Epist. 169. ad Januar. De variis consuetudinibus regionum,* cap. V. *S. Thomas Aquinas* ea, quae in celebranda SS. Eucharistia fiunt, convenientia esse probat; ab ipso autem pro solutione affertur „ecclesiae consuetudo, quae errare non potest, utpote Spiritu sancto ducta“. III. 83, art. 5. *Conc. Tridentinum* sess. XXII. can. 7. decernit: „Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis; a. s.“ *Pius VI.* Pistojensium doctrinam, qua adstruitur fieri posse, ut disciplina, ab ecclesia constituta et probata, periculosa sit et in superstitionem et materialismum inducat, hac nota damnavit: *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae, ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.* Bulla *Auctorem fidei,* n. 78. Cf. Pii IX. encycl. *Quanta cura,* 8. Dec. 1864. Huc pertinet axioma: *Lex supplicandi, lex credendi.*

Objectiones.

Obj. I. Ideo ecclesiae datur infallibilitas, ut interna fidei morumque pietas conservetur. Res autem disciplinares ad externum duntaxat ordinem cultumque pertinent.

Resp. Dist. maj.: internorum illa conservatio scopus infallibilitatis est, externis inclusis, *concedo;* iis exclusis, *nego.* Et *dist.* min.: res disciplinares ad ista externa pertinent a rebus fidei morumque prorsus sejuncta, *nego;* cum iisdem connexa, *conc.* S. Thomas: „per exteriores — inquit — actus multiplicatos interior voluntatis motus et rationis conceptus efficacissime declaratur.“ Ex quo efficitur,

disciplinam esse quandam fidei professionem practicam; sic repetita in precibus publicis doxologia: *Gloria Patri,* SS. Trinitatis dogma exprimit.

Instabis. Plus vice simplici leges disciplinares nocentes fuerunt. Ergo ecclesiam in istis legibus ferendis errare non repugnat.

Resp. Dist. antec.: leges disciplinares nocuerunt aliquibus et per accidens, *concedo;* ecclesiae universae atque per se, *nego.* In ferendis legibus ad bonum commune intendendum est. Quod docet Augustinus ad Vincent. *ep.* 98. scribens: „Quibusdam ista non prosunt. Numquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est patientia? . . . Sed debes etiam tam multa attendere, de quorum salute gaudemus."

Urgebis. Nemo affirmaverit, in legibus ecclesiasticis ferendis nunquam adhibitum esse majorem, quam opus fuerit, rigorem; ut alia mittamus. Ergo fieri potest, ut ecclesia in disciplinaribus erret.

Resp. Transeat antec. Et *dist.* conseq.: ex eo sequitur, ut ecclesia possit errare circa applicationem prudentialem ad personas particulares, *concedo;* quantum ad legis substantiam et moralitatem, *nego.* Fuerit quandoque in legibus illis error prudentiae; errore doctrinae leges ecclesiae universales adhuc caruerunt. Cf. J. a S. Thoma, *Tract. de auctor. Summi Pontif.* disp. III. art. 3.; Canum, *De loc. theol.* lib. V. 5. concl. II.

Obj. II. In breviario Romano errores leguntur. Ex quo sequitur, ut nihil valeat illud axioma: *Lex orandi, lex credendi.*

Resp. Dist. antec.: in breviario leguntur errores contra fidem et mores, *nego;* in privatis factis aut gestis, *subdist.:* cum modestia judicio Sedis Apostolicae supponendi, *concedo;* auctoritate privatorum expungendi, *nego.* Hac in re quaestio fidei non agitur. De auctoritate breviarii Romani in factis historicis auctore Benedicto XIV., *De servorum Dei beatif. et beatorum canoniz.* lib. IV. p. II. cap. XIII. n. 7, 8. haec referimus.

a) Rejicienda est sententia tum eorum, qui auctoritatem illius Breviarii in factis historicis nullam esse perhibent,

tum aliorum, qui refragari hujusmodi factis propemodum haereticum esse arbitrantur.

b) Tuta et vera sententia est, non modicum auctoritatis pondus factis historicis accedere, quae relata sunt et approbata in breviario Romano, ita tamen, „ut vetitum existimari non possit, debita cum modestia, et gravi fundamento, quae occurrunt in factis historicis, difficultates exponere, atque judicio Sedis Apostolicae supponere, ut eorum veritatem et robur perpendat, si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem."

c) Benedictus XIV. l. c. adducit cardinalem Ursini, qui deinde fuit Benedictus XIII., haec scribentem: „Maximae quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quae per sèse ad cultum Ecclesiasticum attinent: minoris tamen auctoritatis esse in privatis factis aut gestis, quae in vita Sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi praesertim antiquiora monumenta adversantur.[1]) Nec enim Ecclesia ipsa, quae iis utitur, inconcussae infallibilisque veritatis judicat quaecunque Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus varia ex occasione ea mutaverit correxeritque." Hactenus Benedictus XIII., *Dissert. de Reliquiis S. Bartholomaei,* art. VII. Romae 1724.

d) Hic addidisse juvabit quaedam in eo genere nonnullorum patrum Vaticanorum postulata.

1° Complures Galliae episcopi: „Opportune reformaretur Breviarium; praecipue: quoad lectiones, ab historiis apocryphis non satis expurgatas."

2° Complures Germaniae episcopi: „Breviarium Romanum nonnullis locis quaedam continet, quae cum historia certa

---

[1]) Cf. G. Morin, *De sermonibus seu homiliis dubiae auctoritatis aut certo pseudepigraphis Romano Breviario insertis* in period. *Studien und Mitteilungen aus dem Bened.- und Cisterc.-Orden,* 1888; Schober, *Explanatio critica editionis Breviarii Romani,* 1891; Chevalier, in *L'université cath.* 1891, Sept.; Batiffol in *Bulletin critique,* 1892, Janv.; Kirsch, *Die historischen Brevierlektionen* (1902); S. Bäumer, *Hist du bréviaire, trad. française mise au courant des derniers travaux sur la question,* par dom R. Biron (1905); Špaldák, in *Der Katholik,* 1905.

fide digna et sana S. Scripturae exegesi non omnino convenire videntur; quare petimus, ut ad corrigendos ejusmodi locos nonnullos Breviarium revisioni accuratae subjiciatur."

3° Quidam episcopi Italiae Centralis: „In Breviario autem eam solummodo recognitionem petunt, qua castigentur ea tantum loca, quae fortasse absunt a critica historica." *Coll. Lacensis*, t. VII. 844, 875, 882.

Quaeres, *utrum sit haereticum asserere, ecclesiam errare posse in aliqua lege, totam ecclesiam stricte obligante.*

Resp. a) Joannes a S. Thoma ita sentit: „in eo quod pertinet ad substantiam, et moralitatem legis, quam pontifex communiter proponit, quasi regulam morum sequendam, *haeresis* esset asserere Ecclesiam errare posse, ita ut aliquid perniciosum, aut contra bonos mores, vel jus naturale, aut divinum permitteret, aut praeciperet." L. c.

b) Melchior Canus distinguit inter mores quosdam a Christo et apostolis ecclesiae traditos et alios mores, qui sunt post apostolos inducti; qui in prioribus ecclesiam errare diceret, idcirco haereticus haberetur, quod „erroris ejus Christum et apostolos auctores faceret". Verum in posteriori aliqua lege et more ecclesiam errare posse, citra haeresin teneri existimat. L. c. Sed constat tamen eum, qui adstrueret, ecclesiam in hoc posteriori genere legum errare, aliis nominibus esse notandum.

Articulus V.

Utrum infallibilitatis objectum sit canonizatio sanctorum.

I. Notio canonizationis. Canonizatio est *sententia ultima et definitiva, qua ecclesia aliquem vitam sanctam duxisse et inter caelites receptum esse declarat, atque omnibus fidelibus colendum et invocandum proponit.* Canonizatione igitur tria statuuntur: 1° canonizatum morum sanctitate fulsisse; 2° eum inter caelites esse receptum, et 3° eum propterea colendum esse ac invocandum. Ex quo intelligitur homines, qui in sanctos referuntur, fidelibus proponi tanquam exemplum

imitandum et colendum; idque fieri *sententia ultimo definitiva* pro universa ecclesia. Cf. Ben. XIV., o. c. lib. I. 39, n. 14.

II. Canonizatio et beatificatio in hoc conveniunt, quod utraque est publicum ecclesiae testimonium de viri caelitum catalogo adscripti virtutibus et gloria. Hoc autem inter beatificationem et canonizationem maxime interest, 1° quod haec, non illa, habetur sententia definitiva et ultima. Et haec est ratio praecipua, ut docet Ben. XIV. l. c.: „ultima differentia inter Beatificationem et Canonizationem minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus, vel in ejus coarctatione ad personas aut locos particulares, quae in Beatificatione habeatur, secus ac in Canonizatione; sed in extrema et definitiva de sanctitate sententia cultum aliis Sanctis debitum in universali Ecclesia per Canonizationem, nequaquam vero per Beatificationem praecipiente." 2° Judicium Papae in beatificatione non est praecipiens, sed indulgens et permittens. Haec autem intelligenda sunt tam *de beatificatione formali*, cui examen cum virtutum et miraculorum approbatione praecedit, quam de *aequipollenti* illa, qua cultus praestitus, admissa virtutum vel martyrii et miraculorum fama, approbatur. Alia vero colendi specimina virorum eruditorum disputationibus relinquimus, qui jam pietate critica populares aliquos errores a veritate circa servos Dei colendos cribrare non desistunt.[1])

III. De infallibilitate ecclesiae in sanctis canonizandis sententiae tres. 1° Nonnullorum catholicorum opinio est, ecclesiam errare in sanctis canonizandis absolute

---

[1]) Ita H. Delehaye, S. J., Bollandista, *Les légendes hagiographiques* (1905), p. 129—130 classim quintam textuum hagiographorum his describit: „Après les romans historiques qui ont pour objet un personnage réel, viennent *les romans d'imagination* où le héros lui-même est une création du poète. La passion de saint Nicéphore et l'histoire de Barlaam et Joasaph peuvent servir de types." Cf. *Analecta Bollandiana*, t. XXIII., Fasc. IV (1904); t. XVIII., p. 407—411, etc. — De S Philumena, cf. O. Marucchi, *Osservazioni archeologiche sulla iscrizione di S. Filomena*, in *Miscell di storia ecclesiast.* t. II (1904), p. 355—356.

posse; temerarium tamen esse docent, asserere ecclesiam in judiciis istis definitivis reapse erravisse. Inter eos, qui non docent, Romanum Pontificem in canonizatione errare non posse, etiam Cajetanus est ob ea, quae scripsit in *Tractatu de indulgentia adversus Lutherum,* cap. VIII. — 2° Alii contra, quos inter Valentia, docent, infallibilitatem ecclesiae in sanctis canonizandis negari sine *haeresi* non posse. 3° Tertia est sententia Cani, dicentis: „qui fidem in his ecclesiae detrahunt, eos non haereticos quidem, sed *temerarios, impudentes, irreligiosos* esse credamus.“ *De locis theol.* lib. V. 5. Quam sententiam Benedictus XIV., o. c. lib. I. 43, n. 27. approbat. Cf. Salmant. *De fide*, disp. IV. dub. II. § 3. n. 46.; J. a S. Thoma, l. c. etc.

IV. De principio, quod theseos hujus fundamentum haberi debeat. Aquinas suam de sanctis canonizatis sententiam his exponit: „certum est quod judicium ecclesiae universalis errare in his quae ad fidem pertinent, impossibile est . . . In aliis vero sententiis quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus vel de hujusmodi, possibile est judicium ecclesiae errare propter falsos testes. Canonizatio sanctorum *medium est inter haec duo:* quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium ecclesiae errare possit.“ *Quodl.* IX. art. 16. Particulam autem *pie* non infirmandae certitudinis causa adjectam esse, constat ex articulo laudato, in quo non ex opinione sed ut certum ponitur, ecclesiam in canonizatione commemorata errare non posse. Significatur ergo gradus summus in piae fidei genere; de quo videsis Bened. XIV., o. c. lib. I. 43, n. 13.

Angelicus igitur hoc argumentum affert: „honor quem sanctis exhibemus, *quaedam professio fidei est.*“ Ita sanctorum canonizatio connectitur *cum his quae ad fidem pertinent,* in quibus ecclesiae judicium errare non potest. Quaenam autem est illa *connexio?* Nulla canonizatio in immediate revelatis continetur; nulla, quemadmodum conclusiones theologicae, necessitate logica ea revelata veritate dedu-

citur. Verum id quidem. Sed canonizatio specialis quaedam *professio* fidei est, quod ex praenotamine I patet et ex argumentis magis etiam apparebit: *qua* talis autem cum fide ipsa connectitur. Ideo subjacet Providentiae illi speciali et supernaturali, qua Christus ecclesiam suam universim adfuturum promisit. Unde S. Thomas suam hac de re doctrinam expositurus proficiscitur a „divina providentia, quae Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit, ut non erret".

Quibus sic positis, thesin ut sententiam *certam* probandam suscipimus, omissa tamen controversia, quonam praecise gradu opinio contraria sit accusabilis.

Thesis: *Canonizatio sanctorum est objectum infallibilitatis ecclesiae.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia errare non potest in iis determinandis, quae ad profitendam fidem pertinent. Atqui „honor, quem sanctis exhibemus quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus". S. Thom. *l. c.* Ex quibus Aquinas *ibidem* argumentum hoc modo evolvit: „sicut tenemur credere illud quod est in sacra Scriptura, ita illud quod est communiter per ecclesiam determinatum: unde haereticus judicatur qui sentit contra determinationem Conciliorum. Ergo commune judicium ecclesiae erroneum esse non potest; et sic idem quod prius," scilicet, „ecclesia in talibus (in canonizando sanctos) *errare non potest.*"

Arg. II. Ecclesia errare non potest in tradenda communi regula morum. Atqui per canonizationem quaedam nobis proponitur communis regula morum. *Major* antea probata est. *Minor* probatur. Lex vitae Christianae in sancto canonizato ut in exemplo proponitur. „In operationibus enim et passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla quam verba." S. Thom. I. II. q. 34. art. 1. Ob eamque rem si vita sancti canonizati cum ratione et evangelio pugnaret, error in doctrinam morum redundaret. Unde S. Thomas, *Quodl.*

l. c.: „in ecclesia non potest esse error damnabilis. Sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tamquam sanctus qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata ejus, crederent hoc esse falsum; et si ita contingeret, possent ad errorem perduci. Ergo ecclesia in talibus errare non potest.“ — Nec mirum, Romanos Pontifices gravitatem causarum Canonizationis conceptis verbis haud semel expressisse; sicut Joannes XXII. inter investigandam S. Thomae Aquinatis sanctitatem affirmat, cum magna maturitate procedendum in „tanto fidei negotio“; quod idem a Nicolao V. in processu canonizationis S. Vincentii Ferrerii vocatur causa „gravissima“, et a Leone X. in causa S. Francisci a Paula res, quae „divinam majestatem tangit et ad universalis Ecclesiae cultum perpetuo spectat“.

Arg. III. *Ex inconvenientiis. a)* Si ecclesia in sanctis canonizandis posset errare, totus sanctorum cultus periclitaretur. Quod est maximum inconveniens. Nam de sancto quopiam rite canonizato si dubitatio admittitur, reliquorum etiam, qui in divorum catalogum reponuntur, sanctitas in quaestionem vocari poterit. Cf. Can. l. c. *b)* Si fieri posset, ut ecclesia in sanctorum canonizatione erraret, evenire posset, ut ecclesia definiente coleretur damnatus, et ut fideles opem ab eo peterent, qui aeternis cruciatibus afficeretur. Quod quam ecclesia Dei indignum sit, nemo est qui non videat. Cf. S. Hieron. *Comm. ep ad Philem.*

Objectiones.

Obj. 1. Ecclesia errare potest in decidendis controversiis de facto mere humano, utrum quis sancte vixerit necne.

Resp. Dist. maj.: ecclesia errare potest in quaestionibus facti particularis, *conc.;* in factis cum fide connexis, *nego.* Canonizatio sanctorum medium est inter ea, quae directe et per se ad fidem pertinent, et facta mere particularia.

Infallibilitas igitur, quae pro fide moribusque servandis ecclesiae competit, idcirco ad canonizationem sanctorum sese porrigit, ne ecclesia quidquam doceat fidei moribusve contrarium.

Instabis. Testimonia humana saepissime falsa sunt. Atqui ecclesia, testes de vita et miraculis interrogans, in canonizationis processu auctoritate fallibili innititur. Ergo judicium ecclesiae de sanctis infallibile esse nequit.

Resp. Dist. min.: ecclesia in canonizatione auctoritate fallibili nititur, cum adjutorio speciali Spiritus sancti, *conc.;* hoc adjutorio destituta, *nego.* Deus, qui media fini coaptat, veritatis in ecclesia tuendae gratia providebit, ne judicium ecclesiae de sanctis quoquam testium errore mendaciove corrumpatur. Dirigitur enim ecclesia in istiusmodi judiciis „praecipue per instinctum Spiritus sancti"; atque „divina providentia praeservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur". S. Thom. l. c.

Obj. II. Martyrologium Romanum est authenticus sanctorum catalogus. Porro fieri potest, ut in Martyrologio illo recenseatur aliquis, qui videatur immerito inter sanctos descriptus.

Resp. Dist. maj.: Martyrologium Romanum est catalogus eorum, qui fuerunt solemniter per Summum Pontificem canonizati, inclusive, *conc.;* exclusive, *nego.* Et *dist.* min.: id fieri potest, praemissa canonizatione solemni, *nego;* secus, *transeat.* Videlicet descriptio in Martyrologio Romano, spectata sua natura et indole, canonizationem formalem, vel aequipollentem non importat. Ceterum si aliquid in Martyrologio Romano emendatione indigere videatur, illud ad sacrorum rituum congregationem deferendum est. Cf. Bened. XIV., o. c. lib. I. 43. n. 13.; item Laemmer, *De Martyrologio Romano.*

Quaeres, *utrum ecclesia etiam in beatificatione servorum Dei sit immunis ab errore.*

Resp. a) Nonnulli theologi negant, ecclesiam in beatificatione servorum Dei posse errare. Quorum argumenta, utrum sint ejusmodi, ut rem certam esse demonstrent, a doctoribus non paucis in dubio ponitur. Attamen temerarii esset asserere, ecclesiam in judicio beatificationis errasse. Cf. Bened. XIV., o. c. lib. I. 42. n. 10.

b) Beatificationis judicia infallibilia non haberi, haec documento sunt. 1° Beatificatio non est judicium ultimum

et definitivum. 2° Priusquam a beatificatione formali ad canonizationem deveniatur, de tota causa iterum agitur, suffragium fertur. „Quae cum profecto — ait Benedictus XIV. — caeremonialia non sint, sed substantiam judicii respiciant, nec nisi invocato Dei omnipotentis auxilio peragantur, ostendere aperte videntur, beatificationis judicium neque ab ipsis romanis pontificibus haberi infallibile.“ O. c. lib. I, 42. n. 10.

c) Quae hoc loco de beatificatione diximus, tam de *beatificatione* dicuntur, sive formali sive aequipollenti, quae jam a Sede Apostolica decernitur, quam de *canonizatione illa particulari*, quae, ab episcopo facta, terminis dioeceseos definiri consueverat. Quae quidem canonizatio *particularis* primum ab Alexandro III., Innocentio III., denique anno 1634 ab Urbano VIII. Summi Pontificis judicio reservata videtur, dum ipsa canonizatio strictius dicta fuit ab ecclesiae primordiis jus Pontificum Romanorum proprium. Cf. Ben. XIV., o. c. lib. I. 7—13.; Zeitschrift für kath. Theol. 1890, p. 599 - 616. — Hoc etiam animadversione dignum est, canonizationem illam particularem, si cultus, in ea constitutus, per ecclesiam dilatetur, tali Pontificis Romani consensu confirmari et *solemnizari* posse, ut veri nominis canonizationi aequiparetur.

Articulus VI.

Utrum infallibilitatis objectum sit approbatio ordinum religiosorum.

I. Notio ordinis religiosi. Ordo religiosus est *societas ad perfectionem per tria voto paupertatis, castitatis et obedientiae sub certa institutorum forma acquirendam.* In quovis ordine religioso tria distinguenda sunt: 1° status religiosi *essentia*, quae in tribus votis memoratis consistit; atque ratione illius essentiae ordo religiosus divinae institutionis est. 2° *Certa institutorum forma*, quibus ordo ab ordine differt; quae scilicet instituta „sunt adminicula quaedam ad cavendum ea quibus per votum religionis abrenuntiatur, vel ad observandum id in quo homo per religionis votum

Deo se serviturum promisit". S. Thom. *Contra impugnantes*, cap. I. 3° *Opportunitas* seu ordinis cujuslibet utilitas, habita ratione temporis, loci, personarum.

II. Ecclesiae approbatio. Approbatio ordinum religiosorum duo complectitur: 1° judicium *doctrinale* de honestate talis vitae, utrum simpliciter status perfectionis acquirendae haberi debeat, seu via ad perfectionem; 2° judicium *prudentiale*, utrum in talibus rei adjunctis talem ordinem admittere expediat.

Approbatio autem est quadruplex: 1° *solemnis* et *definitiva*, quae canonizationi aequiparatur et Summo Pontifici reservata est; 2° *commendatitia* sed nondum definitive a Romano Pontifice data; quae quidem sub eo respectu, quod definitiva non est, poterit cum beatificatione conferri; 3° *permissiva* ex parte Romani Pontificis; 4° *episcopalis*, quae nunquam est definitiva.

Concilium Lateranense IV. anno 1215, nimiam ordinum multiplicationem praecauturum, decrevit, ne novi ordines deinceps sine Sedis Apostolicae expressa approbatione constituerentur; quae prohibitio „per diuturnam consuetudinem a Sancta Sede approbatam nunc sic intelligitur, ut Episcopis illicitum quidem non sit, congregationem religiosam instituere, pro ordine religioso vere dicto autem nulla congregatio habeatur, nisi auctoritas Sanctae Sedis (definitiva) accedat". Cf. Lehmkuhl, *Theol. mor.* (1898), t. I. n. 494. Ordines autem religiosi, ante decretum Lateranense instituti, nisi Romani Pontificis suprema approbatio saltem tacita approbationi episcopali accesserit, nulla definitiva sententia, sed gradu quodam inferiori, approbati habentur.

III. Extensio infallibilitatis ad approbandos ordines religiosos. Omnino dicendum videtur ecclesiam in approbandis ordinibus definitive quoad judicium *doctrinale* non esse errori obnoxiam. Ita Bannez, Suarez, Billuart, alii. De quaestione prudentiae Billuart ita disserit: „Aliud est judicium, utrum hic et nunc expediat hunc ordinem admittere? Et de hoc judicio non ita constat esse infallibile; quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet: at saltem temeritatis notam non effugeret, qui

contra communem ecclesiae sensum, erroneum assereret.“ *De reg. fidei*, diss. III. art. 5. Angelici sententia de infallibilitate ecclesiae quantum ad substantiam ordinis seu judicium doctrinae satis manifesta est. Profert enim hanc legem: *Nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel Apostolicae Sedis decreta temerare.* Unde concludit: „Cum ergo per Apostolicam Sedem religiones aliquae sint institutae . . . manifeste se *damnabilem* reddit quicumque talem religionem damnare conatur.“ *Contra impugn.* cap. IV.

Thesis: *Ecclesia in ordinibus definitive approbandis quantum ad quaestionem doctrinae errare non potest.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia in morum doctrina errare non potest. Atqui in ordine religioso approbando morum doctrina traditur. Ergo. Prob. *minor.* Ordo religiosus ipsa approbatione definitiva fidelibus proponitur tanquam via tutissima non solum ad virtutem, verum etiam ad *perfectionem* acquirendam. Jam vero si hujusmodi vitae ratio *in se spectata* aliquid contineret, quod Evangelio aut legi naturali esset contrarium, pro perfectione Christiana peccatum ecclesiae proponeretur. Dixi: *ecclesiae;* „quamvis enim — ait Sylvius — una religio certi alicujus generis homines certumque vivendi modum contineat, pertinet tamen ad totam ecclesiam, non solum quia toti ecclesiae deservit, sed etiam quia tota ecclesia debet eam probare, eamque ut bonam et ex se perfectioni evangelicae acquirendae utilem admittere, postquam Summus Pontifex illam pro tali probavit“ *Controv.* lib. IV. 2. art. 6.

Objectiones.

Obj. I. Nonnulli ordines religiosi, ab ecclesia approbati, deinceps ita prolapsi sunt, ut tanquam ecclesiae vel noxii vel inutiles abolerentur. Ergo ecclesia in iis approbandis erravit.

Resp. Dist. antec.: hujusmodi ordines aboleti sunt ob defectum ordinis in se, *nego;* in membris, *conc.* Ordo spectari potest aut objective in ipsa vitae regula, quam ecclesia approbavit, et hac in re nullus unquam error doctrinae emendandus fuit; aut subjective in iis, qui talem regulam amplexi sunt, et sub hoc respectu ordines interdum abolendi fuerunt. Jam vero quis singulos ordinum professos ab ecclesia approbari dixerit?

Instabis. Melchior Canus ait: „Ordines igitur vel probare, vel refellere, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit.“ *De loc. theol.* lib V. 5 ad 4. Ergo thesis auctoritate doctissimi viri infirmatur.

Resp. Dist. antec.: Haec Cani sententia pertinet ad judicium prudentiale, *conc.;* ad judicium doctrinale, *nego.* Auctor enim l. c. sententiae suae rationem afferens ait: „quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet.“ Bannez autem eorum sententiam, qui cum Valentia hujusmodi errorem prudentiae possibilem esse negant, et sententiam oppositam conciliare videtur, inquiens: „nunquam tamen hujusmodi error cedet in perniciem Ecclesiae, quamvis quibusdam possit (utique per accidens) esse nocivus.“ Cf. Bouix, *Tract. de jure regul.* t. I. p. 241.

Quaestio X.

De magisterio ecclesiae.

Servator, ut *lux in tenebris* lucens, hominibus *via, et veritas, et vita,* Joan. XIV. 6. fieri dignatus est. Per Ipsum venimus ad lucem, quem beatus Petrus ducem et magistrum sibi profitetur, inquiens: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.* Joan. VI. 69. Ipse homines docuit, *quasi potestatem habens.* Marc. I. 22. Deinceps apostoli, Christi praecones constituti, veram *potestatem habentes* mundo prae-

dicarunt. Talem autem facultatem praedicandi cum potestate in apostolorum successores transiisse negant, quicunque principium fundamentale novatorum saeculi XVI. susceperunt et sequuntur. Quaestionem igitur magisterii, cum controversiarum plurimarum cardo sit, diligentius tractabimus, investigantes

Primo. *Utrum Christus magisterium instituerit.*

Secundo. *Utrum ecclesiae doctrina sit proxima regula fidei.*

Tertio. *Utrum ecclesia sit judex controversiarum.*

Quarto. *Utrum numerus credendorum per ecclesiae magisterium augeri possit.*

Quinto. *Quibus censuris propositiones fidei adversae ab ecclesia damnentur.*

Sexto. *Quanam fide veritates ab ecclesia propositae credi debeant.*

Articulus I.

Utrum Christus magisterium instituerit.

I. Notio magisterii. Magisterium est ecclesiae *jus et officium veritatem Christianam docendi ea suprema auctoritate, cui omnes corde et ore parere tenentur.* Cf. Conc. Vatic. *De fide et ratione*, can. III.; epist. Pii IX. ad archiep. Monac. et Frising. *Gravissimas inter*, 11. Dec. 1862.

Ecclesiae magisterium magistros humanos auctoritate longe superat. Et vero „secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli, per hujusmodi sibi proposita, sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem cognitorum. Sicut ergo medicus dicitur causare sanitatem in infirmo natura operante, ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio operatione rationis naturalis illius; et hoc est docere; unde unus homo alium docere dicitur, et ejus esse magister.“ S. Thom. *Quaest. disp. De verit.* XI. art. 1. At ecclesia, veritatis magistra, veritatem non solum infallibiliter *proponit*, verum etiam subditis suis credendam *praescribit.* Omnes igitur erga eam magisterii potestatem officio verae obedientiae obstringuntur.

II. Munera quatuor *testis, custodis, interpretis et judicis* magisterii vocabulo complectimur.

1° Ut *testis* jus habet ubique et omnibus veritatem praedicandi, sicut scriptum est: *accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Act. I. 8. 2° Ut *custos* „jus etiam et officium habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam"; quod quidem jus patres Vaticani vindicarunt contra rationalistas moderatos, qui asseverant: „disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint." Cf. Conc. Vat. sess. III. *De fide et ratione,* can. II. et cap. IV. 3° Ut *interpres* sacrorum dogmatum sensum ita declarat, ut ab eo sensu nulli recedere liceat; atque id jus tuetur contra eos, qui contendunt: „fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia." Cf. Conc. Vat. l. c. can. III. et cap. IV. 4° Ut *judex* veritatem exortis controversiis similive de causa definit.

III. Magisterium solemne et ordinarium. Magisterium ecclesiae non in iis tantum coarctatur, quae solemni ecclesiae judicio proponuntur, sed Conc. Vat. sess. III. cap. III. haec docet: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio *sive ordinario et universali magisterio* tanquam divinitus revelata credenda proponuntur."

IV. Adversarii. Qui Christum confitentur, religionem Christianam religionem auctoritatis esse semper affirmaverunt. Sed orta contraversia est, utrum S. Scriptura doceret sola, an commissa Ecclesiae. Ubi rejiciebatur ecclesiae infallibilitas, ibi magisterium pariter ecclesiae repulsum. Audivimus a saeculo XVI. *internum testimonium Spiritus sancti* praedicari tanquam fundamentum mysticum, quod ecclesiae catholicae magisterio validissime opponeretur.

Haec autem vetera. Recentiores protestantes, Schleiermacher, Ritschl, Lipsius, Sabatier, quidquid a conditoribus reformatis dissentiebant atque inter se, subjectivismum tamen *spiritus testificantis* et *experientiae religiosae*, sub aliqua forma deteriori, v. g. rationalismi et pantheismi vagi, per plurimas acatholicorum regiones sparserunt. Argumenta petuntur a textibus, quae testimonio spiritus favere videantur, qualia sunt *Rom.* VIII. 16.: *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei;* et *Joan.* IV. 45.: *Et erunt omnes docibiles Dei;*[1]) sed cardo totius rationalismi mystici falsa philosophia est, quae plerumque doctrinam Neokantianam sentit et suavitate quadam mixta religiositatis magis interioris, dignitatis individui libertatisque spiritus animos vagantium inebriat.[2])

Immediatius systema Neolutheranum et unionismus Anglicanus thesin nostram attingunt. *Neolutherani* auctoritatem volunt magisterii, quod divinitus constitutum sit; at *ubi* resideat, ab iis integrum relinquitur. Neque fieri posse videtur, ut hunc nodum expediant, qui ecclesiae

[1]) Cf. A. v. Schmid, *Apologetik*, S. 200—223.

[2]) Kant, *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft* (1793) et *Der Streit der Facultäten* (1798), auctoritatem impugnat ecclesiasticam, quae designatur uti „Statuarische Religion" et „Kirchenglaube". — A. Sabatier, qui opus suum *Esquisse d'une philosophie de la Religion* prosequi studuit in libro, qui inscribitur *Les Religions d'autorité et la Religion de l'Esprit* (3. édit. 1904), similia docet, v g. ubi in hoc opere p. 306 de catholicis et de protestantibus orthodoxis ait: „Des deux parts enfin le christianisme, édicté ainsi par une autorité extérieure, abdique son premier caractère qui est d'être une inspiration de la conscience, une force vive et libre de l'âme (*δύναμις Θεοῦ*), pour tomber au rang d'une religion légale." Hinc amara illa despicientia ecclesiae, quam docti in vulgus spargunt. Hujusmodi est illud, quod A. Jülicher nuperrime scripsit de religione catholica saec. III.: „Die Kirche hatte die Rolle des Erlösers übernommen: an der Stelle, wo ursprünglich das Evangelium gestanden hatte, wohin bei Paulus und Johannes „der Herr" getreten war, steht fortan die katholische Kirche, statt einer idealen Grösse ein Haufe fehlbarer Menschen. Das Herdengefühl hatte die erhabene Regung des Individualismus auf religiösem Gebiet wieder erstickt." *Die Kultur der Gegenwart,* Teil I. 4.: *Die christliche Religion* (1905), p. 120.

Romanae magisterium judicio privato subjecerint. *Unionismi Anglicani* mos est a praesenti ecclesia ad *futuram* appellare, ut patet ex libro doctoris Pusey, qui *Eirenicon* inscriptus est. Itaque magisterium collaudant, quod *non est*, sed *erit;* neque certo erit, sed illud aliquando fore sperant. Ex quo intelligitur, magisterium ab unionistis reapse negari.[1])

V. Principium, quod adversariis lumen praeferat, est profunda, quam ecclesia catholica docet, magisterii externi et interni unio. De qua quidem unione S. Thomas haec. 1° Fidelis, ut finem ultimum suum attingat, credere Deo debet tanquam *discipulus magistro docenti.* „Ultima — inquit — beatitudo hominis consistit in quadam supernaturali Dei visione. Ad quam quidem visionem homo pertingere non potest nisi per modum addiscentis a Deo doctore: secundum illud *Joan.* VI: *Omnis qui audit a Patre et didicit venit ad me.* Hujus autem disciplinae fit homo particeps non statim, sed successive, secundum modum suae naturae. Omnis autem talis addiscens oportet quod credat, ad hoc quod ad perfectam scientiam perveniat: sicut etiam Philosophus dicit quod *oportet addiscentem credere.* Unde ad hoc quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis praeexigitur quod credat Deo tanquam discipulus magistro docenti." II. II. 2. art. 3.[2]) — 2° Ad fidem explicitam et fixam requiritur, ut *homini credibilia proponantur.* Hoc autem apostolis et prophetis factum est per revelationem immediatam, aliis autem per fidei praedicatores et per sententiam definitivam auctoritatis supremae in ecclesia. Hoc autem principium propositionis externae eo spectat, ut homines in hoc mundo Deum tanquam magistrum credibilium habeant et ex auditu discant. Multum autem abest ut hoc magisterium externum

[1]) Card. Manning de ritualismo ait: „it must be said that Ritualism is private judgment in gorgeous raiment wrought about with divers colours." *England and Christendom,* p. LXXXIII.

[2]) De antiqua formula: *credere Deo, credere Deum, credere in Deum,* apud S. Augustinum et Petrum Lombardum vide contra Holtzmann H. Denifle, *Luther und Luthertum,* B. I., S. 301—382.

ad fidem habendam sufficiat. Audiatur Aquinas: „cum homo — ait — assentiendo his quae sunt fidei, elevetur supra naturam suam, oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus.“ II. II. 6. 1. Unde maxime de fidelibus valet illud effatum: „Interius docere proprium opus Dei est.“ *C. Gent.* IV. 17. Sequitur ut ecclesiae magisterium internum Spiritus vocem non excludat, sed postulet.

Thesis: *Christus magisterium instituit.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Ecclesiae magisterium est jus et officium docendi cum potestate. Jam *a)* ecclesia in docendo Christi vice fungitur, atque *b)* sontes habentur, qui praedicationem ecclesiae repudiant. Prob. *min.*

a) Christus dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. XX. 21.; *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit,* Luc. X. 16. Apostolis legatorum Christi auctoritatem vindicat S. Paulus, inquiens: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos,* II. Cor. V. 20.; item: *Per quem* (Christum) *accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei* (*εἰς ὑπακοὴν πίστεως*) *in omnibus gentibus pro nomine ejus,* Rom. I. 5.; item: *consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,* II. Cor. X. 4—6. Quod idem ab apostolis in concilio Hierosolymitano hac formula expressum est: *Visum est enim Spiritui sancto, et nobis.* Act. XV. 28.

b) Contumacibus Christus poenas minatur: *qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. XVI. 16.; cf. Matth. XVIII. 17.; XXVIII. 18—20. S. Paulus ait: *consilia destruentes, et omnem altitudinem* etc., ut supra, *in promptu habentes ulcisci ômnem inobedientiam.* Iterum: *Licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Gal. I. 8. Quod autem apostolis et discipulis in ordinario docendi munere commissum est, id in eorum suc-

cessores transiisse constat ex iis, quae de hierarchia, de ecclesiae perpetuitate et infallibilitate disputavimus.

Arg. II. *Ex magisterii necessitate.* Christus ecclesiae suae media deesse non permisit, quibus tum singulorum in fide firmitas, tum omnium unitas in tuto collocarentur. Nihil autem ad hunc finem aeque necessarium esse atque magisterium, paucis ostendam.

a) Singulorum in fide firmitas. Fides enim per ea maxime infirmatur, quae *propria mens* contra Christi traditionem suggerit. Jam vero haec propriae mentis intemperantia certa docendi auctoritate sapienter compescitur. Et sane tam ob mysteriorum profunditatem quam ob diversos passionum motus periculum adest, ne propria mens errores sibi suggerat; plurimosque errores isthinc emanasse, quod homines, auctoritate spreta, propriam mentem secuti sunt, historia demonstrat. Angelicus etiam hominem a rectitudine fidei deviare affirmat „per hoc quod intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea quibus Christo assentiat, quia non elegit ea quae sunt vere a Christo tradita, sed ea quae sibi propria mens suggerit.“ II. II. q. 11. art. 1.

b) Omnium unitas. Fidelium unitas in fide oritur e fixa fidei regula, cui omnes obedire tenentur. At fixa illa fidei regula, quae omnes fideles uniat, est una, viva, visibilis docendi auctoritas, seu magisterium. Ergo Christus magisterium instituit.

Arg. III. *Ex traditione.* Veteres quid senserint, facile probatur *a)* eorum auctoritate, qui ecclesiae unitatem in fide commendant; sola enim docendi potestas, formae ad instar, Christianorum multitudinem in unam fidem adunare potest. *b)* Claris antiquorum testimoniis, quae supra de infallibilitate disserentes attulimus. *c)* Publica praxi ecclesiae, haereses quascunque anathemate percutientis; cujus rei conciliorum acta et decreta Summorum Pontificum gravissimo documento sunt. *d)* Trita apologetarum sententia, quam S. Augustinus interpretatur his verbis: „vera religio . . . omnino sine quodam gravi autoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest.“ *De util. credendi*, cap. IX.

Objectiones.

Obj. I. Salvator ait: *Unus est magister vester.* Matth. XXIII. 8. Ergo soli Deo magisterium competit.

Resp. Dist. antec.: Unus est magister primarius, *conc.;* secundarius, *nego.* Et *nego* conseq. Recta fides a Christo procedit. At *Christus* non immediate nobis loquitur, sed per ecclesiam. Cf. S. Thom. II. II. 6. art. 1. Quo fit, ut conceptus *supernaturalis* vitae per catholicam doctrinam de *vivo magisterio* perbelle reluceat: dum *spiritus privati* systema *naturalismum* sapit. Et quidem incredulitas textu prolato abusus est, ut „religionem Spiritus" tanquam libertatis religionem extolleret, nulli dogmati, nulli Scripturae, nullius ecclesiae auctoritati ligandam. — Idem valet pro interpretatione Matth. XX. 25—27.; I. Cor. III. 21—23.

Instabis. Visio docentis est principium doctrinae, ut docet S. Thomas, *Quaest. disp. De verit.* XI. art. 4. Atqui ecclesia revelatorum visione caret, quandoquidem mysteria fidei non videntur. Ergo ecclesia esse nequit principium doctrinae seu magistra.

Resp. Dist. maj.: visio docentis *principalis* est principium doctrinae, *conc.;* docentis *instrumentalis, subdist.:* in magisterio naturali, *transeat;* in magisterio fidei, *nego.* Et *dist.* min.: ecclesia revelatorum supernaturalium visione caret in se, *conc.;* in sua causa principali, id est, in Deo, *nego.* Et negatur conclusio.

Revelata mysteria quantum ad totum corpus ecclesiae, *non visa* sunt, si mysteriorum essentia respicitur. Verum Christo, ecclesiae capiti, manifesta et aperta sunt. In Christo igitur, magistro principali, est „visio docentis"; in docendis autem hominibus ecclesiae instrumento utitur.

Dices: Veritas non propter auctoritatem complecti debemus, sed propter conscientiam veri.[1])

---

[1]) Ita A. Sabatier, *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit,* p. 305—306 contendit: „Le catholique doit croire à l'Immaculée-Conception de la Vierge, non parce qu'il s'est convaincu que cette doctrine est vraie, mais parce que son Eglise l'a ainsi ordonné."

Resp. Dist.: Et haec duo sociari non possunt, *nego;* sancte sociantur in anima, quae sub auctoritate, divinitus constituta, fide vivit, *conc.* Amant verum, qui audiunt ecclesiam, quam ex intima conscientia reverentur et diligunt utpote veram. Nec dogmatum visio intrinseca requiritur, ut habeantur vera, sed heroes fidei vixerunt et mortui sunt pro veritate, quam cum evidentia extrinseca legitimi magisterii medullitus propter Deum acceperant. *Obedire Evangelio* pietatis est. Cf. Rom. X.; Thess. II. 13.; *Phil.* I. 27.

Obj. II. S. Paulus libertatem Christianam proclamans ait: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* I. Thessal. V. 21. Ergo vanum est magisterium.

Resp. Dist. antec.: Probandae sunt doctrinae dubiae privatae. *conc.;* doctrina certa ecclesiae, *nego.*

Distinctio patet *a)* ex contextu; legitur enim: *prophetias nolite spernere. Omnia autem probate* etc. Hujusmodi prophetiae privatae, apostolorum aetate a pluribus editae (I Cor. XIV. 29.), inter Thessalonicenses partim verae, partim errore plenae erant, II. Thess. II. 2. Propterea S. Paulus ait: *prophetias nolite spernere. Omnia autem* etc. *b)* Ex aliis Scripturae locis, velut I. Joan. IV. 1., ubi legitur: *probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum:* quis autem dicat, ea S. Joannis sententia auctoritatem ecclesiae contemni? *c)* In textu graeco legitur: *Πάντα δὲ δοκιμάζετε*; qua phraseos structura *παντα* via particulae *δὲ* ad praecedentia, id est, ad charismata refertur. Ita Rosenmuller. Ceterum jam pridem Tertullianus aetatis suae haereticis ejusdem textus abusum exprobrat. *De praescr.* cap. IV. — Praetera textus, quibus auctoritatis principium monstravimus, clari sunt.

Instabis. S. Joannes ad fideles: *non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* I. Joan. II. 27. Ergo solus S. Spiritus in singulis, non ecclesia, magisterium exercet.

Resp. Dist. A S. Joanne excluduntur magistri mere humani, *conc.;* ecclesiae magisterium. *nego.* Ne verbulo

quidem ecclesiae magisterium in textu proscribitur; quin etiam fideles illos ab ecclesia fidem didicisse, manifesto supponitur. Sed haereticorum machinationes coercentur: quare apostolus l. c. v. 26. ait: *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Jam porro unctioni S. Spiritus internae externam veritatis propositionem in ecclesia conjungi opus est; neque *filioli* beati Joannis operationem gratiae internam cum externo apostolorum magisterio non conjunxerunt.[1])

Alii textus, ab acatholicis proferri soliti, hoc spectant, ut interna gratiae operatio monstretur, ecclesiae magisterium *non excludatur;* ideo nihil probant.[2])

Articulus II.

Utrum ecclesiae doctrina sit proxima regula fidei.

I. Regula fidei est mensura infallibilis et extrinseca credendorum quantum ad homines. *Mensura* dicitur, quia credentis intellectus ad eam mensurandus est; *infallibilis,* quia fidei mensura, uti et ipsa fides, omnino certa sit oportet; *extrinseca,* quia „fides quantum ad assensum, qui est principalis actus fidei, est a Deo *interius* movente per gratiam.“ S. Thom. II. II. 6. art. 1. Dixi: *credendorum,* ut tota doctrina revelata ejusdemque verus sensus significetur; *quantum ad homines,* quia sermo non est aut de angelis aut de iis veritatis manifestationibus, quae cuipiam modo extraordinario contingunt, aut de revelationibus privatis, sed de fide communi et de ordine communi, quem Christus fidelibus praestituit.

---

[1]) Card. Manning de verbis S. Joannis Epist. I. cap. II. 20—27. ait: „I do not know in what words the infallibility of the Church and the immutability of its doctrines can be more amply affirmed.“ *The temp. mission of the H. Ghost,* p. 229.

[2]) H. Schell, *Religion und Offenbarung,* p 265 rectissime dixit: „Zum Zeugnis des Hl. Geistes gehört alles, was dem Glauben den Weg in die Seele bahnt, alles, wodurch sich das Christentum für die verständige und sittliche Würdigung als göttlich erweist, sowohl in seinem eigenen Wesensbestand und Werdegang, wie in seinen Wirkungen und Erfolgen nach innen und aussen, in den Seelen, in der Kirche, in der Menschheit.“

II. Divisio regularum fidei. Illa divisio sua sponte profluit ex hac Angelici expositione de fide a Deo infundenda: „ad fidem — inquit — duo requiruntur. Quorum unum est ut homini credibilia proponantur; quod requiritur ad hoc quod homo aliquid explicite credat. Aliud autem quod ad fidem requiritur est assensus credentis ad ea quae proponuntur. Quantum ergo ad primum horum, necesse est quod fides sit a Deo. Ea enim quae sunt fidei, excedunt rationem humanam; unde non cadunt in contemplatione hominis nisi Deo revelante. Sed quibusdam quidem revelantur immediate a Deo, sicut sunt revelata apostolis et prophetis: quibusdam autem proponuntur a Deo mittente fidei praedicatores, secundum illud Rom. X. 15.: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?*“ Deinde de assensu agit, qui „est a Deo interius movente per gratiam“. II. II. 6. art. 1. Ex quo tria colligimus:

1° Prima fidei regula est veritas prima, divinaeque veritati revelatrici omnes aliae fidei regulae innituntur. Cf. S. Thom. I. 16. art. 5.; Cajetanum, In II. II. 2, art. 6. Haec autem regula primae veritatis in omnibus aliis regulis supponitur.

2° Quae vulgo fidei regulae dicuntur, sunt numero *quinque*, videlicet: *S. Scriptura, traditio divina, ecclesia, concilia oecumenica, Summus Pontifex;* istis enim mediis credenda a Deo proponuntur et fidelis in fide sua dirigitur.

3° *S. Scriptura* et *divina traditio* totum revelationis depositum in se continent (cf. Conc. Trid. sess. IV.); at sententiam eloqui, verum suum sensum veramque interpretationem definire non possunt; *ecclesia, concilia* et *Summus Pontifex* revelatas veritates e deposito S. Scripturarum divinaeque traditionis promunt, et sensum verum revelatorum usque ad mundi finem manifestabunt. Idcirco S. Scriptura et traditio divina *regulae inanimatae* et *remotae* vocantur, ecclesia autem — id est, *ecclesia dispersa, concilia, Rom. Pontifices* — *regula viva* et *proxima*.

III. Quonam sensu ecclesia dicatur proxima fidei regula. S. Thomas II. II. 5, art. 3. ait: „Formale autem objectum fidei est veritas prima secundum quod

manifestatur in Scripturis sacris et doctrina Ecclesiae. Unde quicunque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, sed ea quae sunt fidei alio modo tenet quam per fidem." Hinc sequentia ponuntur.

1° *Objectum formale quod* fidei, sive id quod a fide principaliter attingitur, est veritas prima in essendo, seu Deus ut excedens rationem naturalem; *objectum formale quo* seu *sub quo* fidei est veracitas Dei revelantis, ut connotans veritatem primam in cognoscendo; *objectum materiale adaequatum* fidei sunt omnia revelata, id est, ipse Deus et alia in ordine ad Deum. Cf. S. Thom. II. II. 1. art. 1.

2° *Motivum assensus* fidei est veracitas Dei revelantis. „*Omnibus articulis fidei* — ait Angelicus — *inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam* propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intellectis sane." II. II. 5. art. 3. ad 2.

3° *Regula proxima fidei* seu medium propositionis credendorum est ecclesiae doctrina, *quae procedit ex veritate prima.* Credimus enim „propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis *secundum doctrinam ecclesiae intellectis sane.*"

Quae cum ita sint, ecclesia non eo sensu fidei regula dicitur, quasi esset objectum *formale quod* aut *sub quo* fidei; sed, tanquam *ministra veritatis primae,* est *conditio,* qua veritas prima proponit et explicat se ipsam et alia credenda. Nimirum revelatio divina est infallibilis regula *per se* conveniens fidei; *per accidens* tamen, *ex parte scilicet nostra,* fidei convenit, proximam regulam fidei esse ecclesiam. Cf. Cajet. *Comm. in* II. II. 1. art. 1.; Salmant. *De fide,* disp. I. n. 159.; disp. II. n. 104.; Joan a S. Thoma, *De fide,* disp. I. art. 2. n. 17. — Tantum autem abest, ut doctrina proposita Scripturas sanctas excludat, ut supponat eas; videlicet ecclesiam ita regulam proximam habemus, ut S. Scripturarum et traditionis, quae sunt fidei regulae remotae, verum sensum ab ea cum auctoritate exponi necesse sit.

IV. Quaeres, *utrum credamus sanctam ecclesiam an in sanctam ecclesiam. Resp.* Satis cognitum est, symboli formulam, qua vox *in* omittitur, esse in more positam ecclesiae; sed usa tamen est ea voce synodus Cpolitana I., sic profitens: *Εἰς μίαν . . . ἐκκλησίαν, in unam*, etc. Illud igitur vocabulum, quamvis nonnulli, v. g. quidam in concilio Basileae congregati, hoc abusi sint, in bonam partem accipi potest. Cf. Turrecremata, *Summa de Ecclesia*, lib. I. 20. Verius tamen vocem *in* expunxeris, siquidem finem ultimum nostrorum motuum ea particula significari plerique sentiunt. S. Thomas distinguens: „Dicendum — inquit — quod, si dicatur: *in sanctam Ecclesiam catholicam*, est hoc intelligendum secundum quos fides nostra refertur ad Spiritum Sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit sensus: *Credo in Spiritum Sanctum sanctificantem Ecclesiam.* Sed melius est, et secundum communiorem usum, ut non ponatur ibi *in*, sed simpliciter dicatur sanctam Ecclesiam catholicam: sic ut etiam Leo Papa dicit." II. II. 1. art. 9. ad 5.

V. Protestantium systema. 1° Protestantes ipsum *ecclesiasticae* regulae nomen horrent. Scripturam unicam fidei regulam esse contendunt; communisque novatorum lex est: „Regulam aliam non habemus, ut videlicet verbum Dei condat articulos fidei et praeterea nemo." Symbolis conditis, cum sanari oporteret fractam licentia unitatem, multoties auctoritas tributa est; *conditionata* illa quidem, *in quantum* cum sacris Litteris concineret; quin etiam a Socinianis et Arminianis nulla.

2° Hac aetate quidam protestantes regulam aliam praedicant: nullam scilicet haberi censent fidei regulam nisi *Christianismum primitivum;* haec sola *normativa* (normatif) est, seu norma ligans rationem et conscientiam. Christianismus primitivus et authenticus nusquam nulloque in coetu jam immutatus permanet; dogmata non a societate accipienda sunt ecclesiastica, divinitus apta docendo veritatem, sed hoc *individuus* in Christianismo originali reperiat purum, quod corruptum in *societate* seu ecclesia est. Fons solus purus; fons autem ipse religionis Christianae Conditor ejusque collaboratores immediati; S. Scriptura

regula quidem habetur, sed secundariam et derivatam verius dixeris, cum regula fidei principalis esse videtur historicum factum Christianismi originalis. Multis ante annis E. Naville defenderat thesin: Christus constituit aut nullam ecclesiam, aut catholicam; Vinet respondit: nullam; Grétillat, hujus discipulus, cum ecclesiam fidei regulam esse negaret, ad ipsas autem Scripturas admittendas regula quaedam sane requiratur, suam quaesivit *normativam* in Christianismi primordiis. Exposuit systema illud in volumine, quod inscribitur *Propédeutique et Méthodologie*, de quo cf. De Broglie, *L'individualisme dogmatique* in period. *Le Correspondant*, 1890, Oct., Nov., Déc.

Thesis: *Ecclesiae doctrina est proxima regula fidei.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scripturis.* Proxima fidei regula dicitur, qua fides hominibus proxime et immediate proponitur. At S. Scriptura docet, fidem proxime et immediate proponi oportere ab ecclesia. Ergo ecclesia est proxima fidei regula. Prob. *minor.*

a) S. Scripturarum sententiis ecclesiae magisterium, seu jus et officium cum potestate docendi fidem, probavimus. Atqui jus illud et officium praecise exercentur, ubi fides proxime et immediate hominibus proponitur. Ergo.

b) Huc igitur pertinent, quae Servator apostolis eorumque successoribus demandavit, inquiens: „Euntes *docete*"; „*praedicate* evangelium"; item S. Pauli sententia, quae docet, *ecclesiam* esse *columnam et firmamentum veritatis;* fidem esse *ex auditu*, Rom. X. 17.; item apostolorum formula, qua Hierosolymis congregati, fidei doctrinam declarant: *Visum est enim Spiritui sancto et nobis*, Act. XV. 28.; quibus verbis viva vox ecclesiae haud dubie percipitur.

c) Hoc idem Scriptura significat, ab una parte firmitatem maximam *ecclesiae*, ab altera parte *spiritui privato* mobilitatem attribuens. Firmitatem S. Paulus declarat, haec scribens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores,*

et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Ad Ephes. IV. 11, 12. Mobilitatem autem eorum, qui ecclesiae regulam non sequuntur, indicans: *ut jam* — inquit — *non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae,* l. c. v. 14.; item de haereticis: *semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes,* II. Tim. III 7. Et S. Judas haereticorum characteres describens, ait: *Hi sunt, qui segregant semetipsos,* v. 19.

Arg. II. *Ex traditione.* Ecclesia merito proxima fidei regula putatur, si ab ecclesia dissentire nefas est; si spiritus privatus fidem corrumpit; si tuta norma credendi haberi debet. Atqui veterum testimoniis haec tria confirmantur. Ergo ecclesia est proxima fidei regula. Prob. *minor.*

a) S. Ignatius, martyr, *S. Polycarpus, Hermas* omnesque veteres ab ecclesia dissentire prohibent; cujus facti veritatem testes probant, quos ad unitatem ecclesiae et infallibilitatem probandam citavimus.

b) S. Ignatius, martyr, haereticos impugnans, spiritum privatum hac sententia explodit: „*sibimet ipsis* Jesum Christum admiscent.“ *Trall.* VI. 2. *S. Irenaeus* de haereticis ait: „Unusquisque enim eorum, omnimodo perversus, *semetipsum,* regulam veritatis depravans, praedicare non confunditur.“ *Adv. haer.* lib. III. 3. *Hegesippus* haereticos describens: „qui *seorsum* — inquit — *singuli* (*ἰδίως καὶ ἑτέρως*) *proprias* opiniones (*ἰδίαν δόξαν*) induxerunt.“ Ergo castigantur, quod privatam opinionem publicae ecclesiae doctrinae opponerent. Cf. Eus. E. H. lib. IV. 22.

c) Directa veterum praecepta de norma credendi locupletissima sunt. *S. Irenaeus* haec: „Ecclesiae praedicatio firma et vera regula est, qua una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur.“ *Adv. haer.* lib. V. 20. *Origenes:* „Servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens.“ *Tertullianus:* „Quid autem praedicaverint (Apostoli), id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.“ *De praescr.*

cap. XXI. *S. Ambrosius:* „Sta in ecclesia, ibi firmissima statio tuae mentis est.“ *Ep.* LXXII. ad Vercell. Eccl. n. 41. *S. Augustinus:* „Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.“ *C. ep. Fundam.* cap. V. Denique patres nihil prius aut antiquius duxerunt, quam ut singuli fidem universalis ecclesiae, conciliorum et Rom. Pontificum assequerentur.

Arg. III. *Ex necessitate regulae proximae.* Fidelibus regula opus est, qua credenda *omnia, omnibus omnique* tempore proponi queant. Talis autem regula est sola ecclesia, non Scriptura, neque Christianismus, ut ajunt, primitivus. *Major* satis constat; ad fidem enim non solum requiritur influxus Dei interior, verum etiam *propositio* veritatis exterior, quae sane per revelationem immediatam singulis hominibus non fit. Prob. *minor.*

a) Ecclesia proponere potest: 1° *omnia,* utpote quae et scriptam doctrinam et traditam et utriusque sensum viva voce praedicet. 2° *Omnibus;* etenim tam illiterati quam doctissimi, nullis praemissis studiis, ecclesiam audire facillime possunt. 3° *Omni tempore;* nam ecclesiae vox ante scriptum N. T., ante Scripturae versiones, ante artem typographicam insonuit.

b) S. Scriptura proponere potest: 1° *non omnia,* quia non omnia in sacris Libris scripta, sed quaedam tradita sunt; v. g. dogma inspirationis *talis* Libri, quod ex S. Scriptura non hauritur. Cf. plura, ubi de traditione tractatur. 2° *Non omnibus;* nam „veritas fidei in sacra Scriptura *diffuse* continetur et *variis modis,* et *in quibusdam obscure;* ita quod ad eliciendum fidei veritatem ex sacra Scriptura requiritur longum studium et exercitium, ad quod *non possunt pervenire omnes illi* quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique, aliis negotiis occupati, studio vacare non possunt.“ S. Thom. II. II. 1. art. 9. ad 1. 3° *Non omni tempore.* Et certe plures anni elapsi sunt, antequam Libri omnes N. T. conscripti essent; deinde per saecula quatuordecim, nondum inventa arte typographica, rari libri et cari erant; denique perscrutatio authenticitatis et sensus veri Scripturarum fuit, est ac erit res lon-

gissimi temporis. Cf. quae de S. Scripturis suo loco dicuntur.

c) Christianismus primitivus, etsi religio Christiana procul dubio ab exordio fuit optima, haberi tamen eo loco non potest, ut regula fidei censeatur viva et proxima. Et certe 1° si Christianismus primitivus nusquam authentice continuatur, illa regula, quoniam exquirere historice et scientifice antiquitatem labor est, *non* nisi paucis *proderit,* et post longum tempus et cum periculo plurium errorum. 2° Illa regula *arbitraria* est tum in ponendis Christianismi illius originalis et incorrupti limitibus, tum in adstruenda corruptione cujuscunque ecclesiae subsequentis. 3° *Subvertit* omnino *societatem* fidelium seu ecclesiam, cum abolito vinculo normae permanentis dogmaticum individualismum constituit. 4° Si fides habeatur Christianismo primitivo, fax nobis veri est *ecclesia,* non illa primitiva tantum, sed ea, quam Christus et S. Spiritus incorruptam servant usque ad consummationem saeculi. Cf. arg. I. et II.

Confirmatio. Quam fixa auctoritatis regula necessaria sit, certa facta declarant: Scripturarum interpretatio prorsus absque regula; suus ab unoquoque sensus in sacras Litteras transfertur;[1]) sectae, viva carentes auctoritate, plane lacerae sunt; protestantismus saeculo XVII. rationalismus esse incepit, saeculo XVIII. in deismum lapsus est. Schleiermacher saeculo XIX. ossis aridis in protestantismi campo dixit: *ego intromittam in vos spiritum et vivetis;* sed nequiquam. Nimirum Christianam vitam et affectum evocare conatus est sine dogmate Christiano. Sic amissam veram fidei regulam secuta est amissio fidei: non desunt, qui credunt, in protestantismo *individui;* fides *ecclesiae* protestanticae fuit.

[1]) Protestantes etiam aliqui hoc viderunt. Ita J. S. Banks, ideam referens, quam E. v. Dobschütz, *Probleme des apostolischen Zeitalters* (1903) expresserat, ait: „The Reformation theologians treated Paul as if he were one of themselves. More recent writers do the same. In Neander and Godet Paul is a pectoral theologian, in Rückert a pious supernaturalist, in Baur a Hegelian, in Luthardt orthodox, in Ritschl a genuine Ritschlian." — In period. *The expository Times,* 1904, p. 304.

Objectiones.

Obj. I. Fides est a solo Deo. At si ecclesia est regula fidei, fides non a solo Deo est. Ergo.

Resp. Dist. maj.: Fides est a solo Deo, quantum ad assensum credentis, *conc.;* quantum ad propositionem crediti, *subdist.:* est a Deo principaliter, *conc.;* proxime, *nego.* Homo assentiendo his, quae sunt fidei, supra naturam suam elevatur; jam vero „oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus." S. Thom. II. II. 6, 1. Idem: „dicendum quod ad fidem duo concurrunt. Primo quidem, habitus intellectus, quo disponitur ad obediendum voluntati tendenti in divinam veritatem . . . Et quantum ad hoc fides est a solo Deo. — Secundo requiritur ad fidem, quod credibilia proponantur credenti. Et hoc quidem fit per hominem, secundum quod *fides est ex auditu*, ut dicitur *Rom.* X. 17." I. 111, 1 ad 1.

Urgebis. Fides est ex auditu interiori. Ita propositio ecclesiae supervacanea est.

Resp. Dist. antec.: fides est ex auditu interiori exclusive, *nego;* inclusive, *conc.* Etsi veritas divina, quae interius auditur, *per se* sola est regula conveniens fidei, *nobis* tamen secundum legem Providentiae *ordinariam* veritas divina per lumen fidei interius non manifestatur, nisi adimpleta *conditione ecclesiae veritatem proponentis.* Dixi: secundum legem Providentiae *ordinariam;* quandoquidem ad regulam minime pertinere censentur, quae divinitus *extraordinario* fiunt. Huc spectant, quae S. Thomas de duplici locutione Dei et de duplici hominis auditu scripsit. „Est etiam — ait — quaedam locutio exterior, qua Deus nobis per praedicatores loquitur, quaedam interior, qua loquitur nobis per inspirationem divinam." Porro in his, qui fidem primo acceperunt et docuerunt, sicut in apostolis et prophetis, fides ab auditu interiori oritur; quod idem in aliis nonnullis extraordinario fieri potest. Per exteriorem autem et ordinarium auditum „fides oritur in cordibus aliorum fidelium, qui per alios homines cognitionem fidei

accipiunt". *Quaest. disp. De veritate*, XVIII. art. 3. Ergo ecclesia est fidei regula *visibilis.*

Instabis. Veritas prima proponit et explicat se ipsam et alia credenda. Ergo idem quod supra.

Resp. Dist. antec.: Veritas prima proponit et explicat se ipsam, quantum ad infusionem gratiae, *conc.;* quantum ad determinationem doctrinae, *subdist.:* mediate per ecclesiam, *conc.;* immediate, *nego.* Etsi fides nostra non habet auctoritatem, nisi a revelatione Dei Patris per Filium et Spiritum sanctum, ordinaria tamen Providentia, quaenam res credendae sint et quonam sensu, cognoscitur audiendo ecclesiam. Cf. S. Thom. *In Sent.* IV. dist. 4, q. 2, art. 2. q. 6. 3. ad 1.; II. II. 5. art. 3. Quare a Cajetano ecclesia verissime vocatur *ministra objecti fidei.*

Obj. II. Catholici credunt tanquam de fide, ecclesiam esse regulam fidei. At hujus articuli regula esse nequit ecclesia. Ergo ecclesiae regula ad omnia credenda non extenditur. *Prob.* min. Si credimus ecclesiam, quia sese proponit credendam, ecclesiae auctoritas, de qua est controversia, supponitur.

Resp. Dist. probationem minoris: si credimus ecclesiam, quia sese proponit credendam, ecclesiae auctoritas supponitur, alibi argumentis probata, *conc.;* gratis, *nego.* Ecclesia in diverso genere videtur et creditur. Cf. quaest. III art. 2. Videtur autem evidentia credibilitatis; cujus evidentiae *conditione* adimpleta, fidelis per fidei gratiam „inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, *doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata.*" II. II. 5. art. 3. Porro sicuti alia luce non opus est, ut lux ipsa videatur, ita nec alia atque ecclesia fidei regula requiritur, ut ipsa ecclesia credenda proponatur.

Instabis. Ecclesiam esse fidei regulam, catholici probant ex S. Scriptura, ut est liber inspiratus, inspirationem vero S. Scripturae ex ecclesiae auctoritate, uti est regula fidei. Id autem est circulus vitiosus.

Resp. Dist. maj.: catholici hac argumentandi ratione utuntur adversus eos, qui S. Scripturae inspirationem respuunt, *nego;* inter eos, qui inspirationem profitentur, *conc.*

Sub eadem distinctione *nego* min. et concl. Catholici disputantes adversus eos, qui inspirationem rejiciunt, ecclesiae auctoritatem ex S. Scriptura, ut est *liber historicus*, probare consueverunt, ex ecclesiae vero auctoritate, sic argumentis confirmata, Scripturarum inspirationem. In controversiis autem, quae cum protestantibus orthodoxis aut inter theologos catholicos habentur, inspiratio adversus illos *ad hominem* assumitur, inter hos vi principiorum fidei, de quibus inter theologos catholicos convenit. Sed ea theologorum disputatio fidelibus firmandis instituitur, non suadendis incredulis.

Obj. III. *Joan.* V. 39. Christum Judaeis dixisse legimus: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Atqui haec verba S. Scripturam proximam fidei regulam esse significant, non ecclesiam.

Resp. Dist. maj.: haec locutus est Christus, ut *ad hominem* incredulos convinceret, *conc.;* ut fidelibus fidei regulam statueret, *nego.* Min. et concl. *nego.*

Vocabulum *scrutamini*, graece ἐρευνᾶτε, per se in modo imperativo vel in modo indicativo dictum esse intelligitur. Hoc autem dato, vocabulum esse modo imperativo, nulla tamen Christianis regula praescribitur, sed Judaei, Christi praedicationem rejicientes, invocato Scripturarum, quibus gloriabantur, testimonio, *ad hominem* confutantur. Non secus ac si Christus diceret: „fructum quem in Scripturis putatis habere, scilicet vitam aeternam, consequi non poteritis, quia testimoniis Scripturae de me non credentes, *non vultis venire ad me;* id est, non vultis credere mihi, in quem est fructus illarum Scripturarum, ut in me *vitam habeatis,* quam ego do credentibus in me.“ S. Thom. *Expos. in Joan.* cap. V. lect. VI. n. 11. Cf. Matth. XII. 3.; XIX. 4.; XXI. 16.; XXII. 31, 32.[1])

[1]) Field, philologus celeber, in opere, quod inscribitur *Notes on the translation of the New Testament* imperativam formam textus nostri absolute defendit, quasi religio reformata in imperativo concluderetur. Ipsi sapienter responsum est: „Il y a de la passion dans la façon dont Field soutenait la forme impérative du fameux *Scrutamini Scripturas* (Jo. V. 39) qui lui paraissait comme la raison d'être

Instabis. *Act.* XVII. 11. Judaei Beroeenses nobiliores laudantur, *qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Itaque laudantur, quod doctrinam apostoli ad S Scripturas exegerint. Ergo S. Scriptura est proxima fidei regula.

Resp. *Dist.* antec.: haec scrutatio facta est ante conversionem, *conc.;* post conversionem, *subdist.:* ut fidem dubitative examinarent, *nego;* ut magis magisque in fide confirmarentur, *conc.* Et sane, etiamsi Beroeenses Scripturam scrutantes jam fideles fuerint, nihil sequitur; nam catholici etiamnum Scripturas scrutantur, v. g. V. Testamenti vaticinia, quo credibilitatis motiva profundius penetrent. At S. Lucas narrat, Beroeenses generatim suscepisse *verbum cum omni aviditate, scrutantes Scripturas*; deinde addit, *multos ex eis*, πολλοὶ μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν, credidisse. Examen igitur institutum videtur, antequam Beroeenses religionem Christianam amplecterentur.

Obj. IV. Fidei regulam oportet esse incorruptam. Jam Christianismus stricte originalis seu primitivus incorruptus est. Hic igitur nobis regula fidei erit.

Resp. *Dist.* min.: Christianismus primitivus incorruptus est atque in ecclesia incorruptus perseverat, *conc.;* in nullo coetu integer permanet, *nego.* Grétillat, auctor individualismi dogmatici, tria, quae non probat, asserit. Tenet, Christianismum primitivum esse propriam fidei regulam; at quis Christianismum illum, si nusquam continuetur, interrogare queat, et ubi, saltem sine maxima scientia, non video. Dein falsum illud, doctrinam Christi incorruptam in nullo coetu perennare: imo contra probavimus, infallibilitatem ecclesiae donatam divinitus. Nihil denique distinguit inter ea, quibus mutatur doctrinae essentia, et ea, quibus immutata progreditur et ad hominum vitam applicatur. De quibus art. 4. plura.

---

de la Réforme. L'opinion catholique ne s'oppose nullement *en principe* à ce sens, car l'Église catholique recommande, elle aussi, l'étude de la Bible." *Rev. Bibl.* 1899, p. 640. — Cf. Calmes, *L'Evangile selon saint Jean* (1904) in hunc locum.

Articulus III.

Utrum ecclesia sit judex controversiarum.

I. Infallibilitatis connexio cum judicio controversiarum. Quaestio habetur de judicio *definitivo* controversiarum *in rebus fidei vel morum*. Jam vero hujusmodi judicium infallibilem auctoritatem postulare, probant natura *judicii recti*, fidei indoles atque dignitas Scripturarum sanctarum.

1° Ac primum *judicii rectitudo* „in hoc consistit — ait Angelicus — quod vis cognoscitiva apprehendat rem aliquam secundum quod in se est. Quod quidem provenit ex recta dispositione virtutis apprehensivae." Jam recta illa dispositio contingit „directe ex parte cognoscitivae virtutis . . . indirecte ex bona dispositione appetitivae virtutis." II. II. 51. art. 3. ad 1. Sed fides, cujus objectum proprium est *essentia Dei*, ab una parte vim cognoscitivam naturalem excedit; ab alia parte hominum de veritatibus fidei judicium inordinatis superbiae et concupiscentiae motibus valde corrumpitur. Vis ergo cognoscitiva judicis controversiarum altiori lumine dirigenda est, atque appetitiva virtus superiori virtute compescenda. Utrumque autem efficere potest Spiritus Dei, in dirimendis controversiis infallibiliter assistens ecclesiae.

2° *Fidei indoles* absolutam certitudinem judicii definitivi exposcit; fidei enim certitudo dubium quodcunque excludit. Atqui „in omni judicio — ait Angelicus — ultima sententia pertinet ad supremum judicatorium: sicut videmus in speculativis quod ultima sententia de aliqua propositione datur per resolutionem ad prima principia; quamdiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipsum potest examinari id de quo quaeritur: unde adhuc est suspensum judicium, quasi nondum data finali sententia." I. II. 74. art. 7. Ideo, cum sententia finalis in rebus fidei soli Deo competat, nulla auctoritas fallibilis, sed infallibilis ecclesia, per quam veritas prima sese hominibus manifestat, potest esse *supremum* in controversiis de fide *judicatorium*.

3° *Ea Scripturarum dignitas* est, ut *verbum Dei* esse vere credatur. Atqui judex controversiarum de verbo Dei ipse Deus sit oportet. Nam „certum judicium — ait Angelicus — de re aliqua maxime datur ex sua causa. Et ideo secundum ordinem causarum oportet esse ordinem judiciorum: sicut enim causa prima est causa secundae, ita per causam primam judicatur de causa secunda. De causa autem prima non potest judicari per aliam causam. Et ideo judicium, quod fit per causam primam, est primum et perfectissimum." II. II. 9. art. 2. Causa vero prima controversias de sensu verbi sui, in S. Scripturis prolati, dirimit infallibilis ecclesiae ministerio.

II. Protestantium sententiae quatuor. In protestantium castris omnes intenti nervi, ne libertas evangelica, ut ajunt, ecclesiae judiciis vinciatur. Verum alii aliud sentiunt. 1° Sociniani, ut e *Catechismo* Fausti Socini, Senensis (1539–1604), apparet, fidei lites *ratione humana individua* componendas asserunt. 2° Lutherani et Calvinistae controversias quascunque *sola S. Scriptura* dirimendas esse contendunt; addunt tamen plerique ex iis, S. Scripturam judicem esse, quatenus ipsam interpretatur, non spiritus privatus uniuscujusque hominis, sed *Spiritus Dei, qui privatis hominibus affulget.* 3° Ecclesiae constitutae Anglicanae articulo 20. statuitur: *Habet ecclesia . . . in fidei controversiis auctoritatem;* at articulum ita interpretantur, ut singulis potestas *dubitative* explorandi, etiam facto ab ecclesia judicio, relinquatur. 4° Puseyitae controversias ecclesiae auctoritate finiendas esse, in abstracto non negant, nullam tamen ecclesiam, quae judicis infallibilis munere fungatur, in concreto designant. Atque ne longus sim, judex *objectivus,* qui *solus et obligatorie* controversias dirimat, a protestantibus generatim respuitur.

Aetatis nostrae protestantes rationalistae lumen, qua Christianus credit, intus lucere affirmant, quavis exclusa auctoritate, quae foris illuminat. Quod ut nobis persuadeant, sensum suam *exclusivum* Christi sententiis apponunt. Scilicet Dominus locutus est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* Matth. V. 8; iterum: *Lucerna corporis*

tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt: ipsae tenebrae quantae erunt? Matth. VI. 22. 24. Quae si exclusive interpretemini, eo spectant, ut etiam S. Scripturae auctoritatem et quodvis dogma excludant. Atque id est unicum dogma *religionis*, ut ajunt, *Spiritus* (religion de l'Esprit), quae cunctarum *religionum auctoritatis* est antithesis, in quantum nullam doctrinam fixam a Christo, vel a Scripturis, vel ab ecclesia accipit, sed *spiritum* Jesu, ejus *mentem* et *conscientiam religiosam*.

III. Catholicorum sententia. Judicium definitivum et supremum in fidei controversiis, sive de veritatibus traditis sive de scriptis, ecclesiae competere, catholicorum consentiens doctrina est. Duo tamen hac in re observanda sunt. 1° Ecclesia in sententiis ferendis S. Scripturam non excludit, sed interrogat; eamque *non facit*, sed ultima vivaque interpretatione fidelibus *proponit*. 2° Ecclesia controversias dirimit, eo munita infallibilitatis charismate, de quo antea dictum est. 3° Propositio ecclesiae minime excludit internam motionem gratiae et dispositiones atque *oculi lucidi cordis puri*.

Thesis: *Ecclesia est judex controversiarum.*

Argumenta.

Arg. 1. *Ex S. Scriptura.* N. T. ecclesiam controversiarum judicem esse ostendit; idemque V. T. testimoniis confirmatur. Quod sic probatur.

a) N. Test. effatis ecclesiam fidei *magistram* et *regulam proximam* esse probavimus. Atqui in utriusque ratione judicium de litibus fidei vere concluditur. Enimvero nihil fidei *magistrae* et *regulae* magis competit, quam ut homines concertantes et agitatos animos liberet angustiis dubitandi.

b) In V. T. legitur: *Interroga sacerdotes legem*, Agg. II. 12.; item: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus*, Malach. II. 7.; cf. Deut. XVII. 10.; Ezech. XLIV. 15—23. Atque Salvator ait: *Super cathedram*

Moysi sederunt Scribae et Pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate, et facite. Matth. XXIII. 2, 3. Quibus verbis sacerdotium V. T. controversiis religiosis dirimendis praefuisse videtur. Atqui in N. T. est longe major hujusmodi judicii necessitas ob Christianorum ingentem multitudinem et revelatorum sublimitatem et copiam. Ergo ecclesiam *a fortiori* controversiarum judicem haberi necesse est.

Arg. II. *Ex traditione. a)* Veterum testimoniis constat, ecclesiam esse fidei regulam; atqui controversiae haud dubie per vivam fidei regulam finiendae sunt. *b)* Conciliorum acta et Romanorum Pontificum gesta demonstrant, controversias quascunque ab ecclesiae primordiis conciliorum et Pontificum Summorum auctoritate esse finitas. *c)* Quod idem paucis antiquorum confirmo sententiis. *S. Irenaeus* de haereticis, ecclesiae praedicationem non custodientibus, ait: „Juste cadent in sublatentem ignorantiae foveam, *semper quaerentes*, et nunquam verum invenientes.“ *Adv. haer.* lib. V. 2.; cf. lib. III. 24. *Tertullianus* examen privatum his rejicit: „Ubi enim erit finis quaerendi? Ubi statio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit, quaerite et invenietis.“ *De praescr.* cap. XXX. *S. Hieronymus:* „Poteram omnes propositionum rivulos uno ecclesiae sole siccare.“ *Dial. contra Luciferian.* cap. II.

Arg. III. *Ex necessitate.* Ut controversiae *definitive* dirimantur opus est judice certo, objectivo et obvio. Hic autem judex *a)* non est 1° ratio humana individua, nec 2° status, neque 3° S. Scriptura cum spiritu privato, neque 4° S. Scriptura cum Spiritu sancto in spiritu privato, neque 5° aliqua ecclesia fallibilis, sed *b)* est sola ecclesia catholica. Ipsa igitur est judex controversiarum. *Maj.* satis liquet; judex enim *certus* requiritur, ne dubitandi locus relinquatur; *objectivus*, ut subjectorum multitudinem uniat; *obvius*, quem omnes adire possint. Prob. *min.*

a) Non est 1° *ratio humana individua*, quae judex *certus* censeri nequit. Etenim fidei mysteria captum rationis humanae excedunt; atqui judicium de veritatibus sic ex-

cedentibus prorsus incertum est. Neque ratio individua judex *objectivus* haberi potest. Postremo judex *obvius* non est, siquidem homines ingenio, dispositione et tempore, quae ad haec judicia requirerentur, ut plurimum carent. Cf. *Rom.* XI. 13.; II. Cor. X. 5.

2° *Nec status.* Caesaro-papistarum sententia seponi debet; cum nulla principatui civili potestas in rebus fidei concessa sit. Id postea argumentis confirmabitur.

3° *Neque S. Scriptura cum spiritu privato.* Namque ille judex non est *certus pro nobis;* primo, quia multoties praecise de vero Scripturae sensu disputatur; deinde, quia usu venit, ut de veritatibus non scriptis sed traditis lites exoriantur. *Objectivus* non est, quia liber est judex mortuus, qui nec litigantium utriusque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet. Cf. Canus, *Loci theol.* lib. III. 7. *Obvius* non est, tum quia scientia sufficiens *authenticitatis* et *sensus* sacrorum Librorum ob mentis et cordis defectum, ob temporalium curam etc., a maxima saltem hominum parte acquiri non potest; tum quia S. Scriptura interdum obscura est, ut docet S. Petrus, de Pauli epistolis haec affirmans: *in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant.* II. Petr. III. 16. Cf. S. Thom. II. II, 1, art. 9. ad 1.

4° *Neque S. Scriptura cum S. Spiritu in spiritu privato.* Ille judex non est *certus,* primo, quoniam istud S. Spiritus judicium gratis asseritur; deinde, quia satis ineptum est, S. Spiritum privatis addicere, pernegare universali ecclesiae. *Objectivus* non est, tum quia limites S. Spiritus et spiritus privati nullo signo visibili designantur, tum quia alii ad dogma credendum alii ad rejiciendum S. Spiritus judicium internum allegant, eoque saepius eventu, ut suas singuli ineptias suaque somnia S. Spiritui imputantes prorsus desipiant. Non est *obvius;* ecquis enim est, qui, controversias finiturus, S. Spiritum cum adversariis adeat?

5° *Neque aliqua ecclesia fallibilis.* Hujusmodi judex non est *certus,* ut patet. Neque *obvius* est; etenim cum ecclesiae fallibiles plurimae reperiantur, ignoras penitus, quam adiri oporteat.

b) Sola ecclesia catholica controversiarum judex haberi debet. 1° Ecclesia est judex *certus;* hujus autem certitudinis fundamentum est infallibilitas. Error enim judicii aut ex ignorantia nascitur, aut ex pravitate affectus, aut ex contradicentium pertinacia. Atqui S. Spiritus a quo ecclesia regitur, — ut ex antea dictis manifestum est — hasce falsi judicii causas diluit: videlicet ignorantiam docendo vera; pravitatem affectuum inclinando corda (Prov. II. 2.); adversariorum constantiam ea firmitate, qua ecclesia *columna et firmamentum veritatis* I. Tim. III. 15. efficitur. Cf. S. Thom. *In Isaiam,* Prol. Hier

2° Judex *objectivus* est, quia S. Spiritus ecclesiae docentis seu hierarchiae corpori assistit, non spiritui privato. *Obvius,* quia credendorum cognitio via auctoritatis facilius, inquisitione dogmatum privata difficillime comparatur.

Confirmatio *ex historia,* quae rem eandem pene sub oculis subjicit. Etenim nemo jam ignorat, protestantium de controversiis finiendis systemata lites fere infinitas, sectarum colluviem, confusionem et incredulitatem in ipsis sectis peperisse. Deinde, ut quisque interpretatione privata maxime fidebat, ita vehementissime in Scripturis exponendis aberravit; prout Joannes Fisher saeculo XVI. novatoribus ostendit in libro, qui inscribitur *Assertionis lutheranae confutatio.* Longe aliter ecclesia catholica, quotquot lites exortae sunt, in viva sua permansit unitate.

Regulae catholicae praestantia multis acatholicis — uti Newman, Manning — primum indicium externum fuit, unde sperabant fore ut veritatem et pacem in ecclesia Romana amplecterentur. Novissime A. Sabatier, qui usque ad mortem (die 12. Aprili 1901) protestantismi moderni doctor celebratissimus fuit, in opere posthumo systema catholicum circa auctoritatem infallibilem systemati reformatorum de sola Scriptura omnes in partes praecellere declaravit.[1])

[1]) Auctoris verba, in quibus sunt vera mixta falsis, haec: „Or, à quelque point de vue que l'on examine les deux systèmes, l'avantage est sans contredit du côté du catholicisme. L'Église a cette première supériorité sur la Bible d'être un organisme social, vivant,

Objectiones.

Obj. 1. Controversiae verbo Dei dirimendae sunt. Sed S. Scriptura est verbum Dei. Haec igitur judex erit.

Resp. Dist. maj.: controversiae dirimendae sunt verbo Dei, quod a judice vivo proponitur, *conc.*; quod libro tantum proponitur, *nego.* Et *dist.* min.: S. Scriptura est verbum Dei, excludens verbum traditum, *nego;* secus, *conc.* Et *nego* conclusionem. „Tria enim — ait Angelicus — requiruntur in judicio. Primo, quod judex sumat judicandum. Secundo, quod consideret merita causae. Tertio, quod proferat sententiam suam.“ *In ps.* XXXIV. n. 16 Haec autem nullus unquam liber, cum sit judex mortuus, praestare potuit.

Instabis. S. Scriptura facilius adiri potest, quam ecclesia. Ergo S. Scriptura est judex obvius. Patet antec. Nam judicia ecclesiae solemnia et definitiva sunt labor operosus.

Resp. Dist. antec.: S. Scriputra facilius adiri potest quam ecclesiae judicium ordinarium, *nego.;* quam judicium solemni, *subdist.:* ut judex, *nego;* ut liber sacer, *conc.* Responsum ad cetera liquet.

Judicium ecclesiae ordinarium praesto est in quotidiano magisterio ecclesiae; id quidem credentibus dirigendis sufficit. Exortis autem gravioribus controversiis, solemnia ecclesiae judicia suo labore non carent. At ita lis dirimitur.

---

contemporain, souple, en état de parer à toutes les questions nouvelles, d'évoluer enfin habilement sans jamais se démentir, grâce au principe d'inspiration qu'elle retient dans son sein. Elle peut se montrer tolérante à l'égard de ce qu'elle ne peut empêcher, fermer les yeux sur ce qu'il importe de ne pas voir, bref, se conduire dans le gouvernement des esprits avec toute la liberté, la prudence et la patience des gouvernements qui sont assurés d'avoir le temps pour eux . . . En second lieu, le système catholique a bien plus de grandeur. Autre chose est de raisonner sur la valeur d'un livre, autre chose de créer à travers dix-huit siècles d'histoire, par une série ininterrompue d'efforts et de luttes, un empire religieux comme celui de Rome.“ *Les religions d'autorité et la religion de l'esprit,* (3. édit.), p. 306—307.

S. Scriptura adiri quidem potest, hisce saltem temporibus et in regionibus, ubi ars legendi librorumque abundantia concurrunt; verum *ut judex* adiri non potest, cum judex non sit. Quare Canus: „Quodsi in humana aliqua republica talis judiciorum esset forma descripta, ut nulli essent judices vivi, sed solis exaratis litteris controversia finiretur; praeterquam quod forma judicandi stultissima esset, nullus etiam esset litigandi finis.“ *Loci theol.* lib. III. 7.

Urgebis. II Tim. III. 16. legitur: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Ergo S. Scriptura plurimum valet ad componendas lites fidei.

Resp. Dist. antec.: S. Scriptura ad haec utilis est, explicata ab ecclesia, *conc.;* a spiritu privato, *nego.* Responsum patet ex dictis.

Obj. II. S. Paulus I. *Cor.* II. 15. docet: *Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Atqui in systemate catholicorum spiritualis nihil judicat, sed ecclesiae judicandus traditur. Falluntur ergo, qui ecclesiam judicem controversiarum faciunt.

Resp. Dist. maj.: spiritualis a Paulo dicitur, qui ecclesiam non audit, *nego;* qui ipsam audit, *subdist.:* et is judicat dogmata ecclesiae, *nego;* alia plura, *conc.* Ab apostolo homo *spiritualis,* πνευματικός, *carnali* (σαρκικός) opponitur; πνευματικός autem est homo justificatus, sub gratia vivens; *carnalis* desideria carnis perficit. Cf. Gal. V. 19—21.; Rom. VII. 14.; S. Thom. *in I. Cor.* cap. III. lect. III. *Spiritualibus* autem spernendae ecclesiae potestatem ab apostolo non concedi est luce clarius

Urgebis. Quod apostolis non licuit, id ecclesiae tribuendum non est. Jam apostoli in fidei litibus judicis auctoritatem sibi non attribuerunt; nam S. Paulus ad Corinthios scribit: *non quia dominamur fidei vestrae.* II. Cor. I. 23.

Resp. Dist. min.: apostoli sibi non attribuerunt auctoritatem tyrannicam, *conc.;* apostolicam, *nego.* Et huc redit divi Pauli ad Corinthios sententia. Apostoli suis in epistolis et in concilio Hierosolymitano, et speciatim S. Paulus

in utraque ad Corinthios epistola, lites, de fide exortas, cum auctoritate composuerunt. Ergo dominatus superbiae, non auctoritas, a Paulo rejicitur; atque vox κυριεύομεν, *dominamur*, eo sensu accipienda est, quo Servator ait: *Reges gentium dominantur* (κυριεύουσιν) *eorum*, Luc. XXII. 25.; et S. Petrus: *neque ut dominantes* (καταχυριεύοντες) *in cleris*, I. Petr. V. 3.

Dices. Religio vera est religio Spiritus Christi. Spiritus autem Christi est lex libertatis et visio, quam non cognoscit oculus nequam, sed quae oculo lucido oboritur et mundis corde. Hoc est illud Jacobi I. 25.: *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.*

Resp. Dist. maj.: Et spiritus Christi legitimam auctoritatem magisterii excludit, *nego;* eam exigit et sancit, *conc.* Spiritus Christi, juxta philosophiam religionis modernam, est Christi „religiositas", quam primus ipse vixit et vivendo nobis tanquam semen evolvendum exhibere non desinit. Sed falso supponunt Christum nihil circa dogmata auctoritatemque praecepisse. In thesi de constitutione ecclesiae hierarchica et in hisce de magisterio articulis contrarium probatur. Sententiae vero Domini de *mundis corde* et de *oculo lucido*, cum systema catholicum sequimur, profundius etiam in vitam religiosam penetrant, prout legentibus Aquinatis in Mattheum commentarium facile patebit. Ac in textu S. Jacobi nihil de magisterio, nec pro nec contra, sed aliqua tantum, ut opinor, comparatio inter Evangelicam legem et Mosaicam.

Articulus IV.

Utrum numerus credendorum per ecclesiae magisterium augeri possit.

I. Credendorum triplex respectus. Credendum intelligimus quidquid a Deo revelatum est, *universae ecclesiae* fidei obsequio complectendum. Revelationes autem privatae, etiamsi unquam fide divina credi possint aut debeant, *ad depositum fidei ecclesiae non pertinent*, nec ut

tales ab ecclesia comprobantur. Porro credenda consideranda sunt 1° quantum ad prima credibilia; 2° quantum ad veritates, quae novis revelationibus a Deo hominibus proponuntur; 3° quantum ad explicationem revelatorum per ecclesiae magisterium.

1° *Prima credibilia* dicuntur, in quibus omnes fidei articuli implicite continentur. Haec autem credibilia ad duo universalissima principia reducuntur, scilicet Deum esse et habere curam de aeterna hominum salute. De hoc Aquinas: „In esse enim divino includuntur omnia quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiae includuntur omnia quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem.“ II. II. 1. art. 7. Cf. de fide implicita Mediatoris in fide divinae Providentiae, l. c. 2. 7. ad 3. Atqui haec duo prima credibilia seu *substantia fidei* omnibus quovis tempore credenda fuerunt. Credendorum igitur numerus, quantum ad fidei substantiam, sub ecclesiae magisterio minime crevit.

2° *Veritates, quae novis revelationibus a Deo proponuntur,* sunt primorum credibilium *divinitus data propositio explicatior.* Quae quidem credenda „secundum tres temporum distinctiones, scilicet ante legem, sub lege et sub gratia“ numero creverunt, immutata tamen, ut liquet, fidei substantia, sine qua ecclesia Dei a generis humani primordiis nunquam fuit. Conf. S. Thom. II. II. 1. art. 7.; 174, 6. At post Christum et completam in apostolis revelationem Christi numerus credendorum *sub hoc secundo respectu* crescere non potest.

3° Quantum ad explicationem revelatorum per ecclesiae magisterium, credendorum numerus augeri potest *non in se* seu *in actu primo,* sed *quantum ad nos* seu *in actu secundo.* — Nostra thesi solum agitur de hoc augmento post completam in apostolis revelationem Christi.

II. Incrementum credendorum quantum ad nos per ecclesiae magisterium. Ut aliqua fidei veritas credatur, opus est testificatione divina, qua constituitur credendum *in se;* et sufficiens divinae testificationis propositio,

qua efficitur credendum etiam *quoad nos*. Quod idem hac sententia Conc. Vaticani continetur: „fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur." *De fide cathol.* cap. III. Quo fit, ut ecclesia *nove non nova* proponat, omneque credendorum incrementum a novo proponendi modo, non a novitate doctrinae, proficiscatur. Quibus positis fieri potest, ut credendorum numerus crescat quantum ad nos; etenim quae veritates, ab ecclesia nondum determinatae, aliquando citra fidei dispendium in controversiam vocantur, eas, ecclesiae auctoritate determinatas, in dubiis habere aut inficiari nefas est. Cf. S. Thom. II. II. 11. art. 2. ad 3.

Credendorum autem determinatio et propositio explicatior fit trifariam.

1° In praedicatione apostolica poterant proponi *universalia*, quorum singularia, aut *complexa*, quorum elementa constituentia progressu temporis ortisque dubiis per ecclesiae magisterium explicite proponenda essent; sic sufficiebat doctrina de necessitate gratiae ad omne opus bonum in via salutis, ut adversus Semipelagianos definiretur eadem necessitas ad initium fidei; item doctrina: Christus Deus et homo est, ut multa de utraque natura possent, orta necessitate, definiri.

2° In praedicatione apostolorum poterant contineri aliqua, primum a fidelibus *obscurius* et confuse tantum intellecta aut *simplicius* enuntiata, progressu temporis *distinctius intelligenda* aut *strictius declaranda:* in illo genere sunt multa praenuntiata de futuris, v. g. de glorificatione ecclesiae adhuc militantis; in hoc complures formulae, quas concilia statuerunt.

3° Poterant denique aliqua dogmata proposita esse magis usu *practico* et consuetudine ecclesiarum quam diserta doctrina, quorum tamen diserta praedicatio vel solemnis definitio deinceps fuerit necessaria, ut patet in controversia de potestate conferendi valide sacramenta extra ecclesiam. Ita Franzelin, *De div. traditione*, sect. IV.

th. XXIII.; conf. Schäzler, *Die Bedeutung der Dogmengeschichte*, §. 6.

III. Errores contra thesin aut excedendo aut deficiendo peccant. 1° Excessus notatur in *Syll.* prop. 5.: „Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.“ Item Conc. Vatic. *De fide et ratione*, can. III. „Si quis dixerit, fiere posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit Ecclesia; a. s.“ 2° Per defectum ab iis peccatur, qui fidem in se mutatam contendunt, quotiescunque ecclesiae pastores necessarium esse censuerint, easdem omnino veritates explicatius proponere aut solemniter asserere. Nec enim progressum admittere flagitium est, modo ut progressus explicatione et propositione, non mutatione fiat.

De variis conceptibus evolutionis doctrinae Christianae postea.

Thesis: *Credendorum numerus per ecclesiae magisterium augeri potest quantum ad nos.*

Argumenta.

Arg. I. Ad ecclesiae magisterium pertinet, exortis controversiis aut quavis urgente necessitate, fidem determinare. Atqui hujusmodi determinatione credendorum numerus quantum ad nos augetur. *Major* constat ex antea dictis. Probatur *minor*. Ante determinationem ecclesiae fieri potest, ut nonnulla doctrinae capita, secundum aliquos respectus nondum expresse ab ecclesia proposita, ab aliquibus in controversiam vocentur, juxta illud: in dubiis libertas. Sed ecclesia expresse locuta, dissentiendi libertas non conceditur. Hoc est illud quod Aquinas ita brevi complectitur: „aliqui doctores dissensisse videntur . . . in quibusdam ad fidem pertinentibus quae nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiae determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, haereticus censeretur.“ II. II. 11. art. 2 ad 3.

Arg. II. *Ex traditione.* Credendorum numerum per ecclesiae magisterium augeri quantum ad nos, idem est atque unam alteramve doctrinam, absque ulla mutatione ex parte rei, transire ex parte hominum a statu liberae controversiae in certitudinem indubiam. Eam autem transitionem posse suo magisterio fieri, ecclesia semper credidit, uti ex sequentibus manifestum est.

a) Ex veterum sententiis. *Origenes* distinguit inter ea, „quae manifestissime in ecclesiis praedicantur, quae definita sunt in ecclesiastica praedicatione, de quibus totius ecclesiae una est sententia, et inter alia, quae sunt adhuc inquirenda de sacra Scriptura et sagaci perquisitione investiganda, quae non manifeste discernuntur, quae non satis manifesta praedicatione distinguuntur, quae non sunt evidentia in ecclesiastica praedicatione." *De princ.* praef. — *S. Augustinus* de S. Cypriano et rebaptizantibus agens, ita loquitur: „Nondum enim erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata... Postea tamen, dum inter multos ex utraqua parte tractatur et quaeritur, non solum inventa est (veritas), sed etiam ad plenarii concilii auctoritatem roburque perducta." *De bapt.* lib. II. 12—14. — *S. Vincentius Lerinensis* ait: „Christi ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit . . . sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam confirmata et definita, custodiat." *Commonit.* cap. XXIX.

b) Ex praxi ecclesiae. Concilia oecumenica et constitutiones dogmaticae Romanorum Pontificum id effecerunt, ut ea, quae prius tam explicite non credebantur aut a nonnullis bona fide in dubium revocabantur et etiam negabantur, per ecclesiae magisterium diserte et solemniter sancirentur. Quo factum est, ut veritates antiquae ulteriori ecclesiae determinatione *respectu nostri* certissimae fierent, ut patet ex historia dogmatis de baptismate non iterando, immaculatae Conceptionis, infallibilitatis Pontificiae.

Objectiones.

Obj. I. Ecclesia credenda facere non potest. At si credendorum numerus per ecclesiae magisterium augeretur, ecclesia credenda faceret.

Resp. Dist. maj.: ecclesia credenda facere non potest in actu primo, *conc.;* in actu secundo, *nego.* Quodvis doctrinae caput credendum dicitur *in actu primo* ob testificationem divinam; *in actu secundo,* in quantum hominibus ab ecclesia definitive proponitur. Jam vero exortis nonnunquam de testificatione divina controversiis, res ab ecclesia finitur, in quantum determinat *pro nobis,* quae *in se* credenda semper fuerant.

Instabis. Si ecclesia proponendo possit facere credenda, aliquod doctrinae caput esset verum, quia ecclesia hoc proponit. At contra magisterium ecclesiasticum doctrinam proponit, quia vera est. Hoc autem est circulus.

Resp. Dist. maj.: per propositionem ecclesiae aliquod doctrinae caput *cognoscitur* ut verum, *conc.; fit* verum, *nego.* Quoniam nulla credendorum determinata formula, etsi amplissima, quibuslibet tot saeculorum litibus componendis sufficiat, plura adversus errores insurgentes, et ut dubia penitius declarentur, disertis verbis determinanda sunt; quo fit ut certius *cognoscantur,* quae revelatio et fidei regula remota, hoc est, S. Scriptura et traditio, semper continebant, quamvis ecclesia, quae est proxima fidei regula, doctrinas illas tam expressis verbis nondum exposuisset. „Ad hanc definitionem — ait Suarez — satis est, ut aliqua supernaturalis veritas in Traditione vel Scriptura implicite contenta sit, ut crescente communi consensu Ecclesiae, per quam saepe Spiritus sanctus Traditiones explicat, vel Scripturam declarat, tandem possit Ecclesia definitionem suam adhibere, quae vim habet cujusdam revelationis, respectu nostri, propter infallibilem Spiritus sancti assistentiam.“ *De Incarn.* p. II. disp. III. sect. VI. 4.

Obj. II. In fide nihil innovandum. Fides autem multiplicatis credendis innovatur. Ergo credenda non augentur.

Resp. Dist. maj.: nihil est innovandum in fide, quantum ad sensum, *conc.;* quantum ad verba, *nego.* Ecclesia dogma *in se* novum nullum procudit, sed novis formulis opus est, ut antiqua dogmata contra novos errores determinentur. Quare S. Thomas: „Ad inveniendum autem nova nomina antiquam fidem de Deo significantia coegit necessitas disputandi cum haereticis." I. 29. art. 3. ad 1.

Instabis. Christus venit *adimplere*, Matth. V, 27. Itaque nullus post Christum fidei progressus ratus habetur.

Resp. Dist. conseq.: post Christum ratus ducitur nullus progressus materialis, *conc.;* nullus progressus formalis, *nego.* Progressus materialis habetur, ubi fidei materia *in se* adaugetur; progressus formalis adest, si eadem fides per ulteriorem ecclesiae definitionem, quantum ad nos explicatur expressius. Quae quidem explicatio ex intima ecclesiae conscientia, non aliunde, profluit; „in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia." Cf. Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*, cap. IV.

Urgebis. Fidei veritas in doctrina Christi et apostolorum sufficienter explicata est. Explicationes igitur novae admitti nullo modo possunt.

Resp. Dist. antec.: in doctrina Christi et apostolorum veritas fidei sufficienter explicata est per se, *conc.;* per accidens, *nego.* Labentibus saeculis, dubia plurima ex debilitate intellectus vel ex haereticorum vafritia coorta sunt; et „quia perversi homines apostolicam doctrinam et ceteras Scripturas *pervertunt ad sui ipsorum perditionem*, sicut dicitur II. Petr. ult.; ideo necessaria est, temporibus procedentibus, explanatio fidei contra insurgentes errores." S. Thom. II. II. 1. art. 10. ad 1. Haec est illa norma Lerinensis: *quum dicas nove, non dicas nova.* Common. cap. XXVII.

Quaeres I. Utrum apostoli fidei dogmata minus distincte cognoverint, quam ecclesia subsequens.

Resp. Negative, quantum ad explicitam intelligentiam proprii sensus dogmatum; quin imo contrarium a theologis catholicis communiter reprobatur etiam ut temerarium, vel, ut aliqui dicunt, etiam erroneum. „Aliae vero — inquit Suarez — sunt propositiones contingentes, quae tempore

Apostolorum nondum evenerant, ut quod iste sit Pontifex, quod hoc sit verum Concilium, et similes, et has non oportuit cognosci ab Apostolis explicite, sed tantum in universali, quia non erat necessarium illis revelari omnia futura." *De fide*, disp. II. sect. VI. 18.; cf. Sylvium in II. II. 1. art. 7.

Quaeres II. Utrum veritates fidei ante solemnem ecclesiae definitionem esse *de fide* censeantur.

Resp. Omnes veritates revelatae, in ecclesiae deposito contentae, *de fide* sunt, ob eamque rem ab iis, quibus sufficienter innotescunt, fide divina credendae. At quandoque dubium exoritur, utrum ab ecclesia tanquam de fide proponantur; quo fit, ut non semper *sit de fide, hujusmodi veritates esse de fide;* verum ecclesia definiente quodvis dubium tollitur.

Articulus V.

De censuris, quibus propositiones fidei adversae ab ecclesia damnantur.

I. Censurae definitio. Tam actus, quo erratur, quam objectum seu materies errandi dicitur error. In praesentia actum errandi silentio praeterimus et de objecto tantum erroris disserimus, quod generatim *propositionem erroneam* seu *falsam* appellare possumus. Proinde censura definitur: *qualificatio, qua propositioni nota inuritur ob aliquam cum fidei doctrina oppositionem.* Si spectetur sententia notam inurens, censura *activa* vocatur; *passiva*, si notam inustam consideres. Censura, quae ab ecclesiae magisterio proficiscitur, *judicialis* appellatur; ea vero, quam ferunt theologi, *doctrinalis.* Nobis de censura judiciali disserendum est.

II. Propositionum erronearum et censurarum divisio. Propositiones erroneae damnantur, 1° unica censura *categorica* seu in particulari determinata; 2° pluribus simul censuris, quae synonymae haberi non debent, quandoquidem diversos gradus damnabilitatis et oppositionis cum fide significant; 3° *in globo,* ut ajunt, quando scilicet plures

propositiones ita notantur, ut singularum qualificatio ignominiosa non exprimatur. Quodsi multae simul propositiones ita in globo censura *cumulativa* damnantur, sub variis videlicet *respective* notis, velut 45 articuli Joannis Wicleff in concilio Constantiensi et a Martino V., eo de stigmate haec teneamus: *primo*, nullam inter expressas esse notam, quae non cadat in aliquam e propositionibus damnatis; *secundo* nullam inter propositiones esse, quin una saltem ex illis notis digna sit. 4° Propositiones damnantur aut *sicut jacent*, v. g. propositiones 65, quas damnavit Innocentius XI. die 2. Martii 1679; aut *in sensu ab assertoribus intento*, v. g. propositiones 79 Michaelis Baji; aut censura de opere quopiam integro fertur, quod doctrinas erroneas contineat.

Juxta gradus diversos oppositionis cum fide habetur propositio 1° haeretica; 2° haeresi proxima; 3° haeresin sapiens aut suspecta de haeresi; 4° erronea; 5° errori proxima; 6° errorem sapiens aut suspecta de errore; 7° male sonans; 8° captiosa; 9° temeraria; 10° piarum aurium offensiva; 11° scandalosa; 12° blasphema; 13° schismatica; 14° seditiosa; 15° injuriosa et aliae, quas ad recensitas facile revocabis. Cf. Ant. de Panormo, *Scrutinium doctrinarum*, ubi censurarum species 69 exhibentur; et Montanium, *De censuris* ap. Migne, *Theol. Curs. compl.* t. 1.

III. Explicatur diversarum censurarum qualitas. 1° Propositio *haeretica* est, quae *immediate adversatur veritati fidei catholicae immediate revelatae et ab ecclesia ad credendum propositae*. Dicitur *notorie* haeretica, si tam evidenter ex ipsis terminis fidei opponitur, ut eam proferens tergiversari non possit. Suarez et Salmanticenses diversos gradus propositionis haereticae probabilius admittendos non esse docent, contra Turrecrematam et alios, qui ex diversa oppositione ad S. Scripturam et ad traditionem gradus diversos oriri affirmant. Qualificatio autem propositionis haereticae ab assensu haeretico proponentis non dependet, dummodo propositionis materies ad assensum haereticum formalem terminandum apta sit.

2° *Haeresi proxima* propositio doctrinae adversatur, quae

communi propemodum omnium sententia de fide esse censetur, esto ab ecclesia non sit definita.

3° *Haeresin sapiens* est propositio, quae *dat ansam timendi, ne lateat haeresis;* ab ea parum differt propositio *de haeresi suspecta,* quae tamen ob indicium minus grave dicitur. Sapor autem haereseos multoties ex adjunctis et ob convenientiam saltem in vocibus aut accidentibus, alicui haeresi propriis, dignoscitur. Exempli causa hanc sententiam profero: *fides justificat,* quae in ore Pauli vera est, inter Lutheranos vero haeresin justificationis per fidem solam sapit. Quaedam autem propositiones ex seipsis haeresin olere videntur, velut haec: *Ridiculum est circumferre Sacramentum Eucharistiae per vias publicas;* quae haeresin sapit aut negantium in Eucharistia corpus Christi verum contineri aut sacros ritus impugnantium. Cf. S. Thom. III. 16 art. 8.

4° *Erronea* dicitur, quae *immediate opponitur veritati mediate revelatae* seu conclusioni theologicae. Exempli gratia, haec propositio: *Christus non est risibilis,* dicitur *erronea;* eruitur enim ex praemissa de fide; *Christus est homo,* et ex praemissa, lumine naturae nota: *homo est risibilis.* Cf. S. Thom. I. 32. 4.; II. II. 11. 2.

5° *Errori proxima* et 6° *errorem sapiens* aut *suspecta de errore* propositio ob easdem causas, proportione servata, dicitur atque de haeresi retulimus.

7° *Male sonans* dicitur, quae *habet sensum congruentem fidei, verba autem non congrua,* ut est ista propositio: *in Deo sunt tres essentiae relativae.* Quibus verbis, etsi tres essentiae aut tres naturae in Deo non ponantur, dissonantia tamen exoritur, cum catholicorum usu communi nomen *essentiae* ad subsistentiam significandam non reservatum sit. Nunc vero „ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis", ut docet Angelicus I. 31. art. 2. Linguarum autem indolem considerari oportet; sic propositio: *in divinis Pater est causa Filii,* quae Latinis male sonat, bene sonat in lingua graeca, quia Graeci vocem *causae* ad *principium* significandum usurpant. Cf. S. Thom. *Contra errores Graecorum,* prooem. Propositio male sonat aut *ab intrinseco,* si verba ex seipsis

non sunt congrua, aut *ab extrinseco,* si verborum incongruentia rerum adjunctis intelligitur.

8° *Captiosa* aut *simplicium mentium seductiva* dicitur propositio, quae verbis haud male sonantibus sensum fidei non congruentem importat.

9° *Temeraria* communiter habetur quaevis propositio a fide aversa; proprie autem illa est, quae *circa fidei doctrinam absque sufficienti fundamento aliquid affirmat aut negat.* Namque „illa dicuntur fieri temere quae ratione non reguntur". S. Thom, II. II. 53. 3. ad 2. Temeraria *contrarie* vocatur, quae communi patrum doctorumque doctrinae opponitur; *negative* seu *privative,* quae absque fundamento sufficienti extra patrum et theologorum doctrinam vagatur, cujus generis exemplum illud ponitur: *mundus post centum annos immediate terminabitur.*

10° *Piarum aurium offensiva* propositio *verum quidem dicit, at id tali modo, ut sanctis contemnendis ansa praebeatur.* Sic illa propositio fidelium aures offenderet: *Magdalena meretrix, ora pro nobis* Cf. Canus, *De locis,* lib. XII. 11.

11° *Scandalosa* dicitur propositio, quae in materia morum occasionem praebet ruinae spiritualis. Ita scandalum est data opera perhibere *plura sequi incommoda ex confessione sacramentali.* Re deinde propemodum eadem est propositio *periculosa,* quae in materia morum absolute dicit licere aut fieri posse, quod non nisi adhibitis pluribus circumstantiis fieri potest. Hujusmodi est illa: *homo potest esse perfectus absque mortificatione, sive asperitatibus corporalibus.*

12° *Blasphema* dicitur, quae, *saltem in verbis et modo, injuriam aliquam Deo aut ejus sanctis irrogat.* Dixi: saltem in verbis; fieri enim potest, ut propositio haeresin, errorem etc. includens, blasphemia *haereticalis, erronea* etc. dici debeat. Propositionis blasphemae exemplum est illa: *Gregorius Magnus inter Romanos Pontifices primus fuit Antichristus.* Accedunt propositio *impia, athea, judaica, pagana,* quae ratione sui objecti facillime distinguuntur.

13° *Schismatica* est, quae *ecclesiae membrorum unitati adversatur.* Opponitur caritati, „quae non solum alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam

totam Ecclesiam in unitate spiritus." S. Thom. II. II. 39. art. 1. Cujusmodi esset illa: *Pius X. legitimus Romanus Pontifex haberi nequit.*

14° *Seditiosa* vocatur, quae ad obedientiam principi detrahendam et ad tumultus in republica excitandos comparata est, sicut cum Wicleff diceret: *Nullus est dominus civilis dum est in peccato mortali.*

15° *Injuriosa* vocatur, quae *caritatem et justitiam proximo debitas laedit,* praesertim si honori illorum detrahitur, qui in ecclesia ratione dignitatis aut status sunt conspicui, velut illa: *Sancti Patres multis erroribus fuerunt irretiti.*

Tandem propositiones damnatae affirmari possunt 1° *simpliciter,* ut per istam: *vitae asperitas ad vitae sanctitatem nihil confert;* 2° *modaliter,* quotiescunque propositioni damnatae veritas et probabilitas attribuitur, aut verae propositioni probabilitas et certitudo negatur, puta in hac modali: *probabile non est vitae asperitatem ad sanctitatem conferre.*

Articulus VI.

Qua fide veritates ab ecclesia propositae credi debeant.

I. Multiplex fides. Fides est 1° divina; 2° divina et catholica; 3° ecclesiastica; 4° humana.

1° *Fides divina* seu *theologica* dicitur assensus, qui revelatione divina immediate innititur; hujusmodi autem fidei objectum sunt veritates revelatae, propter veritatem Dei revelantis creditae. 2° Fides *divina et catholica,* seu simpliciter fides *catholica,* refertur ad veritates revelatas, quae in doctrina ecclesiae manifestantur; quod autem veritates revelatae per ecclesiam manifestantur, id per accidens, ex parte scilicet nostri, fidei convenit: ex quo apparet, inter fidem divinam et fidem catholicam essentialiter nihil differre. 3° *Fides ecclesiastica* innititur *assistentia* Spiritus sancti, qua Christi ecclesia in custodiendo fidei deposito ab errore quocunque immunis servatur; unde dubitari non potest, eam firmissimam esse ac certissimam. 4° *Fides humana* hominum auctoritate innititur. — Quantum ad fidem *mediate et indirecte divinam,* qua theologi non pauci conclu-

siones theologicas, proprie dictas, credendas esse sentiunt, haec a fide ecclesiastica non differre videtur.

II. Veritatum diversitas. 1° Ad veritates credendas inprimis referuntur *fidei articuli.* Dicuntur autem *articuli* credibilia primaria, quae coaptationem specialem ad aliqua alia credibilia important, ita ut cetera in illis aliquo modo contineantur. Patet autem, hujusmodi credibilia non dividi ex parte objecti *quo* et rationis formalis fidei, quia haec unica est, nempe veritas divina revelans; sed ex parte objecti *quod,* id est, mysteriorum, quae creduntur. In *Symbolo* alii duodecim, alii quatuordecim articulos distinxerunt. Cf. S. Thom. II. II. 1. art. 6. et 8.; *Comp. theol.* cap. CCXLVI.

2° *Dogmata* sunt illae veritates, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelatae proponuntur. Dogmata, solemni ecclesiae judicio proposita, dogmata *definita,* vel etiam simpliciter fidei dogmata dicuntur; dogmata, ordinario et universali magisterio, nulla tamen solemni definitione, proposita, dogmata *catholica,* aut *revelata* aut veritates *ad fidem spectantes* appellantur.

3° *Conclusiones theologicae formaliter* consideratae, id est, praecise ut e praemissis deductae, fidei *divinae* objectum dici nunquam possunt. At vero praecise ut contentae seu *materialiter,* ut ajunt, partim propositiones de fide, ut supra, partim proprium veritatum genus habentur. *Propositiones de fide* habentur conclusiones illae, sensu latiori theologicae nuncupatae, quae ratione significationis, hoc est, ut pars in toto, vel ut singulare in universali, vel ut implicitum in explicito in praemissis continentur. Nimirum in iis concludendis syllogismo tantum *explicativo* utimur.

Conclusiones theologicae sensu strictiori intellectae habentur, quae syllogismo *deductivo* percipiuntur, et in revelatis non immediate, sed ratione connexionis naturalis, id est, vel ut proprietas in essentia, vel ut effectus in causa continentur. Cf. quaest. IX. art. 2.

4° Veritates, quarum contradictorium ab ecclesia infra notam haereseos, v. g. ut temerarium proscriptum est

5° Veritates, quae communi et constanti catholicorum consensu tam certae habentur, ut opiniones adversae, non haereseos quidem, at alia tamen censura dignae habeantur.

Conclusiones theologicae strictius dictae, et veritates, quas sub n. 4 et 5 recensuimus, etiam *veritates theologice certae* nuncupantur. — Cf. Conc. Vat. sess. III. cap. III.; Gotti, *Theol. schol.* t. I. tract. I. q. I.

III. De veritatibus, quae fide divina et catholica credi debent. Hujusmodi fide credi debent 1° fidei articuli; 2° dogmata, quae ab ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata proponuntur; 3° conclusiones theologicae, quae *sensu latiori* eo nomine appellantur. Namque omnes id genus veritates divina auctoritate *immediate* nituntur.

Quaeres. I. *Utrum fide divina credenda sit conclusio, quae ex majori quidem universali revelata ut particularis deducitur, sed mediante minori non revelata, quae non sit evidenter certa vel factum contingens.*

Resp. Si minor positive et *evidenter certa non sit*, conclusio esse de fide non potest. Quod ad *facta contingentia* attinet, conclusio de fide non habetur, nisi facti certitudo omne dubium prorsus excludat. Proinde haec propositio: *haec hostia adoranda est*, fide divina non creditur; quamvis enim major revelata sit: *omnis hostia rite consecrata est adoranda*, minor tamen: *haec numero hostia rite consecrata est*, moraliter tantum vera habetur.

Veruntamen factum contingens quandoque tam certum est, ut quodvis dubium evidenter excludatur. Quo in casu conclusio, ut *pars* certa majoris, esse de fide videtur. Sic illa propositio: *Pius X. Romanus Pontifex rite electus est*, accedente ecclesiae acceptatione, qua etiam electio illegitima rata fit, in dubium revocari non potest. Quamobrem Salmanticenses, Billuart et alii judicant, esse probabilius de fide conclusionem, quae ex hujusmodi ratiocinatione sequitur: *Omnis homo rite electus in successorem Petri est Summus ecclesiae Pontifex. Atqui Pius X. est rite in successorem Petri electus. Ergo est Summus ecclesiae Pontifex.*

Similiter auctores, quos commemoravimus, concilii

oecumenici, puta Tridentini, celebrationem legitimam manifeste certam esse docent. Nam sic ratiocinantur: *Quodlibet concilium, tanquam oecumenicum ab ecclesia acceptatum, est regula fidei. Atqui concilium Tridentinum ab ecclesia oecumenicum habetur. Ergo est regula fidei. Quam conclusionem de fide esse affirmant.* Cf. Salm. *De fide* disp. IV. dub. II. § 1 - 3 et Billuart, *De reg. fidei*, diss. IV. art. 9. Bannez tamen cum aliis istas conclusiones ad fidem pertinere negat; nihilominus „valde temerarium et scandalosum" esse non dubitat, „si postquam Ecclesia acceptavit aliquem ut Summum Pontificem, negaret aliquis illum esse Summum Pontificem verum." In II. II. 1. art. 10. dub. 2.

Quaeres II. *Utrum facta connexa cum jure doctrinae, seu facta dogmatica, eadem ac dogmata fide credi debeant.*

Resp. Facta dogmatica fide ecclesiastica credi debent; namque haec facta non immediate ob revelationem divinam credi videntur, sed ob eam infallibilitatem, quae ecclesiam in revelatis custodiendis et exponendis perpetuo comitatur.

Quaeres III. *Utrum revelationes privatae credendae sint fide divina.*

Resp. Revelationes privatas, si evidentia adsint credibilitatis motiva, fide divina, non vero catholica credendas esse, complures auctores confirmant; alii vero negant, uti Salmanticenses, *De fide* diss. I. dub. IV. § 1. 2. *Fide divina;* namque objectum fidei divinae est prima veritas revelans. At hujusmodi objectum proponitur, si Deus, peculiari influxu supplens propositionem ecclesiae suae, veritatem hominibus privatim revelat. Ergo revelationes privatae fide divina credendae sunt. — *Non fide catholica;* quia objectum fidei catholicae est veritas prima, *per doctrinam ecclesiae* manifestata. S. Thomas ait: „Et singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiae spiritum habentes, non quidem ad *novam doctrinam fidei* depromendam, sed ad humanorum actuum directionem." II. II. 174. art. 6. ad 3.

IV. De veritatibus, quae fide ecclesiastica credi debent. 1° Conclusiones theologicae sensu strictiori appellatae; 2° judicia ecclesiae de propositionibus, infra notam haereseos damnatis; 3° cetera, ni fallor, doctrinae capita,

quae communi et constanti catholicorum consensu ut theologice certa retinentur, fide ecclesiastica credenda sunt, atque catholicos omnes eisdem ex conscientia sese subjicere opus est. Fide autem *divina* credi non putantur, quia ipsis non immediate ob revelationem divinam assentimur, sed ob assistentiam S. Spiritus, quae efficit, ut ecclesia in hoc etiam veritatum genere sit procul ab errore.

Quaeres I. *Utrum haereticae dici possint illae propositiones, quae, extra materiam credendorum de fide divina, ecclesiae doctrinis refragentur.*

Resp. Hoc loco tria statuamus. *a)* Ad fidem „aliquid pertinet dupliciter: uno modo directe et principaliter, sicut articuli fidei; alio modo, indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli. Et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides.“ S. Thom. II. II. 11. art. 2. Itaque in propositionibus, de quibus dictum est, saepenumero haeresis indirecte propugnatur; directe haereticae non sunt.

b) Propositiones illae, quas constat theologicae conclusioni, strictiore sensu acceptae, repugnare, a theologis non simpliciter haereticae, sed erroneae et illative tantum haereticae habentur; atque hoc errorum genus Salmanticenses docent esse „haeresim in secundo gradu, sive mediate, et secundario; quia licet immediate solum opponatur conclusioni theologicae, mediate tamen repugnat asssensui fidei.“ *De fide,* disp. IX. dub. IV. § 3. Ab illa tamen praeceptione Canus cum aliis nonnullis discedere videtur inquiens: „haec (conclusio vere theologica) veritas catholica ita censebitur, ut si esset per se a Christo revelata; et illi qui adversetur, aeque erit haereticus, ac si sacris literis traditionibusve Apostolorum refragaretur.“ *De locis,* lib. XII. 6. praec. 7.

c) Generatim statuendum est, citra errorem negari non posse, *qualificationes* illas, quibus ecclesia propositiones damnabiles, inferiori quadam quam haereseos censura, puta *temeritatis* nota reprobat, infallibiliter iisdem competere; ex quo plane sequitur, ut haud dubie *temeraria,* etc. haberi debeat propositio, cui ecclesia notam hujusmodi inusserit. Ceterum propositiones sic notatae per se haereticae non

censentur; ex gradu tamen censurae et majori minorive connexione doctrinae proscriptae cum fidei doctrina dignoscendum est, utrum propositio aliqua haeresin propinquius vel remotius attingat. Cf. Joan. Turrecrem. *Summa de ecclesia*, lib. IV. pars II.; Canus, *De locis*, lib. XII. 7—10; Suarez; *De fide*, disp. XIX.

Quaeres II. *In qualem errorem incidat, qui asseruerit, ecclesiam in ferendis censuris, nota haereseos inferioribus, non esse immunem ab errore.*

Resp. Inter omnes doctores catholicos convenit, ecclesiae judicia *dogmatica* et *infallibilia* sese porrigere ad proponendas veritates, cum immediate revelatis *connexas;* necnon ad reprobandos errores, infra haeresin. Quae quidem doctorum sententia veritas est, in qua ita consentiunt theologi, „ut disputent tantum — ait Hurter — de eo, utrum opinio opposita sit haeretica, an erronea vel saltem temeraria.“ *Theol. dogm. Comp.* ed. 11 (1903), p. 542. Bannez autem: „Error est — inquit — vel proximum errori, asserere, quod ecclesia in ejusmodi censuris possit errare.“ In II. II. 11. art. 2. Cf. G. Wilmers, *De Christi Ecclesia*, p. 461—463.

Consequens est, ut dicta ecclesiae judicia doctrinalia conscientias ligent et internum mentis assensum exigant. Id confirmatur ex concilio Constantiensi, nominatim ex mandato Martini V. de suspectis errorum Wicleff et Hus: „Specialiter literatus interrogetur, utrum *credat*, sententiam sacri Constantiensis concilii super 45 Joannis Wicleff, et Joannis Hus 30 articulis superius descriptis latam, fore *veram* et catholicam: scilicet quod supradicti articuli 45 Joannis Wicleff, et Joannis Hus 30, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam *erronei*, alii *temerarii* et *seditiosi*, alii *piarum aurium offensivi.*“

Item in schemate constitutionis dogmaticae de fide catholica concilii Vaticani continebatur canon: „Si quis dixerit, licitum esse, tenere vel tradere opiniones ab ecclesia damnatas, *dummodo ne sint damnatae tamquam haereticae*, a. s.“ Canon omissus est; *principium*, in canone assertum, confirmari videtur ex hac ratione ill. domini Pie,

episc. Pictaviensis: „censuerunt Patres deputati satius esse, re serius perpensa, si assertio tanti momenti, *tantae necessitatis*, et *expressius et clarius* (quam in capite huic canoni respondente) exprimeretur in altera constitutione, ubi de potestate doctrinali judiciaria ecclesiae directe et ex professo ageretur.“ Coll. Lac. t. VII. c. 1632. et 208. Cf. Syll. prop. 22. et encycl. *Quanta cura.*

Quaeres III. *Utrum fieri possit, ut falsa sit aliqua doctrina, quae ab ecclesia tanquam probabilior proponitur.*

Resp. Ex eo quod propositio sit probabilior, per se non efficitur, eam esse veram. Nec tamen absurde Lugo docet, „posse pie credi, quod licet circa hoc nulla exstet divina promissio, Deus tamen non permittet ab ecclesia doctrinam aliquam ut probabiliorem propóni, quae re ipsa falsa sit, . . . quia daret occasionem magnam fidelibus adhaerendi magis et magis doctrinae falsae.“ *De fide,* disp. XX. n. 129.

Quaestio XI.

De potestate ecclesiae.

Ecclesiae potestas duplex est, videlicet *potestas ordinis,* quae et *sacramentalis* nuncupatur, et *potestas jurisdictionis.* Phillipps,[1]) card. Franzelin[2]) et alii quidam *magisterium* tertiam potestatis speciem esse autumant; eorum tamen videtur verior sententia, qui duplicis potestatis divisione retenta magisterium ad jurisdictionis potestatem referunt. Cf. S. Thom. II. II. 39. art. 3. Tractandum est de potestate jurisdictionis, quae sensu quodam strictiori *regiminis potestas* dicitur; haec autem tota potestate *legislativa, judi-*

[1]) Kirchenrecht (Jus ecclesiasticum), t. I. § 32, t. II. §. 76.

[2]) De ecclesia, sect. I. thesis V. Franzelin auctoritatem allegat Suarezii, *De relig.* t. IV. lib. III. cap. IV. n. 11, et Thomae Stapleton Opp. t. I., *De princip. fidei,* lib. VI. cap. I.

ciaria et *coactiva* continetur. Sed de potestate coactiva quoniam ab aliis simpliciter et quantum ad poenas etiam spirituales, ab aliis non nisi quantam ad poenas temporales infligendas rejicitur, duplici articulo agendum erit. Itaque quatuor quaeruntur.

Primo. *Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem legislativam.*

Secundo. *Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem judiciariam.*

Tertio. *Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem coactivam.*

Quarto. *Utrum potestas ecclesiae coactiva ad poenas etiam temporales extendatur.*

Articulus I.

Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem legislativam.

I. Definitio potestatis legislativae. Potestas legislativa definitur: *potestas faciendi ordinationes ad bonum commune, quae in conscientia obligant.* Dicitur: *faciendi ordinationes ad bonum commune;* siquidem lex proprie dicta est „quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui praeest communitati promulgata." S. Thom. I. II. 90. art. 4. Adjicitur: *quae in conscientia obligant;* quoniam omnis lex aliquam conscientiae obligationem, lata saltem sententia legitima, inducere censetur. Denique definitio, haud secus ac ipsa thesis, legem obligantem, permittentem, irritantem etc. complectitur. *Potestatem* autem in tota hac quaestione de foro *externo* et *contentioso,* non de foro *interno* duntaxat et *voluntario,* intelligimus.

Potestas legislativa sine dubio ad *praecepta* extenditur. *Praeceptum,* autem „importat applicationem legis ad ea quae ex lege regulantur" (S. Thom I. II. 90. art. 2. ad 1.), et a lege in eo differt, 1° quod natura sua transitorium est; 2° quod ferri pro tota communitate non videtur.

II. Objectum et subjectum potestatis legislativae ecclesiasticae. 1° *Objectum* hujus potestatis non

sunt veritates fidei morumque definiendae; namque doctrinam fidei vel morum declarare ad magisterium pertinet. Sed quidquid in disciplina rebusque *exterioribus*, salva fide et sacramentorum substantia, ad cultum Dei et animarum salutem comparanda tuendaque conducit, id omne, intra limites societatis ecclesiasticae, legum ab ecclesia ferendarum potest esse objectum. Et quoniam ecclesia felicitatis futurae procurandae causa proxime a Christo instituta est, *bonum caeleste*, habetur *ratio formalis* sub qua actus humani legibus ecclesiasticis diriguntur. Sic ad potestatem legislativam refertur nobilissima potestas, quae *dispensatoria* circa sacra dicitur; de qua Tridentini patres declarant, „hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse ut in sacramentorum dispensatione, *salva eorum substantia* ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret." Sess. XXI. cap. II. — Quod ad *personas* attinet, ecclesiae leges per se omnes et solos *baptizatos* obligant.

2° *Subjectum* memoratae potestatis illi sunt, quibus Servator ecclesiam regendam commisit. Potestas enim est „potentia activa cum aliqua praeeminentia." S. Thomas *In Sent.* IV. dist. 41. q. I. art. 1. Jam vero disserentes de *constitutione ecclesiae hierarchica et monarchica*, eam *potestatem activam* et *praeeminentiam* neque multitudini concessam esse vidimus, *neque principatui saeculari*, sed sacro principatui seu hierarchiae, quam Christus *in petra* Summi Pontificatus solidavit. Cf. quaest. XV. de primatu Rom. Pontificis.

III. Errores. 1° Saeculo IV. Aerius ecclesiae potestatem legislativam, quantum ad legem jejunii negavit. Valdenses eandem potestatem penitus neglexerunt. 2° Luther decrevit: „Christianis nihil ullo jure posse imponi legum sive ab hominibus, sive ab angelis." *De captiv. Babyl.* 3° Schola Marsilii Patavini, regalistarum, Pistoriensium potestatem ecclesiae tantopere *suadendi concionandique* terminis circumscribit, ut ecclesia pro *rebus exterioribus* nullam nisi *principum concessu* facultatem possideat. 4° Acatholicis, in quantum ecclesiae constitutionem visibilem et hierarchi-

cam rejiciebant, universim etiam jus et jurisdictionem penes ecclesiam esse negandum videbatur. Qua in re Holtzmann, Weizsäcker et Harnack antiquis ecclesiae catholicae adversariis annuunt; iisque ex jure peritis associantur illi, qui ut R. Sohm, *Kirchenrecht,* et Jenninek, *Allgemeine Staatslehre, jus* natura sua temporale, externo mundi hujus ordini coaptatum esse; ecclesiam autem oportere spiritualibus tantam intentam esse negotiis. Itaque potestatem, quae in ordine juris versatur, ecclesiae oneri esse contendunt.

Adversus hujusmodi errores aliosque connexos hoc articulo tribusque subsequentibus doctrina excutienda est ecclesiae, statuentis: „Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum genuina, quae hinc consequitur, judicandi puniendique potestate.“ Encycl. *Immortale Dei.*

Thesis: *Christus ecclesiae dedit potestatem legislativam.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia divinitus instituta est, ut societas perfecta et regnum. Cf. quaest. IV. art. 1. Porro facultas ferendarum legum ex societatis perfectae natura dimanat. Ergo. Prob. *minor.* In societate sociorum actiones pro rerum, temporum et locorum varietate ad bonum commune dirigendae sunt. Ac id legibus praestatur: nam „lex dirigit intentionem ostendendo qualis debet esse actus proportionatus fini ultimo.“ S. Thom. *In Sent.* II. dist. 41. q. 1, art. 1. Itaque societas perfecta sine legislativa potestate non concipitur. Cf. S. Thom. *In Sent.* IV. dist. 49. q. 1. art. 2. q. 5.

Arg. II. *Ex verbis Christi. a)* Christus discipulis suis dixit: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Matth. XVIII. 18. Jam his verbis legislativa potestas ecclesiae designatur. *Designatur* eo diximus, quia verbis allatis potestas nulla *dari* videtur. „Sed significatur solum quantae efficaciae esset futura sententia ecclesiae, quam illic non dat, sed solum vel *promittit,* vel *supponit.*“ Ita post Cajetanum F. de Victoria,

De pot. eccl., relectione II. Vis autem argumenti hac interpretatione nihil debilitatur. Probatur *minor.*

1° Ex sensu obvio; *solvere* enim et *ligare* potestatem supremam significant, praecipue ob additum vocabulum *quaecunque* et ob metaphoram *clavium*, quacum ea verba apud Matth. XVI. 19. connectuntur. 2° Ex contextu: in versibus enim immediate praecedentibus, 15, 16, 17, agitur de fidelium peccatis, ab ecclesia in foro externo cum auctoritate dijudicandis: *dic ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Inter potestatem autem judiciariam et legislativam certa intercedit colligatio.

b) Pascendi munus ecclesiae concreditum est, *Joan.* XXI. 15—18.; I. *Petr.* V. 2., atque ecclesiae demandatur: *euntes ergo, docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.* Matth. XXVIII. 19, 20. Atqui ecclesia nec *pascere* fideles potest, nec omnes gentes *docere servare*, nisi leges pro hominibus dirigendis in variis temporum rerumque adjunctis ferantur. Idem ex eo confirmatur, quod hujusmodi potestas jam in V. T. valuit, sicut scriptum est: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite.* Matth. XXIII. 2, 3.

Arg. III. *Ex praxi ecclesiae ab apostolis decurrente. a) Apostoli* in concilio Hierosolymitano praeceperunt, ut abstinerent *ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Act. XV. 29. S. Paulus Corinthiis mandatum dedit de saecularibus judiciis; de velando capite mulierum orantium; de conditionibus in vidua eligenda requisitis; de presbyteris accusatis judicandis, etc. I. *Cor.* VI. 4.; I. *Cor.* XI. 5.; I. *Tim.* V. 9—12.; ibid. v. 19. Quae omnia ad disciplinam et res exteriores pertinent. Ergo, „cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi et destruendi quam tunc habuit“ (cf. S. Thom. *In Sent.* IV. dist. 27. q. 3, art. 3. ad 2.), potestas ferendi leges penes ecclesiam est.[1])

[1]) De die Dominica, quae apostolorum auctoritate sabbatho successit, cf. Apoc. I. 10.; Act. XX. 7.; I. Cor. XVI. 1.; S. Thom. I. II. 103. art. 3.; II. II. 122. art. 4.

b) Ab apostolorum successoribus leges latas esse, testantur et *Tomi conciliorum* et *Collectiones juris canonici.* Hinc propositio, quae notat, „velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in *disciplina exteriore* constituenda et sancienda" damnata est ut *haeretica.* Bull. *Auctorem fidei.*

Objectiones.

Obj. I. Quaecunque ad directionem hominum spiritualem pertinent, a Christo cumulate ordinata sunt. Ergo Christiana religio quaslibet ecclesiae leges excludit.

Resp. Dist. antec.: Haec ordinata sunt a Christo in suis *principiis, conc.;* in *applicationibus, nego.* Et hominum singularium et multitudinis nisus in finem spiritualem *dirigendus* est, uti patet ex penitiori notione hierarchiae. Nam „secundum hoc aliquis regnum habere dicitur quod alios sub sua providentia habet". S. Thom. *In Sent.* IV. dist. 49. q. 1, art. 2. q. 5. Providentis autem rectoris est, subditos ad finem dirigere Ita potestate legislativa opus est, non ut fundamentalis ecclesiae constitutio seu *principia* condantur, sed quo facilius et perfectius vivatur juxta ea principia.

Obj. II. Potestatis legislativae objectum habentur ea, quae externa sunt. Res autem externae principis civilis ditioni subduntur. Ita sublato debito objecto, ipsa potestas legislativa ecclesiae corruit.

Resp. Transeat maj.: hujus enim loci non est, eos casus recensere, in quibus ecclesia possit actus mere internos injungere. *Dist.* min.: principis civilis ditioni subduntur res externae *civium, conc.; fidelium, nego.* Cum fidelis sit homo, qui est spiritus *et* corpus, non solum *civis* externe agit, verum etiam *fidelis.* Ergo et ecclesia *in genere suo* res exteriores praecipit. Profecto „sicut ad saeculares principes pertinet praecepta legalia, juris naturalis determinativa, tradere de his quae pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus, ita etiam ad praelatos ecclesiasticos pertinet ea statutis praecipere, quae ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis". S. Thom. II. II. 147. art. 3.

Instabis. Ad societatem spiritualem pertinent leges rerum spiritualium. Atqui res exteriores non sunt res spirituales. Ergo in ecclesiae facultate non est, etiam exteriora regere legibus.

Resp. Dist maj.: ad ecclesiam pertinent leges rerum, quae sunt spirituales ratione finis, *conc.;* ratione objecti, *subdist.:* ratione objecti formalis, *conc.;* ratione objecti materialis, *nego.*

Objectum *formale* seu id, quod ecclesiae potestas in rebus exterioribus attingit, est sociorum *ordinatio ad finem spiritualem;* et socii, ad hunc finem conducendi, *homines* sunt. Quapropter ecclesiae imperium, ut homines modo naturae *humanae* consentaneo dirigantur, in res exteriores, ut in materiam ad finem altiorem ordinandam, admitti debet. Sic Angelicus de sustentatione ministrorum ecclesiae disserens, ait: „Quia ergo Ecclesia habet potestatem condendi legem in his, quae pertinent ad cultum Dei, potuit per Ecclesiae statutum taxari quantitas eorum, quae sunt danda ministris Dei a populo." *Quodl.* II. art. 8.

Obj. III. Christus ait: *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Matth. XV. 9. At leges ecclesiasticae sunt mandata hominum. Nihil ergo habent utilitatis.

Resp. Dist. maj.: Christus reprobat mandata hominum, simpliciter, *nego;* in quantum sunt in praejudicium mandatorum Dei, *conc.* Et *dist.* minorem: leges ecclesiasticae sunt mandata hominum, immediate, *conc.;* mediate, *nego.* Responsum ex contextu planum; quippe cum Servator v. 6. dixerit: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Verum ut pharisaeismus a Jesu reprobatur, sic ecclesiae leges, quae auctoritate divinitus concessa feruntur, hac regula sanciuntur: *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Rom. XIII. 2. Cf. S. Thom. *In Matth.* loc. cit.

Instabis. Nefas est jugum Legis veteris mandatorum novorum jugo permutare. Leges autem ecclesiasticae jugum sunt, fidelibus impositum.

Resp. Dist. maj.: Nefas est jugum vetus permutare

legibus ejusdem *spiritus, conc.;* ejusdem *copiae, subdist.:* hoc esset imprudentiae, *transeat;* hoc esset potestatis illegitimae, *nego.* Enimvero leges V. T. ad indolem *praeparatoriam* Judaicae religionis inter ethnicos pertinent; nos autem spiritum Christi accepimus. Leges vero ecclesiasticae id unum spectant, ut spiritus divini Conditoris ecclesiae conservetur et augeatur. Adjicitur quod leges ecclesiasticae, fidelium multitudinem passim obligantes, paucissimae sunt et ad quinque ecclesiae praecepta fere restringuntur. Ceterae leges, quibus tomi juris pleni sunt, aut ad status libere eligendos, aut ad diversa munera rite obeunda pertinent. Ecquis autem diffiteatur, in societate numerosissima varias leges non nisi cum ipso ordine repudiari posse.[1])

Articulus II.

Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem judiciariam.

I. Notio potestatis judiciariae. Judiciaria potestas est *facultas judicandi cum auctoritate de vero legum sensu et de sociorum actionibus quoad eas leges.* Dixi: *facultas judicandi* seu ferendi judicium. Judicium autem est actus judicis in quantum est jus dicens; jus autem est objectum justitiae. Cf. II. II, 60, art. 1. Actus vero justitiae proprius est „reddere unicuique quod suum est". II. II. 58, 11.

Cum auctoritate: agitur enim de disceptationibus et sententiis, quae ita praescribuntur et feruntur, ut parendum sit. *De vero legum sensu et de sociorum actionibus,* utrum

[1]) Ad rem Monsabré: „Cette admirable intelligence et cette misericordieuse bonté de l'Eglise se révèlent encore dans la manière dont elle applique ses propres lois. Sans nuire à l'unité fondamentale des pratiques chrétiennes, elle sait tenir compte des temps, des lieux et des circonstances, diversifier les pompes de son culte et la rigueur de ses prescriptions selon le génie, le tempérament, les habitudes des peuples qu'elle gouverne; aller au-devant des prévarications, en adoucissant sa discipline; chercher avec une pieuse industrie, dans nos observances, un *minimum* dont Dieu se contente, et dont ne peuvent se plaindre ni les forces défaillantes de nos corps ni la générosité amoindrie de notre foi et de notre amour." *Conf de Notre-Dame;* Carême 1882, conf. LVII.

scilicet hujusmodi actiones praedicto legum sensui conformes sint necne.

In judicio quatuor distinguuntur: *actor*, a quo judicium petitur; *reus*, qui ab actore in jus vocatur; *causa* seu materia judicanda; *judex*, cui sententia, cognitis disceptationibus pronuntianda est. Judex autem ab Aristotele egregie dicitur *jus animatum*. Ethic. V. 6.

II. De subjecto et objecto potestatis judiciariae in ecclesia. 1° Judiciaria potestas toti Trinitati communis est; Filio tamen per appropationem quandam attribuitur: *ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum*. Act. X. 42. *Pater . . . omne judicium dedit Filio*. Joan. V. 22. Veruntamen quamvis apud Deum remaneat primaeva auctoritas judicandi, hominibus tamen *committitur a Deo* judiciaria potestas respectu eorum, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur. Cf. S. Thom. III. 59. 1—4. Generatim potestas judiciaria, quam Christus ecclesiae concessit, in rectoribus ecclesiae proprie residet. Auctores institutionum canonicarum in specie de foro competenti tractant, et quibus auctoritate propria aut delegata judicium competat, copiose declarant.

2° Quod ad *objectum* attinet, causae, quas forum saeculare merito sibi vindicat, a materia jurisdictionis ecclesiasticae secernendae sunt. Regula generalis est, eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas necesse est judici ecclesiastico subjacere, ut ecclesia finem sibi proprium, salutem nempe animarum, convenienter attingere possit. Ceterum ecclesiae definitiones, praxis, decreta Pontificum et conciliorum, sententia probata doctorum catholicorum eam rem explanant. Cf. Bouix, *Trac. de judiciis eccl.* p. I. sect. III.

III. Errores. 1° Potestatem ecclesiae judiciariam ab iis negari, qui potestatem legislativam rejiciunt, ob connexionem ipsam rerum necessum fuit. 2° His consentiunt nonnullae jurisperitorum scholae, quibus ecclesia *collegium*, non veri nominis *status*, est. Ita sentiunt Pufendorf, Mosheim et Boehmer. Collegium enim, veluti societas quaedam minor et imperfecta, intra societatem majorem et perfectam continetur, e. g. negotiatorum collegium in aliqua societate civili. Hinc effectum est, ut, exclusa ab eccle-

siae conceptu ratione *status* seu *regni*, potestas judiciaria et quaecunque ad veri nominis imperium pertinent, ecclesiae subducerentur. 3° Quin imo Pufendorf, ut formam socialem ecclesiae perfectam, et quae hinc dimanant, quasi in fonte ipso corrumperet, Christum non legislatorem, sed *ad instar* legislatoris fuisse contendit. 4° Van Espen denique in opere, quod inscribitur *Jus eccl. univ.* lib. III. tit. I., forum externum ante saeculum XII. in ecclesia non fuisse, sed tum demum ex imperatorum concessione exortum perhibet. Quod a plurimis Jansenianis et regalistis recoctum est.

Thesis: *Ecclesiae veri nominis potestas judiciaria a Christo data est.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia est perfecta societas. At perfecta societas nulla est, quin judiciariam potestatem habeat. Ergo. *Min.* patet, tum quia quaevis societas civilis ea potestate utitur, tum quia leges in cassum feruntur, nisi lites de legum sensu et sociorum actiones relative ad leges queant, ubi opus sit, ad judicem authenticum deferri. Nec nos moveat, quod ajunt, ecclesiae potestatem judiciariam concedi pro foro interno; nam ecclesia, cum sit societas visibilis, *externe* quoque sociorum vitam dirigit. Ob eamque causam sententias etiam in foro externo ab ecclesia pronuntiari necesse est.

Arg. II. *Ex S. Scriptura. a)* Christus ait: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum: . . . si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos . . . Quod si non audierit eos, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. XVIII. 15—17. Hac autem Domini sententia potestas judiciaria ecclesiae haud dubie attribuitur. Et vero 1° indicantur reus, accusator, judex, sententia, poena; ergo de vero judicio agitur. 2° In eo judicio potestas judiciaria *ecclesiae* attribuitur; legitur enim: *dic ecclesiae;* et *si autem ecclesiam non audierit.* 3° Vocantur *ecclesia*, ecclesiae rectores; quod manifestum est tum ex eo, quod

et synagogae principes *ecclesia* appellantur; tum ex natura rei, quandoquidem judicium ab universa multitudine exerceri nequit; tum ex eo, quod Christus e vestigio subjungit: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram,* etc. l. c. v. 18., quae quidem verba non ad omnes, sed ad apostolos ecclesiaeque rectores pertinent, qui *ecclesia* dicuntur, quemadmodum *status* appellantur magistratus, a quibus respublica geritur.

b) S. Paulus ad Timotheum scribit: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* I. Tim. V. 19. Atqui his verbis potestatem judiciariam ecclesiae designari, res ipsa ostendit. Agitur enim in foro externo *sub duobus aut tribus testibus;*[1]) indicatur reus: *adversus presbyterum;* accusator: *accusationem;* judex, episcopus scilicet, qui in casu est Timotheus. Accusatio autem non fieret, nisi posset a Timotheo enuntiari sententia. Haec etiam confirmantur 1° ex eo, quod S. Paulus rationem causarum in ecclesia judicandarum Corinthios edocet, I. *Cor.* V. 12.—VI. 2.; 2° ex eo, quod apostolus eam potestatem in Hymenaeum et Alexandrum et in Corinthium incestuosum exercuit. I. *Tim.* I. 20.; I. *Cor.* V. 1—6.

Arg. III. *Ex traditione. a) S. Clemens Romanus, S. Ignatius Antiochenus* et *S. Polycarpus* a fidelibus parendum pastoribus esse docent. Sic *S. Clemens* ait: „Aequum igitur est . . . nos cervicem supponere et obedientiae locum implentes inclinari illis, qui sunt duces animarum nostrarum.“ Nolle autem parere ab eodem vocatur *vana seditio. Ad Cor.* LXIII. 1. Haec autem de obedientia in foro externo et de potestate regiminis, uti perspicitur, dicta sunt. Ergo patres isti saltem *principia,* in quibus judiciaria potestas includitur, suis scriptis tradiderunt.

b) Tertullianus affirmat in Christianorum conventibus judicari „magno cum pondere“ summumque futuri judicii esse praejudicium, „si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus et omnis sancti commercii

---

[1]) Cf. Deuter. XIX. 15.; Joan. VIII. 17.; II. Cor. XIII. 1.; Hebr. X. 28.

relegetur." *Apol.* cap. XXXIX. *S. Cyprianus* memoriae prodidit, Privatum haereticum „ob multa et gravia delicta nonaginta episcoporum sententia" condemnatum; Jovinus et Maximus „ob nefanda sacrificia et crimina, in se probata, sententia novem (episcoporum) condemnati" esse ab eodem narrantur. Denique cum Fortunatus ejusque socii, Carthagine damnati, ad Cornelium Papam appellassent, S. Cyprianus regulam commendat, qua oporteat reos „agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint". *Ep.* 59. (al. 55.) ad Cornelium. *S. Ambrosius* causam Indiciae virginis, ab episcopo Veronensi, postea a Mediolanensi episcopo judicatam, accurate tradit. *Ep.* 5. ad Siagrium Veron. *S. Joan. Chrysostomus:* „pars illa quam episcopum tractare in judiciis convenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit." *De sacerd.* lib. III.

c) In collectione, quae *Canones apostolorum* dicitur, judiciorum ordo quantum ad episcopos accusatos indicatur. *Can.* LXXIII. *Nicaeni* patres in Arium, *Ephesini* in Nestorium, *Chalcedonenses* in Dioscorum judiciariam methodum adhibuerunt. *S. Athanasius* a judicio Eusebianorum ad Julium I., Romanum Pontificem, appellavit. In concilio *Sardicensi* ordinationes de usu appellationum factas esse constat. At de his satis dictum est. Sequitur ut ecclesia *jure proprio,* non concessu principum civitatis, *ab exordio,* non a saeculo XI, potestatem illam possideat.

Objectiones.

Obj. I. Christus inquiens: *dic ecclesiae,* communitatem particularem talis loci, non universalem ecclesiam, designat. Ita probatione prima nihil efficitur.

Resp. Dist. antec.: Christus designat communitatem particularem primario, *nego*; secundario, *subdist.:* communitatem, ecclesiae universali conjunctam, *conc.;* separatam, *nego.* Servator ait: *dic ecclesiae;* nulla igitur ecclesia, v. g. Hierosolymitana aut Ephesina ab aliis distinguitur. Ergo cum nihil distinguatur, nihil excipitur. At vero cum ecclesia *universa* omnes et singulas sententias pronuntiare nequeat, secundario ecclesiae particulares designantur, non

separatae, sed illi conjunctae, cui, tanquam uni corpori morali, dictum est: *Quaecunque alligaveritis* etc. Et si haec potestas, adversariorum opinione, penes ecclesias particulares fuerit, quanto magis erit penes universalem?

Instabis. Matth. XVIII. praeter correctionem fraternam nihil praecipitur. Ait enim: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum*, v. 15. Ex hoc igitur textu potestas judiciaria nequaquam probatur.

Resp. Dist. antec.: correctio fraterna est *occasio* potestatis conferendae, *conc.; terminus, nego.* Christus potestatem judicandi generalem largitur: *Quaecunque alligaveritis* etc. Deinceps sententiam ecclesiasticam divina sententia roborari his verbis luce clarius ostenditur: *erunt ligata et in caelo, — erunt soluta et in caelo.* Nec est dubium, quin iis verbis *potestas* exprimatur, quae ad ecclesiam *constituendam* pertineat.

Dices. Ecclesiae primaevae rectores arbitri potius quam judicis munere functi sunt. Ergo. Prob. *antec.* Litigantes enim sententiae pronuntiatae parere non tenebantur. Praeterea jus coercendi nullo idoneo argumento probatur.

Resp. Nego antec. Probationis partem primam similiter nego; etenim reus, si *ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* De jure coercendi in articulo sequenti tractabitur.

Articulus III.

Utrum Christus ecclesiae dederit potestatem coactivam.

I. Potestatis coactivae indoles. Potestas coactiva est *potestas puniendi reos.* Dixi: *puniendi*, id est, cogendi per poenas. Igitur ea potestas et facultas *poenitentiae* imponendae inter se differunt. Etenim 1° poenitentia censetur ad forum internum pertinere; poena, qua talis, ad externum forum; 2° poenitentia est in peccante secundum voluntatem ipsius, poena secundum arbitrium judicis; 3° poenitentiâ in primis quaeritur reconciliatio amicitiae, per poenam redintegratio aequalitatis justitiae. Cf. S. Thom. III. 90. art. 2. Ceteroquin poenae ecclesiasticae, sive ratio poenae

medicinalis, sive ratio poenae *vindicativae* in iis immediatius appareat, bonum virtutis et *aedificationem* spectant. Cf. II. *Cor.* X. 11.; Arist. *Ethica* X. cap. ult. At aedificatio aut *ex emendatione peccantis* aut ex *bono societatis* exoritur. „Poenae autem praesentis vitae — ait Aquinas — non per se expetuntur, quia hic non est ultimum retributionis tempus: sed in quantum sunt medicinales, conferentes vel ad emendationem personae peccantis, vel ad bonum reipublicae, cujus quies procuratur per punitionem peccantium." II. II. 58. 1.

II. Poenae spirituales et temporales. Poena *spiritualis* est, quae directe animum castigat et hominem a bonis spiritualibus, v. g. a suffragiis vel ab Eucharistiae sacramento separat. Poena *temporalis* et *corporalis* ea censetur, quae directe corpus bonaque fortunae afficit, ut si quis proscriptione bonorum suorum affligatur. Poena spiritualis multoties cum privatione quorundam temporalium bonorum jungitur, v. g. excommunicatio cum infamia. Cf. S. Thom. *In Sent.* IV. dist. 18. q. 2. art. 1. sol. 3.

III. Errores. De potestate ecclesiae coactiva duobus modis erratur. Videlicet 1° asserunt, *nullum invitum*, sed reum *sua tantum voluntate* puniri posse ab ecclesia; potestatem puniendi pro foro externo totam esse in principe, nullam in ecclesia. 2° Si quid potestas coactiva in ecclesia valeret, eam tamen potestatem ad poenas temporales ac corporales se porrigere negant. Ita Marsilius Patavinus, Morinus, Van Espen, La Borde, Pistorienses, Nuytz.

IV. Ecclesiae decreta de potestate sua coactiva. Anno 1327 Joannes XXII. *haereticam* esse declaravit Patavini propositionem 5.: „Quod tota ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator." Const. *Licet.* Anno 1794 Pistoriensium propositio, qua etiam insinuatur, „Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem . . . devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi" damnata est a Pio VI. ut „inducens in systema alias damnatum ut haereticum". Bulla *Auctorem fidei.* Pius IX. proscripsit hunc errorem Nuytz, professoris

Taurinensis: „Ecclesia vis inferendae potestatem non habet." *Syll.* prop. 24. In encycl. *Quanta cura* damnantur, qui affirmant: „Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi."

Thesis: *Christus ecclesiae dedit potestatem coactivam.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia est perfecta societas. Jam vero cuicunque societati perfectae potestas coactiva competit, prout res ipsa docet. *a)* Etenim omnibus assentientibus ea vis principatus est, ut princeps „poenis et praemiis homines sibi subjectos ab iniquitate coerceat et ad opera virtuosa inducat". S. Thom. *De reg. princ.* lib. I. 15. *b)* Deinde dominium pro pace et justitia conservanda, pro jurgiis discordiisque resecandis concessum est. Atqui nec bonum pacis potest conservari, neque confusionis malum resecari, nisi poenis coerceantur, qui bonum ordinis corrumpunt. Quocirca Aquinas vere dixit: „in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat qui contra ipsum insurgit . . . unde quidquid contra ordinem insurgit, consequens est ut ab eo ordine, et *principe ordinis deprimatur*". I. II. 87. art. 1 ; cf. *Ad Rom.* cap. XIII. 4.

Arg. II. *Ex S. Scriptura. a)* Christus de peccatore hoc constituit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Atqui istis verbis coactiva potestas ecclesiae tribuitur. Quod apparet 1° ex eo, quod ecclesiae tanta potestas jubendi tribuitur, ut rebelles excommunicationis seu separationis poena digni censeantur: *sicut ethnicus;* 2° ex verbis immediate subsequentibus: *Quaecunque alligaveritis* etc.

b) S. Paulus tam dictis quam factis puniendi potestatem sibi vindicat. 1° *Dictis.* Apostolus enim ad Corinthios haec scribit: *Quid vultis? In virga veniam ad vos*, I. Cor. IV. 21. *„In virga* scilicet disciplinae *veniam ad vos*, scilicet castigandos." S. Thom. in l. c. lect. III. Rursus: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, II. Cor. X. 6. *„In promptu habentes*, id est promptum et liberum animum ha-

bentes ad puniendum omnem inobedientiam." S. Thom. in l. c. lect. 1. Atque iterum: *haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi.* II. Cor. XIII. 10.

2° *Factis.* Apostolus praescribit, ut male parentes poenas luant: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* II. Thess. III. 14. Ecce poena, et poenae finis: *ut confundatur.* Cf. I. Cor. V. 11.; II. Joan. I. 10. Et alibi se venturum affirmat, ut puniendi potestate utatur: *Praedico . . . iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam, si venero iterum, non parcam.* II. Cor. XIII. 2. Atque de Corinthio incestuoso: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est . . . tradere hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* I. Cor. V. 3—5.

Arg. III. *Ex traditione.* Testimonio constat auctorum certissimorum, antiquitus poenas ab ecclesia inflictas esse. At illae poenae statuebantur etiam *in invitos* et *pro foro externo* seu contentioso. Ergo. *Major* quod ad poenas spirituales attinet, certa videtur; exempla vero poenarum temporalium articulo quarto proferam. *Minor* perspicua est; siquidem nemo ignarus est, plurimos rebelles et inobedientes excommunicatos esse, sacramentis et communione fidelium interdictos, degradatos, aliis poenis affectos.

Objectiones.

Obj. I. Ecclesia, cum ad animorum salutem instituta sit, punire non debet, nisi ut reus corrigatur. Atqui nulla poena corrigit invitos. Ex quo intelligitur, veri nominis potestatem coactivam in ecclesia nullam esse.

Resp. Dist. maj.: in ecclesia rei correctio est finis poenae inclusive, *conc.;* exclusive, *nego. Dist.* min.: nulla poena corrigit invitos immediate, *conc.;* mediate, *nego.* Et explico.

Poenae finis nec sola est *restitutio juris violati,* ut asseritur in systemate poenali, quod *absolutum* nuncupatur; neque *sola correctio* sive socialis sive individualis, ut affir-

mant propugnatores systematis *relativi*, sed ratione quadam *mixta* uterque finis componendus est. Ita poenae ab ecclesia infliguntur non *exclusive*, ut devii reducantur, verum etiam ut justitiae aequalitas, quamvis ultima retributio in terris non fiat, ex parte redintegretur. Cf. S. Thom. *De reg. princ.* lib. I. 15.; II. II. 58. art. 1.; III. 90. 2. — *In Sent.* IV. dist. 19. q. 2., art. 1. haec: „ad hoc quod homo recte gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab eo qui ipsius curam gerit . . . Tertio ut si contingat eum discedere, quod ad viam rectam reducat; et quantum ad hoc dicitur ipsum corrigere: quandoque quidem ut rectitudo fiat *ab eo*, quando scilicet ille qui deliquerat, emendatur, ex cura sibi impensa; quandoque autem ut rectitudo justitiae *de eo* fiat per poenas inflictas, etiam si ille non corrigatur ex parte sua."

Distinctio *minoris* cuique clara; nimirum quia usu venit, ut inviti, poenis afflicti, resipiscant.

Instabis. Quidquid est, ecclesiasticae poenae nullus finis nisi coercere subditos ab iniquitate. At multoties praevidetur, invitos nullius poenae causa ad bonam frugem se recepturos. Ergo fateamur, ecclesiam in eos saltem invitos potestate coercitiva carere.

Resp. Dist. maj.: talis scopus ecclesiae esse debet aut respectu ipsius peccantis aut respectu aliorum, *conc.;* respectu solius peccantis, *nego. Transeat* min. Malum poenae *ad coercendam et ordinandam malitiam culpae* inferri, S. Thomas testis est. *Quaest. disp. De malo,* I. art. 5. ad 7. At vero „poena quae etiam secundum leges humanas infligitur, non semper est medicinalis ei qui punitur, sed solum *aliis;* sicut cum latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu poenae peccare desistant". I. II. 87. art. 3. ad 2.; cf. *C. Gent.* lib. III. 144. Quapropter auctoritas ecclesiastica, cum commune omnium bonum respiciat, poenas in rebelles etiam decernit, ut culpa malitiae in aliis coerceatur et ordinetur, sicut scriptum est: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Prov. XIX. 25.

Obj. II. Deo voluntarie serviendum est. At si reus invitus a moribus pristinis arcetur, non servitur Deo vo-

luntarie. Ecclesia igitur a potestate coercitiva, cum ad Deum colendum nihil conferat, jure abjudicatur.

Resp. Conc. maj. *Dist.* min.: non servitur Deo voluntarie ab ipso invito, *conc.;* ab aliis, *nego.* Distinctio ex responsis ad objectionem primam patet. Cf. S. Thom. II. II. 108. art. 1.; 158. 1. ad 3.

Instabis. Postestas coactiva omnibus nocet. Quod *probatur.* Lex nova, non est timoris lex, sed caritatis. Potestas autem coactiva eo spectat, ut subditis timor injiciatur. Ergo, lege timoris reducta, potestas coactiva omnibus nocet.

Resp. Dist. min.: potestas coactiva eo spectat, ut timor injiciatur caritatem relinquentibus, *conc.;* eam habentibus, *nego.* S. Thomas de ea re: „lex Evangelii est lex amoris. Ideo illis, qui ex amore bonum operantur, qui soli proprie ad Evangelium pertinent, non est timor incutiendus per poenas: sed solum illis qui ex amore non moventur ad bonum, qui, etsi *numero* sint de Ecclesia, non tamen *merito.*“ II. II. 108. 1. ad 3.

Articulus IV.

Utrum potestas ecclesiae coactiva ad poenas etiam temporales extendatur.

I. Status quaestionis. Poenae temporales reum in bono materiali et ratione fortunarum affligunt. Quaestio autem, quae in manibus est, non huc redit, utrum ecclesiae facultas concessa sit decernendi poenas temporales et corporales, 1° quae pertinere censentur ad actus virtutum poenitentiae, abstinentiae et temperantiae, v. g. jejunia; vel 2° quibus soli poenitentes voluntarii castigantur; vel 3° quae in foro interno seu in judicio poenitentiali obnoxiis imponuntur. Sed hoc jam quaeritur, utrum ecclesiae potestas data sit injungendi 1° poenas, quae corpus aut bona fortunae *directe* afficiunt; 2° in foro externo et contentioso; 3° etiam iis, qui hujusmodi poenas subire nolint.

II. Proportio inter poenas temporales et hominum delicta. De hac proportione pauca praefamur, quo vis argumentorum facilius patescat.

Ea porro poenae est indoles, ut semper sit quaedam *corruptio agentis.* Etenim ut actionis ordo tollitur culpa, ita „malum . . . quod est per subtractionem formae et integritatis rei, habet rationem poenae"; unde sicuti de ratione culpae est quod noceat agenti in sua actione, ita „de ratione poenae est quod *noceat agenti in se ipso*". S. Thomas I, 48. art. 5. Jam vero illa *corruptio agentis* seu malum poenae, quod *noceat agenti in se ipso,* est „privatio ejus quo voluntas potest uti quocumque modo ad bonam operationem". S. Thom. *De malo,* I. art. 5. Et quoniam motus appetitus et voluntatis terminatur *bono delectabili, poena bono delectabili opponatur* necessum est. Reus igitur privatione alicujus boni delectabilis puniatur. Ex quo conceptu poenae proportio inter poenas temporales hominumque delicta nullo fere negotio intelligitur. Etenim cum homines in terra constituti corporalibus et temporalibus bonis plurimum delectentur, quaedam conveniens erit *agentis corruptio,* si reus aliquibus delectabilibus temporalibus privetur. Cf. S. Thom. I. 5. a. 6.; *De malo,* I. a. 4. ad 12; J Maus, *De la justice pénale,* 2me édit. Unde, spectata hominum natura, necessarium est, potestatem coactivam ad vim materialem inferendam extendi.

III. Adversarios nonnullos potestatis coactivae art. praec. recensuimus. Ex adversariis autem non pauci potestatem illam coactivam, qua, pronunciatis ab ecclesia poenis *spiritualibus,* reus conscientiae suae relinquitur, non directe impugnant; negant esse in ecclesia potestatem, qua reus poenis *temporalibus* ad satisfaciendum cogatur. Error ille ab ecclesia sufficienter damnatus est. Pistoriensium enim hac in re sententia „quatenus intendat ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem . . . *devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi*" damnatur ut „*inducens in systema alius damnatum ut haereticum*". Bulla *Auctorem fidei.* In *Syllabo* notatur thesis: *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet,* prop. 24. Cf. breve dogmaticum *Ad apostolicae,* 22. Aug. 1851, qua damnatur eadem doctrina Nuytz. Jam vero Pistorienses et Nuytz potestatem coactivam directe quantum ad poenas

temporales impugnarunt. Propterea sensus damnationis tam manifestus est, ut opinio, qua potestas coercendi per poenas temporales ab ecclesia excluditur, ad minus *erronea* et *temeraria* habeatur; *haereticam* autem esse, quoniam *poenae temporales* propriis terminis in ecclesiae definitionibus non exprimuntur, non tam apertum videtur. Attamen Suarez contrariam doctrinam censet esse *de fide*. Cf. Bouix, *Tract. de Judiciis*, t. I. pars 1. sect. II. cap. IV. § 4. — In encyclica *Quanta cura* graviter a Pio IX. reprehenduntur, qui asserunt, „Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum *poenis temporalibus* coercendi."

Thesis: *Potestas ecclesiae coactiva ad poenas etiam temporales extenditur.*

Argumenta.

Arg. I. Potestas ecclesiae coactiva, ut hominis causa concessa, poenas statuere debet, humanae naturae proportionatas. Jam poena temporalis humanae naturae, ut re ipsa agit, proportionata est. Reus enim per poenas aliquo bono delectabili privandus est. At homines, praesertim mali, bono temporali maxime delectantur. Ergo temporalis poena, qua homines ejusmodi bono privantur, est humanae naturae proportionata. Explicatur.

a) Quantum ad ipsum reum. Verissime S. Thomas: „qui in peccato est, non habet gustum sanum, ut ex dulcedine divinae bonitatis a peccato revocetur; sed habet affectum infectum amore sui inordinato; et ideo per poenas quae naturae suae contrariantur et voluntati, a peccato revocatur." *In Sent.* IV. 14. q. 1. art. 2. q. 1. sol. 1.

b) Quantum ad alios. „Cohibentur autem aliqui — ait S. Thomas — a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua quae plus amant quam illa quae peccando adipiscuntur: alias timor non compesceret peccatum . . . Haec sunt autem quae homo maxime diligit: vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, et bona exteriora, puta divitias, patriam et gloriam." II. II. 108. art. 3. Cf. *C. Gent.* lib. III. 141.

c) Ut redintegretur aequalitas justitiae. „Omnis actus peccati — ut observat S. Thomas — procedit ex aliquo *inordinato* appetitu alicujus *temporalis boni.*“ I. II. 77, 4. Ergo ad aequilibrium ordinis restituendum intemperantia privatione luenda est.

Arg. II. *Ex S. Scripturis.* S. Scriptura tum *principia*, quibus potestas infligendi poenas temporales innititur, tum *exempla* proponit. Igitur ea potestas habet fundamentum sufficiens in S. Scriptura. Prob. *antec.*

a) Principia. Prov. XIII. 24. scriptum legimus: *Qui parcit virgae, odit filium.* S. Paulus I. Tim. V. 20.: *Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant.* Ecce poenae temporalis publicaeque humiliationis scopus: *ut et ceteri timorem habeant.* Et apertius I. Cor. V. 5. de incestuoso: *tradere hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Ecce poena temporalis *in interitum carnis*, ut animae utilitati sit, *ut spiritus salvus sit.*

b) Exempla. Christus ait: *si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. XVIII. 17. Ex qua sententia profluit infamia, quae est alicujus boni temporalis privatio. S. Paulus de Christiano contumaci statuit: *hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur*, II. Thess. III. 14.; rursus: *peccantes coram omnibus argue*, I. Tim. V. 20.: nec dubium, quin confusio et publica castigatio poenae temporales sint; similiter *interitus carnis*, inflictus incestuoso Corinthio. I. Cor. V. 5.; cf. S. Thom. *In I. Cor.* V. lect. I.

Arg. III. *Ex traditione. a)* Ab antiquissima aetate mos fuit, ut peccatores publici ad poenitentiam publicam excommunicatione et omnimoda ab ecclesia expulsione cogerentur. Atqui multae poenae temporales, v. g. prohibitio obeundi nonnulla negotia saecularia, in poenitentia illa publica includebantur. *b)* Est antiquissimus usus *virgarum* et *carceris*, qui patrum conciliorumque testimonio comprobatur; sic beatus Gregorius Magnus ad Januarium Calaritanum episcopum scribit: „Quos tamen si emendare se a talibus et corrigere *nolle* repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus: et si quidem servi sunt, *verberibus* crucia-

tibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare: si vero sunt liberi, *inclusione* digna districtaque sunt in poenitentiam redigendi." *Ep.* lib. VI. 65. Hic mentio fiat carcerum ecclesiasticorum, qui *decaneta*, *δεκανικά*, *decanica* nuncupantur. Ejusmodi carceres, in quibus et laici et clerici recludebantur, saeculo IV. jam viguisse, constat. Cf. Kraus, *Real-Encyklop.* B. I. p. 575. *c)* Aliae poenae temporales fuerunt *exilium* et *multa*, de quibus vide decreta concilii Romani, 503; concilii Carthaginiensis, 398, alia. *d)* Quin imo recentiori aetate patres Tridentini decreverunt: „Qui vero (duellantes) pugnam commiserint et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis et omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuae infamiae poenam incurrant; et ut homicidae juxta sacros canones puniri debeant." Sess. XXV, 19. Cf. sess. XXIV. 7.; sess. XXI. 6.; sess. XXIII. 1. *e)* Denique *principium*, vi cujus illa praxis vigebat, aperte describunt. Sic beatus *Augustinus*, *Retract.* II. 5. sententiam priorem emendans: „nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinae." Sermo est de nonnullis, qui scindebant ecclesiam. Cf. *ep.* 48. ad Vincentium et 50. ad Bonifacium. S. Leo M. ait: „ad spirituale remedium nonnunquam recurrunt, qui timent temporale supplicium." *Ep.* 4. alias 91. et 93.

Objectiones.

Obj. I. Media ex fine determinantur. Finis autem ecclesiae spiritualis est. Poenis ergo temporalibus ad suum finem attingendum uti non potest.

Resp. Conc. majorem et minorem. *Nego* conclusionem. Adversariorum argumentum falso supponit, hominem ad finem spiritualem attingendum mediis temporalibus nihil juvari. Homo autem, cum ex animo et corpore constet, corporalibus etiam mediis dirigatur necesse est. Atque illud certe tum rerum natura tum usu exploratum est, plurimos, poenis temporalibus sublatis, satis cohiberi non posse. Eam vim habet, quod dixit Aristoteles: „Multitudo necessitati potius quam rationi paret." *Ethic.* X. 9.

Instabis. Christus, cum multi discipulorum abirent retro, vim eis non intulit, sed dixit ad duodecim: *Numquid et vos vultis abire?* Joan. VI. 68. Ergo ecclesia vim inferendi potestatem nullam habet.

Resp. Dist. antec.: hoc loco commendatur liber *affectus* fidelium, *conc.*; excluditur potestas ecclesiae, *nego.* Christus non omnia docuit eodem tempore, sed pro rerum adjunctis diversa doctrinae suae capita praedicavit. Jam vero doctrina de potestate ecclesiae coactiva textu objecto non excluditur. Etenim potestas, de qua diximus, bono communi procurando necessaria est; singulis tamen individuis, ut Deo placeant, affectu libero opus est.

Urgebis. Nullus credit nisi volens. Ergo vim inferre, ut homo credat, semper nefas est.

Resp. Conc. antec. *Dist.* conseq.: nefas est vim inferre, ut infidelis credat, *conc.;* ne fidem impediat, *nego*: „infidelium — ait Angelicus — quidam sunt qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et Judaei. Et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant: quia credere voluntatis est. Sunt tamen compellendi a fidelibus, si facultas adsit, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus." II. II. 10. 8.

Dices: Etiam de haereticis hoc valet: nullus credit nisi volens. Ergo ecclesia consectando quondam poenis temporalibus haereticos perverse egit.

Resp. Nego conseq. Scilicet: „Ecclesia non persequitur eos (haereticos), ut per violentiam inducantur ad credendum, sed ne alios corrumpant, et ne tantum peccatum inultum remaneat" *In Sent.* IV. dist. 13. art. 3. Quod quidem ex lege fit, cum baptizati ecclesiae subjiciantur.

Obj. II. Potestas, quae saevam inhumanitatem progignit, per se mala est. Atqui potestas, qua possit ecclesia vim inferre, per se inhumanitatem progignit; quod patet ex inquisitionis nefariis sceleribus.

Resp. Dist maj.: quae saevam inhumanitatem progignit ipso usu et per se, *conc.;* quodam abusu et per accidens, *nego.* Et *negata* minori ad probationem *dist.:* patet ex sceleribus fictis, *conc.;* veris, *nego.* Abusus non tollit usum.

Praeterea adversarii nihil antiquius ducunt, quam ut inquisitionis tribunal in invidiam adducatur: 1° ipsi tribuendo, quae non sunt inquisitionis sed potius antiqui juris civilis, v. g. tortura, poenae valde durae; 2° detorquendo modum, quo inquisitio in suis judiciis procedebat, licet in hujusmodi tribunali vere, religiose et humane judicatum esse novimus;[1]) 3° ignorando, poenas inquisitoriales de principatu civili non parum pependisse, ipsamque inquisitionem, quanquam tribunal illud ecclesiasticum erat, et civilis principatus et ecclesiastici spontaneo consensu boni *communis* causa viguisse;[2]) 4° objurgando ecclesiam de facinoribus, quae saecularis potestas plura patravit, non annuente ecclesia, sed prorsus obnitente; 5° veritatem prorsus egrediendo, quantum ad morte multatorum numerum. Quin imo in jure receptum est adagium: *Ecclesia abhorret a sanguine.*[3])

[1]) Cf. Bern. Guidonis, *Practica inquisit. heret. pravitatis,* Paris, A. Picard; Martene, *Thesaurus anecdotorum,* t. V. p. 1795 etc., De modo procedendi; Hefele, *Card. Ximenes;* Balmès, *Le protestantisme comparé au catholicisme,* t. II.: Claessens, *L'inquisition et le régime pénal pour la répression de l'hérésie dans les Pays-Bas du passé;* Francisco Rodrigo, *Historia verdadera de la inquisicion;* Orti y Lara, *La Inquisicion,* Rev. des quest. hist. 1881, Octob.; Hergenröther, *Kathol. Kirche und christlicher Staat,* XVI. et pro litteratura ibid. Beiträge, p. 48—57; A Baudrillart, *L'Église catholique, la Renaissance, le Protestantisme* (3. éd. 1904); A Luchaire, *Innocent III.* (1904). — Inter acatholicos non sine studio aequitatis de inquisitione scripsit Camillus Henner, *Beiträge zur Organisation und Kompetenz der päpstlichen Ketzergerichte,* de quo Zeitschrift für kath. Theol., 1891, II., p. 363—374. Multo rationabilius quam H. Ch. Lea, ex Philadelphia, cujus *Historiam Inquisitionis,* anglice scriptum, Salomon Reinach latine reddidit, de Inquisitione disserit Schäfer, docens in universitate, quae est in Rostock, *Beiträge zur Geschichte des spanischen Protestantismus und der Inquisition im 16. Jahrh.* (1902).

[2]) Cf. Danzas, *Études sur les temps primitifs de l'ordre de S. Dominique,* t. V. ch. X.: L'hérésie et la répression. — Ad rem Sylvius in II. tl. quaest. XI.: „Haeretici non volunt audire ecclesiam: ergo merito *relinquuntur potestati saeculari,* tanquam non amplius filii ecclesiae, ac materna ejus benignitate indigni: potestas autem saecularis potest punire *malefactores rempublicam perturbantes* . . . Cum ergo *haeretici rempublicam perturbant,* ut tum *experientia docet,* tum", etc. — Cf. Balmès, *Le prot. comparé au cathol.* t. II. ch. XXXVII.

[3]) De tolerantia, non errorum, sed personarum rectissime Bal-

Instabis. Coercitio ecclesiae, si praevaleret, haereticorum maximum numerum in periculum poenarum temporalium adduceret.

Resp. *Nego* antec. Hoc enim quod objicitur prorsus a re alienum est. „Revera — ait Leo XIII. — si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum.“ Encycl. *Imm. Dei.* — Praeterea haeresis, tametsi in se mala, jam non *invadit* populos, sed potius inter nos constituta est atque ob lugendam errorum haereditatem non pauci bona fide errare creduntur.

Obj. III. Si jus coercendi per poenas temporales in ecclesia esset, Christus ecclesiae vim materialem ad jus illud exercendum tribuisset. At ecclesia vi materiali caret.

Resp. *Dist.* maj.: Christus ecclesiae tribuisset vim materialem aut per ecclesiam aut per alios pro ecclesia exercendam, *conc.;* tantum per ecclesiam ipsam exercendam, *nego.* Et *dist.* min.: ecclesia non habet vim materialem, formaliter, *transeat;* virtualiter, *nego.* Hoc missum facio, quousque ecclesia vim materialem formaliter, seu immediate sibi conjunctam, habere dicenda sit. At certe virtualiter vim materialem habet, id est, jus habet adsciscendi sibi eos, per quos illam vim exerceat. Ad rem patres concilii Lateranensis III. c. XXVII.: „licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat

---

mès: „En matière de religion, la tolérance ainsi que l'intolérance peuvent se trouver chez l'homme qui a de la religion, aussi bien que chez celui qui n'en a pas; ni l'une ni l'autre de ces deux situations vis-à-vis de la religion n'implique nécessairement la tolérance ou l'intolérance. Quelques personnes s'imaginent que la tolérance est le propre des incrédules, et l'intolerance le propre des hommes religieux; elles se trompent. Qui fut plus tolérant que saint François de Sales? Qui est plus intolérant que Voltaire?“ O. c. t. II. ch. XXXIV. Quod quam verum sit, historia moderna manifestat.

ultiones, catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut saepe quaerant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium.“

Quaestio XII.

De relationibus inter ecclesiam et statum.

Habita disquisitione de ecclesiae juribus ac potestate in se, consideretur societas ecclesiastica comparate ad civilem statum. Neque haec quaestio superflua videtur. Nimirum disputationes nostras de ecclesia valde complet, eamque solam in terris rectricem esse ad finem supernaturalem, ex dicendis fiet manifestius. Porro quaeritur,

Primo. *Quaenam sint de relationibus inter ecclesiam et statum systemata.*

Secundo. *Quibus principiis haec quaestio solvenda sit.*

Tertio. *Utrum ecclesia subordinetur statui.*

Quarto. *Utrum ecclesia a statu statusque ab ecclesia sejungendus sit.*

Quinto. *Utrum ecclesia habeat potestatem indirectam in temporalia.*

Articulus I.

Quaenam sint de relationibus inter ecclesiam et statum systemata.

De relationibus inter ecclesiam et statum systemata tria; *primum* ecclesiam statui vult esse subjectam; *secundum* ecclesiam a statu sejungit; *tertium* aliquam ecclesiae potestatem in statum esse, docet.

I. Systema subordinantium ecclesiam statui. *a)* Imperii Romani theoria de Christiana religione haec erat: *non licet esse vos;* praxis: *sacrifica aut morere.* Reddita per edictum Mediolanense (313) ab imperatore Constan-

tino M. pace ecclesiae, Christiani populi mille annis professi sunt, oportere terrestre regnum caelesti famulari, deficiente tamen, ut etiam id dicam, principum nonnullorum *praxi*. Saeculo XIV. Wilhelmus Occam, Joannes Giandone et Marsilius Patavinus hegemoniam principatus civilis in ecclesiam, tanquam *jus* verumque rerum ordinem, propugnare ordiuntur. Ita Marsilius Patavinus in opere: *Defensor pacis*.

b) Protestantismi haec regula: *cujus regio illius et religio;* ita Palatinatus in Germania incolas comes Fredericus III. ex Lutheranis Calvinistas fecit; Ludovicus eosdem Lutheranos; Fredericus IV. iterum Calvinistas. In Anglia, regnante Henrico VIII. et Elisabeth, necnon in parliamento anno 1546 nulla jurisdictio ecclesiastica nisi per regem, sub rege, a rege. Doctrinam autem subordinationis ecclesiae in cultu et disciplina multi, praesertim in Anglia, *Erastianismum* appellarunt, a Thoma Erasto, Calvinista, doctrinae istius propugnatore († 1587). Imperium autem status in religionem *jus reformandi* exercitium religionis atque *jus majestaticum circa sacra* nominatum est. Cui juri fictitio multis post annis titulus quaesitus a theologis; idque tripliciter: 1° per systema *episcopale*, 2° *territoriale*, 3° *collegiale*.

1° Juxta systema *episcopale* jurisdictio prius episcoporum fuit; *suspensum* tamen eorum jus per pacem Augustanam (1555), et collatum civili principi quantum ad exercitium. At status ille suspensionis *definitivus* factus est. Hinc jus penes principem ut *potestas devoluta*. Systematis hujus auctor Matth. Stephani († 1646), *Tractatus de jurisdictione*, etc. 1611.

2° In systemate *territoriali* principi jus circa sacra tribuitur, non per devolutionem ab episcopis, sed quod ecclesia versetur *in territorio* status, qui gubernatur a principe. Ita Thomasius, *Vom Rechte eines Fürsten in Mitteldingen*, 1695; *Vindiciae juris majest. circa sacra*, 1699, et J. H. Böhmer, *Diss. de jure episc. principum evangelicorum*, 1712. Neque ab hoc errore multum distat B. Carpzov, *Jurisprudentia ecclesiastica seu consistorialis*, 1645, qui jurisdictionem initio principum fuisse autumat, deinceps ab episcopis attentatam.

3° Systema *collegiale* in eo consistit, quod principi jus in sacra competere ducitur ut *jus delegatum.* Nimirum iis delegatum est a communitatibus (Gemeinde) seu ab ecclesia, quae non est nisi *collegium,* cujus membra aequalia sunt. Hoc enim collegium hominum, nullo hierarchico gradu distinctorum, cum primigenium jurisdictionis ecclesiasticae subjectum fuerit, jus in sacra transfert in principem. Ab eo igitur fonte principatus civilis habet *jura collegiata in sacra.* Insuper principi *vi principatus* jus circa sacra tribuitur. Systema collegiale, cujus Pufendorf fundamenta jecit, exstructum est a Chr. M. Pfaff († 1760), *Origines juris ecclesiastici,* 1719.

c) Gallicanismus, Jansenismus, Febronianismus et Josephinismus eo spectant, ut etiam in regnis catholicis politicae potestati pars haud exigua regiminis ecclesiastici concedatur. Unde systema *potestatis indirectae negativae in sacra;* quae quidem potestas nuncupari solet *jus majestaticum circa sacra.* Hoc jus ab aliquibus dicitur una cum regno ipso natum et potestati regiae tam inconvulse connexum, ut eodem se princeps nequeat abdicare, nisi una seipsum principatu exuat. Ad idem jus refertur 1° *jus advocatiae* et protectionis, quo status in ministris religionis instituendis, in educandis sacrorum alumnis et in promovendis ordinibus religiosis jure proprio disponit; 2° *jus supremi dominii* in bona ecclesiastica, quod fuit titulus eripiendi possessiones ab ecclesia; 3° *jus reformandi,* quod est potestas principum exstirpandi abusus, in ecclesiam illapsos, urgendique canones; 4° *jus supremae inspectionis,* quod disciplinam ecclesiasticam ac totam vitam ecclesiae exteriorem et activitatem administranti statui subdit; 5° *jus cavendi,* quod legibus praeventivis operationem ecclesiae obstruit, ne ecclesia statui noceat; 6° *jus placeti* et *exsequatur,* quod est majestati civili tributa potestas prohibendi bullarum, encyclicarum et ceterorum actorum ecclesiasticorum publicationem eaque examinandi in tribunali civili, priusquam exsecutioni mandentur; 7° *appellatio tanquam ab abusu* (appel comme d'abus) seu jus, quo status, plane ut judex superior, in rebus ecclesiasticis appellationes a sententia ecclesiastici judicis et re-

cursum ad principem admittit Hujusmodi opiniones falsae, saeculo XIV. aetate Philippi Pulchri sparsae, sanctione pragmatica Bituricensi (1438) animis infixae, fautores non paucos habuere, inter quos Pithou, *Les libertez de l'Eglise Gallicane,* 1594; Dupuy (Puteanus), *Preuves des libertez de l'Eglise Gallicane,* 1639; Justinus Febronius, *De statu ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus,* 1763; Eybel († 1805), Pehem († 1799), congressus Emsensis (1786), synodus Pistoriensis (1786), Nuytz, Dove, Bluntschli, Hinschius, Friedberg.

d) Hegelianismus. Hegel († 1831), pantheismi pravitate infectus, asserit, statum esse divinam voluntatem (göttlicher Wille), quae, ut spiritus praesens, ad realem formam et organisationem mundi (einer Welt) se explicat. Status est absolutus sibique finis (Selbstzweck) et uniuscujusque finis ultimus (Endzweck). Status est fons omnium jurium; religio tota subjectiva est; status est objectivus, scit, vult, regit. Hinc status omnia ipsamque religionem absorbet. Cf. *Grundlinien der Philosophie des Rechts.* Istud igitur systema constat ex negandis juribus Dei et quovis bonorum futurorum ordine. Cujus quidem statolatriae et Caesaropapismi praecursores fuerunt Thomas Hobbes († 1679) in libro *De cive* ac in *Leviathan*, et Spinoza († 1677) in opere, quod inscriptum est *Tractatus theologico-politicus.* Cf. Meyer, *Instit. juris naturalis,* et de abusu juris Romani pro Caesare contra ecclesiam, Danzas, *S. Raymond de Pennafort,* t. I.

Leo XIII., Encycl. *Libertas* plurimorum modernorum statolatricam mentem his describit: „Vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerant, ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subjungant."

II. Systema statum ab ecclesia et ecclesiam a statu sejungentium. In eo systemate spiritualis ordo et temporalis dissociantur, et separatio perhibetur esse *debitus* rerum status, qui *in se* recto utriusque potestatis ordini respondet. Qui huic errori adhaerent, ita se sentire affirmant,

quod status et ecclesia sibi invicem sint potestates *alienae;* alii, quod *inimicae.* Et ejus quidem sententiae naturam Leo XIII. descripsit his verbis: „Plures enim rempublicam volunt ab ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis, non magis ad ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam." Encycl. *Libertas.* Systema sejunctionis agnoscitur in Machiavelli, *Il principe,* qui moralem tam imo loco collocavit, ut civili potestati permitterent, nihil legem moralem curare, sed solam utilitatem suam. Cf. Suarez, *De leg.* lib. III. 12. Immanuel Kant, cum in *Critica rationis purae* principia posuisset, ex quibus sequeretur, de exsistentia Dei non haberi scientiam, in aliis operibus *moralem* a *religione, juridicum* ordinem a *morali* separavit. Sic vel fundamenta ordinatae colligationis ambarum potestatum subruit. Nostra aetate Cavour novam antiquo errori formulam aptavit: *libera ecclesia in statu libero.* Universim naturalistae et rationalistae, si qui doctrinam de *subjuganda* ecclesia vitaverint, in hoc systema *dissociandae* utriusque potestatis inciderunt.

III. Systema eorum, qui potestatem aliquam ecclesiae in statum docent. Catholici statum aliquo modo ecclesiae subordinari profitentur, sed alii aliter. Tres sunt sententiae; prima tuetur potestatem ecclesiae in statum *directam,* secunda *directivam,* tertia *indirectam.*

1° *Potestas directa* ea dicitur, qua status non tantum in rebus spiritualibus, verum etiam res temporales statuum, ratione sui, ecclesiasticae auctoritati sunt subjectae; idque ex institutione Christi. Ex quo concludunt potestatem civilem non derivari in principem saecularem nisi per debitam et subalternatam emanationem a Pontifice Maximo. Pro hac sententia stetisse videntur Joannes Sarisberiensis, *Polycraticus;* Augustinus Triumphus seu de Ancona, *De potest. ecclesiastica;* Panormitanus seu Nicolaus de Tudeschis, *Comm. in Decr. lib. II.* Molitor, *Die Decret.* „Per Venerabilem", recte subscribit Bellarmino dicenti: „Neque difficile

esset, alios Theologos. qui contrariam sententiam (potestatem directam) tueri videntur, ad concordiam cum caeteris revocare.“ Doctores autem illi pauci, qui medio aevo potestatem directam propugnarunt, suum systema generatim sic intellexisse censentur, ut potestatis civilis *exercitium* ordinatione divina pertineret ad principes.

2° *Potestas directiva.* Hujus systematis assertores nullam veri nominis jurisdictionem et potestatem coactivam in temporalia *divinitus* ecclesiae datam esse existimant, sed eam tantum, quae docendo et adhortando exerceatur. Pontifices autem Romanos, *directionis* illius limites egressos, docent ex speciali titulo, aut possessione quadam peculiari, denique jure *positivo humano*, non divino jure, potestatem haec ita patrandi obtinuisse. Hanc sententiam sequi videtur Fénelon, *Dissert. de auctor. Summi Pontificis*, eamque maxime tuetur Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge.* Hic in explicandis iis, quae mediae aetatis Pontifices Summi in temporalibus gesserunt, unice systemate *historico*, ut ait, utitur, id est temporis illius publico jure, relicto prorsus systemate *theologico*, quod in multis Pontificum gestis *etiam* jus divinum agnoscit.

3° *Potestas indirecta* dicitur, quae non est primario et intra terminos ejusdem potestatis, sed propter aliud et in potestatem distinctam. Haec porro potestas indirecta ecclesiae in temporalia est illa, qua *temporalia subjecta sunt ecclesiae non ratione sui, sed in quantum referuntur ad finem religionis.* In hoc igitur systemate ecclesia habet potestatem *jurisdictionis* in spiritualia *principaliter*, in temporalia *secundario*, quasi *ex consequenti* et *ratione connexionis cum spiritualibus* seu, ut ajunt, *ratione peccati.* Atque haec videtur esse sententia S. Augustini, *De civit. Dei*, lib. V. 24.; Innocentii III., Decret. *Novit.;* S. Thomae Aquinatis, II. II. 60. art. 6. ad 3. et alias. Joannes Turrecremata septem capitibus libri II. (90—92., 113—116) *Summae de ecclesia* systema potestatis indirectae exponit, probat, refellit sententiam tam eorum, qui nullam, quam aliorum, qui directam ecclesiae potestatem in temporalia defendunt. Ipsa vox *indirecta* ab ipso indicari videtur, ubi mentem suam his

verbis exprimit: „Romanus Pontifex licet *non* habeat potestatem regulariter sive *directe* ita plenam in temporalibus, sicut in spiritualibus: nihilominus etiam habet potestatem in temporalibus ex consequenti, et hoc proprio jure, quantum scilicet necessarium est ad conservationem rerum spiritualium". O. c. lib. II. 114; cf. 113. prop. 4. Egregius dein potestatis ejusdem indirectae defensor est Bellarminus, *Tract. de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus* adv. Barclaium. — De parte etiam historica hujus quaestionis cf. Suarez, *Defensio fidei cath.*, lib. III.; Mamachi, *Origines et antiquitates Christ.*, t. IV.; Phillips, *Kirchenrecht*, t. III.; Hergenröther, *Kathol. Kirche und christlicher Staat;* Bianchi, *Della potesta e della politia della Chiesa;* Molitor, *Die Decretale* „Per venerabilem"; De Hammerstein, *De Ecclesia et Statu;* Lombardo, *La separazione dello Stato dalla Chiesa;* Manning, *The Vatican Decrees in their bearing on civil allegiance;* Allies, *Church and State as seen in the formation of Christendom;* Tarquini, *Les principes du droit public de l'Eglise*, trad. Onclair, edit. 4.

Ab acatholicis, quoniam doctrinam veterum de potestate *indirecta* parum intelligebant, saepe falso de systemate catholico judicatum est. Ita erraverunt et non paucos in errorem duxerunt J. K. Bluntschli, *Geschichte der neueren Staatswissenschaft* et O. Gierke, *Das deutsche Genossenschaftsrecht*, vol. III., quod Fredericus Maitland anglice redditum et introductione auctum edidit et inscripsit: *Political theories of the middle Age* (1900).

Articulus II.

De principiis, quibus quaestio de relationibus inter ecclesiam et statum solvenda est.

I. Status quaestionis. Quaeritur, quid de relationibus inter ecclesiam et statum constitutum sit *divinitus*. Quod non idem est atque disserere de potestate in temporalia, ecclesiae quondam concessa aut concedenda posthac, 1° *jure* duntaxat *historico;* 2° *jure positivo humano* et *jure publico* cujusdam temporis; 3° *jure* aliquo, ut ajunt *provisorio*,

necessario praeteritis temporibus; 4° *dictatura* quadam, restaurandae societatis causa oblata Pontifici Maximo. — Nec tamen negatur, ecclesiam, „majus aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum“ (encl. *Libertas*), aliquando nonnulla in *praxi* concedere aliaque tolerare, verum salvo *jure*

Nobis autem de *jure* quaerendum est, necnon indicandum, ex quibus principiis refellatur doctrina de ecclesiae jurisdictione in statum erronea, stabiliatur vera. Porro hujusmodi principia spectant 1° utriusque potestatis originem; 2° earum distinctionem et perfectionem socialem; 3° status finem proximum; 4° ecclesiae finem proximum; 5° utriusque potestatis finem ultimum; 6° ordinem potestatum, manifestum ex fine.

II. Principium primum: Fons juris et origo auctoritatis tam civilis quam ecclesiastici est solus Deus Scriptum est: *Non est enim potestas nisi a Deo.* Rom. XIII. 1. Ergo quaestio, de qua agitur, solvenda est non ex *jure novo,* sed ex *lege divina,* in lege naturali evangelicisque praeceptis manifestata. Quare in *Syllabo* notatur prop. 39.: „Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.“ Est autem verissima S. Thomae sententia: „potestas spiritualis et saecularis utraque deducitur a potestate divina, et ideo *in tantum* saecularis potestas est sub spirituali, *in quantum* est ei *a Deo* supposita.“ *Sent.* IV. dist. 44. in fine.

III. Principium secundum: Status et ecclesia sunt societates distinctae, utraque in ordine suo perfecta. De qua re Leo XIII. illud in encyclica *Immort. Dei:* „Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. *Utraque est in suo genere maxima:* habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur.“ Ecclesia igitur et status sunt regna *distincta,* sic ordinante Deo. Quod idem ab Angelico explicatur his verbis: „Hujus

ergo regni (spiritualis) ministerium, *ut a terrenis essent spiritualia distincta,* non terrenis regibus sed sacerdotibus est commissum, et praecipue summo sacerdoti successori Petri Vicario Romano Pontifici." *De regim. princ.*, lib. I. 14. Et amplius: „in tantum saecularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita scilicet in his, quae ad salutem animae pertinent: et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quam saeculari. In his autem, quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati saeculari, quam spirituali, secundum illud Matth. XXII. 21.: *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari.*" Nulla igitur in catholica doctrina de utraque potestate confusio, sed diligens earum distinctio. Hoc tamen loco animadvertendum est, ab acatholicis passim negari, ecclesiam esse societatem perfectam; quamobrem lectorem remittimus ad quaest. IV. art. 1., ubi hoc principium secundum, in quantum ecclesiam attingit, demonstratur.

IV. Principium tertium: Finis societatis civilis proximus est, humano generi bonum comparare temporale et mundanum, habita tamen ratione finis ultimi hominum, qui est Deus. Hujus principii prima pars, facile cum ab acatholicis concedatur, explanatione nulla indiget. Ad secundam partem et de fine ultimo haec SS. Leo XIII.: „Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta et perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem communi utilitati notam in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importat unquam incommodi, sed omnes quascunque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cujus officia hominem Deo conjungunt." Encycl. *Imm. Dei.* Excluditur ergo sententia

dicentium, statum sibi esse unicum et ultimum finem. Quem errorem S. Thomas olim repulit hoc ratiocinio:

„Idem oportet esse judicium de fine totius multitudinis, et unius. Si igitur finis hominis esset bonum quodcumque *in ipso* existens; et regendae multitudinis *finis ultimus* esset similiter ut tale bonum multitudo acquireret, et *in eo permaneret* . . . Sed quia homo vivendo secundum virtutem *ad ulteriorem* finem ordinatur, qui consistit in fruitione divina, oportet eumdem finem esse multitudinis humanae qui est hominis unius. Non est ergo *ultimus finis* multitudinis congregatae vivere secundum virtutem, sed per virtuosam vitam pervenire ad fruitionem divinam." *De regim princ.* I. 14.

V. Principium quartum: Finis ecclesiae proximus perducere homines ad felicitatem sempiternam. Hoc probatum est q. II. art. 3. Cardo autem hujus quaestionis est *excellentia finis illius supernaturalis.*

VI. Principium quintum: Ordo potestatum est sicut ordo finium. Haec regula in encycl. *Immort. Dei* de ordinata inter utramque potestatem colligatione: „Qualis autem et quanta ea sit, aliter judicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare." Finis enim est potissima causarum, et causa finalis aliarum causarum causa; quare „uniuscujusque rei quae est propter finem, necesse est quod forma determinetur secundum proportionem ad finem". I. II. 95. a. 3. Ex quo fit, ut finis potestatis sit mensura potestatis; quam mensuram qui excedit, haud dubie subvertit ordinem, ab ipso Deo rebus constitutum.

VII. Principium sextum: Finis utriusque potestatis ultimus Deus. Deus enim ut summum bonum summus finis est. Jam vero „in omnibus agentibus et moventibus ordinatis, oportet quod finis primi agentis et motoris sit ultimus finis omnium, sicut finis ducis exercitus est finis omnium sub eo militantium". S. Thom. *C. Gent.* lib. III. 25.

Hactenus de principiis.

Articulus III.

Utrum ecclesia subordinetur statui.

I. Status quaestionis, considerata adversariorum sententia, fiet manifestus. Hegelianismus nulla ecclesiae *jura*, nec *juris exercitium* novit, nisi a civili potestate definita; protestantismus, infitiatus visibilitatem pertinere ad essentialia verae Christi ecclesiae, gubernationem ecclesiae principatui temporali tradidit; regalismus, tributo civili potestati jure, quod vocant *exsequatur*, aliaque id genus, ecclesiam ad suas res agendas plane liberam esse non sinit. Omnes societatis ecclesiasticae auctoritatem extenuant, „vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut *unam* quamvis *e consociationibus civium voluntariis*, ita ecclesiam Dei *sub imperium ditionemque reipublicae* subjungant." Encycl. *Libertas*. Igitur ostendemus, civilis potestatis non esse definire, quae sint ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat, atque ecclesiasticam potestatem suam auctoritatem exercere debere absque civilis gubernii venia et assensu, seu, ecclesiae potestatem imperio civili nullo modo esse obnoxiam. Cf. Syll., encycl. *Imm. Dei* et encycl. *Sapientiae christianae*.

II. Tam indirecta quam directa subordinatio ecclesiae excluditur. Qui potestatem ecclesiasticam *ratione sui* sub imperium reipublicae subjugant, statui ecclesiam docent esse *directe* obnoxiam. Hi sane nec indolem societatis perfectae in Christi coetu respiciunt nec celsitudinem finis, qui coetui illi est proxime propositus. Verum alii ecclesiam non ratione sui principatui reipublicae arbitrantur subordinatam esse, sed *indirecte*, hoc est, in ordine ad finem potestatis civilis, quasi ligari posset ecclesia, quotiescunque bonum temporale id postulare videretur. Cui quidem doctrinae refellendae valent argumenta tum ex S. Scriptura, quae demonstrat, ecclesiae missionem adimplendam invitis quoque potestatibus saecularibus, tum ex fine ecclesiae, qui, nobilissimus cum sit omniumque supremus, nullius potestatis saecularis fini cedere debet.

Thesis: *Ecclesia statui nullo modo subordinatur.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Omnis principatus, etiam civilis, obedire debet Christo Domino. Atqui omnia, quae religionem attingunt, in Evangeliis ac apostolorum epistolis potestati ecclesiasticae demandantur absque ulla subordinatione principatui civili, sive explicita sive implicita. Ergo ecclesia nullo pacto subordinata est statui. Prob. *min.* Christus loquitur ad Petrum: **Tu** *es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; —* **tibi** *dabo claves regni caelorum* Matth. XVI. Similiter Dominus ad apostolos: **ego** *mitto* **vos,** Joann. XX. 21.; *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes,* Matth. XXVIII. 18, 19. Haec ad apostolos. Nihil ergo principi; nihil per principem; nihil dependenter a principe, verum *etiam* eo refragante. Hinc: *in synagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides et ad reges ducemini propter me.* Matth. X. 17, 18.; et illud apostolorum, cum a principibus synagogae praedicare prohiberentur: *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Act. V. 29. Quam vero haec apostolorum sufficientia ad potestatem exercendam ecclesiasticam non exstincta sit in eorum successoribus, textus probant, quibus alias divinum hierarchiae primatusque Romani institutum ostenditur.

Arg. II. *Ex fine ecclesiae.* Societatum sicut finis ita potestas. Porro finis ecclesiae non est inferior fini status. Ergo nec potestas ecclesiae est inferior potestati civili. Prob. *min.* Finis supernaturalis et spiritualis non est inferior fini naturali et temporali. Probavimus autem ecclesiae finem proximum esse felicitatem hominum supernaturalem et spiritualem; finis autem proximus societatis civilis felicitas temporalis est. Ita fit, ut ecclesia imperio civili nullo modo sit obnoxia. Neque aliud principibus *baptizatis* tanquam de jure concessum est; non enim ecclesiae rectores baptismate facti sunt, sed *filii.*

Arg. III. *Ex traditione. a)* Tribus prioribus saeculis

ingens *martyrum* numerus pro libertate et independentia religionis dimicavit; item illius aevi *doctores* ecclesiae pastoribus potestatem in spiritualia tribuunt, principi nullam; de matrimoniorum etiam validitate ecclesiam contra ac potestatem civilem praedicasse, scriptum est apud Ignat. Antioch. *Ad Polyc.* V.; Justin. *Apol.* I. 15.; Athenag., *Legatio pro Christianis*, XXXII. XXXIII. Exinde Pontifices Romani, episcopi et alii viri praestantes pro ecclesiae libertate multa saepissime passi sunt, S. Athanasius, S. Martinus I., S. Gregorius VII., S. Thomas a Becket, Thomas Morus. Hos omnes movit, ut acerba quaevis quam ecclesiam servam esse mallent, firma fides dignitatis ecclesiae. Quid quod solus catholicorum coetus constanter excussit jugum illud, quod Byzantini, Russi, nationales ecclesiae protestantium bajulare coacti sunt.

b) Aperte *Hosius* Cordub. ad Constantium imp.: „Ne te rebus misceas ecclesiasticis . . . tibi Deus imperium dedit, nobis ecclesiastica concredidit.“ Apud S. Athan. *Hist. Arian.* XLIV. *Lucifer Calarit.:* „quomodo dicere poteris, judicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, jam, quantum apud Deum, mortis poena fueris mulctatus?“ *Pro Athan. ad Constantium imp.* lib. I. — *S. Ambrosius:* „Scriptum est: *Quae Dei, Deo; quae Caesaris, Caesari.* Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae.“ *Ep.* 20. *Symmachus* Papa, *ep. apol.* ad Anastasium: „An, quia imperator es, divinum putas contemnendum esse judicium? An, quia imperator es, contra Petri niteris potestatem?“ — Cf. Roskovany, *Monumenta cath.*

c) „Quin etiam et opinione et re eamdem *(auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui juris)* probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt.“ *Imm. Dei.* Ita Constantinus M. ad episcopos: „Vos in iis quae intra ecclesiam (*τῶν εἴσω*) sunt, episcopi estis. Ego vero in iis quae extra (*τῶν ἐκτος*) geruntur.“ Apud Eus. *Vita Const. M.* lib. IV. 24. Similiter

Theodosius junior coram patribus concilii Ephesini: „Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consulationibus sese immiscere.“ Labbe, t. III. col. 441, 442.

Quaeres, *quousque memorata ecclesiae libertas extendatur.*

Resp. Hujus rei completa expositio cum ad canonistas spectet, capita quaedam libertatis ecclesiasticae, ex actis Pontificiis excerpta, proponam.

a) „Quidquid est in rebus humanis quoquo modo sacrum . . . id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae.“ *Imm. Dei.* Cf. nonnulla particularia in encycl. *Jampridem* 6. Jan. 1886.

b) Notantur in *Syllabo* prop. 20.: „Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu;“ prop. 28.: „Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas litteras promulgare;“ prop. 29.: „Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae“; prop. 33.: „Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam;“ prop. 41.: . . . „Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur,* sed etiam jus *appellationis,* quam nuncupant, *ab abusu;*“ prop. 42.: „In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet;“ prop. 44.: „Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere;“ prop. 49.: „Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent;“ prop. 50.: „Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos, et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et

apostolicas litteras accipiant;" prop. 54.: „Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia." Cf. prop. 30, 31, 32, 43, 45, 46, 47, 48, 51, 52, 53, 68—74.

Objectiones.

Obj. I. Quae sunt in statu, statui subordinantur. Atqui ecclesia est in statu. „Non enim — S. Optatus ait — respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica." *De schism. Donat.* III. 3. Ergo status est ecclesiae superior.

Resp. Dist. maj.: statui subordinantur quaecunque in statu sunt formaliter, *conc.;* materialiter, *nego.* Et ad minorem: ecclesia est in statu formaliter, *nego;* materialiter, *subdist.:* sub aliquo respectu, *conc.;* simpliciter, *nego.* Optatus autem a nobis non dissentit, propterea quod hoc unum meminit, ecclesiam, alibi saepe impetitam, „in imperio Romano" *in tuto* esse, non „in barbaris gentibus". Ideo ait: „Ecclesia in reipublica est, id est imperio Romano . . . ubi et sacerdotia sancta sunt et pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et si essent, *tuta esse* non possunt." — Cuique haec legenti apparet, quam incaute Du Pin, Baudouin et regalistae Optati sententia abusi sint.

Distinctio nostra omnino recta videtur. Ecclesia enim, cum in ordine suo *divinitus* summa sit, haberi non potest *pars*, quam respublica *formaliter*, ut totum suas partes solet, continet. Esse autem mere *materialiter* in statu, puta habitando, non efficit, ut adstricta potestati civili teneatur ecclesia, quae jure divino a jurisdictione status eximitur. At ne hoc quidem *simpliciter* verum, ecclesiam ob inhabitationem numeri majoris minorisve fidelium in tali republica, materialiter in ea contineri. Ecclesia quippe nullis status limitibus circumscripta est, cum societas sit universalis suoque fine cuncta regna transcendat.

Instabis. Cives et externa subjiciuntur potestati politicae. Jam vero ecclesia membra habet, qui sunt *cives*, et

in ea cernuntur externa plurima. Ita sub hoc respectu statui subjicitur ecclesia.

Resp. Dist. maj.: subjiciuntur potestati politicae homines, ut *cives*, sunt, *conc.;* ut *fideles*, *nego.* Item: externa subsunt statui, si sint mere temporalia, *conc.;* si spiritualia, *nego.* Et vero iidem homines et cives esse possunt et fideles; ut *cives*, legibus reipublicae inserviunt, *fideles* oportet obtemperare ecclesiae. Atque S. Thomas optimo jure dixit: „homo non ordinatur ad communitatem politicam secundum *se totum* et secundum *omnia sua* . . . Sed totum quod homo est, et quod potest et quod habet, ordinandum est ad Deum." I. II. 21. art. 4. ad 3.

Quod ad *externa* attinet, haec omnia potestati civili subesse minime existimanda sunt, nisi *exteriora* dixeris eadem omnino esse ac *civilia.* At ecclesia jure divino societas est etiam *visibilis;* quo intelligitur, non omnia externa civilia esse, sed aliqua ecclesiastica. Porro ecclesiastica potestati sacrae subjecta sunt

Obj. II. Regibus Israel potestas in religionem concessa fuit. Ita cur civilis principatus ea jam careat, reperire nequimus.

Resp. Trans. antec. et *nego* conseq. Fuisse eam, quae perhibetur, in regibus Hebraeis potestatem in sacra, viri oppido gnari pernegant, ut Suarez, *Defensio fidei cath.* III. et Bellarminus, *Responsio ad apol. pro juramento fidelitatis.* At fuerit vere sub V. Testamento hujusmodi potestas in principe. Quid ergo? Nimirum sicut regiminis Israelitici generatim ita et regum indoles *theocratica;* deinde finis proximus *religionis* Judaicae, cum haec et *regno* Judaico condendo instituta esset, *temporalis* pariter et spiritualis erat, ut affirmat S. Thomas his *De reg. princ.* I. 14.: „quia in veteri lege promittebantur bona terrena non a daemonibus, sed a Deo vero religioso populo exhibenda; inde et in lege veteri sacerdotes regibus leguntur fuisse subjecti. Sed in nova lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona coelestia."

Instabis. Principes quoque catholici saepe praecepta dederunt in rebus ecclesiasticis.

Resp. Dist. antec.: id fecerunt principes suo jure proprio, *nego*; jure, aut ab ecclesia ipsis concesso, aut prorsus usurpato, *conc.* Neminem latet, in principe quandoque desiderari aliquid, atque extortum quandoque jus episcopis, qui principatui protervo plus aequo morigebantur. Sed et quaedam majoris mali vitandi causa interdum *tolerata* sunt; alia positive concessa et approbata, praesertim iis principibus, qui suis statutis ecclesiae leges non laedebant, sed confirmabant, ut Justinianum imperatorem fecisse probant ipse *Novell.* 9 et 123 necnon Beveridge, *Pandect. Canonum*, Prolegom.

Obj. III. Penes regnum temporale potestas est jure suo videndi, ne quid respublica detrimenti capiat. Huic autem legi salutis publicae procurandae omnia oportet esse subjecta. Ergo principatus civilis hanc ob causam res ecclesiasticas jure suo regere potest.

Resp. Dist. maj.; salutis publicae procuratio jus est potestatis civilis, salva divina ordinis lege, *conc.;* ea lege spreta, *nego. Dist.* et min.: reipublicae saluti subjecta sunt omnia civilia, *conc.;* ecclesiastica, *nego.* Fundamentum responsionis est obedientia, quam et status et ecclesia debent Deo, utramque potestatem ordinanti. Certe quidem homines civilem auctoritatem vereri tenentur; at status *omnium jurium fons* esse stultissime dicitur. Proinde „ubi imperandi jus abest, vel si quidquam praecipiatur rationi, legi aeternae, imperio Dei contrarium rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic praecluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus: sua sunt salva jura singulis civibus, sua societati domesticae, cunctisque reipublicae membris, data omnibus verae copia libertatis, quae in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere". Leo XIII. Encycl. *Libertas.* Cf. S. Thom. I. II. 95, 3; 96, 4.

Urgebis. Fieri potest, ut ecclesiastica potestas jure suo abutatur. Ecclesiam igitur a statu refrenari necesse est.

Resp. Dist. antec.: fieri potest, ut abusus reperiatur in dogmate definiendo, *nego;* in ordinanda disciplina particulari,

subdist.: fas est ob abusum *possibilem* ipsam potestatem ecclesiasticam absorbere aut obstruere, *nego;* fas est, *si* abusus *constet,* doctrinam moralem de lege aut poena injusta sequi, *conc.*

Replicabis. Unicuique societati *jus cavendi* est. At status est perfecta societas. Pollet igitur jure cavendi ecclesiam.

Resp. Dist. maj.: unicuique societati est jus cavendi, mediis justis, *conc.;* injustis mediis, *nego.* Ad minorem: status est perfecta societas omnipotens, *nego;* in suo ordine, a Deo determinato, *conc. Jus cavendi* in sensu adversariorum tam *in se* quam *in mediis* est injustitia maxima. *In se;* potestas enim ecclesiastica traducitur tanquam potestas *per se* inimica civitatibus; quod repugnat cum ecclesiae *institutione,* quae divina est; cum *operatione* ecclesiae, quae per se societati civili amica est et saluberrima; cum *historia,* quae statui locum *aggressivum* in certaminibus, *defensivum* ecclesiae tribuit.[1])

Media injusta sunt *placetum regium, exsequatur, appellatio ab abusu* aliaque in eo genere inventa. Primum et secundum, quibus Pontificis Romani cum episcopis et fidelibus communicatio impeditur et potestatis ecclesiasticae exercitium statui redditur obnoxium, cum incolumitate juris, divinitus ecclesiae dati, non consistunt. Tertium, *appellatio*

[1]) Aug. Comte, incredulus, ait: „Le système catholique au moyen âge forme jusqu'ici le chef-d'oeuvre politique de la sagesse humaine. Le génie, eminemment social, du catholicisme a surtout consisté, en constituant un pouvoir purement moral distinct et indépendant du pouvoir politique proprement dit, à faire graduellement pénétrer autant que possible, la morale dans la politique, à laquelle jusqu'alors la morale avait toujours été au contraire essentiellement subordonnée. Quand on examine aujourd'hui, avec une impartialité vraiment philosophique, l'ensemble de ces grandes contestations si fréquentes au moyen âge, entre les deux puissances, on ne tarde pas à reconnaître qu'elles furent, presque toujours, essentiellement défensives de la part du pouvoir spirituel, qui, lors même qu'il recourait à ses armes les plus redoutables, ne faisait le plus souvent que lutter noblement pour le maintien convenable de la juste indépendance qu'exigeait en lui l'accomplissement réel de sa principale mission." *Cours de philosophie.*

ab abusu, ordinem a Christo constitutum perturbat. Appellationes enim non nisi *a judice superiori* admitti possunt. Jam solus Papa est episcopis superior; potestati civili in rebus ecclesiasticis nullus locus. Ergo jus laeditur, si princeps appellationes ab episcoporum sententiis admittat, aut praesumat episcoporum ac Summi Pontificis reformare judicia. Brevi, jus cavendi est jugum, ecclesiae impositum.[1])

Obj. IV. Mensura mediorum, quibus statum uti fas est, *utilitas*. Jam vero jus majestaticum circa sacra nonnullam habet utilitatem.

Resp. Mensura mediorum, quibus statum uti fas est, *justitia;* nam finis status et „omnia ordinantur sub Deo sicut fines praecedentes sub fine ultimo". S. Thom. *C. Gent.* lib. III. 17. Status igitur, nisi sibi finis ultimus et Deus esse velit, ad finem suum *sub Deo* tendat, qui jus in sacra et circa sacra soli commisit ecclesiae. Quo facto servatur ordo et pax, quae est maxima utilitas. Etenim „sicut vita in quolibet homine, ita pax in regno: et sicut sanitas nihil est nisi temperantia humorum, sic *pax* est *cum unumquodque retinet ordinem suum.* Et sicut recedente sanitate tendit homo in interitum, sic de pace: si a regno discedit, tendit in interitum." S. Thom. *In Matth.* XII. n. 2.

Instabis. Culturae interest, ecclesiam subesse statui. Ergo jus circa sacra sejungi nequit a statu, in quo viget cultura (Kultur-Staat).

Resp. Prima lex verae culturae, parere ordini divinitus constituto; ex eo fonte maxima bona etiam temporalia originem habent. Pax ex ordine; ut ait Aquinas, *In Matth.* XII. 2.: „pax est cum unumquodque retinet ordinem suum." Audiendus est Leo XIII.: „Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subjectam, magna quidem *injuria,* magna *temeritas* est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, com-

[1]) Cf. Tarquini, *Diss. sur le Placet royal.*

munem vitam Ecclesia compleret:[1]) praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit." *Imm. Dei.*

Articulus IV.

Utrum ecclesia a statu statusque ab ecclesia sejungendus sit.

I. Status quaestionis. Ut ab ecclesia praedicatur utriusque potestatis *distinctio,* ita *separatio* damnatur Eam porro ut separationem fugiamus, *conjunctionem* potestatum, nullam tamen *confusionem,* admittimus. „Utraque est in suo genere maxima: habet utraque *certos,* quibus contineatur, *terminos,* eosque sua cujusque natura caussaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur." *Imm. Dei.* Itaque servata societatum distinctione, ecclesiam et statum non mere negative, sed *positive* mutuoque nexu conjunctos esse, verus ordo postulat. Hujus igitur disputationis scopus est probare, quid esse *debeat,* non quid in singulis regnis civilibus revera sit, aut obtineri potuerit.

II. De objecto concordis operationis potestatis civilis et ecclesiasticae. Objectum commune et finis operationis principatus civilis et ecclesiastici est *hominum perfectio.* Jam vero hominum perfectio duplici bonorum genere continetur, quorum alterum *temporale* est, alterum *aeternum;* quae quidem bona tanquam *unum bonum totale* in *unitate* hominis ordinate colligari oportet. Atque haec *ordinata colligatio* bonorum ut in singulis ita in multitudine sit, necessum est; quoniam „idem oportet esse judicium de fine totius multitudinis et unius". S. Thom. *De reg. princ.* lib. I. 14. Finis autem congregationis humanae seu societatis, cum etiam sit finis *regendae* societatis, facile intelli-

[1]) Guizot, *L'Eglise et la Société Chrétienne,* recte ait: „La force du mal est en ce monde moins redoutable que la faiblesse du bien."

gitur, objectum et finem utriusque potestatis, neutrius tamen actione perturbata, esse bonum illud *unum totale* societatis, idque ordinate colligatum. Quibus positis, in promptu habemus, bonum illud, in sociis ordinate colligandum, requirere *ordinatam colligationem* duarum potestatum, inter quas Deus humani generis procurationem partitus est. Neque tacita praeterire possunt verba Leonis XIII.: „quia *utriusque imperium est in eosdem*, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt*[1]) . . . Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse *ordinata colligatio:* quae quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. *Imm. Dei.*

III. Judicia contra separationem ecclesiastica. Gregorius XVI. de ecclesia a regno separanda: „Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit ac salutaris." Encycl. *Mirari vos*, 15. Aug. 1832. Pius IX. *in Syllabo* notavit hanc propositionem 55.: „Ecclesia a statu, statusque ab ecclesia sejungendus est." Leo XIII. decessorum suorum praescripta confirmat in encyclicis *Imm. Dei* et *Libertas*; in hac systema falsum de rationibus ecclesiae a republica disparandis nominatur „perniciosa sententia". Haec subterfugiendi nullum locum dant.

Thesis: *Neque ecclesia a statu, neque status ab ecclesia sejungendus est.*

Argumenta.

Obj. I. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Marc. X. 9. Atqui Deus voluit, ut potestates civilis et ecclesiastica essent

[1]) Rom. XIII. 1.

conjunctae. Et sane utraque potestas, ut quae a Deo profecta, ordinata est. Dissociatis autem status ecclesiaeque rationibus, tollitur ordo. „Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernat. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimaeque voluntati Dei aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Encycl. *Libertas.* — Adde quod Deus vetat, statum a religione vera sejungi. Jam vero ostendimus, in ecclesia catholica esse religionem veram. Status ergo non est sejungendus ab ecclesia. Prob. *maj.* 1° Status, quia etiam societas civilis a Deo est, ut status, Deum vereri et colere debet. 2° Status seu potestas civilis eo constituta est, non tantum ut temporali civium bono consulatur, verum etiam ut socii *juventur* in adipiscenda felicitate sempiterna. Porro felicitas illa inchoatur in terris, consummanda in caelis, per religionem veram, quam ecclesia catholica continet. Ergo ecclesia et status conjungantur, necesse est. Quod idem discimus ab Angelico, *De reg. princ.* I. 15.: „Cuicunque autem incumbit aliquid *perficere quod ordinatur in aliud* sicut in finem, hoc debet attendere ut suum opus sit *congruum fini;* sicut faber facit gladium ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet domum disponere ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae qua in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo caelestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare *secundum quod congruit* ad caelestem beatitudinem consequendam."

Arg. II. Qui ordinantur ad unum bonum totale procurandum, eorum in unum conspirare debet actio. Atqui potestates civilis et ecclesiastica ordinantur ad procurandum unum bonum totale, quod est hominum vita bona et felicitas. Ergo conspirans requiritur status ecclesiaeque operatio Conclusio magis apparet ex ope, quam *a)* status ecclesiae et *b)* ecclesia statui ferre potest.

a) Auxilium status S. Thomas auxilium, a statu eccle-

siae ferendum, paucis complexus est, cum doceret ad regis pertinere officium „ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem consequendam; ut scilicet ea *praecipiat* quae ad caelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, *interdicat*". *De reg. princ.* I. 15. Et quoniam ecclesia ex *hominibus*, non ex *animis separatis* constat, poterit et rebus temporalibus plurimum adjuvari. Ob haec Aquinas: „Ad bonam autem unius hominis vitam duo requiruntur: unum principale, quod est operatio secundum virtutem (virtus enim est qua bene vivitur); aliud vero secundarium et quasi instrumentale, scilicet corporalium bonorum sufficientia, quorum usus est necessarius ad actum virtutis." L. c.

b) Auxilium ecclesiae. In ecclesia catholica reperitur vera Christi religio. Et vera Christi religio ad tuendam etiam civilem societatem plurimum valet. Rationes igitur status et ecclesiae non disparandae sunt. Prob. *min.*

1° Perficitur quod cum Christo conjungitur. Per veram autem Christi religionem cum Christo conjungimur. Ita planum est, statui perficiendo optime consuli per conjunctionem cum ecclesia, in qua Christus ut *caput corporis sui* vivere non desinit.

2° Ordo supernaturalis ordinem naturalem perficit. Atqui ordo supernaturalis in vera Christi religione constitutus est. Quare S. Thomas: „nec solum in spiritualibus, sed etiam in usu corporalium hominem dirigit (religio Christiana), et beatitudinem animae et corporis repromittit. Et ideo regulae ejus universales dicuntur, utpote totam vitam hominis, et omne quod ad ipsum quolibet modo pertinet, continentes et ordinantes." In Boetium *De Trinit.* q. III. art. 3.

3° Christi ecclesia doctrinam habet *moralem*, quae est vitae socialis fundamentum, *nobilissimam*, *firmam*, *efficacem: nobilissimam*, cum omnia hominum officia erga Deum, principatum, societatem domesticam, proximos, subditos et seipsos perfecte doceat; *firmam*, ut fundatam *in religione*, qua sublata, societas non habet nisi defectivam moralem

maximeque fluxam;[1]) *efficacem*, siquidem obligat *in conscientia*. Cf. Leonem XIII., encycl. *Arcanum*, *Diuturnum* et *Imm. Dei*. Accedit quod ecclesia catholica servat tria principia maxime socialia, *studium progressus ordinati; traditionum antiquitatem; auctoritatem.*

4° Historia confirmat, maxima esse ab ecclesia populis tributa beneficia. „Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum

---

[1]) Inanem prorsus et exilem esse moralem, quam vocant *independentem*, incredulus Jules Simon his verbis docet: „Nous ne recherchons pas, comme les philosophes du XVIIe siècle, si un peuple d'athées pourrait subsister; nous nous bornerons à dire que le sentiment religieux est peut-être le plus puissant de tous les liens sociaux. Il ne faut pas dire que la famille est plus puissante encore, car la piété filiale n'est qu'une forme de la piété. C'est la pensée de Dieu qui achève de sanctifier le foyer domestique, ce centre béni de toutes les affections douces et sociables. Otez cette pensée du milieu d'un peuple, il n'est plus réuni en corps de nation que par l'intérêt et par la crainte. La loi civile n'est plus, pour lui, qu'un contrat social où il donne à condition de recevoir; s'il donne toujours et ne reçoit jamais, il devient une dupe à ses propres yeux. Ce qu'on appelle pompeusement le sentiment de la fraternité, ou la religion de la patrie, n'a pour lui aucune signification. Les citoyens ne sont que des associés et non des frères. Jamais le dévouement et le sacrifice n'auront de place dans un Etat ainsi conçu; jamais ce lien, fondé sur de telles bases, ne sera regardé comme indissoluble par celui qui en souffre. Si l'on veut créer une grande famille qui ait son unité morale, ses traditions, son honneur, dont tous les membres se reconnaissent solidaires les uns des autres; dont la loi soit comprise et aimée, même lorsqu'elle frappe, il faut que le nom de la patrie réveille des idées religieuses, que chaque citoyen se croie attaché à elle par une volonté divine . . ., que les lois s'appuient non sur la balance des intérêts, mais sur l'éternel idéal de la justice, et qu'en signe de cette origine elles soient promulguées au nom de Dieu." *Relig. naturelle*, p. IV., c. I. Id affirmant Arist. *Polit.* VII. 8.; Plato, *De legibus*, X.; Cicero, *De republica*, III. 12; Machiavelli, *Disc in primum dec. T. Livii*, lib I cap. X.; Rousseau, *Contrat social*, IV. 8.; Voltaire, *Traité de la Tolérance*, ch. XX. Ib. Taine, *Rev. des Deux Mondes*, 1891, 1. Juin; Leroy-Baulieu, *ibid.* 1891, Déc. et 1892, Janv.

retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia, magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem." *Imm. Dei.* Praetermitto preces, caritatis heroicae officia, quin etiam subsidia pecuniaria, quibus ecclesia persaepe opem tulit civili principatui.[1]) Sed et aetas nostra, ruinis plena et plurium ruinarum indiciis, in *crisi* praesertim, qua languet, *morali,* divinam confirmat sententiam: *miseros facit populos peccatum.* Prov. XIV. 34. Haec autem ne nimis generaliter considerentur, ipsos rerum fontes adeas et eos, qui ex fontibus sinceris, historiam veram scripserunt, assiduo labore consulas.

Arg. III. *Ex traditione.* Primaeva ecclesia, quantumvis saeviente persecutione, praecepta dedit, exemplis confirmata, quae sunt distractioni potestatum contraria. Nam apologetae saeculi II. et III, nominatim S. Justinus, *Apol.* I., Theophilus Antioch., *Ad Autolyc.* lib. III., Tertullianus, *Apologia* principibus persuadere conati sunt, religione Christiana non impediri civitatem, sed adjuvari. Vicissim tuitione status usa est ecclesia, occasione data. Conventus enim fidelium ut haberi possent, ecclesia legibus imperii de *areis sepulchrorum* et de *collegiis tenuiorum* sese defendit. Pari modo, cum Paulus Samosatenus a recta fide simul et episcopali sede excidisset, sed excedere e domo ecclesiae Antiochenae nollet, interpellato ab auctoritate ecclesiastica Aureliano imperatore, haereticus per saecularem potestatem ab ecclesia exturbatus est. Eus. E. H. lib. VII. 30.

---

[1]) Frédéric Le Play per diuturna studia quaestionis socialis per observationem scientificam factorum — *l'observation scientifiques des faits* — se ad hanc de ecclesia catholica conclusionem pervenisse testatur: „De toutes les religions, aucune ne donne autant qu'elle les moyens d'être fidèle a Dieu et de pratiquer la vertu. Sa doctrine, ses sacrements, son clergé, son culte, tout contribue à préserver les hommes et à les diriger dans la voie du bien." Apud Baunard, *La foi et ses victoires,* t II. p. 449

Post acceptam ab imperatoribus fidem *S. Ambrosius:* „bonus imperator quaerit auxilium ecclesiae, non refutat". *Ep.* 21. — *S. Greg. M.:* „Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati caelitus data est, ut qui bona appetunt adjuventur; ut caelorum via latius pateat; ut terrestre regnum caelesti regno famuletur." *Ep.* ad Maurit. imper. — *S. Isidorus Pelusiota:* „Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc velut corpus), *ad unum tamen et eundem finem* tendunt, h. e. *ad hominum salutem.*" *Ep.* lib. III. 249. — S. Nicolaus docet, potestates ita distinctas esse, „ut christiani imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus." *Ep.* ad Michaelem imp. — *Ivo Carnutensis* ad Paschalem II.: „Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat ecclesia." *Ep.* 238. — Ita Constantinus M. nominari voluit „episcopus ad extra", h. e. defensor ecclesiae; Carolus M. „devotus sanctae ecclesiae defensor humilisque adjutor"; similiter defensa est ecclesia a beato Ludovico, rege Franciae, et ab aliis principibus Deum vere colentibus.

Quaeres, *quid hac in re pro praxi valeat.*

Resp. a) Conjunctio potestatum omnino expetenda est. Separatio per se eo spectat, ut opprimatur ecclesia. Quod Leo XIII. declarat his verbis: „Si qua vero in republica suum ecclesia jus, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant dissociari ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, *omniumque rerum habere,* remotis impedimentis, *arbitrium.*" *Imm. Dei.*

b) Si perfecta conjunctio aliquam ob causam negotium facessat, status tamen non omnino ab ecclesia distrahendus est. Leo XIII. in encyclica memorata: „Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes

rerum publicarum et Pontifex Romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus ecclesiae temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest." Cui rei concordata documento sunt.

b) Modus vivendi, quem aliqua separatio ecclesiae et status comitatur, non rejicitur, si ad hujusmodi modum vivendi perveniatur, 1° non ex contemptu colligationis ordinatae, quam Deus ad salutem utriusque societatis constituit, sed 2° quia utrique potestati persuasum est, res in tali tempore aliter expediri non posse. Rectum est enim, *minus malum* eligere.

d) In *causis mixtis* seu mixti juris, quae partim ad potestatem ecclesiasticam, partim ad civilem potestatem pertinent, violatur jus ecclesiae, si de iis „per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas ecclesiae leges contemnunt". Sed constat, in hujusmodi negotiis „maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, sed plane concordiam eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt". *Imm. Dei.*

Objectiones.

Obj. I. Contraria mutuo se expellunt. Ecclesia autem et status habentur contraria. Status ergo ab ecclesia separandus est.

Resp. Dist. maj.: contraria mutuo se expellunt ab eodem subjecto sub eodem respectu, *conc.;* a diverso subjecto aut sub diverso respectu, *nego.* Ad min.: status et ecclesia sunt distincta, *conc.;* contraria, *nego.*

Instabis. Fines contrarii indicant potestates contrarias. Jam vero status modernus spectat ut *ultimum* finem felicitatem terrestrem, ecclesia autem aeternam; quae sunt contrariae.

Resp. Dist. min.: status modernus, si eo tendat, agit contra veram status naturam, *conc.;* secundum eam, *nego. Modernus* status, si temporalia ab aeternis, Deum ab homine

separet, materialistis adhaeret; quod quam inepte fiat, alias probatur. At ne *modernis* quidem politicis religio, saltem ut *vis moralis* est, negligi potest, cum geminarum potestatum ordinata colligatio vel ob ipsas rerum mortalium felicitates nunquam non videatur optatissima.[1])

Urgebis. Disparata separantur natura sua. Jam status et ecclesia sunt disparata; quandoquidem status corpora regit, ecclesia spiritus.

Resp. Negata *min.* probationem *dist.:* ea regiminis partitione excluditur confusio potestatum, *conc.;* ordinata connexio, *nego.* Nec status, quanquam proxime temporalia spectat, societas est corporum inanimatorum, nec ecclesia, cui proxime spiritualia procuranda sunt, coetus animarum separatarum; sed utraque potestas, aliter tamen et aliter, regit *homines.* Itaque duarum potestatum ad ordinatam temporalium et aeternorum conjunctionem procurandam ordinata concordia opus est.

Obj. II. Vera philosophia postulat, ut societas civilis sit status, quem vocant *meri juris.* Atqui status meri juris nihil habet cum ecclesiastica potestate commune.

Resp. Dist. maj.: status *meri juris* manat a philosophia falsa, *conc.;* a sana philosophia, *nego.* Machiavelli et Kant, invecta philosophia falsi nominis infectaque materialistarum et scepticorum erroribus, religionem et moralem a jure civili dissociarunt. Ex quo gignitur lex athea, athea politica. Jus ergo *merum* est jus *sine Deo;* hoc autem, quomodo cum sana philosophia cohaereat, videant athei.

Instabis. Utraque potestas ad limites suos reducenda est. Atqui eo spectat systema, quod exprimitur formula: *libera ecclesia in statu libero.* Hoc igitur systema verum est.

Resp. Dist. maj.: ambae potestates reducantur ad limites naturales, id est, *veros, conc.;* ad *naturalisticos, nego.* Homines ad altiorem finem ordinati sunt. „Cuicunque autem incumbit — ait Aquinas — aliquid perficere quod ordinatur

[1]) Nec absurdum, quod dixit Montesquieu: „Chose admirable! la religion chrétienne, qui ne semble avoir d'objet que la félicité de l'autre vie, fait encore notre bonheur dans celle-ci." *De l'Esprit des lois,* l. XXIV. ch. III.

in aliud sicut in finem, hoc debet attendere ut suum opus sit congruum fini.“ *De regim.* I. 15. Systema *liberae ecclesiae in statu libero,* quod in sensu adversariorum non est libertas *cum* concordia, sed potestatum *distractio*, huic ordini rerum adversatur, cum per se huc omnino recidat, ut sanciatur status divortium, factum cum ecclesia, sejunctio status a Deo et Jesu Christo; denique profanatio totius civilis societatis.[1])

Obj. III. Confligere malum est. Atqui potestatum conjunctio genuit conflictus perpetuos. Ergo conjunctio nihil habet, cur expetatur.

Resp. Dist. maj.: confligere malum est aliquod, *conc.;* semper maximum malum, *nego.* Min. *dist.:* potestatum conjunctio genuit conflictus perpetuos et per se, *nego;* nonnullos et per accidens, *subdist.:* qui fuerunt malum separatione minus, *conc.;* majus, *nego.*

Mala, cum in terris omnia vitari nequeant, minora eligantur. At separatio *per se* bonum concordiae tollit, praetereaque malum conflictus adducit. Sed consociatio, naturae civitatis utriusque consentanea, *per se* pacis fautrix est. Dimicationum aliae plerumque occasiones fuerunt ac conjunctio, puta violatum a regibus matrimonium, invasio bonorum ecclesiasticorum. Si quae tamen concertationes *per accidens* ex systemate consociandarum potestatum natae

---

[1]) De iis *ecclesiae hostibus*, qui rei sacrae a civili distractionem in Gallia expetunt, Leo XIII. haec: „(ecclesiae hostes) le disent assez clairement, cette séparation, c'est l'indépendance entière de la législation politique envers la législation religieuse; il y a plus, c'est l'indifférence absolue du Pouvoir à l'égard des intérêts de la société chrétienne, c'est à dire de l'Eglise, et la négation même de son existence. — Ils font cependant une réserve qui se formule ainsi: Dès que l'Eglise, utilisant les ressources que le droit commun laisse aux moindres des Français, saura, par un redoublement de son activité native, faire prospérer son oeuvre, aussitôt l'Etat intervenant pourra et devra mettre les catholiques frainçais hors du droit commun lui-même. — Pour tout dire en un mot, l'idéal de ces hommes serait le retour au paganisme: l'Etat ne reconnaît l'Eglise qu'au jour où il lui plaît de la persécuter.“ Encycl. *Au milieu des sollicitudes*, 16. Févr. 1892; cf. Litt. *Notre consolation*, 3. Mai 1892.

sint, hoc malum comparari non potest cum bonis, quae civitatum constitutio Christiana populis attulit. Cf. Leon. XIII. encycl. *Imm. Dei, Libertas;* et de America encycl. *Longinqua,* 6. Jan. 1895.

Dices. Historia medii aevi plena est astutiae ac violentiae principum contra ecclesiam. Ergo systema concordiae non nisi utopia esse videtur.

Resp. Dist. antec.: hoc valet de omnibus principibus, *nego;* de nonnullis, *subdist.:* hujusmodi vitium affecit personas principum, *conc.;* orta est ex constitutione Christiana civitatum, iterum *dist.:* per se, *nego*; aliquando per accidens, *conc.*

Tantum abest, ut omnes principes ecclesiam impugnarint, ut in omnibus fere Europae regnis civilitas fundata sit a rege aliquo *sancto,* canonizato, aut certe a principibus, ecclesiae ac Pontifici Maximo amice colligatis. Constat quidem, principes multos conflixisse; at confligentes *constitutionem Christianam* suorum regnorum subvertere nec potuerunt nec ausi sunt. Ipsa regna *constituta erant in principio conjunctionis*; hinc saepe pro ecclesia pugnatum aut ab ipsis populis, aut a principibus, memoribus officii, contra perduelles; brevi, tyranno et persecutori nihil magis obstabat quam Christiana sui regni constitutio. Quapropter Leo XIII.: „Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et *divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat:* cum religio per Jesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores.“ *Imm. Dei.*[1])

---

[1]) Cf D'Hulst, *Le droit chrétien et le droit moderne,* chap. V.

Articulus V.

Utrum ecclesia habeat potestatem indirectam in temporalia.

I. Status quaestionis. De potestate *indirecta* loquimur, quae scilicet non intra terminos ejusdem potestatis exercetur, sed in potestatem *distinctam*, independentem quidem *in ordine suo*, sed sub aliquo respectu cum prima *connexam*. Itaque manet haec regula: *utraque est in suo genere maxima*; et sicut status nullam potestatem habet circa sacramenta aut episcoporum institutionem, ita potestas spiritualis nihil curat de creandis centurionibus, de seligendo optimo armorum genere aliisque mere temporalibus.

Agitur de vera *potestate*, cui obedientem esse oportet; non sufficit *honoris* tantum aut excellentiae gradum aliquem majorem ecclesiae assignare. Neque de ea potestate temporali quaerimus, quam in ditione sua temporali, aut in aliquibus regionibus, sibi spontanee subditis, aut jure positivo populorum quandoque Pontifex exercuit; sed de ea sumus acturi, quae Petri successoribus *jure divino* in temporalia competat. Jam vero potestas illa, spectato fine proximo, *spiritualis* est; spiritualia *directe* ac *principaliter* dirigit, temporalia non nisi in quantum finis supernaturalis id exigat, seu, ut dici consuevit, *indirecte, secundario, ex consequenti*, et *ratione peccati* exercetur. Ideo quaerimus, utrum ecclesiae, praeter plenitudinem potestatis in spiritualia, jure divino etiam in temporalia potestas competat; utique potestas *indirecta*, id est, in ordine ad spiritualia, potestate *directiva* major, minor potestate *directa*. Cf. supra, p. 418–420.

II. Quaestio solvenda ex fine hominis ultimo. Ordo societatum ex *fine ultimo* cognoscitur. Ita finis ultimus hominis intentius considerandus est, quo facilius ex iis etiam principiis, quae art. 2. sunt exposita, ad conclusionem definitivam perveniatur. Jam vero finis ultimus tum singulorum tum totius multitudinis est *extra* limites societatis

civilis; nam eo homines tendant necesse est, ut per virtuosam vitam *ad fruitionem divinam* perveniant. Ad potestatem ecclesiae dijudicandam animo opus est contra hanc veritatem non repugnante. Quapropter S. Thomas *De regimine principum*, lib. I. 14. rem urget his verbis: „est quoddam bonum extraneum homini, quamdiu mortaliter vivit, scilicet ultima beatitudo, quae in fruitione Dei exspectatur post mortem: quia, ut Apostolus ait II. Cor. V. 6.: *quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.*" Atque homini Christiano „beatitudo illa est *per Christi sanguinem* acquisita", et Christianus „pro ea assequenda *Spiritus sancti arrham* accepit". Hunc finem non consequitur homo per virtutem humanam sed virtute divina, juxta illud apostoli Rom. VI. 23.: *Gratia Dei, vita aeterna.* Igitur „perducere ad eum finem non humani erit, sed divini regiminis . . . Hujus ergo regni ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis regibus, sed sacerdotibus est commissum, et praecipue summo Sacerdoti, successori Petri, Christi vicario, Romano Pontifici, cui omnes reges populi christiani oportet esse subditos sicut ipsi Domino Jesu Christo. Sic enim ei ad quem *finis ultimi* cura pertinet, subdi debent illi ad quos pertinet cura antecedentium finium, et ejus imperio dirigi". L. c.

III. Adversarii. Directe redarguendi sunt, qui nullam ecclesiae potestatem in temporalia admittunt, nominatim auctores et fautores *Declarationis cleri Gallicani* (1682), art. 1., quo perhibetur „principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici"; a fortiori thesis eos impugnat, qui reges aliosque principes Christianos in ipsis rebus spiritualibus et ecclesiasticis ab ecclesiae jurisdictione subtrahunt. Cf. Pii IX. litt. apost. *Multiplices inter*, 10. Junii 1851, quibus damnatur opus: *Defensa de la autoridad de los gobiernos* etc., editum a Franc. de Paula G. Vigil. — Indirecte systemata potestatis *directae* et mere *directivae* hac thesi refelluntur.

Thesis: *Ecclesia habet potestatem indirectam in temporalia.*

Argumenta.

Arg. I. Potestas indirecta ecclesiae in temporalia est potestas in temporalia in ordine ad finem supernaturalem. Id autem non dubium, quin veri nominis potestas in temporalia in ordine ad finem supernaturalem divinitus ecclesiae competat. Ita penes ecclesiam est potestas indirecta in temporalia. Prob. *min.*

Ei, ad quem *finis ultimi* cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium et ejus imperio dirigi. Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. III. 109; *De reg. princ.* lib. I. 14. Atqui cura finis ultimi hominum, sic ordinante Deo, proxime ad ecclesiam pertinet. Ergo temporalia in ordine ad supernaturale bonum, quod est finis ultimus hominum, subdi debent ecclesiae.

Arg. II. Gubernare est, id quod gubernatur, *convenienter* ad *debitum finem* perducere. *De reg. princ.* l. c. Principatus autem temporalis populos convenienter ad debitum finem perducere nequit, nisi in ordine ad spiritualia subsit potestati ecclesiasticae. Ergo potestas civilis in ordine ad spiritualia subordinatur ecclesiasticae potestati, seu ecclesia pollet potestate indirecta in temporalia. Prob. *min.*

a) Finis hominis et totius hominum multitudinis, atque consequenter *regendae* multitudinis sunt caelestia, quibus humana subordinantur. Atqui caelestia ecclesiae concredita sunt. Ergo gubernium civile, cui humana sunt tradita, respectu finis caelestis subesse tenetur ecclesiae. *b)* Cum utraque potestas, a Deo constituta, debeat ad unum finem ultimum operari, haud dubie subordinatio unius ad alteram requiritur; secus enim in conflictu commodi temporalis et spiritualis, judice deficiente, pax auferretur. Jam supra probavimus, ecclesiam non subordinari statui. Status igitur in ordine ad spiritualia subordinatus est ecclesiae. *c)* S. Scriptura docet, oportere temporalia cedere sempiternis bonis, id est, bonum civile non esse finem ultimum, sed *finem sub fine.* Ita lex ordinandae utriusque potestatis in sen-

tentia Domini: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Matth. XVI. 26.; cf. V. 29.; VI. 31.; Luc. XIV. 26.

Arg. III. *Ex traditione.* Etsi potestatis indirectae *exercitium* ante aetatem Constantini M. plurimum impeditum erat, jussi sunt tamen fideles de bonis temporalibus ecclesiae ministros alere, I. *Cor.* IX.; vetiti Christiani homines muneribus civilibus fungi aliquibus, Mamachi, *Antiq. Christ.* IV.; apostoli, cum sacerdotes et seniores evangelii praeconibus *bonum temporale publicae tranquillitatis* objicerent, temporale bonum fini spirituali postponendum arbitrati responderunt: *obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Act. V. 28, 29.

Const. apost. II. 34., *S. Chrysost.* in II. Cor. Hom. XV. 5., doctores plures medii aevi ordinem status et ecclesiae comparant ordinationi, qua *anima et corpus* conjunguntur. Cf. *Greg. Naz.* Orat. 17. *S. August.* De civ. Dei, XIX. 17.: „caelestis civitas . . . *non curat*, quid in moribus, legibus institutisque diversum est . . . *si* religionem, qua unus summus et verus Deus colendus docetur, *non impedit* . . . humanarum voluntatum compositionem, quantum *salva religione et pietate* conceditur, tuetur atque appetit.“ *S. Gelasius* Papa: „Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam *pro ipsis regibus hominum* in divino *reddituri sunt* examine *rationem.*“ *Ep. ad Anastasium Augustum. S Symmachus* Papa: „Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, *donec contra Deum suas non erigunt voluntates.* Ceterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quae rebus est praestituta divinis. Defer Deo in nobis, et nos deferimus Deo in te. Ceterum si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis“ *Apologeticus adv. Anast. imp. IX.*

Innocentius III., cum Guillelmus comes de Monte Pessulano rogasset, ut Pontifex filios ipsius *legitimationis* dignaretur *titulo* decorare, anno 1202 in decretali *Per vene-*

rabilem respondit, rem, ut temporalem, deferendam ad regem Galliae fuisse: „nosceris — inquit — aliis subjacere; unde sine illorum forsan injuria, nisi praestarent assensum, nobis in hoc subdere te non posses". — Idem Pontifex in decretali *Novit,* ad sedandas lites Galliam inter et Angliam anno 1204 edito, potestatem ecclesiae in temporalibus his verbis indicat: „*Non* enim intendimus judicare de *feudo,* cujus ad ipsum spectat judicium . . . *sed* decernere *de peccato,* cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus. Ita *directam* ecclesiae potestatem in temporalia non adstruit, *indirectam* ecclesiae vindicat. — *Bonifacius VIII.* in bulla *Unam sanctam* idem significat affirmans, spiritualem potestatem terrenam „judicare, *si bona non fuerit*"; similiter: „*si deviat* terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali." Hinc illa explicatio bullae *Unam sanctam* ab ipso Bonifacio VIII. data, cum regi Philippo scriberet: „Quadraginta anni sunt, quod nos sumus experti in jure, et scimus, quod duae sunt potestates ordinatae a Deo. Quis ergo debet credere vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro? Dicimus, quod in nullo volumus usurpare jurisdictionem regis. . . . Non potest negare rex, seu quicunque alter fidelis, quin sit nobis subjectus *ratione peccati.*"

S. Thomas suam de potestate indirecta sententiam effert his verbis: „in tantum est potestas saecularis sub potestate spirituali, *in quantum* ei a Deo supposita est, scilicet *in his quae ad salutem animae* pertinent." *Sent. II.* dist. 44. q. 2. art 3. ad 4. Rursus: „non est usurpatum judicium, si spiritualis praelatus se intromittat *de temporalibus quantum ad ea, in quibus subditur ei* saecularis potestas vel quae ei a saeculari potestate relinquuntur. II. II. 60. 6. ad 3. Ex quo intelligitur, penes ecclesiam esse potestatem in temporalia, *non* tam *absolute,* sed *in quantum* Deus praecepit; et quia non *absoluta,* idcirco locus saeculari potestati est, ut quaedam spirituali *relinquat.*

Oritur dubium ex *Sent.* II. dist. 44. q. 2. art. 3. ad 4.: „In his autem quae ad bonum civile pertinent, est magis

obediendum potestati saeculari quam spirituali, secundum illud Matth. XXII. 21.: *Reddite quae sunt Caesari Caesari.* Nisi forte potestati spirituali etiam saecularis potestas conjungatur, sicut in Papa, qui utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis et saecularis, hoc illo disponente qui est Sacerdos et Rex in aeternum, secundum ordinem Melchisedech, Rex regum, et Dominus dominantium, cujus potestas non auferetur et regnum non corrumpetur in saecula saeculorum.“ Cf. *De regim. princ.* lib. I. 14. — Existimant (conf. Dr. Basilius Antoniades, *Die Staatslehre des Thomas ab Aquino*, p. 104.), his verbis contineri ejusmodi sententiam, ut Angelicus Summi Pontificis potestatem in temporalia nec indirectam esse docuerit nec directam; videlicet putaverit, penes Pontificem esse potestatem supremam tam temporalem quam spiritualem in universos Christianos, nec tamen affirmavit, principum Christianorum potestatem temporalem a plenitudine potestatis Pontificiae derivari. — Verissimam esse secundam hujus assertionis partem, manifestum habetur, etiam ex corpore articuli prolati. Quod in prima parte de potestate Pontificis suprema *temporali in Christianos universos* affirmatur, id equidem Thomae sensu absoluto non tribuerem. Nam 1° dissonat a Thomae *principiis*, in thesi adscriptis, 2° a mente cujuslibet optimi Thomae discipuli, atque 3° verba *Nisi forte* in textu, quem nobis objiciunt, potius indicare videntur casum illum particularem conjunctionis utriusque potestatis in Statu pontificio, de quo et Innocentius III. in decretali *Per venerabilem* scribit: „in Ecclesiae patrimonio, *super quo plenam in temporalibus* gerimus potestatem“. Sed fortassis Thomas respexit potestatem illam, quam populi mediae aetatis in Pontifice venerabantur, ut in arbitro quodam totius reipublicae Christianae, vel etiam casus illos extraordinarios juris, de quibus Inn. III, in decr. *Per vener.:* „Non solum in Ecclesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus *certis causis inspectis* temporalem jurisdictionem *casualiter* exercemus.“ Nec ab ea sententia desciscit optimus quisque theologus, J. Turrecremata, Fran-

ciscus Victoria, Dominicus a Soto, Cajetanus, Bellarminus et recentiores.[1])

Quaeres, *utrum ab omnibus catholicis admittit debeat potestas aliqua ecclesiae in temporalia.*

Resp. a) Veritas dictae potestatis infallibili auctoritate declarata videtur, ob eamque causam ab omnibus credenda, saltem fide *ecclesiastica;* cf. supra p. 380. Asserti rationes praecipuae sunt, 1° adhibita Romanorum Pontificum decreta, in quibus constitutio *Unam sanctam;*[2]) 2° maximus doctorum consensus; 3° Syllabus, qua notatur *prop.* 24.: „Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, *neque potestatem ullam temporalem* directam vel indirectam." Quibus consonat encycl. *Imm. Dei*, in qua haec: „Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur *propter caussam ad quam refertur*, id est omne in potestate arbitrioque ecclesiae." Cf. Leonis XIII. encycl. *Arcanum.* Addi potest judicium theologorum. Ita Dom. a Soto *In Sent.* IV. dist. 22. q. 2, art. 2. argumentatur „contra eorum *haeresin,* qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem"; atque Mazzella: „doctrina de superioritate spiritualis Ecclesiae potestatis prae potestate civili, non est mera *opinio;* sed, nisi sit proprie et immediate *de fide* (quod tamen cum gravis-

---

[1]) Cf. Molitor, *Die Decret.* „Per Venerabilem". Parum recte Gosselin: „Le cardinal Bellarmin paraît être le véritable auteur de cette opinion, qui a prévalu depuis sur celle du pouvoir direct, généralement admise avant lui par les théologiens scholastiques." *Pouvoir du Pape* etc. p. 328. — Cf. E. Michael, *Beiträge zur Gesch. des mittelalterlichen Staatsrechts,* in *Zeitschrift für kathol Theol.* 1902, S. 263—279.

[2]) Ultima tantum hujus constitutionis sententia dogmatica est, scilicet: „Porro subesse Romano Pontifici, omni humanae creaturae declaramus, dicimus, et diffinimus omnino esse de necessitate salutis." Mury constitutionis authenticitatem impugnavit (cf. Revue des quest. hist. t. XXVI. et XLVI.); sed argumentis, quae peritissimis viris visa sunt parum idonea. Cf. Specimina palaeographica Regestorum Romanorum Pontificum ab Innocentio III. usque ad Urbanum V. Rome, Archives du Vatican, 1888. De sensu sententiae Bonifacii vide Grauert, *Hist. Jahrb.* 1888, S. 143—148.

simo fundamento asseri posset), saltem ad depositum catholicae doctrinae certo pertinet. Id etiam aperte docet Suarez (de Leg. l. 4. c. 9.); Bellarminus (de potest. Sum. Pont. c. 3.) etc.“ *De religione et ecclesia*, edit. 3. p. 455.

b) Si singulas de memorata potestate sententias expendamus, systema *potestatis directae* videtur solitarium et sententiae communi contrarium; systema potestatis *directivae*, sensu strictiori acceptae, videtur parum consonare doctrinae syllabi, decretis Pontificiis et doctorum consensui.

Objectiones.

Obj. I. Perfecta societas nulli societati potest esse inferior. Civilis autem potestas est perfecta societas. Ergo ecclesia nulla in civilem potestatem jurisdictione pollet.

Resp. Dist. maj.: perfecta societas non potest esse inferior societati ejusdem ordinis, *conc.;* ordinis superioris, *nego.* Potestas civilis est in ordine suo summa; at ordo ille summus non est, sed supernaturalium bonorum ordine natura sua inferior.

Instabis. Rex ut homo, non ut rex est, ad finem boni supernaturalis ordinatur. Potestas igitur ecclesiae in agentem ea, quae sunt regis, exerceri nequit.

Resp. Nego antec. et conseq. Nam primo quidem *regis* officium pendet ex lege Dei, quam divino munere custodit ac tuetur ecclesia; deinde finis multitudinis *regendae* finis *regis* sit, necesse est. Multitudinis igitur cum finis sit fruitio divina, regentis officium ex eo fine pendet.

Urgebis. Status, ut status, cum post hanc vitam nullus sit, ad finem felicitatis sempiternae non ordinatur, sed socii singuli. Ex quo idem ac supra concluditur.

Resp. Dist. antec.: status, ut status, non est institutus boni sempiterni possidendi causa, *conc.;* non ejusdem promovendi causa, *nego.* Status, ad quem boni temporalis cura proxime pertinet, non permanet, cum *tempus non erit amplius.* Apoc. X. 6. Et haec ipsa inferioritas finis evidenter ostendit, statum non esse sibi ultimum finem, sed finem sub fine ultimo sociorum, quem si non promoveat, a reli-

gione officii declinat. Et certe „cuicumque incumbit aliquid perficere quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere ut suum opus sit congruum fidei". *De reg. princ.* lib. I. 14.

Obj. II. Doctrina subordinationis societatis civilis ad ecclesiasticam fundatur in conceptu status theologico, id est, in iis, quae *a* Christo de ecclesia praecipiuntur. Jam vero conceptus status juridicus et philosophicus ex ipsa hominum natura determinatus erat *ante* Christum. Conceptus igitur ille juridicus et philosophicus, cum praeceptum Christi *posterius* non tollat jus naturae *prius*, ad conceptum theologicum minime revocandus est.

Resp. *Dist.* maj.: doctrina illa fundatur in conceptu theologico perfective, *conc.;* exclusive, *nego.* Et *dist.* min.: conceptus status philosophicus *ante* ecclesiam a Christo constitutam determinatus erat relative, *transeat;* absolute, *nego.*

Quidquid de determinatione conceptus status relative ad tempora ante Christum statuitur, nullo unquam tempore conceptus ille tam *absolutus* fuit, ut deinceps Dei *ordinisque, a Deo praestituendi*, rationem haberi non oporteret. Jam ipsa philosophia, nisi athea prorsus aut ferme esse velit, non negat *fieri posse*, ut status potestati ordinis altioris et a Christo Deo constitutae subordinetur; theologia autem id *factum esse* demonstrat. Ita fit, ut conceptus theologicus non *excludat* conceptum status juridicum et philosophicum, sed *perficiat.*

Instabis. Conceptus ille theologicus eo spectat, ut, theocratia constituta, status autonomia intereat.

Resp. Conceptus status theologicus eatenus tantum theocraticus est, quatenus aeterna temporalibus, ut animam corpori, praecellere existimant; quod utrum sapienter theocratia nominetur an inepte, nullo negotio perspicitur. Hoc unum adversarii considerent intentius: status et ecclesia Deo et Christo parere debent, et utraque potestas in suo ordine tendere, quo spectat oratio Domini: *Sanctificetur nomen tuum.* Matth. VI. 9. Potestas autem civilis ad illum finem debitum convenienter tendere non potest, nisi in or-

dine ad spiritualia subordinetur ecclesiae, cui cura finis illius sublimissimi *proxime* demandata est. Sic igitur subordinatae reipublicae majestas augetur; etenim „quanto aliquid efficacius ordinatur ad finem, tanto melius est". S. Thom. II. II. 152. art. 5.

Obj. III. Dominus ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joan. XVIII. 36. At systema potestatis indirectae eo recidit, ut sacra potestas attingat etiam temporalia, seu ea, quae sunt *de hoc mundo.* Ergo systema illud S. Scripturis contradicit.

Resp. Dist. maj.: regnum Christi non est *de* hoc mundo, *conc.;* non est *in* hoc mundo, *nego. Dist.* min.: ecclesia vi potestatis indirectae attingit temporalia tanquam objectum materiale, *conc.;* tanquam objectum formale, *nego.*

Cum ecclesia sit *in* mundo, Deus sapientissimus habitudinem ecclesiae ad alteram potestatem haud dubie ordinavit. Ex ratione autem finium sequitur ea ratio ordinis, ut ecclesia non attingat temporalia secundum se et formaliter, sed in ordine ad spiritualia.

Instabis. Videntur tamen indirecta potestas et directa haud multum inter se distare.

Resp. Discrimen est maximum: *theoretice,* quia in systemate potestatis indirectae Summus Pontifex non habet potestatem in temporalibus regulariter, directam, plenam, sed *ex consequenti* tantum; hinc *practice* habet potestatem limitatam, „quantum scilicet — ait Turrecremata — necessarium est ad conservationem rerum spiritualium ad directionem fidelium in salutem aeternam, et ad correctionem peccatorum, et conservandam pacem in populo Christiano." *Summa de eccl.* lib. II. 114.

Ad extremum, viri catholici non recedunt ab hoc praecepto SS. Leonis XIII.: „In institutis igitur legibusque sanciendis spectanda hominis indoles est moralis ac religiosa, ejusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine: nec imperandum vetandumve quidquam nisi ratione habita, quid civili hominum societati sit, quid religiosae propositum." Encycl. *Sapientiae christianae.*

Quaestio XIII.

De conciliis.

Quaestionibus duodecim de *ecclesia* tractavimus. Quo tractatu *primus locorum theologicorum* perfectus est, atque etiam fundamentum positum omnium reliquorum. — *Locus secundus* sunt *concilia.* Quaerimus ergo:

Primo. *Quid sit concilium et quotuplex.*

Secundo. *Cujus auctoritate concilium oecumenicum celebrandum sit.*

Tertio. *Utrum concilium oecumenicum sit infallibile.*

Quarto. *Utrum concilium oecumenicum sit supra Papam.*

Quinto. *Utrum concilia oecumenica sint necessaria.*

Articulus I.

Quid sit concilium et quotuplex.

I. Concilii conceptus generalis. *Concilium,* graece *σύνοδος,* seu, ut ab aliis nuncupatur, *congregatio, conventus,* vel etiam, *synodale concilium, conventus synodalis,* est *conventus episcoporum sub auctoritate legitima ad judicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis.* Dixi: *episcoporum,* utpote *per se* judicum. Synodus autem dioecesana seu conventus unius episcopi et cleri, cum a multis jam saeculis vox *concilii* ad solos episcoporum coetus restricta sit, in definitione non continetur. Additur: *de rebus ecclesiasticis,* id est, de rebus fidei, morum aut disciplinae. Cf. Ben. XIV. *De syn.* lib. I. cap. I.

Duo sunt conciliorum genera: 1° *generalia,* de quibus praecipue disserendum est; 2° *particularia,* quae in *nationalia, provincialia* et, si videatur, *dioecesana* subdividuntur. Primum de re fidei concilium Hierosolymis locum habuit. *Act.* XV. 6. Concilia saeculo II. mediante in Asia minori

celebrata refert Euseb. H. E. lib. V. 16. Plurimis synodis, per tot saecula celebratis, conciliorum tomi pleni sunt.

II. Concilium oecumenicum. Concilium generale, seu oecumenicum a voce *οἰκουμένη* (orbis inhabitatus), est *conventus episcoporum ex toto orbe convocatorum ad judicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis sub auctoritate Romani Pontificis.* Dixi: 1° *ex toto orbe;* sic enim concilium oecumenicum a *nationali* distinguitur, ad quod convocantur patriarchatus alicujus vel regni seu nationis antistites, patriarcha primateve praesidente; et a *provinciali,* ad quod episcopi unius provinciae ecclesiasticae, praesidente metropolitano, convocantur. 2° *Convocatorum* eo dicimus, quia *vocari* omnes jus est, omnes *convenire* non necessum est, dummodo principes ecclesiae congregentur eo numero, ut congregati censeantur catholicam repraesentare ecclesiam. 3° Postremo: *sub auctoritate Romani Pontificis;* quae quidem auctoritas *congregando, praesidendo, confirmando* exercetur.

Quibus positis 1° concilia oecumenica dividuntur in *congregata* a Romano Pontifice et *non congregata;* iterum in *confirmata* ejusdem auctoritate et *non confirmata.* Vox autem *oecumenici* ad concilia *confirmata* designanda strictius usurpatur. 2° Neque altera negligenda est divisio. Namque concilia alia dicuntur oecumenica *actione,* alia *acceptatione: actione,* si ea, quae in definitione exprimuntur, a convocatione usque ad confirmationem, adimplentur; *acceptatione,* si quid quidem deest, supplet tamen episcoporum Romanique Pontificis, concilium validum agnoscentium, sive expressa sive tacita consensio.

III. Quinam in concilium oecumenicum congregandi sint. 1° Episcopi *per se* evocandi sunt, ut *actum decisivum,* tanquam veri nominis judices et propria concilii membra constituentia, in concilio ferant. Talis enim est ecclesiae divina conformatio, ut primae in ea regenda partes eorum sunt, qui episcopi vocantur. Id quod patet *a)* ex iis, quae superiore loco tum de constitutione ecclesiae hierarchica (quaest. III. art. 4—6.) tum de subjecto infallibilitatis (q. VIII. art. 4.) disseruimus; *b)* ex ecclesiae praxi. Cardinales etiam non episcopi vocandi sunt et suffragium

decisivum ferunt; utrum vero jus istud *ordinario jure* ad eos pertineat an *ex privilegio* et *consuetudine* controversantur. Cf. S. Thom. *Quodl.* I. 14 ; Bened. XIV., *De syn. dioec.* V.

2° Cum totum concilii negotium, ut ait Canus, non ordinis, sed *jurisdictionis* potestate transigatur, in concilium cogendi sunt et jure ferendi suffragium decisivum gaudent episcopi nondum consecrati, sed jurisdictionem episcopalem habentes. Generales praeterea ordinum et abbates exempti, ab episcopo benedicti, quamvis sacerdotibus et diaconis jus suffragii decisivi non competat, *ex concessione* jure isto fruuntur.

3° Episcopi, qui *titulares* seu *annulares* seu *in partibus* nuncupantur, ex sententia multorum doctorum, quod jurisdictione careant, *de jure* in concilium non cogendi sunt (Canus, Suarez, Billuart); alii jus suffragii decisivi ferendi ipsis tribuunt ob jurisdictionem *in actu primo*, quam habent in respectivas titulorum suorum ecclesias (Lucius Ferraris); alii denique jurisdictionem consecrationi ita alligatam esse censent, ut illa episcopis, non ut singulis, sed ut collegialiter seu conciliariter agentibus competat (Devoti, Phillips).

4° Alii plures, tametsi *nullum* jus suffragii decisivi ferendi illis tribuatur, evocari possunt: *viri prudentia et sapientia praestantes*, qui res tractandas discutiant et patres consilio adjuvent; *principes*, qui patres tueantur; *haeretici et schismatici*, ut negotia tractent, vel sui rationem in concilio reddant, etc. Sed *patres* concilii non dicuntur nisi illi, quibus, aut ordinario jure aut ex concessione, jus ferendi suffragium decisivum competit. Cf. hoc opus, p. 125.

IV. Quot episcoporum congregatio ad concilium oecumenicum requiratur. In Cano, *De locis*, ista: „Non satis est quidem, inquit ad concilium generale, si evocatio generalis est, quando adeo pauci congregantur, ut major meliorque provinciarum pars relicta esse videatur: praesertim si causa legitima sit, cur Episcopi Synodo non affuerint. At si per malitiam hominum pessimorum una et item altera provincia desit, non propterea concilii generalis nomen amittitur. Sed ne si per negligentiam quidem, aut aliam

occasionem quamlibet Episcopi aliquot desint, nominis sui jacturam generale concilium faciet, nisi in dubium vertimus, an Concilia illa quatuor, Nicaenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, generalia sint." Lib. V. 3. Manifesta illa quidem; concilium scilicet tot antistitum congregationem prae se fert quot ad *repraesentationem totius nominis Christiani* requiruntur. Forsitan quaeratis, utrum major saltem pars episcoporum ad concilium accedat, necesse sit? Necesse non est; dummodo tot adsint episcopi et e tot locis, ut ecclesiam per orbem dispersam repraesentare censeantur.

V. De origine seu institutione conciliorum. Conciliorum origo non mere humana est, sed probabiliter divina, et sine dubio apostolica. Pro origine divina afferuntur 1° verba Domini: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth. XVIII. 20.; quibus utuntur concilium Chalcedonense *(ep.* ad S. Leonem M.), S. Caelestinus *(ep.* ad concilium Ephesinum) et concilium oecumenicum VI. *act.* VII., ut concilia a Christo manasse significent. 2° Verisimile est apostolos, utpote plenos Spiritu sancto, eo Spiritu admonente sua concilia celebrasse.

VI. Catalogus conciliorum oecumenicorum. 1) Nicaenum I. anno 325 S. Sylvestro Rom. Pontifice adversus Arianos; huic concilio connectere solent conc. Sardicense, a. 346 celebratum et a Julio I. probatum. Sardicae fides Nicaena confirmata est. 2) Cpolitanum I. a. 381 S. Damaso R. P. adversus Macedonianos. 3) Ephesinum a. 431 S. Caelestino R. P. adversus Nestorianos. 4) Chalcedonense a. 451 S. Leone R. P. adversus Eutychianos. 5) Cpolitanum II. a. 553 Vigilio R. P. propter tria capitula. 6) Cpolitanum III. a. 680 Agathone R. P. adversus Monothelitas. 7) Nicaenum II. a. 787 Adriano I. R. P. adversus Iconoclastas. 8) Cpolitanum IV. a. 870 Adriano II. R. P. adversus Photium. 9) Latheranense I. a. 1123 Callixto II. R. P. propter investituras. 10) Lateranense II. a. 1139 Innoc. II. R. P. propter schisma Petri Leonis, antipapae. 11) Lateranense III. a. 1179 Alexandro III. R. P. adversus

Valdenses et Albigenses. 12) Lateranense IV. a. 1215 Innocentio III. R. P. propter expeditionem Hierosolymitanam. 13) Lugdunense I. a. 1245 Innocentio IV. R. P. adversus Fredericum II. 14) Lugdunense II. a. 1274 Gregorio X. R. P. propter unionem Graecorum. 15) Viennense a. 1312 Clemente V. R. P. propter causam Templariorum. 16) Constantiense a. 1414—1418 in ea parte, quam Martinus V. confirmavit, non in omnibus. Scopus illius concilii erat ecclesiae unio et exstirpatio haereseos Wicleff, Hus, etc. 17) Florentinum a. 1439 Eugenio IV. R. P. propter unionem Graecorum. 18) Lateranense V. a. 1512 Julio II. et Leone X. R. P. adversus schisma Pisanum et ad pacem inter principes Christianos promovendam. 19) Tridentinum a. 1545—1563 Paulo III. et Pio IV. R. P. adversus protestantes et ad disciplinam restaurandam. 20) Vaticanum 8. Dec. 1869 — 18. Juli 1870 adversus errores modernos; in quo et dogma infallibilitatis Pontificiae definitum est. — Conciliorum collectiones praecipuae sunt *Conciliorum omnium collectio regia;* Labbe et Cossart, *Sacrosancta Concilia*, cum supplem. Steph. Balluzii; Harduin, *Collectio maxima Conciliorum;* Coleti, *Sacrosancta concil.;* Mansi, *Sacrorum concil. nova et amplissima collectio.* Pro recent. conciliis *Coll. Concil. recentiorum Lacensis.* Cf. plura apud De Smedt, *Introd. ad H. E.*

Articulus II.

Cujus auctoritate concilium oecumenicum celebrandum sit.

Status quaestionis. 1° Supponimus, Romanum Pontificem a Deo creatum esse caput universae ecclesiae. Tantum autem abest, ut id gratis asseratur: etiam firmissimis rationibus veritatem illam suo loco demonstrabimus.

2° Probaturi sumus oecumenica concilia Romani Pontificis *auctoritate* esse celebranda; atque illa *auctoritas* munere *convocandi*, *praesidendi* et auctoritative *confirmandi* continetur. Itaque concilium, ut toto decursu suo, id est, ut in convocatione, in celebratione et in exitu oecumenicum habeatur, convocari debet a Romano Pontifice, qui vel per

se vel per legatos concilio praesideat et acta confirmet. Quodsi concilium sive convocatione sive celebratione oecumenicum non fuerit, defectus hujusmodi confirmatione subsequenti auferri possunt; nulla vero unquam synodus, nisi a Pontifice Romano confirmata, potest haberi oecumenica.

3° Quaestio est de celebrandis conciliis oecumenicis, quae *proprie* et *perfecte* oecumenica sunt. Nihil ergo de casu, quo totius ecclesiae episcopi, Sede Romana vacante et renuentibus ad electionem convenire cardinalibus, in concilium *eligendi causa* congregarentur; de hoc enim et de casu Papae dubie electi aut similibus inferius.

Adversarii sunt Febronius, Planck et alii. Est autem de fide

Thesis: *Concilia oecumenica Romani Pontificis auctoritate celebranda sunt.*

Argumenta.

Arg. I. Quaecunque ad universam ecclesiam pertinent, Romani Pontificis auctoritati subjecta sunt. Jam concilia oecumenica ad universam pertinent ecclesiam. Ergo concilia oecumenica non nisi Summi Pontificis auctoritate celebrari possunt. Unde S. Thomas: „ad solam — inquit — auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, et alia hujusmodi.“ II. II. 1. art. 10.; I. 36. 2. ad 2.

Arg. II. Conciliorum oecumenicorum *convocatio, praesidium* et *confirmatio* ad caput ecclesiae catholicae pertinent. Romanus autem Pontifex ecclesiae catholicae caput est. Ergo. *Minor*, deinceps probanda, hic supponitur. Prob. *major.*

a) Convocatio. Nulla firma ratio convocandi concilium oecumenicum haberi potest, nisi auctoritas adsit, qua omnes et singuli totius orbis terrarum episcopi certo loco et tempore certo in synodum convenire jubeantur. Et haec auctoritas in solo Romano Pontifice residet.

b) Praesidium. Praesidere corpori cum auctoritate est

capitis. Atqui Romanus Pontifex totius corporis ecclesiae tam congregatae quam dispersae caput est. Ipsius ergo est praesidere.

c) Confirmatio. Conciliorum acta ab eo confirmari necesse est, cui omnium, etiam episcoporum, cura divinitus commissa est. Atqui omnium episcoporum, etiam conjunctorum, cura Pontifici Romano concredita est. Ergo concilia oecumenica Romani Pontificis auctoritate celebranda sunt, „cujus *auctoritate* sola Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur." S. Thom. *Quaest. disp. De potentia* X. art. 4. ad 13. — Quid multa? veri nominis oecumenicitas seu ecclesiae universae repraesentatio sine Summo Pontifice et ecclesiae capite ne cogitari quidem potest.

Arg. III. *Ex traditione.* Concilia oecumenica Romani Pontificis auctoritate celebrari, etiam ex veterum dictis et factis apparet.

a) Ex dictis. Julius Papa ait: „Legem esse pontificiam, ut pro irritis habeantur, quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta." Apud Sozomenum, H. E. lib. III. 10.; cf. Socrat. H. E. lib. II. 17. In synodo, anno 485 habita, plus *40 episcopi* de 318 patribus Nicaenis ajunt: „confirmationem rerum atque auctoritatem sanctae romanae ecclesiae detulerunt." Mansi t. VIII. p. 1140. *Patres Chalcedonenses* Leonem M. rogant, ut acta synodi confirmet. „Rogamus igitur — inquiunt — et tuis sententiis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat." Hard. t. II. 658. *Anatolius* Cpolitanus ad Leonem M. de eodem concilio: „gestorum *vis omnis* et confirmatio *auctoritati* vestrae Beatitudinis fuerit reservata." Inter *ep.* Leon. M. 132. Unde *S. Gelasius* ait: „quod firmavit in synodo (Chalc.) Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, *habere non potuit* firmitatem." Tract. IV. n. 9.; ap. Thiel, II. p. 565. *Patres concilii Cpolitani* III. Agathonem, ut synodum confirmet, his verbis rogant: „Orthodoxae fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicamus, quam ut iterum per honorabilia rescripta confirmetis; vestram oramus sancti-

tatem.“ Mansi, t. XI. p. 683. *Justinianus* imperator: *Nulla unquam* Synodus rata legitur, quae ab Apostolica B. Petri Sede non fuerit fulta.“ *Const.* Novel. 13. Denique gravissima est illa Lucentii in concilio Chalcedonensi, sessione prima, de Dioscoro, patriarcha Alexandrino sententia: „synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est, *ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι.*“ [1])

b) Ex factis. Omnia concilia oecumenica Romanorum Pontificum auctoritate celebrata sunt. Neque enim de conciliis, octava synodo posterioribus, ulla controversia. Quapropter pauca de octo prioribus.

1⁰ *De convocatione.* Quanquam imperatores, ecclesia permittente, ad patres in synodum evocandos *materialiter* cooperati sunt, Pontificum tamen hac in re auctoritas facile conspicitur. *Primo* enim imperatores *ipsorum consensu* egerunt. Sic patres concilii Cpolitani III., *act.* XVIII. de concilio Nicaeno I. affirmant: „Constantinus semper Augustus, et *Sylvester* laudabilis magnam atque insignem in Nicaea Synodum congregabant.“ Cf. Rufin. H. E. lib. I. 1., ubi concilium Nicaenum „ex Sacerdotum sententia“ convocatum dicitur. Episcopi Moesiae secundae in *ep.* ad Leonem imperatorem asseverant, concilium Chalcedonense convenisse „*per jussionem* Leonis romani pontificis“; cujus rei rationem reddentes: „qui vere caput est — inquiunt — episcoporum.“ Cf. Leon. M. *Epist.* 89—95, 114. Hadrianus II. in *ep.* ad Basilium imperatorem de concilio Cpolitano IV. celebrando ait: „Volumus ergo, per vestrae pietatis industriam, illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi praesidentes“ etc. — *Secundo,* Romani Pontifices *objectum* tractandum et agendi *normam* patribus praescripserunt. Sic concilium Ephesinum a Caelestino I. sententiam et normam (*ψῆφον καὶ τύπον*) accepit; concilium

[1]) Pitra, *Spic. Solesm.* p. 199—200. Cf. pro hoc facto et aliis ad thesin nostram pertinentibus Hefele, *Konziliengeschichte,* B. I.; F. X. Funk, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen,* B. I. (1897), S. 39—121; C. A. Kneller, *Papst und Konzil im ersten Jahrtausend,* in *Z. für kath. Theol.,* 1903.

Cpolitanum II. ad Agathonem scribens. eo praecipiente se egisse significat: „ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata“. Cf. Mansi, t. IV. p. 1226, 1228; t. XI. p. 683.; Nat. Alexandrum, H. E. saec. IV. diss. XI.

2° *De praesidio.* Gravissimorum scriptorum auctoritate constat, Romanos Pontifices sive per se sive per legatos in conciliis praesedisse. Sic Osius episcopus Cordubensis cum Vito et Vincentio, presbyteris, etsi patriarchae aderant, in concilio Nicaeno praesedit; id enim probant Gelas. *Volumen act. conc. Nicaen.* II. 5.; Athanasius, *Apol. de fuga*, cap. V.; Theodoret. H. E. II. 15.; Socrat. *Hist.* I. 13. et codices omnes, ex quibus Osium primum subscripsisse manifestum est. In concilio Ephesino Caelestinum I. praesedisse constat, per legatos scilicet et vicarios, Cyrillum Alexandrinum, Arcadium et Projectum, episcopos, et Philippum, presbyterum; id enim aperte ostendunt concilii hujus *Acta.* I., Vigilius in suo *Constituto* apud Mansi, t. IX. p. 62. et Evagrius, H. E. I. 4. Pontificum Romanorum in ceteris conciliis tam certum praesidium, vix ut quisquam sit, qui de facto manifesto concertet.

3° *De confirmatione.* Concilia oecumenica non solum legatorum subscriptione sed documento proprio confirmata sunt. Id probatur *primo* ex *facto.* Nam episcopi quadraginta, Romae anno 485 in synodum coacti, de patribus 318 Nicaenis propalam affirmant: „confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctae Romanae Sedi detulerunt.“ Mansi, t. VII. p. 1140.; cf. Socrat. H. E. II. 17. Nec ambigitur, quin eadem lex in conciliis subsequentibus observata sit. — *Secundo,* concilia, quae prius hac confirmatione carebant, v. g. Cpolitanum I., tum demum oecumenica habita sunt, cum Romani Pontificis suffragio firmarentur, — *Tertio,* Romani Pontificis auctoritate nonnullorum conciliorum acta rescissa sunt, velut concilium Ephesinum II., a Leone M. irritatum. Item synodus, a Leone et Constantino imperatoribus congregata, in *Act.* VI. concilii Cpolitani III. rata non esse dicitur, „*quod* adjutorem non habuerit illius temporis Romanum Papam“.

Objectiones.

Obj. 1. Octo priora concilia ab imperatoribus convocata sunt; Romanis autem Pontificibus illius aetatis ne in mentem quidem venit, jus hoc pro se exclusive asserere. Ergo concilium oecumenicum absque Papa validum.

Resp. Dist. antec.: id dici potest de convocatione *materiali, transeat;* de convocatione *formali, nego.* Synodus *materialiter* convocari dicitur, ab eo actu, quo episcopi ad unum locum evocantur; *formaliter* autem ab eo actu, quo congregatio *ecclesiastica* constituitur; quem actum solus Pontifex Romanus et praestare potuit et praestitit, uti probavimus. Erat autem quod ea cooperatio materialis, ecclesia consentiente, civili imperio relinqueretur. Nam concilia fiebant censibus publicis, ne gravarentur ecclesiae, aliunde bonorum inopes; imperator episcopis, cum longa essent conficienda itinera, vehicula publica administrabat; haeretici et schismatici, turbarum auctores, imperiali auctoritate compescendi erant; aliae movebant utilitates. Ita Roskovany, *De prim. Rom. Pont.* § 69.

Instabis. Dubium non est, quin imperatores in conciliis antiquioribus praesederint et conciliorum decreta ab iis fuerint confirmata. Ergo idem quod supra.

Resp. Dist. antec.: imperatores praesederunt et confirmaverunt ut conciliorum *protectores, conc.; ut caput, nego.* Praesidium honoris, quod imperatoribus non negabatur, et confirmatio, quam episcopi nonnulli ab iisdem petebant, ad concilii ordinem et effectum *tuendum* pertinent. Ob eamque rem Constantinus M. se episcopum *ad extra*, τῶν ἐκτὸς, esse, palam dixit. Revera patres Chalcedonenses, in epistola synodali, ad Leonem M. scribentes memorant, imperatores praesedisse „ordinis causa“; πρὸς εὐκοσμίαν; at ipsum Leonem affirmant „praefuisse ut caput membris“ ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες. Similiter confirmatio imperatorum nihil unquam conciliorum decretis addidit nisi robur *extrinsecum*, quo rebelles cohiberentur.

Urgebis. Quod nulla lege divina determinatum est, immutabile non habetur. At nulla lex divina exstat, quae

convocationem, praesidium et confirmationem oecumenici concilii Romano Pontifici reservet. Ergo concilia absque Rom. Pontificis auctoritate rite celebrantur.

Resp. Transeat major; *dist.* min.: nulla hac de re exstat lex divina *particularis, transeat*; *universalis, nego.* Jus, de quo diximus, Romano Pontifici eadem lege divina, qua primatus ipse, concessum est. Nullus igitur principatus civilis, nulla potestas ecclesiastica potest Pontificem Romanum hoc jure divino et proprio exspoliare; sola Pontificis auctoritas divinum, essentiale fixumque est principium, quod *unum faciat* ex iis omnibus, qui unitatis tuendae causa in coetum coeant.

Dices. In *Actis* concilii Nicaeni I. Osius subscripsit ut *Cordubensis Episcopus*, Vitus autem et Vincentius ut legati Romani Pontificis. Jam Osius primus subscripsit, deinde Vitus et Vincentius. Ergo patres Nicaeni, cum Osium praesidere quam legatos maluerint, legem illam divinam non cognoverunt.

Resp. Dist. maj.: Osius ita subscripsit, legati titulo incluso, *conc.;* excluso, *nego.* Minorem *dist.:* Osius primus subscripsit, ut legatus Pontificis Romani, *conc.;* ut episcopus Cordubensis, *nego.* Ab Osio, cum esset *episcopus*, alterius dignitatis titulus subscriptioni addendus non erat; sed Vitus et Vincentius, cum essent *meri presbyteri*, legati titulum exprimunt. Idem Osii praesidium, cum fuerit *legatus* Pontificius, optime explicatur, non ita, rejecto hoc titulo, extra quem nulla jam assignatur idonea ratio, cur Osius, ex vulgari episcoporum ordine, episcopis Alexandrino et Antiocheno praesentibus antepositus fuerit; praesertim cum alii Latini, v. g. Gallia provincia, non nisi in ultimo catalogo subcripserint.[1])

Obj. II. Romanus Pontifex aut summa potestate concilio praeest, aut aequalitas quaedam hac in parte inter Pontificem et ceteros episcopos inducitur. Si primum, libertas suffragandi perit; sin alterum, Pontificis dignitas periclitatur.

[1]) Cf. Gelzer, *Patrum Nic. nomina* (1898) et Stimmen aus Maria Laach, 1899, April, S. 478 et seqq.

Resp. Dist. primam partem majoris: Romanus Pontifex concilio praeest summa sua potestate, quae alios judices secum patiatur, *conc.;* quae illos excludat, *nego.* Et *nego* minorem, cum tertium adsit, nempe libertatis et dignitatis conjunctio. Ratio liberi suffragii non consistit in hoc, ut nullus suffragium ferentibus praesit; sed satis est, si Romanus Pontifex et episcopi, tanquam caput et membra, in unum corpus conjuncti, suo quisque respectivo judicandi munere perfungantur.

Quaeres. Utrum eo tempore, quo ecclesia capite suo orbata sit, concilium oecumenicum celebrari nequeat.

Resp. Quibuscunque temporibus concilium absque Pontifice Romano celebretur, oecumenicum strictiori sensu dici nunquam poterit. Est enim acephalum; ecclesiam igitur Christi, quae ex capite et membris constat, non nisi imperfecte repraesentat. Possunt tamen, si opus sit, totius orbis antistites in synodum convenire, ut ea peragant, quibus ecclesiae laboranti subsidium afferatur, dummodo ne laedatur plena Pontificis Maximi auctoritas.

Articulus III.

Utrum concilium oecumenicum sit infallibile.

I. Status quaestionis. Concilium oecumenicum intelligimus, quod Pontificis Romani auctoritate celebratur; quod infallibile esse affirmamus, a Pontifice Romano *confirmatum,* cum nec convocatio Papae aut praesidium, neque utrumque simul omnino sufficiant. Infallibilitas conciliorum eadem est, quam prius ecclesiae dispersae in docendo competere ostendimus, et ad eadem objecta extenditur. Porro synodi confirmatae *per se* firma est ac infallibilis auctoritas; nec ulla ratione exspectandus est consensus et acceptatio ecclesiae.

II. Utrum concilium oecumenicum nondum ab ipso Pontifice Romano, sed ab ejus legatis confirmatum infallibile haberi debeat. Illa firmitas, quam Servator beato Petro ejusque successoribus ad confirmandos fratres largitur, in legatos transferri non potest. Jam vero

legati aut instructionem a Sede Romana acceperunt aut non instructi ad concilium accedunt. Si primum, legati, quoniam cum instructione infallibilitatem Romani Pontificis non acceperunt, poterunt contra instructionem agere; sin alterum, poterunt a fortiori cum doctrina Pontificis pugnare. Ergo concilii decreta pro lege infallibilis auctoritatis non absolute valere videntur, nisi confirmentur ab eo, qui in docendo ecclesiam a fide vera non deficiet. Cf Cajetanum, *De author. Papae et concilii,* cap. XV.; Canum, *De loc. theol.* lib. V. 5. Veruntamen si *constiterit*, legatos ex potestate delegata egisse et secundum instructionem, de rebus in particulari definiendis a Pontifice Romano acceptam, infallibilis decretorum auctoritas in dubium vocari non potest. Atque „illud Concilium, — Suarez inquit — quoad talem definitionem, habet confirmationem Pontificis, quasi anticipatam". *De fide,* diss. V. sect. VII. n. 10.

III. Patres concilii sunt vere judices. Patres concilii, etsi Pontifex Romanus in fidei causa decernenda, nullo etiam adhibito concilio, errare non potest, re ipsa tamen judices sunt, non tantummodo consiliarii. Namque 1° „non Romanus Episcopus modo, — ait Canus — verum reliqui etiam Episcopi claves regni coelestis habent: ergo in causa fidei ligandi quoque ac solvendi potestatem. *Visum est,* inquiunt, *Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam haec necessaria*, etc. Omnes ergo Episcopi onus, praeceptumque imponunt, omnesque simul sententiae Synodalis auctores sunt". L. c. 2° Episcopi in conciliis judicio sententiaeque subscripserunt his verbis: „Definiens subscripsi", *ὁρίσας ὑπεγραψα*, quemadmodum S. Jacobus in concilio Hierosolymitano locutus est: *ἐγὼ κρίνω, ego judico.* Act. XV, 19. 3° Pontifex fidem declarans et definiens his utitur formulis: „sedentibus nobiscum et *judicantibus* universi Orbis episcopis"; „sacro approbante concilio". *Conc. Vat.* sess. III. IV.; *Coll. Lac.* VII. 94. — Ergo concilii decretis standum est, etiam quia episcopi, Romano Pontifici conjuncti, judicarunt.

IV. De relatione episcoporum in concilio judicantium ad Romanum Pontificem. Pontifex Romanus

concilio interest ut caput, et judex supremus; episcopi, ut judices subordinati. Hic sequentia notanda sunt. 1° Episcopi et Pontifex Romanus in concilio sententiam ferunt, ut *unum corpus morale.* 2° Episcopi, tametsi ex capite pendeant, caput tamen tuentur et juvant; quo fit, ut decreta communi episcoporum et Pontificis auctoritate edantur. 3° Etiamsi Pontifex Romanus prius sententiam ferat et episcopi suum judicium cum Pontificio conjungant, episcopi vere judices erunt. Eorum submissio erit judicium, et eorum judicium submissio. Certe judicii essentia non consistit in facultate dissentiendi a vero cognito, sed judicium, S. Thoma teste, significat *„rectam determinationem justorum“*. (II. II. quaest. LX. art. 1. ad 1.) Atqui episcopi *justa* et vera rectissime determinare procul dubio censentur, si Pontificio suffragio haec *justa* cognoverint. Itaque submissio, quam episcopi capiti suo praestiterint, nihil prorsus impedit, quominus patres judicium vere exerceant; caput quippe et membra tanquam *unum corpus* in edendis decretis egerint. 4° Nulla vocum major pars Sedem Apostolicam ligare potest; nec Pontifex plurium sententiam sequi tenebitur, sed „sive pauci, — ait Canus — sive plures ad errorem deflexerint, munus est Apostolici Antistitis ad veram eos fidem revocare“. 5° „Nec si major pars patrum vere sentiat, Summus Ecclesiae Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Christi procurationem pertinet, semperque pertinuit, ne Ecclesia in factiones duas dividatur. Nec Romanus unquam episcopus, si exemplum quaeritur, contra patres concilii vere sentientes dixit.“ *De loc. theol.* lib. V. 5. 6° Etsi juris non est, sapientis tamen oeconomiae causa non nisi ea decerni solita sunt, quae majori suffragiorum parte, quin etiam longe majori parte ac consensu pene unanimi patrum approbantur.

V. Quaenam a concilio oecumenico prolata fide tenenda sint. 1° Fide tenenda sunt, quae patres fidei judicio decernunt. Judicia vero de fide seu definitiones fidei, haberi debent, *primo,* si contrarium asserentes pro haereticis judicentur; *secundo,* cum in hanc formam synodus decreta praescribit: *Si quis hoc aut illud senserit, anathema*

sit; *tertio*, si quicquam expresse et proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei catholicae accipiendum certo et firmo decreto dicatur, vel aliis similibus verbis, aliquid esse Evangelio doctrinaeve apostolorum contrarium (Canus, lib. V. 5.); *quarto*, si in eos, qui contra dixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur. Quae quidem nota quarta ita intelligenda est, ut doctrina sic damnata simpliciter *falsa* haberi debeat; utrum pariter *haeretica*, non aeque semper constare videtur, cum fieri possit, ut ipso facto excommunicentur, qui propositiones non *haereseos* nota, sed *alia censura* inustas, docere praesumpserint.

2° Punctum doctrinae definitae plerumque in conclusione, v. g. in canonibus exprimitur. Sed et doctrina, quae alio quovis modo, v. g. in *capitibus* proponitur, definita et res de fide haberi debet, quotiescunque constat, concilium authentice et irreformabili judicio definire voluisse. Ita concilium Tridentinum, sessione VI. in *decreto*, per *capita* sexdecim veram sanamque doctrinam justificationis exponit; quibus absolutis statim ad reliqua pergens ait: „Post hanc Catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit sanctae synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant, quid *tenere et sequi*, sed etiam quid *vitare et fugere* debeant.“ Ergo in *capitibus* concilium doctrinam *tenendam et sequendam* definitive docuit; ut „catholicam“ et „quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit“.

3° Cum nihil definitum censeatur ultra intentionem definientis, *primo* definita esse non censentur, quae in *congregationibus*, vel etiam in ipsis *sessionibus* extra capita et canones proferuntur; patres enim in his definire nolunt. *Secundo*, argumenta, quae in ipsis capitibus et canonibus ad doctrinam probandam aut declarandam, sive ex S. Scriptura et traditione sive ex alio quopiam fonte afferuntur; item quae sunt obiter dicta praeter doctrinam definiendam, ut objectioni respondeatur et similia, ea catholicae fidei judicia et obligatorie credenda, *ut talia*, non sunt. Si vero concilium, in decretis vel canonibus argumenta ex S. Scri-

ptura aut ex traditione proferens, hunc illumve textum S. Scripturae in tali sensu declarat esse intelligendum, aut talem esse traditionem veram ecclesiae, hujusmodi declarationem ad fidem pertinere certum est. Ita synodus Tridentina sess. XIII. cap. I. verba, quibus Eucharistiae sacramentum in ultima coena institutum est, authentice interpretatur. *Tertio,* ea quae sunt obiter dicta aut alio quovis modo non definitivo proposita, magnam tamen solidamque possunt habere auctoritatem; haec autem adjunctis, v. g. deliberatione solemniori, internoscitur. Ad postremum in omnibus considerandum est, quae sit verborum pondus et proprietas.

VI. Adversarii. Protestantes, quod nullus judex quaestiones fidei solvere melius possit quam *Scriptura sola,* conciliorum oecumenicorum auctoritatem contemnunt, patrumque coetui *spiritum privatum* objiciunt. Janseniani, doctrinam Richerianorum democraticam amplexi, synodos generales *absque consensu universalis ecclesiae* firmas esse negant. Ritualistae in Anglia, quidquid de infallibilitate sentiunt, nullam certe conciliis auctoritatem *indubitatam* tribuunt, quae *communi* Romanarum, Graecarum, Russicarum Anglicanarumque ecclesiarum consensu non acceptentur. — Catholicis ut veritas fidei tenenda est

Thesis: *Concilia oecumenica sunt infallibilia.*

Argumenta.

Arg. I. Concilium oecumenicum, confirmatum auctoritate Romani Pontificis supremam ecclesiae docentis potestatem repraesentat. Atqui ecclesia docens est infallibilis. Ergo concilium oecumenicum est infallibile. *Maj.* patet ex ipso conceptu concilii oecumenici; quare Martinus V. in concilio Constantiensi suspectos in fide jubet interrogari: „Utrum credant, quod Concilium generale universam Ecclesiam repraesentet.“ *Min.* loco suo probata est. Ergo concilii patres jure optimo hoc apostolorum sibi vindicant: *Visum est enim Spiritui sancto et nobis.* Act. XV. 28.

Arg. II. Ecclesia errare in fide non potest. At er

rante concilio oecumenico, in errorem duceretur universa ecclesia. Id tria probant. *a)* Oves pastorum vocem audire debent, pastores autem solemnius quam concilii voce loqui nequeunt; *b)* detrectato judicio tribunalis illius supremi, nulla certa via videtur reliqua, ut fidei controversiae, dubia, errores finiantur; *c)* rejecta conciliorum oecumenicorum infallibili auctoritate, haereses omnes, quotquot unquam fuerunt, liberrime redibunt.

Arg. III. *Ex traditione.* Constans totius ecclesiae doctrina est, concilia oecumenica errare in fide non posse. Ergo. Prob. *antec. a) Patres docent, hujusmodi conciliorum decreta esse divina et a Spiritu sancto edita.* Sic *S. Athanasius:* „Verbum Domini per oecumenicam synodum Nicaenam manet in aeternum." *Ad Afric.* n. 2. — A *S. Cyrillo* patres Ephesini dicuntur, „a Spiritu sancto, ne a vero discederent afflati." *Ep* 15; cf *ep.* 39. — *S. Leo M.* vocat concilii Nicaeni definitiones „a Spiritu sancto inspiratas". *Ep.* 59. Cf. S. Basil. *ep.* 114.; S. Greg. Nazianz. *Orat.* XXI. etc. Quae quam stricte intelligenda sint, patet ex *Socrate,* Sabinum Macedonianum, quod patres Nicaenos tanquam indoctos despexisset, in hunc modum corripiente: „Neque illud reputat, eos, qui ad synodum illam convenerunt, quamvis rudes essent atque imperiti, Dei tamen et Spiritus sancti gratia illustratos, *nullatenus* a veritate aberrare *potuisse*". H. E. lib. I. 31. Item *Constantinus M.* vocat decreta Nicaena, „mandatum divinum", *θείαν ἐντολήν.* Eus. *Vita Const.* III. 20.

b) Conciliorum oecumenicorum judicia semper habita sunt irretractabilia. Quod probatur testimonio *S. Ambrosii,* inquientis: „Sequar tractatum Nicaeni concilii, a quo me nec mors nec gladius separare poterit." *Ep.* 21. Item *S. Gregorius Magnus:* „Sicut sancti Evangelii quatuor libros — inquit — sic quatuor concilia (Nicaenum, Cpolitanum I., Ephesinum et Chalcedonense) suscipere et venerari me fateor." Adhaesionis autem tam absolutae ratione addita, conciliorum immutabilitatem allegans ait: „quia dum universali sunt consensu constituta, se, et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos religant, aut ligare

quos solvunt." *Ep.* lib. I. 25.; lib. III. 10. Et synodus Chalcedonensis a *Leone M.* vocatur *„irretractabilis consensus"*. *Ep.* 78. ad Leon. Aug. Cf. S. Aug. *De baptismo* contra Donatistas, lib. I. 7.[1])

c) Qui conciliorum oecumenicorum sententiam non sequebantur, illi inter haereticos et excommunicandos numerati sunt. Revera concilia oecumenica sub anathematis poena semper praeceperunt, ut omnes omnino fideles, sive clerici sive laici, definitionibus suis obedirent. Hac de causa S. Leo M. affirmat, „non esse inter catholicos computandos, qui definitionis venerabilis concilii Nicaeni vel sancti Chalcedonensis concilii regulas non sequuntur." *Ep.* 59.

d) Eodem pertinent testimonia patrum, qui a minori ad majus sententiam Domini: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. XVIII. 20., ad conciliorum oecumenicorum auctoritatem aut referunt aut accommodant. Ita conc. Chalced. *ep.* ad Leonem; conc. Cpolitanum III. *act.* XVII.; Caelestinus I., *ep.* ad conc. Ephesinum etc.

Objectiones.

Obj. 1. Christus inerrantiae privilegium ecclesiae universae, non definito episcoporum numero, legavit. Jam vero in concilium oecumenicum definitus tantum episcoporum numerus, non universitas fidelium, convenit. Nulla igitur concilii decreta certa sunt nisi per unanimem acceptata consensum ecclesiae.

Resp. Dist. majorem: Christus inerrantiam non legavit definito episcoporum numero extra concilium, *transeat;* in concilio, *subdist.:* sine confirmatione Romani Pontificis, *concedo;* accedente ea, *nego.* Objectio ex falsa opinione de constitutione ecclesiae democratica profluit. At vero concilium oecumenicum, auctoritate Pontificia confirmatum, ecclesiam, ut *summa potestas* totum regnum, repraesentat. Nulla ergo sive laicorum sive clericorum inferiorum, sed

[1]) De quonam plenario concilio S. Augustinus in causa rebaptizantium loquatur, vide *Z für kathol. Theol.* 1900, S. 282—326.

sola Romani Pontificis confirmatione opus est, ut concilii firma sit certaque auctoritas.

Instabis. Ut concilii decreta sint auctoritatis infallibilis, debet constare nec studium, nec libertatem, nihil denique earum rerum defuisse, quae ad rectum verumque judicium requiruntur. His autem de rebus nunquam certo constat.

Resp. Trans. maj *Dist.* min.: de his rebus nunquam certo constat per judicium privatum singulorum fidelium, *trans ;* per confirmationem Romani Pontificis, *nego.* Confirmatio Summi Pontificis efficit, ut concilium absolute definiat. Potestati vero supremae, sic absolute definienti, fideles obedire debent; nisi absurde dicas, munus custodiendi pastores concreditum esse fidelibus.

Urgebis. Theologi docent, pastoribus, sententiam laturis, consilium adhibendum esse. Ita incerto labore, incerta definitio.

Resp. Dist. antec.: ille labor pertinet ad officium definientis, *conc.;* ad certitudinem definitionis, *nego.* Et *nego* conclusionem. Christus ecclesiae docenti, quam concilium repraesentat, et ecclesiae discenti, quae docentem audire, non judicare debet, inerrantiae privilegium absolute spopondit. Quare dicendum est, aut nullum definientium neglectum ipsi definitioni derogare, aut diligentiae sufficientiam ipso facto confirmatae definitionis probari. Et sane cum „voluntas divina — inquit S. Thomas — sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult". I. 83. art. 1. ad 3. Cf. S. Aug. *De corrept. et gratia,* XIV. 45.

Dices. Periculum est, ne concilium rem definiat, quae non sit infallibilitatis objectum. Ex hac ergo parte dubia videtur conciliorum auctoritas.

Resp. Dist. antec.: id verendum est, negata S. Spiritus assistentia, *conc.;* eadem admissa, *nego.* Qui dat finem, dat consequentia ad finem. Jam vero finis infallibilitatis attingi nequit, si fieri potest, ut auctoritas infallibilis circa suae infallibilitatis *objectum* fallatur. Fidelibus igitur inquirendum non est, quid sit definibile, sed quid definitum sit;

nam Christus, cum Spiritum veritatis apostolis eorumque successoribus promisit, hoc ipso spondet, nihil omnino illis defuturum, quod ad rectum verumque judicium est necessarium. Cf. Canum, *De loc. theol.* lib. V. 5.

Obj. II. Patrum sanctorum doctrina in fide sequenda est. Patres autem nullam oecumenicis conciliis auctoritatem firmam et infallibilem tribuunt. Nimirum S. Augustinus ait: „ipsa Concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat et cognoscitur quod latebat." *De baptismo contra Donatistas,* lib. II. 3.

Resp. Dist. maj.: *communis* patrum doctrina in fide sequenda est, *conc.;* unus et alter textus cujuspiam patris contra doctrinam communem, *nego.* Et *negata* minori, probationem *dist.:* verbis istis S. Augustinus respexit concilia stricto sensu oecumenica, *nego;* latiori sensu generalia, *conc.* 1° Aetate sancti doctoris nonnisi duo concilia stricto sensu oecumenica celebrata sunt, Nicaenum et Cpolitanum I. At prior synodus in altera nequaquam mutata est. Igitur concilia illa plenaria, *saepe* emendata, non sunt oecumenica concilia Romae confirmata, sed ea, quae ab antiquis sensu latiori *plenaria* et *ex universo orbe,* id est, ex magna parte orbis Christiani congregata dicuntur. 2° Si hoc adversariis largiamur, quod minime probant, concilia strictiori sensu oecumenica textu prolato designari, non idcirco evincunt, S. Augustinum de *fide* emendanda cogitasse. Sanctus enim: „quum aliquo — inquit — *experimento rerum* aperitur". Ergo de *factis* loquitur. Sic autem a casu doctrinae ad casum factorum transiens, conceptum tamen principalem *emendationis* evolvit, ut Donatistas confutet, Cypriani concilium, ut *anterius,* omnibus conciliis *posterioribus* anteponentes. 3° Neque ineptum videtur, si *emendationem* sensu generaliori accipiamus, quae scilicet non in ipsa doctrina immutata, sed in majori *veritatis eiusdem* distinctione, declaratione, expositione consistat. Praeterea Augustinus

De bapt. lib. I. 7 concilii plenarii auctoritatem roburque ostendit.

Instabis. S. Augustinus, disputans adversus Maximinum Arianum: „nec ego — inquit — Nicaenum, nec tu debes Ariminense tanquam praejudicaturus praeferre Concilium.“ *Contra Maxim.* lib. II. 14. Ergo sanctus doctor concilii sententiam peremptoriam esse, non putavit.

Resp. Dist. antec.: S. Augustinus hic *abstrahit* ab auctoritate concilii oecumenici, *conc.;* eam in dubitationem adducit, *nego.* Sanctus doctor, cum adversarium Arianum, definitionis Nicaenae contemptorem, concilii hujus auctoritate perstringere non posset, ab auctoritate tum concilii Nicaeni, tum Ariminensis, a Maximo allegati, discussionis causa praescindit. Nempe *communi* argumentatione opus est. Quare sanctus: „Scripturarum — inquit — auctoritatibus . . . *utrisque communibus* testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.“ Quid quod verbis, immediate praecedentibus, *homoousion* Nicaenum „veritatis auctoritate et *auctoritatis veritate* firmatum“ affirmat.

Urgebis. S. Gregorius Nazianz. *ep.* 55. (130.) ad Procopium haec: „Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit.“ Haec non sunt viri, conciliorum auctoritatem profitentis.

Resp. Dist. antec.: S. Gregorius istis verbis conciliorum *oecumenicorum fallibilitatem* docet, *nego*; conciliorum *particularium* infelicem *exitum, subdist.:* simpliciter, *nego*; restricte, *conc.* Gregorius episcopos Nicaenos summis laudibus extollit, „*quos Spiritus sanctus in unum collegerat*;“ concilium Nicaenum, „quantum in ipso erat, morbum (Arianismum) compressit.“ *Orat. III. pro Athanasio.* Verum agentibus Arianis et Macedonianis, aliis autem nonnullis dominandi cupiditate commotis, factum est, ut concilia complura, eo tempore habita, catholicis infeliciter crederent, v. g. Seleuciense, Tyriense ac Ariminense. Gregorius hujusmodi synodos *particulares*, aut saltem *non perfecte oecumenicas*, sui

temporis respexerit; vel si quid in ipso concilio Cpolitano I. improbasse videatur, id pertinet non ad fidei professionem, ibidem commendatam, sed ad litem de sede Cpolitana, in illo concilio agitatam, et quae sanctum doctorem ad abdicationem episcopatus impulit.

Quaeres. Utrum concilii decreta instar S. Scripturae sint, propterea quod synodus a S. Spiritu regatur.

Resp. Cum S. Scriptura dicatur, quae S. Spiritu *inspirante* scripta est, conciliorum autem definitiones S. Spiritu *assistente* edantur, decreta conciliorum S. Scriptura non sunt. Sed de vera inspirationis indole alias.

Articulus IV.

Utrum concilium oecumenicum sit supra Papam.

I. Status quaestionis. Quod auctoritas superior concilio universali prae Papa vindicatur, id fieri potest bifariam: vel quod potestas episcoporum universorum, excluso Romano Pontifice, dicatur esse major potestate solius Romani Pontificis; vel quod potestas solius Pontificis habeatur inferior potestate episcoporum universorum et Pontificis simul. Prior casus est praecipua hujus disputationis materies.

Potestas in Romanum Pontificem episcopis, seorsum a Papa, affingitur *aut* pro casu Papae dubii aliisque casibus, quibus Pontifex potestate sua quasi per se destitueretur, id quod doctores aliqui in manifesta Pontificis, ut hominis *privati*, haeresi contingere existimant; *aut* pro casu Pontificis certi et legitimi. Jam vero assertores superioritatis concilii, coetum episcoporum sine Papa contendunt esse supra Papam, etiam certum et legitimum. Hic error jam nunc refellendus est.

II. Quonam sensu concilium generale sit potestas ecclesiae suprema. Ad potestatem ecclesiae supremam requiritur *plenitudo potestatis in universam ecclesiam.*

Haec potestas penes episcopos singulos esse nequit, tum quia Pontifex Romanus episcopalem jurisdictionem sua potestate excedit, tum quia potestas episcopalis ultra regi-

men ecclesiae specialis per se ipsam non extenditur. Nec valde difficile, mancam conciliorum auctoritatem demonstrare, si coetum episcoporum seorsum a Pontifice Romano spectaveris; corpus enim episcoporum, capite praeciso, truncum est. Profecto, sicut caput essentialiter ad corpus pertinet et ad omnes corporis partes, quas animat, ita Pontificis auctoritas ad concilium oecumenicum, suprema potestate munitum, pertinet, non ut conditio quaedam sine qua non, sed ut elementum essentiale, principale, vitale, quo plenitudo potestatis in universam ecclesiam per omnia membra diffunditur. Quare S. Thomas ait: „Sancti enim patres in Conciliis congregati *nihil statuere possunt* nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest." *Contra impugnantes*, cap. IV.

III. Adversarii et decretum Vaticanum. Anno 1380 Conradus de Gelenhusen scripsit *Epistolam Concordiae*, in qua principia erronea, quibus Marsilius Patavinus et Guil. Occam systema democraticum in ecclesiam transferre conati fuerant, denuo assumuntur, ut, constituta supra Papam concilii auctoritate, pax ecclesiae post lugendam dimicationem de Pontifice legitimo reflorescceret.[1]) Conradus multorum errantium praecursor fuisse videtur, inprimis Joannis Gerson, qui, habito coram patribus Constantiensibus sermone *de auferibilitate Papae ab ecclesia*,[2]) complures eo inclinavit, ut errorem de suprema conciliorum, etiam in Romanum Pontificem, potestate complecterentur. In synodo Basileensi sententia haec fautores non paucos nacta est, inter quos auctor (1443) operis, quod deinceps et ab aetate Flacii Illyrici (1550) est inscriptum *Confutatio primatus papae*, — renitente tamen prae omnibus doctissime Joanne Turrecremata, viro integerrimo. Saeculis subsequentibus error in aliquas etiam universitates pervasit;

[1]) Cf. A. Kneer, *Die Entstehung der Konziliaren-Theorie* (1893).

[2]) Cf. Gerson, *De potestate ecclesiastica et de origine juris et legum.* Cajetanus de doctrina democratica eorum, qui ecclesiae superioritatem propugnarunt: „hoc — inquit — ipsi non reputant inconveniens, quantum ad rem, licet vocabula horrere videantur." *Tract. De author. Papae et concilii*, cap. VI.

Gallicani *prop.* 2. et 3. suae *Declarationis* doctrinam Gerson sanxerunt. At error a patribus Vaticanis exstinctus est. Declarant enim: „erga Pontificis potestatem jurisdictionis cujuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, *officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae* obstringuntur". Addiderunt haec: „a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum *ad oecumenicum concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem* appellare." Denique: „Si quis ita dixerit. . . . eum (Rom Pont.) habere tantum potiores partes, *non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis*; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias, sive *in omnes et singulos pastores* et fideles; anathema sit." Sess. IV. cap. III.

Thesis: *Concilium oecumenicum non est supra Papam.*

Argumenta.

Arg. I. Romanus Pontifex habet totam plenitudinem supremae potestatis. At concilium generale seorsum a Romano Pontifice plenitudinem istam non habet. Concilium igitur non est auctoritas Papae auctoritate superior. *Major* demonstrabitur q .XVI. art. 2. Prob. *minor. a)* Nullam usquam in S. Scripturis potestatem ecclesiae seorsum a Petro concessam legimus. *b)* Plenitudo potestatis non est in corpore acephalo; concilium autem sine Papa corpus acephalum est, quia, remoto capite, ecclesiae organisatio corrumpitur.

Arg. II. Potestas Romani Pontificis ad regimen universalis ecclesiae extenditur. Potestas autem episcoporum, seorsum a Papa, huic regimini non adaequatur. Ergo concilium generale non est supra Papam. *Major* ab adversariis negari non potest, utpote quibus Papa habetur *caput ecclesiae;* adde quod beatus Petrus constitutus est *fundamentum, confirmator* et *pastor ecclesiae, fratrum, agnorum* et *ovium,* idemque *indistincte.*

Prob. *min.* Episcoporum potestas ad universale regimen

non extenditur, nisi ordinantur in unum. At episcopi per se ipsos in unum non ordinantur, sed per Romanum Pontificem. Ecclesia enim ita constituta est, ut Papa sit principium efficiens unitatis; a quo principio separati episcopi ad unum colligari non possunt. Quare Angelicus: „super potestatem regitivam quae communicat bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis; alias non potest esse colligatio ad unum. Et ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debeat servari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae super potestatem episcopalem, qua unaquaeque specialis Ecclesia regitur; et haec est potestas Papae.“ *In Sent.* IV. dist. 24. q. 3. art. 2.

Arg. III. *Ex traditione a)* Inter veteres convenit, totam *vim* conciliorum generalium esse in approbatione Romani Pontificis; nec unquam nisi ejus *auctoritate* hujusmodi conventus esse firmos. Ergo supra Papam non est, quod sine eo non est. Cf. p. 458—462. *b)* Romani Pontifices definiendi regulam conciliis generalibus dederunt; quorundam acta rescinderunt. Quae sane patrari non potuissent in superiorem. Ita Liberius concilium Ariminense in irritum misit; Leo M. Chalcedonensem canonem XXVIII. rejecit, quem, Pontificis assensu destitutum, 600 partes prorsus enervem esse putaverunt; idem Pontifex concilium Ephesinum II. irritavit; Caelestinus I. Ephesinis patribus sententiam adversus Nestorium praecepit. Insuper antiqua lex est: *Prima sedes a nemine judicabitur.* Nicolaus M. *ep. ad Michael. imper.* Hoc est illud Ennodii in libello apolog. pro synod. Palmari (501): „Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare; sedis istius praesulem *suo* sine quaestione reservavit arbitrio.“ Cf. Synod. Roman. anno 501 in *ep.* S. Symmachi 5.; Avitus Vienn. *ep.* 31. etc. Quin etiam Gerson refert, ante concilium Constantiense doctrinam istam de superioritate concilii supra Papam tam ignotam fuisse, ut qui eam docuisset, „fuisset de *haeretica* pravitate vel notatus vel damnatus“. *De potest. eccl.* XII.

Quaeres I. *Utrum concilium generale seorsum a Papa nihil unquam de persona Papae determinare possit.*

Resp. Ne frustra verba fiant, prius quid inter potestatem *electivam* et *jurisdictionis* potestatem intersit, videamus. Potestati *electivae* competit, *designare* per electionem *personam* in dignitatem Pontificiam, si Petri sedes vacat; ita tamen, ut Pontificia potestas electo immediate a Deo conferatur. Ex quo colligitur, in potestate electiva nullam contineri *potestatis eminentiam* eorum, qui eligunt, prae Papa, qui eligitur. *Jurisdictione* autem aliquam praeeminentiam potestatis in his, qui illa pollent, prae iis, in quos exercetur, significamus. Quod vero concilia, seorsum a Papa, superiori jurisdictione in Papam certum et legitimum gaudere arbitrantur, id in thesi confutatum est. Addam pauca de *eligendi* potestate, qua concilium eligere potest Summum Pontificem.

1° *Vacante sede,* si nulli cardinales essent superstites, aut schisma magnum immineret, si superstites eligerent, ad concilium pertinere videtur, ut ea, quae ad novum Papam eligendum sint necessaria, determinet.

2° *In casu Papae dubii,* id est, in quibuscunque casibus indubitate ecclesiae constare non potest, quis sit caput ipsius legitimum, Pontifices dubii „tenentur obedire Concilio, et sunt illi subjecti, quia ecclesia judicare potest de dubio Pontifice, et tollere schisma, quod inde resultat.“ Joan. a S. Thoma, *Cursus theol.,* tract. de auctor. Summi Pontificis, diss. II. art. 3. Quae potestas a concilio exercetur, non quia *Pontifice vero* superius est, sed quoniam in hujusmodi rerum adjunctis oportet verum Pontificem eligere. Cf. infra finem hujus articuli.

3° *In casu Pontificis publice, juridice, notorie et contumaciter haeretici, si* unquam fieri possit, ut Pontifex Romanus — agitur de *persona privata* — haereticus ex contumacia exsistat, Papa ille haereticus ab episcoporum concilio esset deponendus. At illa depositio non foret actus jurisdictionis, quae sit major potestate Pontificia, sed *declaratoria sententia,* qua haereseos factum juridice constet; quod ubi constiterit, Papa creditur a dignitate sua jure divino defecisse. Hanc igitur depositionem ad potestatem *electivam* retulerim; patres enim in casu isto hypothetico declarant, ecclesiae

corpus a viro haeretico se separasse; *quo facto* ad electionem, sede vacante, tuto proceditur ab iis, quibus eligendi jus competit.

Haec videtur esse sententia Cajetani, *De author. Papae et Concilii*, cap. XXI—XXIII.; Cani, *De loc. theol.* lib. VI. 8. et aliorum contra alios, qui perhibent Papam, in haeresin lapsum, *ipso facto* esse destitutum. — Nec desunt viri eximii, ut Bellarminus et Suarez, qui censent casum illum, quo Papa, ut persona *privata*, contumaciter in haeresin laberetur, esse minus probabilem, sed probabiliorem sententiam, qua id unquam fieri posse negatur. Cave tamen credas, inde sequi, Papam, ut doctorem *privatum*, esse infallibilem. Nempe falli non est idem ac esse contumaciter haereticum.

4° In casu qualicunque scandali, si Deus inter tot Pontifices virtute praestantes, aliquem ab officio discedere permitteret, firmum ratumque semper erit, *primam Sedem a nemine judicari.* Nam potestas Pontifice superior nulla est. Cf. Cajet. *o. c.* cap. XXIV. et seqq. Unde ad Deum recurrendum. S. Thom. *In IV. Sent.* dist. 19. q. 2. art. 2. q. 3. ad 2. Cf. ibidem ad 1., et de Pontifice, *sponte* se subdente aliorum judicio, II. II. 67. art. 1. ad 2.

Quaeres II. *Utrum concilium generale una cum Papa dici possit auctoritas Pontifice solo major extensive.*

Resp. Concilium generale una cum Papa *in se et formaliter* non est major potestate quam Romanus Pontifex solus, nec potestas solius Pontificis major potestate talis concilii. At nihil est, quod hujusmodi concilio abjudicetur major potestas *extensiva*, *extrinseca* et *humana: extensiva*, quia corpus pastorum, re conjunctum cum capite, videtur quaedam potestatis supremae a capite per corpus extensio; *extrinseca*, quia decretum, ab universalitate latum, nonnullorum animos, ignorantia, perturbatione aliisque infirmitatibus detentos, quandoque vehementius commovet; *humana*, quia solent homines scientiam, prudentiam et sanctitatem revereri, quae in coetu tot virorum praestantissimorum refulgent. Haec vero potestatem ecclesiasticam *in se* et *formaliter* non mutant; unde Cajetanus: „Papa cum ecclesia

reliqua non facit *majus in potestate,* sed *plures potestates.*" *Tract. de author. Papae et concilii,* cap. VI.

Corollarium I. Canones concilii oecumenici, a Pontifice Romano confirmati, aut *jus divinum* declarant, v. g. in rebus fidei; aut *jure tantum ecclesiastico* feruntur, v. g. in legibus mere disciplinaribus. Auctoritatem vero Romani Pontificis istis statutis ligari, verissime asseritur: „in illis — ait S. Thomas — quae statuta sanctorum determinaverunt, esse de *jure divino,* sicut articuli fidei, qui determinati sunt per concilia; sed ea quae sancti patres determinaverunt esse de *jure positivo,* sunt relicta sub dispositione Papae, ut possit ea mutare vel dispensare secundum opportunitates temporum vel negotiorum." *Contra impugn. cap.* IV.; cf. *Quodl.* IV. 13.

Coroll. II. Auctoritate Papae cum major nulla sit, appellationes a sententia Pontificis ad concilium generale divino jure prohibentur. Saepius damnatae sunt; v. g. a Pio II., bulla *Execrabilis,* 1459. Cf. Bened. XIV., *Bullar.* t. I. p. 70.; Pii IX. constit. *Apostolicae Sedis;* conc. Vatic. supra, p. 477.

Objectiones.

Obj. 1. Concilium oecumenicum ecclesiam universam repraesentat. Universalis autem ecclesiae potestas omnium suprema est. Ergo concilia oecumenica judicare possunt Romanum Pontificem.

Resp. Dist. maj.: concilium oecumenicum repraesentat ecclesiam auctoritate, quae a fidelibus derivetur, *nego;* quae est immediate divina, *subdist.:* concilium cum Papa conjunctum, *conc.;* ab eo sejunctum, *nego. Dist.* minorem: universalis ecclesiae potestas suprema est, et ea potestas residet in capite, *conc.;* in membris seorsus a capite, *nego.*

Potestatem ecclesiasticam a communitate fidelium in pastores derivari, error est, de quo Pius VI. in bulla *Auctorem fidei,* prop. 2.: „Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum, sic intellecta, ut

a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: haeretica.“ Ut proceres regnum repraesentant, ita pastores ecclesiam. Regimen autem universale et supremum penes episcopos, a Pontifice Summo sejunctos, residere nequit; sed Romani Pontificis auctoritate, quae est *regitivum universale* et quoddam *primum movens*, episcopi a fine *proximo* suae ecclesiae specialis fini *ultimo* regiminis universalis adaequantur. Cf. S. Thom. I. II. 109. 6.

Instabis. Omne totum est majus sua parte. Patres, in concilium confluentes, totum repraesentant, cum Papa solus sit pars. Concilium igitur est supra Papam.

Resp. Concessa minoris parte prima sub distinctione supra posita, alteram partem *dist.:* Papa solus est pars, ut persona privata, *conc.;* in potestate, *nego.* Potestas suprema in ecclesia non oritur ex Papa et episcopis ut totum ex partibus suis; sed *jure divino plena* est in Romano Pontifice. Quapropter *plures* potestates in ecclesia *tota* asserere non repugnat, sed plus potestatis quam in Summo Pontifice residet, nullo modo habetur.

Urgebis. S. Hieronymus *ep.* 146. ait: „Si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe.“ Orbis autem est episcoporum universitas.

Resp. Dist. antec.: orbis major est urbe, auctoritate consuetudinis, *conc.*; potestatis, *nego.* S. Hieronymus, prolata illa sententia, statim hanc sibi objectionem proponit: „dices, quomodo Romae ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur?“ Et objicienti respondet: „Quid mihi profers unius urbis *consuetudinem?*“

Obj. II. Seorsum a Papa in ecclesia adest Papatus, ut ajunt, suppletive et in regulante usum ipsius. Ex quo sequitur, saltem concilium generale esse potestatem majorem potestate Summi Pontificis. *Prob.* antec. Christus ecclesiae suae regulam dedit indefectibilem, ne defectibus occurrentibus a fide vera declinaret. Jam suprema haec regula non est Papa, peccatis et errori obnoxius. Itaque concilium generale Papae defectus ipsiusque Papatus usum regulare necesse est.

Resp. Dist. antec.: Secluso Papa est in ecclesia Papatus, id est potestas Pontificis, vacante sede, eligendi, *conc.;* potestas Pontificis electi judicandi, *nego.* Ad probationem antecedentis, *dist.* min.: Papa potest peccare, *conc.*; errare, *subdist.:* errore privato, *conc.;* errore judiciali ex cathedra, *nego.* Gratis omnino asseritur Papatus ille suppletivus et regulans; unus Papatus in S. Litteris, in veteribus, in historia apparet, qui Pontificis Romani proprium est. En *petram* fidei.

Instabis. Si concilium non est supra Papam in unius auctoritate totius vertitur salus ecclesiae. Salus autem communis tutius reponitur in potestate multorum.

Resp. Dist. maj.: ecclesiae salus in unius Pontificis auctoritate reponitur ut in unica potestate, *nego;* ut in suprema, *subdist.:* adjuta a S. Spiritu, *conc.;* mere humana, *nego.* Et *dist.* min.: salus communis tutior est in multorum potestate, humano modo, *transeat;* Deo assistente, *nego.* Quare Cajetanus: „sola — inquit — divina assistentia causa est inobliquabilis directionis et judicii in ecclesia." *De auth. Papae et conc.*, cap. XIV.

Obj. III. Concilium Constantiense sessionibus IV. et V. declaravit, concilium generale esse supra Papam.[1]) Porro

[1]) Sess. IV. declaratur: „quod ipsa synodus in Spiritu sancto congregata, legitime generale concilium faciens, et ecclesiam catholicam militantem repraesentans; potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, *etiamsi papalis existat,* obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem ecclesiae Dei in capite et membris." — Sess. V.: „Item declarat, quod quicunque cujuscunque conditionis, status et dignitatis, *etiam* papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut praeceptis hujus sacrae synodi, et cujuscunque alterius concilii generalis legitime congregati, super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subjiciatur, et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo."

Sunt, qui in decreto sess. IV. legendum esse existiment *ad finem,* non: *ad fidem.* Cf. Dechamps, *L'infaillibilité et le Concile Général;* Analecta juris pontificii, Livr. Juillet-Août, 1879.

Martinus V. sessione XLV., quae fuit ultima, concilii decreta approbavit. Declarat enim ille Pontifex, „*quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materia fidei, per praesens sacrum Concilium Constantiense conciliariter, tenere et inviolabiliter observare volebat, et numquam contravenire quoquomodo; ipsaque sic conciliariter facta approbat, et ratificat, et non aliter nec alio modo*“.

Resp. Dato, quod multi negant, memorata Constantiensia decreta casum quoque *Papae non dubii* respicere, eorundem tamen auctoritas cum veritate historica componere non possumus, quippe cui rei multa adversantur.

a) Ex illa, quam Martinus V. sessione ultima — die 22. Aprilis 1418 — concesserit, approbatione decretorum synodalium, nec pro nec contra quidpiam colligi posse videtur. Qui sessioni XLV. aderant, vehementius et non sine quorundam tumultu controversias habebant de reprobando libro, quem Joannes Falkenberg *Satyram contra haereses* inscripserat, et jam pridem in diversarum nationum conventu, seu *nationaliter*, sed nondum *conciliariter* condemnato. Tum Martinus V., imposito omnibus silentio, declaratione sua, quam supra audivimus, rei finem constituit. Quae sane declaratio, quamvis sub formula generali — *omnia et singula determinata* — proferatur, multo magis tamen ea, de quibus hac sessione ultima patres disputaverant, quam sessiones quartam et quintam attingere putamus. Quare hoc incisum: *in materia fidei*, non magnopere urgerem, quasi Pontifex iis verbis de decretis earum sessionum a sua approbatione secludendis explicite cogitaverit. Nec satis apparet, Pontificem hujusmodi seclusionem spectavisse, cum per bullam *Inter cunctas* quemlibet de haeresi suspectum interrogari juberet, „utrum credat, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense, universalem ecclesiam repraesentans, approbavit et approbat, *in favorem fidei et ad salutem animarum*, quod hoc et ab universis Christi fidelibus approbandum et tenendum.“ Ita fatemur, rationes illas, quae ab utraque formula ad exclusionem dictorum decretorum ostendendam saepius desumuntur, vim satis positivam non habere.

b) Ab altera parte ex formulis memoratis, quae absolutam pro omnibus et singulis sanctionem non complectuntur, nihil ad errorem de superioritate concilii stabiliendum eruitur. Quin imo multa decretorum, quae huic errori favebant, vitium et inanitatem demonstrant. Et primo ipse Pontifex per bullam diei 10. Martii, hoc est paucis septimanis ante sessionem 22. Aprilis, sua quae de auctoritate Papae et concilii esset sententia his verbis aperuerat: „Nulli fas est a Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice J. Ch. Vicario in terris appellare.“ Praeterea Turrecremata pro certo affirmat, sessione IV. et V. decreta de potestate concilii *conciliariter* facta non esse, quod in illorum determinatione intervenerit una tantum obedientia Joannis XXIII., neque haec integra tota. Cardinalis autem d'Ailly, superioritatis concilii fautor, se nescire dicebat, utrum decreta illa *conciliariter* facta esset necne.[1]) Neque synodus ea decreta tanquam *materiam fidei* designat, sed inter *constitutiones synodales* ea collocat, atque pluries illam hac categoria expressis verbis distinguit. Denique Joannes Turrecremata, S. Antoninus et alii viri, pietate et eruditione insignes, decreta famosa rejecerunt; quod procul dubio minime fecissent, si decreta ista sua sanctione muniisset Summus Pontifex. Tandem Eugenius IV., ne quis veram mentem apostolicae Sedis ignoraret, die 22. Julii 1446 affirmavit, se suscipere generalia Concilia Constantiense et Basileense „absque tamen praejudicio juris, dignitatis et praeeminentiae S. Sedis Apostolicae“. Idem jam Pontifex, cum patres Basileenses asserent, systema potestatis concilii supra Papam esse de fide catholica, assertionem istam constitutione *Moyses*, data Florentiae 1439, damnaverat, sacro approbante concilio.[2])

---

[1]) Turrecr. *Summa de eccl.* lib. II. 99; Opp. Gersonii II. 940 et 960, *De Ecclesiae, concilii generalis et Summi Pontificis auctoritate.*

[2]) Cf. F. X. Funk, *Kirchengesch. Abhandlungen u. Untersuchungen* (1897), B. I. 489—498; L. Salembier, *Le grand schisme d'Occident* (1900), p. 291—321; Hergenröther-Hollweck, *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts* (1905), p. 344—345.

Dices. Eugenius IV. concilium Basileense, in quo decreta patrum Constantiensium instaurata sunt, sua auctoritate comprobavit. Decretis ergo illis refragari non possumus.

Resp. Dist. antec.: Eugenius IV. *progressum* concilii Basileensis approbavit, *conc.*; ejus *decreta, nego.* Cf. bullam *Dudum sacrum,* 1. Aug. 1433 et alteram *Dudum sacrum,* 15. Dec. 1433. Praeterea idem Pontifex doctrinam de superioritate concilii supra Papam a. 1439 constitutione sua *Moyses* reprobavit.

Quaeres I. *Utrum decreta sess. IV. et V. Constantiensis concilii solum casum Papae dubii respiciunt.*

Resp. Solutio objectionis expositae non pendet ex hac quaestione. Sed adversarii hoc magis confutantur, quod decreta famosa ne respexerint quidem casum *certi Pontificis.* Patres ad eum casum sua decreta non extendisse, haec probant. 1° Patres non semel affirmant, haec decreta fieri „pro exstirpatione ipsius schismatis". Ipsa verba: „et cujuscunque alterius Concilii generalis", ab ipsis extra casum prius positum non trahuntur; siquidem ita pergunt: „super praemissis seu ad ea spectantibus factis vel faciendis". Nimirum timuerunt, ut schisma hac synodo terminaretur, cum et Pisanae pessimum vidissent exitum; hoc cavere voluerunt, tuendo auctoritatem cujuscunque Concilii generalis, sed pro exstirpatione schismatis, hoc est, pro casu Papae dubii. Item cum Papa, in scripto cardinalium, patribus oblato, *„caput concilii generalis"* vocaretur, synodus respondit: „Hoc concedatur, tamen *non ad fovendum schisma.*" 2° Joannes Turrecremata refert: „decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de qualibet synodo universaliter, sed de illa singulariter pro cujus tempore non erat in ecclesia unus pastor totius ecclesiae indubitatus." *Summa de Ecclesia,* lib. II. 99. Aeneas Sylvius idem significat. *Orat. c. Austral.* [1])

---

[1]) De litteratura histor. conc. Const. cf. Hergenröther, *Kirchengesch.,* Bd. II. p. 672, ed. 3., et Finke, *Forschungen zur Gesch. des Konst. Konzils.*

Quaeres II. *Utrum valeat hoc: „Papa dubius, Papa nullus.“*

Bañez, consideratis iis quae in conc. Constantiensi acta sunt, ait: „Potuit igitur Ecclesia propter errorem communem facti deponere tres illos, qui dicebantur Pontifices, etiamsi illorum aliquis esset verus Pontifex. Omnes enim tenebantur cedere juri suo propter Ecclesiae communem utilitatem; alioquin, si nollent cedere, potuerunt deponi.“ . . . Cajetanus, *De auctor. Papae et Concil.* cap. VIII. suam ita exponit sententiam: „sicut enim quod *nescitur* consecratum, pro non-consecrato habetur, sic qui *nescitur* legitime electus Papa, tamquam non-Papa obedire tenetur (Concilio) et hoc directe pertinet . . . quando erant tres Papae et nullus indubitatus ex sua electione.“ Simili modo casus Papae dubii solverunt Bellarminus, *De Conc.* II. 19. et Suarez, *Tract. de Fide* X. 6. 19. At auctores illi agere de eo solo casu videntur, quo totam ecclesiam statim ab initio latuerit et deinde latere minime desinat, utrum Pontificis electio legitima fuerit necne. Ideo Franzelin bene distinxisse putamus, haec scribentem: „quod a multis ad explicanda acta conventus Pisani et Constantiensis dicitur axiomatis instar: Pontifex dubius, Pontifex nullus; verum est dumtaxat, si dubium et propter dubium secessio est totius Ecclesiae; non autem potest admitti, si postquam Pontifex legitime est constitutus, in parte, imo in parte etiam majori Ecclesiae propter inductas perturbationes dubia et secessiones oriantur.“ *De eccl. Christi*, sect. II. th. XIII.

Articulus V.

Utrum concilia oecumenica sint necessaria.

I. Status quaestionis. Absolutis de conciliorum auctoritate controversiis, quaeritur, utrum oecumenica concilia tam necessaria sint, ut ecclesiam sine conciliis *esse* repugnet, id est, utrum conciliorum celebratio ex quodam *principio intrinseco* ecclesiae *necessitate quadam naturae* profluat. Cui quaestioni ut distincte respondeatur, spectari

debet conciliorum 1° utilitas; 2° moralis necessitas; 3° necessitas absoluta.

1° *Oecumenicorum conciliorum utilitas.* Temporum rerumque conditio quandoque talis est, ut de utilitate celebrandi concilii nihil ambigendum sit. Ita Paulus III. in *bulla indict. conc. Trident.:* „Animo repetentes majores nostros, sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis Christianae reipublicae periculis remedium optimum atque opportunissimum, oecumenica concilia et Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adjecimus." Rursus patres Vaticani divinam Providentiam docent iis manifeste compertam esse fructibus, „qui orbi Christiano e Conciliis oecumenicis, ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt." Const. *Dei Filius.* Cf. Bellarm. *De conciliis,* lib. I. 7., ubi sex conciliorum oecumenicorum utilitates recensentur.

2° *Concilia oecumenica nonnunquam moraliter necessaria esse videntur.* Id censetur esse moraliter necessarium, quod ad intimam quidem rei naturam non pertinet, nec ad finem necessario obtinendum tanquam medium unicum requiritur, sed quo deficiente finis adeptio plurimum impediretur. Jam vero non est magni negotii perspicere, errores ingravescentes aut exortas discordias aliave pericula, quibus occurrendum sit, interdum esse ejusmodi, ut vix nisi communi episcoporum concilio *in deliberando,* solemnitate maxima *in definiendo,* fortissima concordia *in exsequendo* ab ecclesia propelli posse videantur.

3° *Concilium oecumenicum nunquam est absolute necessarium.* Quod explicandum est.

II. De sententia eorum, qui concilia oecumenica absolute necessaria esse contendunt. Richerius in opere suo *De Eccl. et polit. potestate,* inter alia docet, *frequentem celebrationem conciliorum esse simpliciter et absolute necessariam ad ecclesiam melius sanctiusque regendam.* Haec doctrina manat ex negato regimine ecclesiae monarchico, Nempe si Pontificis Maximi supremam potestatem rejeceris, consequens est, ut concilium oecumenicum supremae potes-

tatis proprium, ordinarium et unicum regiminis supremi subjectum habeatur; ab oecumenicis igitur conciliis, cum aliud medium desit, res quascunque gravissimas tanquam a judice ordinario et unico definiri oportebit. Nec quidquam juvat illud: „ad ecclesiam *melius sanctiusque* regendam“. Etenim cum Richerius *conciliorum frequentem celebrationem* ad hoc „simpliciter et absolute necessariam“ esse perhibeat, *aliud* medium ad ecclesiam *melius sanctiusque* regendam praesto esse, non arbitratur.

Thesis: *Concilia oecumenica non sunt absolute necessaria.*

Argumenta.

Arg. I. Absoluta conciliorum oecumenicorum necessitas est aut *necessitas praecepti* divini aut *necessitas medii* ad finem. At neutra necessitas admitti potest. Ergo illa concilia non sunt absolute necessaria. Prob. *min. a)* Non *necessitas praecepti;* praeceptum enim divinum hac in re gratis omnino asseritur; praeterea Christus, qui est causa efficiens ecclesiae, gregem universum, utique sanctissime optimeque pascendum, Petro, pastori summo, concredidit. *b)* Nec *necessitas medii:* „nam dicitur aliquid esse necessarium in his quae sunt ad finem, in quantum sine hoc non potest esse finis, vel bene esse.“ S. Thom. I. 41, art. 2. ad 5. Atqui praeter concilium Papa, in quo est *plenitudo potestatis,* per se praestare potest, quidquid in ecclesia ad „esse finis vel bene esse“ valet praestare concilium. Nulla igitur est conciliorum oecumenicorum absoluta necessitas.

Arg. II. Fieri non potest, ut ecclesia regimine suo absolute necessario passim destituatur. Atqui necesse est ecclesiam conciliis oecumenicis passim destitui. Ergo illa concilia absolute necessaria esse falso dicuntur. Prob. *min. a)* Ex intrinseca difficultate evocandi ex orbe terrarum episcopos, qui *relictis gregibus* in synodum conveniant. *b)* Ex difficultatibus *extrinsecis*, quae sunt itinerum longitudo, gravitas impendii, civilis principatus repugnantia, bellorum dissidia. *c)* Ex factis, praesertim cum ante concilium Ni-

caenum (325) et a concilio Tridentino usque ad Vaticanum (1545/63 1869/70) concilium oecumenicum celebratum sit nullum. Cf. S. Thom. *Quaest. disp. De potentia* X. 4.

Objectiones.

Obj. I. Quod est de jure divino, est absolute necessarium. Jam vero concilia sunt de jure divino. Ita sunt simpliciter et absolute necessaria.

Resp. Dist. maj.: quod est de jure divino, est absolute necessarium *sub eo respectu,* quo est de jure divino, *conc.;* sub alio respectu, *nego.* Ad minorem item *dist.:* concilia sunt de jure divino, quantum ad facultatem celebrandi, *conc.;* quantum ad debitum celebrandi, *nego.* Hic non agitur de necessitate *juris* concessi, sed de juris *usu.* Non sumus ignari, conciliorum oecumenicorum, *si* celebrantur, infallibilitatem et summam in fideles auctoritatem juris esse divini; sed negamus, jure divino statutum esse, ut *debeant* haec concilia congregari, tanquam medium regendi *ordinarium,* quo ecclesia *simpliciter* carere non possit.

Instabis. Concilium oecumenicum si non omnibus negotiis, at gravissimis pertractandis habetur necessarium; neque enim controversiae aliter dirimuntur.

Resp. Dist. antec.: negotiis gravissimis pertractandis concilium hujusmodi habetur necessarium absolute, *nego;* moraliter, *subdist.:* interdum *conc.;* semper, *nego.* Non possunt quibuslibet gravissimi momenti negotiis expediendis convocari coetus oecumenici. Nec opus est. Nam potestas plena in Pontifice Romano residet. Quamobrem S. Thomas de symbolo, adversus haereses explicando, ait: „Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpretandi symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem . . . ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate sola, Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur.“ *De potentia,* X. 4.

Urgebis. A patribus Constantiensis synodi frequens generalium conciliorum celebratio vocatur „agri Domini cultura praecipua“; a quibus et decreto cautum est, ut

concilia „de decennio in decennium“ (sess. XXXIX.) celebrarentur. Jam vero Martinus V. et Eugenius IV. huic decreto morem gesserunt. Igitur concilia oecumenica videntur absolute necessaria.

Resp. Dist. maj.: *assertio* illa facta est obiter, *conc.;* definitive, *nego.* Quod ad *decretum* attinet, iterum *dist.:* est disciplinare, *conc.;* doctrinale, *nego.* Et *dist.* min.: Martinus V. et Eugenius IV. huic decreto morem gesserunt simpliciter, *nego.;* secundum quid. *conc.* Nemo dixerit, hic agi de decreto fidei; sed Pontifices tunc temporis decretum disciplinare, saltem ad majus vitandum malum, approbandum esse duxerunt. Successoribus aliter visum est.

Quaeres. *Quaenam sit auctoritas conciliorum nationalium et provincialium.*

Resp. a) De fide catholica est, concilium nationale per seipsum non esse infallibile. Decretum enim ecclesiae est: „Propositio enuntians . . . convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem; sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in ecclesia quacunque subortae per nationale concilium irrefragibili judicio finiri valeant; quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret: schismatica, haeretica.“ *Auctorem fidei,* prop. 85.

b) Conciliorum nationalium definitiones *ex se* definitivae non sunt. Notatur enim in *Syllabo* prop. 36.: „Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.“

c) Concilium nationale aut provinciale, Summi Pontificis auctoritate non firmatum, errare in fide potest, *probabile* tamen argumentum veritatis, quin etiam *quandoque probabilissimum* suppeditat. Cf. Canum, lib. V. 4, ubi et de concilio provinciali, quod Romani Pontificis auctoritas firmaverit; Gotti, *De loc. theol.* quaest. III. dub. V. §. 6.

Quaestio XIV.

De primatu S. Petri.

Christus caput est ecclesiae: *Ipse, salvator corporis ejus.* Eph. V. 23. *Et ipse est caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* Coloss. I. 18—20. Deus autem, qui *erat in Christo mundum reconcilians sibi,* dedit apostolis eorumque successoribus *ministerium reconciliationis* et posuit in eis *verbum reconciliationis.* II. Cor. V. 18, 19. Porro Christus vice sua unum omnibus *visibiliter* praeesse voluit. Unde primatus; de quo, cum plurimos offendat, diligentius disserendum est. Ita quaeritur

Primo. *Utrum S. Scripturae testimoniis probetur, S Petrum jurisdictionis primatum divinitus accepisse.*

Secundo. *Utrum idem primatus ex traditione certus sit.*

Tertio. *Utrum beatus Petrus primatum a Christo solus acceperit.*

Quarto. *Utrum beatus Petrus ex ordinatione divina perpetuos habeat in primatu successores.*

Articulus I.

Utrum S. Scripturae testimoniis probetur, S. Petrum jurisdictionis primatum divinitus accepisse.

I. De natura primatus. Primatus, generatim spectatus, est quaedam *praeeminentia.* Primatus autem triplex est, videlicet: *honoris,* cui jura honorifica, verbi causa locus

certus, annexa sunt; — *directionis* seu *inspectionis*, qui non in jure reipublicae gubernandae consistit, sed in munere commisso efficiendi, ut ea, quae ad rempublicam gubernandam pertinent, rite fiant; si quis verbi causa senatui, in quo suprema potestas residet, ad ordinem servandum praesideat; — *jurisdictionis*, quo quis alios, tanquam vere subditos, regit et gubernat. — Primatus igitur beati Petri definiri potest: *praeeminentia suprema tum honoris et directionis tum jurisdictionis in universam ecclesiam.*

II. Petri primatus relate ad Christum. Primatus beati Petri supremum Christi regimen in ecclesiam *non excludit, sed supponit.* S. Thomas III. 8. 6. docet, Christum, qui est ecclesiae caput invisibile et principale, excellentia triplici Pontificem Summum, qui est ecclesiae *visibile* caput, superare. Nam 1° interior influxus gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo, cujus humanitas ex hoc quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi, aliis autem influxus in membra ecclesia non nisi ad exteriorem gubernationem potest convenire. 2° Christus est caput omnium eorum, qui ad ecclesiam pertinent secundum omnem statum et tempus; Papa est caput totius ecclesiae secundum determinatum statum, prout fideles sunt in statu viatoris, et durante tempore sui Pontificatus. 3° Christus est caput ecclesiae propria virtute et auctoritate; Summus Pontifex, in quantum Christi vicem gerit. Quapropter S. Petrus Christi *vicarius*, non *successor* nominatur. Nam successor ille solus vere dicitur, qui ita succedit, ut decessor auctoritatem deposuerit; Christus autem auctoritatem non deposuit, sed e mundi conspectu elatus vicarium, sibi soli subjectum, ecclesiae *visibiliter sub invisibili capite* pascendae reliquit.

III. De habitu S. Petri ad ceteros apostolos ratione apostolatus et ratione primatus. 1° *In apostolatu* Petrus ceterorum apostolorum aequalis fuit. Apostolatus autem complectitur auctoritatem gubernandi fidelis populi, docendi facultatem potestatemque patrandi miracula ad doctrinam confirmandam (S. Thom. *In I. Cor.* XII. lect. III.); eamque jurisdictionis potestatem in orbem uni-

versum apostoli a Christo immediate acceperunt. Atque ad omnes apostolos pertinet, quod Angelicus de beato Paulo exponit, videlicet Petrum et ceteros omnes *ratione apostolatus* aliquo modo pares fuisse, non in auctoritate regiminis, sed „in executione auctoritatis“ (In Gal. II. lect. III.) et „quantum ad fidei defensionem“ (II. II. 33., art. 4.), quemadmodum ecclesia in *Praefatione* Missae precatur: „*quos* (apostolos) operis tui vicarios, eidem contulisti praeesse pastores.“ Fuisse pares dixi in *exsecutione* auctoritatis; „dedit enim Salvator omnibus apostolis communiter, ut exsequi possent in eis, ad quos mittebantur, omnia quae poterat exequi Petrus: puta instituere ecclesias et episcopos, docere, excommunicare, de quo cf. Cajet. *Tract. I. De author. Papae*, c. III.; et quantum ad exsecutionem apostolorum quoque jurisdictio universalis erat secundum loca, personas et objecta. Spectata tamen *in se*, auctoritas alio modo in Petro fuit atque in aliis apostolis; in his ratione apostolatus *delegata* et *extraordinaria*, in illo ratione potestatis regiminis *propria* et *ordinaria*. In *fidei* quoque *defensione* fuit aequalitas; quandoquidem Christus apostolis omnibus immediate dixit: *docete omnes gentes;* de Paulo Dominus: *vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Act. IX. 15.; cf. Sylvium, In II. II. 33. art. 4.

2⁰ *Ratione primatus* et ut supremum totius ecclesiae caput Petrus ceteris apostolis praecellit. Nam *a)* regiminis potestas ipsi tanquam propria concredita est; quamobrem solus Petrus, non alii apostoli, coapostolis suis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, leges condere potuit. *b)* Quaecunque pro ecclesia gubernanda ceteris apostolis divinitus concessa sunt ex *gratia speciali* et uti *delegatis*, ea Petro competebant ordinarie et ex *propria Pontificalis officii* auctoritate. *c)* Apostolorum potestas extraordinaria et delegatoria, defunctis apostolis, exspiravit, sed Petri potestas, tanquam ordinaria, et Christi vicario concessa, perpetua est. Cf. Cajet. *De author. Papae et conc.* c. III.

IV. Adversarii. Photiani non pauci S. Petrum apostolorum caput et principem fuisse negant. Marsilius Pa-

tavinus a. 1327 ob eum etiam errorem a Joanne XXII. damnatus est. Inter eos, qui novas opiniones saeculi XVI. sparserunt aut sequuntur, alii ne umbram quidem primatus honoris in Petro patiuntur; alii, nominatim ex antiquioribus Melanchton, in sequacibus Isaac Barrow, Anglus, et Meyer, Germanus, *honoris primatum* non rejiciunt. Dupin, *De ant. eccles. discipl*, Petri praeeminentiam ad honoris primatum, Febroniani ad primatum merae *directionis et inspectionis* coarctatam fuisse, arbitrantur.

Ut plurimum aetatis nostrae acatholici, v. g. J. Bovon, *Théologie du Nouveau Testament* (2. éd. 1902) textum Matth. XVI.: *Tu es Petrus*, perinde ac antecessores eorum contorquent. Novus tamen adspectus controversiae habetur ex recentiori critica. Olim in textu Matth. XVI.: *Tu es Petrus*, etc., adversariorum judicio, verbum authenticum Jesu erat, de primatu nihil in eo erat; hodie quod magis minusve primatum contineat, fieri posse negant, ut verbum Jesu sit. Pfleiderer, Drummond, Réville, Resch, Holtzmann, Harnack, Wendt, Sabatier et Grill hypothesi huic favent. Sed alii aliter. Quandoque enim Matthaeum totum ad saeculum II. — ad varia tamen hujus saeculi stadia — transferunt (Pfleiderer, Jülicher); aut partem tantum illam, quae ad thesin nostram pertinet, dicunt ad illud tempus esse transmovendam (Harnack, Weiss). Utroque modo verborum, quibus primatum probamus, vis frangitur. Nam hypothesis id maxime spectat, ut collata Petro auctoritas non Christi mentem exprimat, sed statum evolutionis, quo conscientia religiosa saeculo II. vergebat. Ceterum qui polemici valde moderni censentur, hi plurimas saepe veterum protestantium adversus primatum Romanum sequuntur sententias; et miraris, quod coaevi ut Sabatier, *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit*, et J. Grill, *Der Primat des Petrus* (1904), tot exceptiones, quibus toties a catholicis viris satisfactum est, novis eruditionis suae inventis commisceant. Sed undecunque errores praesentes oriuntur, eorum in defensione veritatis ratio habenda est.

V. Patres Vaticani decreverunt: *Si quis igitur dixerit,*

beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit. Sess. IV.; Const. *Pastor aeternus,* cap. I.

Thesis: *Ex S. Scriptura constat, beatum Petrum a Christo verae propriaeque jurisdictionis primatum accepisse.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex Matth. XVI. 15—19.*, ubi primatus beato Petro his verbis promittitur: *Dicit illis Jesus: vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in caelis* His autem verbis verae jurisdictionis primatus beato Petro promittitur. Quod ut pateat, probatur *a)* directio verborum Domini ad *solum* Petrum, *b)* pollicitatio supremae jurisdictionis in ecclesiam universam sub metaphora *petrae* et *c)* sub metaphora *clavium.*

a) Christi verba ad solum Petrum referuntur. 1° Interrogatis omnibus, *vos autem,* Christus, Petrum alloquens, vocabulum „vos“ in „tu“ mutat. 2° Adjungitur nomen proprium natale, *Simon.* 3° Adjicitur nomen Patris *Bar-Jona,* id est, *fili Jonae.* 4° Additur nomen, a Christo Simoni impositum (Joan. I. 42.; Marc. III. 16.), *Petrus.* 5° Dicitur emphatice: *Et ego,* *κἀγώ δὲ*; quasi diceret: sicut Pater revelavit *tibi de me*, revelo *ego de te*; quae quidem omnia et Christo et Petro personalia sunt. 6° In lingua Syro-Chaldaica, qua Dominus usus est, in utroque inciso, *tu es Petrus*

et *super hanc petram* una eademque vox *Kepha* occurrit, uti gallice: *Tu es Pierre, et sur cette pierre*; quo fit, ut *nomen* et *promissa* in *una Petri persona* luculentissime coalescant. Ergo jure Cajetanus: „quibus quaeso verbis describendum fuit ab Evangelista, quod ad solum Petrum erat sermo? . . . non pluribus nec majoribus circumstantiis describuntur et nominantur a notariis personae haeredes, aut legatoriae, quam persona Petri in hoc textu descripta ac nominata est." *De Rom Pont. institutione*, cap. IV.

b) Pollicitatio supremae jurisdictionis in universam ecclesiam sub metaphora petrae. Solus Petrus peculiari ratione prae ceteris omnibus, etiam apostolis, indicatur tanquam firmamentum universae ecclesiae. Jam vero Petrus non nisi propter auctoritatem specialem sic designari potuit. Ex quo sequitur, ut S. Petro verae jurisdictionis primatus promittatur. *Major* explicatur. 1° *Firmamentum* peculiare vides ex ipsa voce *petrae*, qua *rupes* significatur seu *saxum*, brevi, fundamentum stabile (cf. Matth. VII. 24, 25.); firmitas tanta, ut non praevaleant vel *portae inferi*, id est, ipsa civitas potestatis horrendae. Cf. Gen. XXII. 17. et Prov. I. 12. — 2° *Super hanc petram* aedificatur *universa* ecclesia; ait enim Dominus: „ecclesiam *meam*", atque *Christi* ecclesia, ubi vox ecclesiae nulla ratione ad coetum particularem restringitur, regnum Christi in terris, quod est ecclesia *una et universalis*, designat. — 3° Haec denique *petra solus Petrus* dicitur. Parum autem interest, utrum vox „adversus *eam*" ad petram referatur an ad ecclesiam, quae supra petram aedificabitur; quod enim *explicite* affirmatur de ecclesia, id *implicite* de petra affirmatur, *super quam* fundatur ecclesia: in utroque casu *firmitudo in fundamento* est.

Minor probatur. Petrum non nisi *auctoritatis specialis* causa *petram* nominari, tria probant. 1° Sensus obvius metaphorae; quod enim in domo fundamentum est, id in corpore morali seu societate caput et auctoritas. 2° In textu significatur ecclesiae robur a Petro (= petra) pendere pro semper: *non praevalebunt*, hoc est, *nunquam praevalebunt*.

Atqui Petrus non nisi *in potestate* potuit pro semper totam ecclesiam sustentare adversus *portas inferi;* potestas enim, non qualitates privatae, ad successores transit. Ergo. 3° Petrus prae omnibus apostolis ratione prorsus peculiari firmitas ecclesiae divinitus appellatur, ut paulo ante probavimus. Atqui non nisi propter auctoritatem regiminis sic appellari potuit. Quod satis manifestum videtur; nam Petrus ceteris apostolis, v. g. beato Jacobo, non adeo *sanctitate* antecelluit, ut solus ecclesiae totius fundamentum petreum haberetur; *sacris scriptis* a S. Joanne superatus est; *scriptis* et *praedicandi virtute* a divo Paulo. Petrus ergo propter potestatem peculiarem tam peculiariter ecclesiae firmitas appellatur.

c) Suprema jurisdictio sub metaphora clavium. 1° *Clavibus* tam usu profano quam S. Scripturae significatur potestas. Ita de potestate suprema Eliacim, summi sacerdotis: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat,* Isaias XXII. 22.; pariter de Christo: *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.* Apoc. III. 7. — 2° Haec potestas est *summa* in terris; etenim per ea verba: „dabo claves *regni caelorum*" *ad omnia* extenditur, quae ad aditum regni pertinent, et *ad omnes;* idque haec confirmant: *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis,* etc. Omnes igitur viatores parere debent Petro in omnibus pertinentibus ad finem supremum *regni caelorum.*

Ergo ex singulis partibus textus expositi, et magis etiam ex *connexione totius*, primatus jurisdictionis S. Petro promissus evidenter cognoscitur; quae res, credo, confirmatur ex eo, quod textus: *Tu es Petrus,* etc., censente critica recentiorum adversariorum, tam catholicus est, ut authenticus esse *non possit.* Catholicus autem ipsis videtur, quod ecclesiam universalem organizatam et primatum potestatis manifestet; quin etiam Julio Grill, professori Tubingensi, illa hypothesis magis arridet, qua textus circa 190 interpolatus eo fuerit, *ut* suprema pro fidelium univer-

sitate comprobaretur episcopi Romani auctoritas. Adeo cogit textus nostri *significatio* evidens.[1])

Arg. II. *Ex Luca XXII. 31, 32.* Servator pridie quam pateretur beato Petro dixit: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Porro his verbis primatus jurisdictionis beato Petro demandari videtur. Ponderentur singula. 1° Solus Petrus charisma peculiare firmitatis in fide obtinet; legitur enim: „satanas expetivit *vos*"; deinde oratione mutata: „rogavi pro *te*"; „fides *tua*"; „*tu* conversus". Charisma vero peculiare manifestatur ex eo, quod Christus, quem Pater pro ejus reverentia semper exaudit, fidei firmitatem peculiariter pro Simone precatus est. 2° Istud charisma ad *officium speciale* ordinatur; *confirma fratres tuos.* Praescribitur ergo Petro, ut confirmet, ac, vi hujus juris praecipui, ceteris, ut confirmanti pareant. 3° Hoc Petri jus ad ecclesiam universam extenditur: *fratres tuos. Fratres* apostoli erant: *a fortiori* fideles omnes Petro confirmatori committuntur.

Vis hujus argumenti II. magis liquet, si ea, quae de *petra* diximus, colligas. Ea propter S. Thomas ex Theo-

---

[1]) Pfleiderer, *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren* (1887), S. 541 de Matth. XVI, 18—19 ait: „Katholisch ist die dem Petrus zugesprochene Bedeutung als Fundament der allgemeinen „Kirche" und Inhaber der Schlüsselgewalt." Cf. Wendt, *Die Lehre Jesu* (2. Aufl. 1901); Harnack, etc. — Grill, *Der Primat des Petrus* (1904), S. 77: „Ist nun aber nach dem gesamten Ergebnis unserer Untersuchung das Wort Christi an Petrus Matth. 16. 18. 19. zeitgeschichtlich am wahrscheinlichsten aus den Verhältnissen der Kirche von Rom gegen 190 zu erklären, so ist es eine *Einschaltung,* die den römischen Bischof bezw. sein Episkopat offenbarungsgeschichtlich und schriftmässig als den Felsen legitimieren soll, der die Gesamtheit der Christgläubigen auf Erden gegen Erschütterung und Verwirrung durch Irrlehren und Missbräuche in ihrem Wahrheits- und Heilsbesitz zu sichern bestimmt ist, so wird man vielleicht gut tun, sich auch noch an die eigentümlichen politischen Verhältnisse eben jener Zeit zu erinnern."

phylacto in hunc locum ait: „corrobora ceteros; cum te Principem Apostolorum deputaverim: *hoc enim decet te, qui mecum robur es et petra* ecclesiae.“ *Cat. aurea,* in l. c.

Arg. III. *Ex Joanne XXI. 15—17.* Christus post resurrectionem discipulis se manifestans ad mare Tiberiadis, dixit beato Petro: *Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* Jam his verbis *a)* soli Petro, *b)* potestas peculiaris et suprema, *c)* in ecclesiam universam datur; quod est potestas jurisdictionis. Ergo. Prob. *minor.*

a) Soli Petro. Petri persona nomine proprio et patris distincte et seorsum ter compellatur: *Simon Joannis.* Praeterea secernitur a ceteris hoc ipso: „Diligis me *plus his;*“ id est, non: plus quam navigium, retia, pisces diligis; neque: plus quam hos discipulos diligis; sed: plus quam hi discipuli me diligunt.

b) Potestas peculiaris et suprema. 1° Oraculi solemnitas eminentiam collati muneris satis indicat. 2° Vox ποιμαινεῖν, *pascere, regendi* potestatem significat, quemadmodum illi, penes quos regendi potestas, *pascere populum* in Sacris Codicibus haud semel dicuntur; nam de Davide: *Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.* II. Reg. V. 2. Cf. Ps. XLVII. 13. etc. 3° Haec institutio supremi pastoris *visibilis* sub Christo rerum adjunctis optime respondet. Christi enim sententia est: *fiet unum ovile et unus pastor.* Christus autem tunc erat ad Patrem reversurus. Itaque ne ovile suo careret pastore, visibile baculum pastoratus *visibilis* Petro tradi oportuit.

c) In ecclesiam universam. Legitur: *agnos meos, oves meas.* Atqui hac enumeratione partium designatur *totum ovile,* id est, universa ecclesia, quae in evangeliis modo *regnum* tum *ovile* appellatur; eadem illa grex, quam Dominus, *Joan.* X., commemorat in parabola *Pastoris boni.* Et sane

aut gregis pars determinata, aut oves aliquae vage indicatae, aut grex totus Petro committitur. Primum et secundum tum textui tum contextui et rerum adjunctis repugnat. Ergo S. Bernardus jure ait: „Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.“ *De consid.* lib. VI. 5.

Ita sublime illud factum ad mare Tiberiadis clare consonat momento, cum Andreas fratrem suum Simonem primo ad Jesum adduceret; narrat enim Joannes I. 42: *Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon, filius Jona: tu vocaberis Cephas.*

Arg. IV. *Confirmatio ex factis.* Facta, Petri distinctiva, sunt *a)* nominis mutatio; *b)* locus primus; *c)* praecipuus honor, a Christo praestitus; *d)* actiones quaedam Petri post mortem Domini. Haec autem, praesertim simul sumpta, posito jurisdictionis primatu, optime explicantur.

a) Nominis mutatio. 1° Novi nominis impositio, divinitus facta, peculiarem aliquam electionem et vocationem denotare solet; ita Abram appellatus est Abraham, *Gen.* XVII 5,; Jacob Israel, *Gen.* XXXII. 28; Osee Josue, *Num.* XIII. 17. Cf. Matth. I 21.; Luc. I. 31. 2° Christus ipse nominis illius impositionem ut rem gravissimam tractare videtur: prius enim nomen *Petri,* cum Simon primum ei obviam fuit, praedicit: *Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon, filius Jona: tu vocaberis Cephas,* Joan. I. 42.; deinde nomen Petro imponit: *Et imposuit Simoni nomen Petrus,* Marc. III. 16.; denique a nomine ad rem procedit: *Tu es Petrus,* etc. Matth. XVI. 18. Cf. S. Thom. *In Joan.* I. lect. XV. n. 8. 3° De ipso Christo legitur: *petra autem erat Christus,* I. Cor. X. 4. Quare nomen *Petrus* peculiarem apostoli, cui imponitur hoc nomen, connexionem cum Christo indicare videtur. Christus imposuit Zebedaei filiis nomen Boanerges, quod est, Filii tonitrui. Marc. III. 17. At Bellarminus: „fuit illud — inquit — potius cognomen, quam proprium nomen. Itaque nusquam postea ab Evangelistis vocantur Boanerges, sed tantum Jacobus et Joannes, ut antea vocabantur.“ 4° Judas hac nota designatur: *qui fuit proditor;* Simon autem hac praerogativa: *qui vocatur Petrus.*

b) Locus primus. Quanquam Andreas in Christo cognoscendo Petrum antecessit tempore, ordine tamen hic in apostolorum catalogis semper primus est. Qua in re tria animadvertenda sunt. 1° Videtur hoc emphatice dictum: *Primus Simon, qui dicitur Petrus,* Matth. X. 2.; dicitur: *primus,* sed non sequitur: *secundus,* etc. 2° Petrus cum apostolis passim sic inducitur: „Simon, *et qui cum illo erant,*“ *καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ*; „Petrus, *et qui cum illo erant,*“ *καὶ οἱ σὺν αὐτῷ*: *Petrus cum undecim; Petrus et Apostoli.* Marc. I. 36.; III. 16.; V. 37.; Luc. VI. 14.; VIII. 45.; Joan. XXI. 2.; Act. II. 14. et 37; cf. Matth. XII. 3.; Luc. VI. 3.; Act. XIII. 13. 3° Sicut Petrus *primus* est, ita Judas ad ultimum locum relegatur. Anomaliae autem Gal. II. 9.: *Jacobus, et Cephas, et Joannes,* necnon *Joan.* I. 44.: *Andreae et Petri* etiamsi suis propriis causis carerent, regulam, in catalogis *Matth.* X. 2., etc. observatam, non tollerent.

c) Praecipuus honor, a Christo praestitus. E nave Petri Christus docet, Luc. V.; Petro promittitur, ipsum fore piscatorem hominum, l. c.; Petri pedes in coena primo abluuntur, Joan. XIII. 6.; ad Petrum de resurrectione Domini mandato speciali defertur, Marc. XVI. 7.; I. Cor. XV. 5.; Petri excessus speciali modo praedicitur, Joan. XXI. 18.; pro Christo et Petro Petrus jubetur solvere staterem unum, Matth. XVII. 26.

d) Acta Petri post Christi mortem. Petrus in coenaculo, coetui universo praesidens, apostolorum numerum, Judae pernicie mutilatum, reparandum curat, Act. I.; „utpote fervens, cui grex a Domino concreditus erat, atque ut primus in choro, primus semper sermonem orditur.“ S. Chrysost. *Hom. III. in Act. Apost.* Petrus primus die Pentecostes evangelium Judaeis promulgat, Act. II.; primus evangelium miraculo confirmat, Act. III. 6.; primus revelatione cognoscit tempus conversionis gentilium advenisse, Act. X. 9. et seqq.; in concilio Hierosolymitano primus inter apostolos et seniores, cum magna conquisitio fieret, sententiam profert, Act. XV. 7—12. S. Paulus beatum Petrum praecipuo honore designat, inquiens: *ceteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas,* I. Cor. IX. 5; venit Jerosolymam *videre Petrum*

(ἱστορῆσαι, id est, studiose videre), et: „*mansi* — inquit — *apud eum diebus quindecim;* alium autem apostolorum vidi (εἶδον) neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.“ Gal. I. 18, 19. „Eximius erat (Petrus) — ait S. Chrysostomus — inter Apostolos, os discipulorum, et coetus illius *caput. Ideo* Paulus prae aliis hunc visurus venit.“ *In Joan. Hom.* LXXXVII.

Haec porro, *praesertim simul sumpta,* peculiarem aliquam Petri probant excellentiam, nomine ipso expressam, a Christo, ab apostolis, a Paulo, in ipsis Petri actionibus tam constanter declaratam, ut haec observantia consilio, non casui, tribuenda sit. Atqui nec aetas major, nec excellentia Petri privata, neque sola dignitas primi inter pares aut primatus honoris, praelationis tam systematicae congruens causa esse videntur. Ergo Christi expressa verba factis confirmantur.

Rationes pro primatu ex analogia totius operis a Christo instituti, infra art. 4, ubi de primatus perpetuitate tractandum est.

Objectiones.

Obj. I. Petri primatus probatur ex Matth. XVI, 18—19. Hoc autem loco, critica docet, non Jesu verba referuntur, sed fortasse redactoris ignoti, qui saeculo II. vixerit. Primatus igitur probatio corruit.

Resp. Dist. maj.: Probatur primatus ex solo Matth. XVI, *nego;* et multis aliis argumentis, *conc.* Item *dist.* min.: hoc critica radicalis docet, *transeat;* critica sanior, *nego.*

Primatui probando tam ex Scripturis quam ex patribus et analogia totius operis Christi solidae rationes suppeditant, quae a textu memorato Matthaei minime dependent. Cui rei omnes fere tractatus catholici et etiam nostrae de primatu theses documento sunt. Ad *min.* dein multa responderi possunt. Nam 1° criticorum radicalium de textu nostro doctrina non ex fixis praemissis conclusio est, sed conjectura versabilis et aliis hypothesibus innixa hypothesis. 2° Negandi ratio suprema fuit constitutum *a priori* dogma de coarctata ad praesens Christi voluntate et intelligentia;

nimirum fieri *non potuisse* perhibent, ut Christus, conceptui messianico intentus, de societate futura fidelium et de coetu ordinato seu ecclesia cum capite cogitaret. 3° Nullo modo explicant, a quo, quare, quomodo magnifica verba textui evangelico inseri potuerint, clam omnibus ecclesiis, in quibus aderant et publice legebantur vetusta incorruptaque exemplaria. 4° Omnes omnino codices et omnes versiones antiquissimae textum habent, etiam illa, prout ex Ephraemo colligitur, qua Syri utebantur. Praeterea a Justino, Irenaeo, Clemente Alexandrino, Origine et Tertulliano directe aut indirecte textus noster allatus est,[1]) quibus accedit auctor *Homiliarum Clementinarum* 17 § 19 et ep. Clem. ad Jacobum § 1.[2]) — Cf. supra p. 495–496.

Instabis. Complexus symbolorum, cultoribus Mithrae pernotus, descriptionem Matthaei XVI. 18. 19 refert. Nam apud evangelistam Christus est *πέτρα*; et *Petra genetrix* ferebatur vitam dedisse Mithrae, qui erat *θεὸς ἐκ πέτρας* seu *πετρογενής*. Mithrae *claves* emblema erant potestatis maximae; claves pariter in textu Matthaei apparent. *Solis* nimbus circumdatus Mithras *Sol invictus* erat; apud Matthaeum legitur, non quidem loco memorato, sed paulo post cap. XVII. 2. Christi facies in transfiguratione resplenduisse *ὡς ὁ ἥλιος*, *sicut sol.* Ergo forsitan fieri possit, ut Mithrae cultus explanet textus: *Tu es Petrus*, etc. originem.

Resp. Ista objectio, si non potius fictionem dixeris, illorum errorum est specimen, in quos incidere necesse est, quotiescunque ex accidentali quadam rerum superficialium convenientia religionum genealogia et genesis eruitur. Pri-

---

[1]) Cf. C. A. Kneller, *St. aus M. Laach*, 1896; A. Michiels, *L'origine de l'épiscopat*, p. 19–48. Lectionum varietas parvi momenti, v. g. *θεμελίος*, *στερέα πέτρα* pro *πέτρα*. Silentium Marci et Lucae in casu negativum non argumentandi sed explicandi est materies. Vide V. Rose, *Évangile selon S. Matthieu* (2. édit. 1904).

[2]) De auctore et tempore *Homiliarum Clement.* cf. B. A Brüll, *Die Clemensromane und der Primat der röm. Kirche, Theol. Quartal-Schrift*, 1891; A. Ehrhard, *Die altchristl. Litteratur*, Abth. I. (1900), S. 170–173.

mum nihil praeter sonum *petrae* commune inter petram, ex qua Mithras puer, sicut lux ex firmamento, nascitur, et petram, super quam ecclesia aedificabitur. Deinde *claves* emblema sunt communissimum, ac praeterea potestatem omnino sui generis in evangelio significant. Qui narrationem Transfigurationis Domini legerit, statim persentiet nihil in eo facto glorioso ad lucis solisque mythum revocare praeter utrinque adhibitam vocem ἥλιος. Nec multum nos movent duo dadophori, quos Grill, conjecturam suam claudens, Moysi et Eliae in Transfiguratione comparat. Lector meminit, Mithram saepe effictum inter duos pueros, quorum alter taedam erectam, alter inversam fert; qua triade meridies inter matutinam et vesperam, aut inter ver et hiemem aestas designatur. Profecto similitudines tales si quid probarent, quodlibet probare possis. Quid mirum, si auctor ipse hypotheseos suae mediocrem tantum fidem habet.[1]) — Plura de Matth. XVI. in Introductione ad S. Scripturam.

Obj. II. Constitutum in Petro ecclesiae primatum, eruitur ex hoc promisso: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Jam vero petra est Christus, ut docet S. Paulus: *Petra autem erat Christus*, 1. Cor. X 4.; rursus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* 1. c. III. 11. Ergo Petri primatus cavillum est.

Resp. Ad *min.* et probationes *dist.:* petra est Christus in se et primario, *conc.;* ab alio et secundario, *nego.* Christus est internus auctor fidei, invisibile et principale totius ecclesiae fundamentum. At haec denominatio *petrae* non est simpliciter exclusiva; ita ab ipso Paulo *Ephes.* II. 20. omnes apostoli fundamentum dicuntur. Similiter *Joan.* VIII. 12. Christus ait: *Ego sum lux mundi,* atque *Matth.* V. 14.: *Vos estis lux mundi.*

---

[1]) J. Grill, *Der Primat des Petrus,* S. 61—62. Professor Tubingensis ita concludit: „Dass aber eine Ableitung der biblischen Vorstellungsreihen aus der Ideenwelt der persischen Mysterienreligion in keiner Weise angezeigt ist, geht aus der obigen Erörterung von selbst hervor." Pro Mithrae cultu cf. F. Cumont, *Textes et monuments figurés relatifs aux mystères de Mithra.*

Instabis. In textu allato Christus, dicens: *hanc petram*, seipsum, nulla ratione Petrum, designat.

Resp. Nego antec. Legitur enim: „*tu* es Petrus (= Kepha) et *super hanc* (*ἐπὶ ταύτῃ*) petram" (= Kepha). Quis autem asseveret, Christum solemnissime dixisse: *Et ego dico tibi;* deinde: *tu es Petrus;* tum subito ad seipsum, digito scilicet sese monstrantem: *et super hanc petram*, scilicet, *super me,* non super te; demum amoto utique digito: *tibi dabo claves.* Quam ob rem ex protestantibus non pauci interpretes *petram* de Petro dictum affirmant. Ita Rosenmüller, Schleussner, Bloomfield, Marsh, Kuinoel, Weiss, Holtzmann, Michaelis. Hic autem „quae de digito — inquit — finguntur . . . polemico interpreti adscribi debent, illi (Jesu) non possunt. Ecqui enim foret nexus inter propositiones „tu es Petrus" et „super hanc" . . . si petrae nomine non Petrus, sed Christus exprimeretur? Quod praemium retulisset Petro? Illi simillimum quod vir nobilis referret, quem ita imperator alloqueretur: Ego dico tibi, esse te virum nobilem, et hunc (alium diversumque digito monstrans) nobilem faciam, praediisque locupletabo." Cf. Passaglia, *De praerogativis B. Petri.*

Urgebis. *Super hanc petram* in eam partem potest accipi, ut Petri fides et confessio, non ipse Petrus, petra dici videatur.

Resp. Dist. antec.: *petra* dicitur Petri persona, fide qualificata, *conc.;* fidei qualitas, *nego.* Et sane fidei professio promissi primatus *occasio* haberi potest, *subjectum* dici non potest. Ostendimus enim, Christi sententiam ad Petri personam referri; praeterea haec ellipsis: „Tu es Petrus *per fidem tuam in me,* et super hanc petram *fidei tuae* aedificabo ecclesiam meam" neque ex textu neque ex contextu eruitur. Nihil est, quod interpretationes textus nostri morales, allegoricas negligamus; quibus admissis, tam verum est, omnia adhuc constare, quae de Petro proprie et historice designato asseruimus, ut Kuinoel, protestans, *Comm. in Evangelium Matthaei* scripserit: „Male plures interpretes per *πέτραν* intellexerunt vel Christum ipsum, vel professionem Petri paulo ante editam. Neque vero ad has contortas inter-

pretationes confugissent interpretes, si non Pontificii e verbis *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, ad Petrum relatis, male ac perperam vindicare voluissent Petri successoribus h. e. Pontificibus Romanis auctoritatem et praerogativam singularem ac divinam." Sed de hac praerogativa Romani Pontificis postea.

Dices. S. Petrus, cum interrogarentur omnes, unus omnium nomine respondit. Ergo Christi promissum coetui apostolico et universae ecclesiae factum intelligitur.

Resp. Transeat antec. *Dist.* cons.: promissum coetui apostolico et universae ecclesiae factum est in capite, *conc.;* in se, *nego.* Probavimus Christi promissionem omni, qua fieri potest, perspicuitate in Petri persona determinari. Chorus tamen apostolicus et ecclesia universa promissionis istius, ut *membra in capite,* participes esse dicuntur.

Atque haec quidem valere putamus, etiam misso antecedente. Robur tamen majus responsi ex eo quod Wilmers jure dixisse videtur. „Non respondet pro caeteris nec caeterorum personam gerit Petrus, quasi responderit, quod reliqui respondendum ei commiserint aut dictarint. Non enim a reliquis, sed a Patre coelesti, quid respondendum esset, revelatum ei fuerat. Respondet sane pro omnibus, quia respondet, quod etiam a reliquis respondendum erat, quod autem, *s. Hilario* censente, reliqui ignorabant: „ignorantibus caeteris primus respondit: Tu es etc." (In Matth. c. 14. n. 17). Personam ergo reliquorum gessit Petrus, ut primarius quilibet causam agit aliorum, quorum supplet defectum. Hinc autem sequitur, ut respondendo eminet Petrus, ita eundem et eminere remuneratione accepta. Praeterea primatus dignitatem et potestatem accepit tamquam persona non privata, sed publica, nec in sui solius, sed in Ecclesiae commodum."[1])

Obj. III. Quod est commune, non distinguit. Atqui tam alii apostoli quam Petrus *fundamentum, confirmatores, pastores* ecclesiae dicuntur. Ergo. Prob. *min. a)* Legitur *Ephes.* II. 20.: *superaedificati super fundamentum Apostolorum*

[1]) G. Wilmers, *De Christi Ecclesia libri sex* (1897), p. 151—152.

et Prophetarum; b) Paulus *Act.* XVIII. 23. dicitur *confirmans omnes discipulos; c) Eph.* IV. 11. *pastores et doctores* recensentur.

Resp. Dist. maj: quod est commune, non distinguit sub eo respectu, quo commune est, *conc.*; sub alio respectu, *nego.* Item *dist.* min.: Petrus et apostoli fundamentum, confirmatores, pastores dicuntur sub diverso respectu, *conc.*; sub eodem, *nego.*

Eadem nomina sub diversis conceptibus res diversas saepissime designant; ita dicitur equus magnus, mons magnus, rex magnus. Probavimus autem, beatum Petrum *ratione peculiari* seorsum a ceteris omnibus fundamentum ecclesiae, confirmatorem et pastorem constitutum esse. Itaque ad probationes singulas *minoris* respondemus. *a)* Apostoli propter apostolatus auctoritatem ecclesiae fundamentum dicuntur, propter supremam regiminis potestatem Petrus solus. *b)* Apostoli discipulos confirmarunt ex communi apostolatus officio; soli Petro confirmandi etiam apostolos speciale munus demandatur. *c)* Pastores appellantur apostoli omnes, solus Petrus pastor pastorum omnium constitutus est.

Instabis. Saltem eadem potestas clavium apostolis omnibus data est. Nam apostolis omnibus hoc dictum est: *Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo*; *et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* Matth. XVIII. 18. Cf. Joan. XX. 23.

Resp. Dist. antec: apostolis omnibus data est eadem potestas clavium ratione apostolatus, *conc.*; primatus, *nego.* Ad probationem *dist.*: haec ligandi et solvendi potestas est *potestas clavium* partialiter, *conc.*; totaliter, *nego.* Claves Petro soli sub ea formula absoluta datae sunt, qua suprema regiminis potestas in ipsos apostolos exprimitur: *tibi dabo claves regni caelorum.* Aliis autem non simpliciter *claves,* sed *aliquid clavium,* potestas scilicet ligandi et solvendi, remittendi peccata et retinendi conceditur. „Sed Petro — ait S. Thomas — dedit (Christus) singulariter potestatem remittendi peccata, Matth. 16., ut intelligatur quod ipse prae aliis habet potestatem jurisdictionis." *In IV. Sent.* dist. 19. q. 1.

art. 3. q. 1. ad 1.; cf. dist. 24 q. 3. art. 2. q. 3. ad 1., et Cajetanum, *De Rom. Pont institutione*, cap. V.[1])

Urgebis. Locus Joannis: *Pasce* etc. sic exponi potest, ut Christus Petrum certiorem fecerit, eum, etsi lapsum, ab apostolatu non excidisse. Ex Joanne igitur nihil probatur.

Resp. Nego antec. Christus, Petrum solum ter interrogans, etiam negationem Petri triplicem respexerit. At Dominus sic interrogatum non de apostolatu servato certiorem facit, sed „Petro sic humiliato fit finalis commissio ecclesiae". S. Thomas, *In Joan.* cap. XXI. lect. III. n. 3. Et rationes supra expositae hoc probant, et verba: *plus his* ad peculiare munus in Petro constituendum haud absurde referuntur. Quibus haec addam: Petrum apostolatum amisisse, nusquam legimus; nec jam nova testificatione apostolatus, *non* amissi, opus erat, cum Servator, apparens apostolis, omnibus dixisset: *Accipite Spiritum sanctum*, etc. Joan. XX. 22. Item angelus resurrectionis dixerat mulieribus: *ite, dicite discipulis ejus, et Petro,* Marc. XVI. 7.

Dices. Quae de Petro peculiariter praedicantur, *partim* personales tantum Petri qualitates, puta majorem studii zelum, animi magnitudinem aut primitias praedicationis designant, uti hoc: *Tu es Petrus*, etc.; *partim* exhortatoria sunt, et nullum nisi monendi, adhortandi jus exprimunt, uti haec: *Confirma fratres tuos*, et: *pasce oves meas.* Petrus ergo honore, non potestate, prior apostolis fuit.

Resp. Dist. antecedentis primam partem: haec omnia haberi possunt primatus occasio aut *effectus, conc.;* essentia,

---

[1]) Th. Calmes, *L'Evangile selon saint Jean* (1904), p. 474 ait: „C'est faire violence au contexte que d'y voir un cas particulier de la scène rapportée au chapitre précédent. Ici, le Sauveur s'adresse aux apôtres en général; au chap. 21., il parle à Pierre seul. Dans le premier récit, il s'agit du pouvoir moral de remettre les péchés; dans l'autre, il est question d'une prérogative plus large, comprenant à la fois le côté moral et le côté juridique, la sanctification intérieure des fidèles et la direction extérieure et générale de la communauté chrétienne. D'un côté, la mission des apôtres regarde les hommes comme individus, de l'autre, l'autorité de Pierre embrasse la société des croyants."

nego. Non nisi jurisdictionis primatus est objectum adaequatum oraculorum gravium, quibus Petrus totius ecclesiae petra, claviger, confirmator, pastor creatur: quod satis monstrasse videmur.

Nego partem secundam. Verba Christi: *Confirma* et *Pasce* nec esse mere exhortatoria nec monendi tantum potestatem exprimere, supra probavimus; aliae vero Christi sententiae: *Tu es Petrus* et *tibi dabo claves* interpretationem nostram postulant. Denique sicut Christi verba ad apostolos: *Euntes docete — baptizantes,* Christi Domini *mandatum* et *jus* apostolorum, adversariorum etiam sententia, demonstrant, ita textus allati *munus* ac jus beati Petri.

Obj. IV. Petrus cum Joanne ab apostolis, qui erant Hierosolymis, in Samariam mittitur. *Act.* VIII. 14. Atqui non mittitur superior. Petrus igitur omnium caput fuisse non videtur.

Resp. Dist. Mittitur Petrus communi fraternoque concilio, *conc.;* apostolorum imperio, *nego.*

Instabis. In concilio Hierosolymitano post Petrum Jacobus verba fecit et conclusit: *διὸ ἐγὼ κρίνω, propter quod ego judico.* Act. XV. 19. Ergo Jacobus, non Petrus, concilio praefuit.

Resp. Dist. antec: Jacobus verba fecit ad obloquendum, *nego;* ad assentiendum, *conc.* Nec enim aliquid in concilio illo factum est, quod primatui videatur contrarium. Cum magna conquisitio fieret, surgens Petrus Pharisaeorum haeresin rejicit: *Nunc ergo quid tentatis Deum;* quaestionem dirimit: *per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi*; quo audito res cunctis finita: *Tacuit autem omnis multitudo.* Barnabas et Paulus rem novis factis illustrant, XV. 12.; Jacobus Petri decreto, tanquam fundamento — *propter quod, διὸ ἐγὼ,* — conclusionis suae practicae innititur. Nihil autem refert, utrum Jacobus *cum* Petro, et in ejus transiens sententiam dixerit: *judico,* an *existimo.*[1]) Magna sane in ecclesia Hierosol. personae

[1]) Verus sensus vocis *κρίνω* hoc loco videtur *existimo.* Cf. Act. XXVI. 8. *κρίνεται,* et II. Cor. V. 14. *κρίναντας.*

Jacobi reverentia erat, sed constat Petrum fuisse *principem hujus decreti.* S. Hier. *ep.* 44.[1])

Urgebis. Ecclesiae caput ab alio apostolo reprehendi dedecet. At S. Paulus *in faciem* Petro restitit, *quia reprehensibilis erat.* Gal. II. 11.

Resp. Dist. maj.: dedecet ecclesiae caput reprehendi absque causa proportionata, *conc.;* urgente causa, *nego.*

Lex correctionis est ejusmodi, ut „ubi immineret periculum fidei, etiam publice essent Praelati a subditis arguendi. Unde et Paulus, — ut addit S. Thomas — qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publice arguit". II. II. q. 33. art. 4. ad 2. In casu Petrus, Judaizantibus nimis indulgens, a Paulo, fratrum ex gentibus scandalum metuente, reprehensus est, non quod *perverse* operatus esset, sed quia *indiscrete*, S. Thomas, *In Sent. IV.* dist. 38. q. 2. art. 3. ad 2. Hoc etiam alicujus momenti est, quod reprehensori, ad auctoritatem Petri propius accedenti, plus quam ceteris licuit. Jam Paulus erat „par Petro in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis", et „aliquo modo par quantum ad fidei defensionem". S. Thom. *In ep. ad Gal.* cap. II. lect. III. Atque Deus apostolum ad *praedicandum* speciatim gentilibus assignaverat. *Gal.* II. 8. Itaque decuit in quaestione *prudentiae* Paulum Petro *in faciem* (*κατὰ πρόσωπον*, id est, ei praesenti) *resistere.*

Dices. S. Paulus ait: *mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* Gal. II. 6. Haec autem sunt verba contemnentis eos, *qui videbantur esse aliquid* (*οἱ δοκοῦντες*), inter quos erat S. Petrus. Ergo Paulus est primatui contrarius.

Resp. Dist. min.: haec sunt verba Pauli increpantis perfidos *apostolatus sui* contemptores, *conc.;* contemnentis aut Petrum aut alium apostolum, *nego.* Adversarii, Paulo spreto, Petrum, Jacobum et Joannem per speciem zeli tan-

---

[1]) Cf. Felten, *Apostelgeschichte* (1892), S. 289; U. Fracassini, *Il Concilio apostolico di Jerusalemme* (1898); Semeria, *Venticinque anni di storia del Cristianesimo nascente* (2. ediz. 1905), Lett. XIV.

quam apostolos authenticos laudabant. Apostolus strenue tuetur apostolatus sui veram *divinam*que originem Et certe hoc in genere S. Petrus nihil Paulo contulerat: atque apostolus optimo jure dixit: *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Gal. I. 12. Cf. supra quaest. V. art. 4. obj. 2.

Articulus II.

Utrum primatus S. Petri ex traditione certus sit.

I. De modo, quo patres illos S. Scripturae textus, qui primatum spectant, interpretantur. Hac in re quinque animadvertenda sunt. 1° Ubi multiplex S. Scripturae sensus occurrit, veteres modo sensum *litteralem* seu *historicum*, modo sensum *spiritualem* seu *mysticum* exponunt. 2° Nonnulli inter eos, qui scholam Alexandrinam sequuntur, subtilius interdum quam verius, littera neglecta, mysteria quaerunt. 3° Patres, maxime in concionibus, sensu accommodatitio saepissime utuntur, alias ut vitae moralis viam monstrent, alias ut haereses aetatis suae revincant 4° Haec omnia, quoniam *exclusive* non dicuntur, sensum litteralem et doctrinam primatus nihil laedunt. Ita patres concilio Nicaeno antiquiores verba: *super hanc petram*, Matth. XVI. 18. de Petro interpretantur; post Nicaenum concilium, cum Arii haeresis prorsus confutanda esset, vox *petram* ad Christum fideique verae professionem adversus errorem Arianum multoties refertur, servato tamen primario sensu et, occasione data, etiam exposito. Eadem ratione S. Augustinus contra Donatistas, qui hominem in Sacramentis administrandis nimis considerabant, urget, quod verissimum est, Christum *petram* esse ac fundamentum ecclesiae; contra eosdem, cum extra ecclesiae unitatem vitam spiritualem se habere assererent, *clavium* potestatem datam ecclesiae esse praedicat. Qua quidem interpretatione non exclusiva, primatui nihil praejudicatum est. 5° Cum haeresis adversus primatum primis ecclesiae saeculis non orta esset, patres de primatu obiter potius quam ex professo tractaverunt;

quo factum est, ut apertissima quidem, sed plerumque compendiosa de primatu testimonia reliquerint. Haec ad contradicta dissolvenda et ad criticam veterum intelligentiam prodesse poterunt.

II. Adversariorum sententia. Protestantes haud pauci, cum primatus quaestio veterum auctoritate discutienda esset, nihil aliud fecerunt, nisi patrum judicia neglexerunt aut contorserunt. Multi non negant, magnum honorem Petro a veteribus latum esse; addunt tamen catholicos, cum primatum jurisdictionis adstruant, patrum suffragio non minus temere et falso superbire, quam testimonio verbi Dei. Nec desunt, qui contra primatum Petri Romanum Hierosolymitanum Jacobi primatum antiquae fidei consonare perhibeant.[1]) Inter schismaticos non pauci, quantumvis primatum honoris non reprobent, ullum tamen *jurisdictionis* primatum fuisse in Petro negant.

Thesis: *Primatus S. Petri ex traditione certus est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex veterum testimoniis.* Veteres concordissima consensione jurisdictionis primatum Petro tribuerunt. Primatus igitur admitti debet. Prob. *antec. a)* ex Petri titulis, primatum significantibus; *b)* ex sententiis.

a) Ex titulis. S. Petr. appellatur *ecclesiae petra* et *fundamentum.* Tert. *De praescr.* cap. XXII.; Origenes, *In Exod. Hom.* V. 4.; *In ep. ad Rom.* lib. V. 10.; S. Cypr. *ep.* 71, 73. n. 11.; *De unit. eccl.* n. 4.; S. Greg. Nyss. *Orat. altera de S. Stephano;* S. Basil. *In Is.* cap. II. n. 66.; S. Chrys. *Hom. III. de poenit.* n. 4. — *Caput totius fidei, quin etiam apostolorum.* Conc. Ephes. Act. III. — *Claviger* et *janitor caeli.* S. Hil. *Tract. in ps.* CXXXI. n. 4.; S. Cyrill. Hieros. *Catech.* XVII. n. 27.; S. Ephraem, *Or. in S.S Apost.* — *Princeps* (ὁ ἔξαρχος) et *caput apostolorum.* Orig. *In Luc. Hom.* XVII.; S. Hilar. *In Matth.* VII. 6.; S. Cyr. Hieros. *Catech. myst.* II. n. 19.

[1]) In recentioribus J. Friedrich, *Zur ältesten Gesch. des Primates in der Kirche,* 1879, et Jos. Langen, *Die Klemensromane.* 1890.

(*Πέτρος ὁ κορυφαιότατος καὶ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων*); S. Greg. Naz. *Poem. de seipso;* S. Epiph. *Adv. haer.* n. 7.; Conc Ephes. *Act.* II. Cf. Clem. Alex. *Quis dives salvetur.* — Similiter apud S. Chrysost. *In illud, hoc scitote,* n. 4.: „Petrus itaque *chori illius coryphaeus, os apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum ecclesiae.*“

b) Ex sententiis veterum. Origenes, in ep. ad Rom. VI. lib. V. 10.: „Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super illum velut super terram fundaretur ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur.“ *S. Chrysost.* „Dicit ei (Jesus): *Pasce oves meas* . . . fratrum ei praefecturam committit.“ Hom. 88. *S. Cyprianus:* „Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.“ *De unit. eccl.* n. 4. *S. Hieronymus:* „Inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio.“ *In Jovin.* lib. I. 26. *S. Leo M.:* „De toto mundo unus eligitur Petrus, qui universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque ecclesiae patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.“ *Serm. III. de assumpt. sua.*

Egregium et illud *S. Ephraemi Syri:* „Simon discipule mi, ego te constitui fundamentum ecclesiae sanctae, Petram vocavi te antea quia tu sustinebis totum meum aedificium; tu es inspector eorum, qui aedificant mihi ecclesiam in terris; si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprimas eos; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa vivifica quam largior; te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus et haeres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes thesauros meos.“ *Sermo IV. in hebdom. sanct.* n. 1.

Arg. II. *Ex antiquis monumentis.* Picturae, sculpturae, inscriptiones antiquissimae Petrum exhibent cum *attributis* et sub *typis,* ut suprema potestas penes eum fuisse facile intelligatur. Factum paucis illustrabo.

a) Attributa sunt *claves*, in quibusdam sarcophagis et musivis; sunt claves signum supremae illius potestatis, etiam inscriptionibus antiquis expressae, ut his in imagines S. Petri:

Janitor hic caeli est, fidei petra, culmen honoris,
Sedis Apostolicae rector et omne decus.

Solve jubente Deo terrarum, Petre, catenas,
Qui facis, ut pateant coelestia regna beatis.

De Rossi, *Inscript. Christianae Urbis Romae*, t. II. p. 68. et 80. — *Virga* quoque insigne potestatis Petri. Scilicet Christus in antiquis monumentis virga seu baculo tangit Lazarum, ut resuscitetur, — impletas aqua hydrias, ut aqua vinum fiat, etc. Haec porro virga, *potestatis symbolum*, nulli unquam apostolo tribuitur, sed saepe Petro; haud dubie, quod ipsi, tanquam Christi vicario, regendi munus concreditum est.

b) Typus celeberrimus beati Petri *Moyses*. Cernis in coemeteriis et in sarcophagis frequentes imagines Moysis. Jam vero in monumentis pro Moyse plus semel Petrus substituitur, v. g. in aliquo vitro aureo apud Garrucci *Vetri* 2. tav. X[9], ubi conspicitur Moyses petram virga percutiens, atque ne typi sensum ignores, adscribitur: *Petrus*. Parallela videntur illa monumenta, quae exhibent Christum, de caelo volumen Petro porrigentem, inscriptione adposita: *Lex*. Ita *Dominus legem dat*, ut quondam Moysi. *Exod.* XXXI. 18.; *Deut.* IX. 10. S. Augustinus interpres sit: „Petrus . . . factus est pastor ecclesiae, sicut Moyses . . . factus est rector illius synagogae.“ *C. Faustum*, lib. XXII. cap. LXX. Item Macarius Magnus: „Moysen excepit Petrus, cui nova ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est.“ *Hom.* XXVI. n. 16. — Itaque Petri primatus de caelo est; quod in antiquissimo catalogo Romanorum Pontificum his verbis exprimitur: *Passus est Dominus noster Jesus Christus . . . et post adscensum ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit.* Verba sunt aut Hippolyti, redactoris catalogi (235), aut Philocali, compilatoris (354).[1])

[1]) De Rossi, *Bull. di arch. christ.* 1868 et 1887; Duchesne, *Le*

Arg. III. *Schismaticorum testimonia.* S. Petrus in libris liturgicis ecclesiae Photianae seu Graeco-Russicae titulis insignitur, qui ex iisdem libris explicati primatum Petri confirmant.

a) Tituli S. Petri sunt: 1° petra et fundamentum; 2° petra ecclesiae; 3° petra fidei; basis fundamentalis fidei; 4° basis ecclesiae; 5° basis apostolorum; 6° coryphaeus et primus apostolorum; 7° summus coryphaeus apostolorum; 8° primus princeps apostolorum; 9° pastor dominicus omnium apostolorum; 10° claviger regni caelorum; 11° praepositus ecclesiae et praesidens; 12° protothronus,[1]) etc. Atqui tituli isti, praecipue simul sumpti, tales sunt, ut hymnographus catholicus Petri primatum carmine magis pio non celebret.

b) Titulorum, quos recensuimus, explicatio in libris liturgicis ecclesiae Photianae. In istis libris liturgicis proferuntur 1° ad distinguendum S. Petrum a S. Paulo et ceteris apostolis; 2° ad explicandos favores quosdam, Petro peculiariter concessos, et actus nonnullos jurisdictionis supremae,

---

Liber pontificalis, t. I. p. 2—8.; Kraus, *Real-Encykl.* in verbo *Moses;* Wilpert, *Prinzipienfrage der christl. Archaeol.* § 16; *Malereien*, §§ 19 et 79; C. M. Kaufmann, *Handbuch der christl. Archäologie* (1905), p. 339—341; 430.

[1]) 1° πέτρα καὶ κρηπίς; 2° πέτρα τῆς Ἐκκλησίας; 3° πέτρα τῆς πίστεως; κρηπὶς τῆς πίστεως; 4° κρηπὶς τῆς Ἐκκλησίας; 5° κρηπὶς τῶν Ἀποστόλων; 6° κορυφαῖος καὶ πρῶτος τῶν Ἀποστόλων; 7° κορυφαιότατος τῶν Ἀποστόλων; 8° τῶν Ἀποστόλων προεξάρχων; 9° cf. textum Slavonicum apud Tondini; 10° κλειδοῦχος τῆς οὐρανῶν βασιλείας; 11° προστάτης Ἐκκλησίας καὶ πρόεδρον; 12° ὁ πρωτόθρονος. Cf. Tondini de Quarenghi, *The primacy of S. Peter demonstrated from the liturgy of the Greco-Russian Church;* Card. Pitra, *Hymnographie de l'Eglise grecque.* G. Markovic, *Gli Slavi ed i Papi*, cap. VIII., ubi etiam refert in antiquissima versione slavica *Matth.* XVI, 18. verbis redditum esse, quae his respondent latinis: *Tu es Petrus, et super hunc Petrum aedificabo ecclesiam meam.* — Ex aliis liturgiis testimonia de primatu protulerunt Azarian, *Ecclesiae armenae traditio de Rom. Pontif. primatu*, Romae 1870; Joseph David, *Antiqua Ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri apostoli, ejusque successorum Romanorum Pontificum, divinum primatum;* Khayyath, *Syri Orientales, seu Chaldaei, Nestoriani, et Romanorum Pontificum primatus.* — Cf. supra, p. 235—237.

a Petro patratos. Ergo liturgia Graeco-Russica Petri primatum vere agnovit. Prob. *antec.*

1° Tituli memorati sunt *distinctivum* S Petri. Etenim primo de Petro dicuntur tanquam ipsius proprium et antonomastice; ita apostolus ille, nullo nomine addito, vocatur *coryphaeus*, ὁ *Κορυφαῖος*. Deinde, si nonnulli ex istis titulis sensu latiori quandoque aliis attribuantur, de Petro tam *peculiariter* dicuntur, ut propriis aliorum apostolorum titulis opponantur; v. g. „O Petre, *petra et fundamentum*, et Paule, *vas electionis;*" item de Petro et Paulo: „illi (Petro) *traditae sunt claves regni caelorum*, hic *raptus est in caelum.*" Denique solus Petrus simpliciter appellatur *basis* (*κρηπίς*) *apostolorum*, *basis suprema* (*κορυφαία κρηπίς*) *apostolorum.*

2° Ex titulis, utpote qui non sint nomina sine re, privilegia et actus Petri explicantur. Ita in Officio 29. Junii ad Matutinas legitur: „tibi . . ., *ut eras* (*ὡς*) *praesidens* apostolorum primo Christus post resurrectionem apparuit[1])"; rursus: „*ut erat supremus* inter apostolos, primus doctor et praedicator verbi Dei exstitit."[2]) Quin imo S. Andreas hoc modo invocatur: „Ut es (*Ὡς*) primus vocatus apostolorum, *et frater coryphaei*, ora," etc.[3]) Denique in Officio 18 Februarii S. Leo, Papa, celebratur uti *ditatus illius praesidentia.*[4]) Sententiis ergo Photianae quoque ecclesiae affirmatur, Petrum esse *pastorem supremum rationalium ovium.*[5])

Objectiones.

Obj. I. Inter patres Augustinus, *Retract.* lib. I. 21., Hieronymus, *In Matth.* VII. 26. et alii aperte docent, Petrum *Matth.* XVI. 18. a *petra* dici, quae est Christus, atque *super hanc petram*, hoc est, super Christum aedificari

[1]) Tondini, o. c. p. 30.

[2]) Tondini, o. c. p. 31., et slavonice, p. 175.

[3]) Tondini, o. c. p. 82.

[4]) Tondini, o. c. p. 143.: *τὴν τοῦτου προεδρείαν πλουτήσας.*

[5]) Ita in Officio Graeco-Russico 29. Junii Christus dicitur constituisse Petrum: *ἀρχιποίμενα τῶν λογικῶν προβάτων.* Tondini, o. c. p. 126. Photius pariter *ep.* 178. *τῆς οἰκουμένης προστασίαν* in Petro veneratur. Cf. Hergenröther, *Photius* III. p. 336—337.

ecclesiam. Ergo patres illi verbis Christi Petro primatum promitti non existimaverunt.

Resp. Dist. antec.: haec aliquorum patrum expositio est coordinata, *conc.;* exclusiva, *nego.* Et *nego* conclusionem. S. Thomas, *Expos. in Matth.* cap. XVI. utramque interpretationem conjungens ait: „Sed quid est? Estne Christus et Petrus fundamentum? Dicendum, quod Christus secundum se, sed Petrus inquantum habet confessionem Christi, inquantum vicarius ejus." Itaque *a)* patres in sua interpretatione quandoque *causam efficientem* petrae et petram principalem magis quam petram secundariam respexerunt. *b)* Id facilius fieri potuit, quod *Petrus* et *Πέτρος* speciem nominis, *a petra* derivati, prae se ferebant; at Syro-Chaldaice utrobique unam prorsus eandemque vocem *Kepha* usurpatam vidimus. *c)* Patres illa *petrae* de Christo interpretatione praesertim usi sunt, ut Ariana haeresis similesque errores exstirparentur. *d)* Revera patres antenicaeni omnes *petram* de Petro exposuere;[1]) postnicaeni *petram* de Christo ita interpretati sunt, ut veterum etiam expositionem pro opportunitate tuerentur.

Instabis. S. Augustinus ait: „scio me postea saepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est: Tu es Petrus . . ., ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei vivi . . . Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus." *Retract.* lib. I. 21. Ergo Augustini sententia Christus exclusive *petra* ecclesiae nominatur.

Resp. Dist. antec: Augustinus loquitur *positive, nego; dubitative, subdist.:* errans in etymologia, *conc.*; addubitans de primatu, *nego.*[2]) Responsio ex sequentibus certa est. *a)* S. Augustinus dubitative loquitur; ait enim: „Harum autem sententiarum, *quae sit probabilior,* eligat lector."

---

[1]) Tert. *Praescr.* cap. XXII.; Orig. *In Exod.* V. 4.; Hippol. *In S. Theoph.* n. 9.; Cyprian. *Ep.* 71.; Firmill. *Ep.* ad Cyprian. 16.; Stephanus, Papa, ap. Firmill. 17.

[2]) Cf. Th. Specht, *Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin* (1892), p. 131 et *ibid.* totam § 20 de mente S. Augustini circa primatum S. Petri.

b) Erravit in etymologia. En ejus argumentatio: „Non enim dictum est illi: Tu es *petra*, sed tu es *Petrus*;“ item *In Joan.* 124. n. 5.: „Petrus a petra, sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo.“ At in originali nulla agnominatio, utrobique *Kepha*. Neque πέτρος et πέτρα re, sed terminatione tantum differunt. *c)* Augustinum, etiamsi suam secundam expositionem definitive praetulerit, primatui non adversari tum ex multis liquet praeclarisque sententiis, quibus sanctus primatum in suis scriptis commendat; tum ex ipso loco, qui objicitur. Christus videlicet fundamentum ecclesiae, Petro non excluso, dicitur; *Petrus* peculiari ratione a *petra*, quae est Christus, designatur. Sic enim loquitur, *In Joan. l. c.:* „Super hanc ergo, inquit (Dominus), petram quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus: super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.“ Quemadmodum autem haec doctrina sincera de Christo fundamento, nihil ab apostolis et prophetis aufert earum rerum, ob quas ipsi in S. Scripturis et ab Augustino dicuntur *fundamentum* (Ephes. II. 20.), ita nec in Petro negatur illud, ob quod a Christo petra speciali modo nominatus est Petrus. Itaque vetustior Augustini expositio, qua *petram* de Petro interpretatus est (Contr. epist. Donati), et ista posterior sententia minus ipsa re quam significandi modo differunt. S. Thomas Augustini mentem assecutus ait: „Christus secundum se; sed Petrus . . . inquantum vicarius ejus.“ L. c.

Urgebis. Nonnulli patres, ut S. Hilarius, *De Trin.* VI. 36. fidem Petri, seu confessionem Petri dicunt esse *petram.* Item pluries S. Augustinus. Ergo persona Petri petra dici non debet.

Resp. Dist. antec.: ista patrum nonnullorum expositio spectat petram formaliter, *nego*; causaliter, *subdist.:* exclusive, *nego*; secus, *conc.* Patres interdum fidem, tanquam *causam meritoriam* primatus beati Petri, extollunt. Id autem minime fecerunt, ut petram, *in se et formaliter* consideratam, excluderent, sed ut Incarnationis praedicandae occasionem

adversus haereses arriperent, uti S. Hilarius in opere, quod *De Trinitate* inscribitur. Deinde patres non solum aliis locis primatum docent, verum interpretationem utramque nonnunquam conjungunt. Ita S. Hilarius, *De Trin.* VI. 36.: „Super hanc igitur confessionis petram ecclesiae aedificatio est . . . Haec fides regni caelestis habet claves . . . Hinc regni caelorum habet (Petrus) claves, hinc terrena ejus judicia caelestia sunt.“ Simili modo nonnullae S. Augustini sententiae ex analogia totius doctrinae ipsius verius intelliguntur. Patres denique ita de fide exponentes, fidem *concrete* in Petro, *non in abstracto*, considerant; quare S. Hieronymus *ep.* 61. affirmare non dubitat, super aquas non Petri corpus ambulasse, sed fidem.

Obj. II. S. Augustinus: „Propter ipsam — inquit — personam quam totius ecclesiae solus gestabat (Petrus), audire meruit: *Tibi dabo claves regni caelorum.* Has enim claves non homo unus sed unitas accepit ecclesiae.“ *In nat. S.S. Apost. Petri et Pauli* serm. I. Ergo, quoniam claves ecclesiae, non Petro, datae sunt, ex verbis: *tibi dabo claves* nihil concluditur.

Resp. Dist. antec.: claves *non unus* accepit *sibi soli reservandas, conc.*; non unus *aliis communicandas, nego.* S. Augustinus, quod et alii patres ante ipsum contra Montanistas et Novatianos peregerant, eo loco, qui nobis objicitur, fideles docet, claves ligandi solvendique peccata cum Petri *persona* ablatas non fuisse ab ecclesia. Quare in sermone 149. *De diversis*, Novatianos convellit, inquiens: „Aut non sunt istae in ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur?“ Similiter S. Ambrosius, *Enarr. in ps.* XXXVIII. 37.: „Tibi dabo claves regni caelorum Hoc Novatianus non audivit, sed ecclesia audivit; ideo ille in lapsu, nos in remissione.“ Nec opus est in hac re multis verbis commorari, dummodo Augustini perspiciatur adaptata temporibus Scripturarum expositio. Quid v. g. certius, quam hujus doctoris doctrina de hierarchia? Attamen *In Joan.* 124. 7. ait: „Universa ecclesia ligat solvitque peccata;“ sed itidem ipsi constat: „per antistites in ecclesia claves ministrantur“. *Serm.* 351. 9. Ad hunc modum variae,

sed non contrariae de textibus, qui primatum spectant, sunt legendae sententiae.

Instabis. Rursus Hipponensis: „Petrus in multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestat ecclesiae, maxime illo in loco, ubi dictum est: *Tibi dabo claves regni caelorum.*“ *Serm.* 149. Petrus igitur nihil peculiare adeptus est.

Resp. Dist. antec.: Petrus ecclesiae personam gestavit ut princeps, *conc.*; ut ceterorum aequalis, *nego.* S. Augustinus: „Petrus — inquit — a petra cognominatus beatus, ecclesiae figuram portans, *apostolorum primatum tenens.*“ *Sermo* 76. Item: „Cujus (ecclesiae) ille agnoscitur gessisse personam *propter primatum* quem in discipulos habuit,“ *In ps.* CVIII.; atque iterum: „Ecclesiae Petrus Apostolus *propter Apostolatus sui primatum* gerebat figurata generalitate personam.“ *De bapt.* lib. II. 1. Pariter Moyses, cum Deus ipsi loqueretur, ab Augustino Judaeorum *gestare figuram* et *personam gerere* dicitur,[1]) et simul saepius eorum *princeps et rector.* Quod quam merito ad textus obscuriores intelligendos adducatur, ex his verbis sancti doctoris apparet: „Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est pastor ecclesiae, sicut Moyses post percussum Aegyptiacum factus est rector illius synagogae.“ *C. Faustum,* lib. XXII. 70. Moyses et Petrus communitatis personam gerunt ob principatum.

Urgebis. Patres docent omnes apostolos fuisse aequales cum Petro in potestate. Inter quos S. Cyprianus: „Hoc erant utique Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis.“ *De unit. eccl.*

Resp. Dist. antec.: apostoli hoc erant quod Petrus in apostolatu, *conc.;* in primatu, *nego.* S. Cyprianus eo loco *apostolatus* paritatem considerat; hinc orditur a verbis, quibus Christus apostolos *omnes* in mundum misit. „Quamvis — inquit — Apostolis omnibus post resurrectionem suam *parem potestatem tribuat et dicat: Accipite Spiritum sanctum,*“ etc. Ecce apostolatus. Sed de primatu haec addita: „*tamen* ut

[1]) S. August. *Enarratio* in Ps. 98, 12.; 138, 8.

unitatem manifestaret, unitatis ejusdem orginem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.“ Neque Petrus *symbolum* duntaxat unitatis, sed *causa* est; nam „una ecclesia — ait Cyprianus — et cathedra una *super Petrum* Domini voce *fundata*“. *Ep.* 40. Quapropter ecclesiam Romanam vocat „ecclesiam *principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*“. *Ep.* 55. Item: „*Super Petrum aedificavit ecclesiam suam,* unde unitatis originem et instituit et ostendit.“ *Ep.* 70. et 73. Petrus ergo sub Christo, causa principali, firmitatis et unitatis ecclesiae causa instrumentalis est; at causa unitatis esse sine primatu nequit.

Dices. Jacobus etiam et Paulus aliquoties ceteris anteponuntur. Paulus enim a Chrysostomo, *Hom. III. in Matth.* „Apostolorum maximus“ vocatur et „primus omnium“. Ergo Petrus non fuit omnibus superior.

Resp. Dist. antec.: patres isti respexerunt primatum, *nego*; labores aliaque merita, *conc.* Et *dist.* conclusionem: Petrus non fuit omnibus superior doctrina, praedicatione et sanctitate, *transeat*; potestate, *nego.* Nihil obstat, quominus apostolus aliquis sub eo respectu, quo excelluerit, primus habeatur; sed Petrus solus *simpliciter* primus est. Ita S. Thomas docet, beatum Paulum superasse apostolos omnes laborando, praedicando, tribulationes sustinendo. *Expos. in ep. I.* ad Cor. XV. lect. I. Nec tamen rejectus ab Angelico primatus est.

Articulus III.

Utrum S. Petrus primatum a Christo solus acceperit.

I. Status quaestionis. Controversia est de aequalitate inter S. Petrum et Paulum. Aequalitas autem triplex hic distinguenda, scilicet *primatus, apostolatus* et *episcopatus Romani.* De Paulo, coepiscopo Petri Romano, jam non agitur; quaedam apostolatus aequalitas in „executione auctoritatis“ et in „defensione fidei“, secundum ea quae art. 1. praefati sumus, haud ambigue conceditur. Rejicimus autem omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione Pauli ad Petrum ratione primatus.

II. Error damnatus. Omnium primi Martinus de Barcos et Antonius Arnauld S. Paulum in communionem primatus adsciverunt, edictis eodem anno (1645) operibus. Ille inscripsit *La grandeur de l'église Romaine, établie sur l'autorité de Saint Pierre et de Saint Paul*; hic *De l'auctorité de St. Pierre et de St. Paul résidant dans le Pape leur successeur.* Innocentius X. *decr. S. Inquis.* 25. Jan. 1647 hanc propositionem *haereticam* censuit ac declaravit: „S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unicum efficiunt, *vel* sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti, *vel* sunt geminus universalis Ecclesiae vertex qui in unum divinissime coaluerunt, *vel* sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae."

Thesis: *S. Petrus primatum solus accepit.*

Argumenta.

Arg. I. Quod gratis asseritur et tam S. Scripturis quam aliis testimoniis omnibus contradicit, falsum est. Hujusmodi autem est exposita opinio de ecclesia bicipiti. Et sane *a)* ne minima quidem primatus Paulini mentio fit sive in evangeliis sive in apostolorum epistolis aut quacunque Scriptura sancta. *b)* Textus omnes, quibus supremam Petri potestatem probavimus, a quovis Pauli primatu sunt alienissimi. *c)* In veterum testimoniis haec frequentia sunt, quibus affirmant, Petrum caput esse apostolorum *omnium;* ab *uno* Petro exoriri unitatem ecclesiae.

Arg. II. Quod est per se unum, est causa unitatis convenientius quam multi uniti. S. Thom. I. q. 103. art. 3. Jam primatus unitatis causa instituta est. Igitur a principio necessum fuit, ecclesiam gubernari ab uno.

Objectiones.

Obj. I. Hoc vetus est: „O Roma felix, quae duorum *principum*, — es consecrata glorioso sanguine;“ item Paulus ab aliis, uti a patribus concilii Florentini, *princeps* appellatur. Primatus ergo Petri singularis non fuit.

Resp. Dist. antec.: Petrus et Paulus duo sunt principes diversa ratione, *conc.;* uterque ratione primatus, *nego.* Id quidem et Venantius Fortunatus canit: „Princeps *clave* Petrus, primo quoque dogmate Paulus“ (Lib. IX. carm. 2.); similiter illud:

Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitis, celsior ille *gradu.*

Instabis. Pontifices Maximi „Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli successores“ ipsi se vocant, eorumque auctoritate in decretis gravioribus sese suffultos affirmant. Haec autem praxis non nisi ex bicipiti primatu orta videtur.

Resp. Dist.: ejusmodi decretorum formulae sensu latiori intelligendae sunt, *conc.*; strictiori sensu, *nego.* Labor unus ac martyrium, cum beatos apostolos Romae conjunxerint, illarum formularum est ratio valde congruens. Ita S. Leo M.: „*Isti* sunt, qui te (Roma) ad hanc gloriam evexerunt, ut . . . *per* sacram beati *Petri sedem* caput orbis effecta, latius praesideres religione, quam dominatione terrena.“ *In natal. apost. Petri et Pauli.* Pontifices quandoque non Pauli solum, verum etiam *omnium* sanctorum auctoritatem invocant, ut S. Nicolaus M. contra Photium et Alexander II., *ep.* 9. Ecquis jam viderit totidem capita ecclesiae?

Obj. II. Frequens est, ut in monumentis antiquis Paulus ad dexteram, Petrus laeva locatus videatur. Ergo veteres omnimodam aequalitatem inter Petrum et Paulum profitentur.

Resp. Transeat antec.: *nego* conseq. *a)* De Rossi existimat dispositionem illam dexterae et sinistrae exigui momenti esse, utpote quam artifices saepe neglexerint. Ita quandoque S. Agnes dextram, B. V. Maria sinistram

tenet; maritus saepe ad sinistram uxoris visitur; in templo capitolino et in omnibus fere monumentis antiquis Juno, dea major, ad sinistram Jovis collocata est, Minerva ad dextram. Quin etiam in bullis Romanorum Pontificum S. Paulus ad dextram conspicitur.

b) Archaeologi in eo genere duplicem imaginum seriem distinguunt, unam, in qua *conceptus ordinarius* dextrae et sinistrae retinetur, alteram, in qua *sensus symbolicus* praevalet. Nempe apud Varronem haec: „a deorum sede cum in meridiem spectes, *ad sinistrum* sunt *partes mundi exorientes, ad dextram occidentes.*“ Jam vero Petrus magis Judaeis praedicavit, hoc est, Orienti, Paulus potissimum gentilibus seu Occidenti, juxta illud: *creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis.* Gal. II. 7. Quapropter in imaginibus symbolicis dextra Paulo verissime assignari potuit, sicut in prima serie consuevit assignari Petro. Alias explicationes symbolicas videsis apud S. Petrum Damian. Opusc. XXXV. et de bullis Pontificiis cf. S. Thom. *In Gal.* cap. I. lect. 1.

Articulus IV.

Utrum beatus Petrus ex ordinatione divina perpetuos habeat in primatu successores.

Status quaestionis. Apostolica potestas, praeter potestatem episcopalem *ordinariam*, quam continebat, praerogativas complectebatur *extraordinarias*, quibus apostoli ecclesiae ubique propagandae operam navare possent. Haec vero potestas, cum *extraordinaria* esset ac niteretur in necessitate *exorientis* ecclesiae, apostolis mortuis, non permansit. Haec igitur thesis non est de potestate Petri extraordinaria, sed de primatu, quem, non *inchoantis* duntaxat ecclesiae causa, sed societati Christianae regendae simpliciter institutum, in ecclesia per legitimos Petri successores usque ad mundi finem continuari credimus. — Protestantes, si mitiores ex iis aliquot non omnia penitus Petri privilegia rejiciunt, ea tamen non nisi *personalia* esse rati, qualemcunque primatus successionem aversantur. Inter catholicos

autem valet hoc decretum Vaticanum: „Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; a. s.“ Sess. IV. cap. II. De parte autem decreti ultima, et *quis* Petri successor sit, quaestione sequenti disseremus.

Thesis: *S Petrus ex ordinatione Christi perpetuos habet in primatu successores.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex perpetuitate ecclesiae.* Ecclesiae essentia non mutatur. Primatus autem ad ecclesiae essentiam pertinet. Ergo primatus est perpetuus. At Petrus in propria persona primatum gerere desiit. Primatum igitur exercet per successores. Revera nihil potest ordinatae societati esse magis essentiale quam principatus et caput aliquod; et quoniam constat nunquam fore ut *portae inferi praevaleant* adversus ecclesiam, permanere necesse est *petram*, super quam a Christo *aedificata* est. Cf. Matth. XVI. 18.; S. Thom. *Contra Gent.* IV. 76.

Arg. II. *Ex necessitate primatus.* S. Thomas primatus perpetuitatem his duobus argumentis probat. *a)* Ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina; alias non posset esse colligatio ad unum. Atqui tota ecclesia est unum corpus omniumque particularium ecclesiarum oportet esse colligationem ad unum. Ergo debet esse aliqua potestas regitiva respectu totius ecclesiae: et haec est potestas Romani Pontificis. S. Theol. Suppl. 40. art. 6; II. II., 39. 1.

b) „Nulli dubium esse debet quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum per quem *Reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15. Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis

autem congruentior causa est unus quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiae praesit.“ *Contra Gent.* IV. 76. Cf. I. 103, 3.

Arg. III. *Ex traditione.* Ex veterum de Romano Pontifice testimoniis nosse licet, quid de primatus perpetuitate sentiant. Remittentes autem lectorem ad quaestionem sequentem, aliquos tamen testes adducimus. *S. Ambrosius:* „Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia.“ *In ps.* XL. 30. — *S. Petrus Chrysologus:* „Petrus semper in propria sede et vivit et praesidet.“ *Ep. ad Eutych.* — *S. Leo M.:* „Petrus sedi suae praeesse nunquam desinet.“ *Serm.* V. 4. — Patres Ephesinae synodi: „Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet.“ Act. III. — Permulta praeterea in hoc genere dicta sunt a patribus, primatum *unitatis causa* Petro datum affirmantibus; inter quos S. Cyprianus, *De unit eccl.* et *Ep.* 37.; Optatus Milev. *Contra Parmen.* VII. 4.; S. Hieronymus, *Adv. Jovinian.* l. 4.; Pacianus, cujus haec sententia: „ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno.“ *Ep.* 3.

Objectiones.

Obj. I. Primatus donum est Petri personale. Exstinctus est igitur cum persona Petri.

Resp. Dist. antec.: primatus est donum Petri personale, id est, non competit aliis apostolis aut fidelibus, *conc.;* est donum privatum, non publicum, *nego.* Principatus Petro datus est ad bonum reipublicae Christianae, quae ex indole sua rectorem exquirit.

Instabis. Apostolatus etiam ad bonum ecclesiae pertinuisse censendus est. Jam apostolatus in ecclesia non permansit. Exspiravit ergo cum Petro primatus.

Resp. Dist. maj.: apostolatus pertinebat ad bonum ecclesiae, tanquam medium extraordinarium, *conc.;* ordinarium, *nego.* Et *dist.* minorem: apostolatus non permansit quantum ad potestatem extraordinariam, *conc.;* quantum ad ordinariam, *nego.* Ecclesiae in debilitate sui exordii potestas extraordinaria apostolorum opus erat, ut propagaretur;

propagata primatu carere non potuit, ne dilatatum regnum unitate sua orbaretur.

Obj. II. Paulus vivam ecclesiae imaginem nobis depingens ait: *quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas*, etc. I. Cor. XII. 28. Cf. *Ephes.* IV. 11. Unum vero omnibus praeesse non addit. Ergo Paulus primatum ecclesiae essentialem esse non putavit.

Resp. Dist. maj.: S. Paulus nominat charismata, *conc.*; gradus hierarchicos recenset, *nego. Dist.* min.: apostolus de primatu nihil addit, quia de hoc agendum non fuit, *conc.;* quia primatum non admisit, *nego.* S. Paulus, etsi regiminis potestatem attingit his verbis: *Primum Apostolos,* internum potius ac mysticum ecclesiae temperamentum quam ordinationem externam considerat; quare subjungit: *Aemulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*

Obj. III. Ecclesiae unitas servari potest, si sui singulis ecclesiis assignantur episcopi. Ergo primatus est superfluus.

Resp. Dist. antec.: eo modo servari potest unitas ecclesiae particularis, *transeat;* ecclesiae universalis, *nego.* Jure S. Thomas: „Manifestum est autem quod, quamvis populi distinguantur per diversas dioeceses et civitates, tamen, sicut est *una ecclesia,* ita oportet esse *unum populum Christianum.* Sicut igitur in uno speciali populo unius ecclesiae requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur quod unus sit totius ecclesiae caput.“ *Contra Gent.* lib. IV. 76.

Instabis. Christus totius ecclesiae caput est. Ergo primatus est supervacaneus.

Resp. Christus est caput invisibile. At ecclesiae capite etiam visibili opus est. Dominus autem „*corporaliter* non cum omnibus fidelibus *praesentialiter*“ futurus erat. Igitur „quia *praesentiam corporalem* erat ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis ecclesiae gereret curam.“ S. Thom. *l. c.*

Quaestio XV.

De primatu Romani Pontificis.

Comperto Christum summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totam ecclesiam beato Petro contulisse, necnon ejusmodi primatum lege divina esse perpetuum, proximum est, ut inquiramus, *quem* beatus Petrus in primatu suo habeat successorem. Successorem autem nullum profitemur nisi Romanum Pontificem. Quamobrem investigandum est,

Primo. *Utrum beatus Petrus Romam venerit.*

Secundo. *Utrum beatus Petrus suam cathedram Romae collocaverit.*

Tertio. *Utrum beatus Petrus Romae mortuus sit.*

Quarto. *Utrum Romanus Pontifex beati Petri sit in eodem primatu successor.*

Quinto. *Quonam jure primatus episcopatui Romano annexus sit.*

Articulus I.

Utrum beatus Petrus Romam venerit.

I. Status quaestionis. Factum itineris Petri in urbem et episcopatus Romani, quo princeps et caput ecclesiae usque ad mortem functus est, cum primatu Romani Pontificis intime connexum esse videtur. Si quaeramus, quid esse *potuerit*, Deus haud dubie immediate aut per Petrum determinare potuit, ut episcopus Romanus, etsi apostolus Romam nunquam vidisset, nec urbis episcopatum gessisset, Petri successor haberetur. In concreto, *factum* successionis est quod *Romanus episcopus* succedat Petro *in primatu*.

Conspectus hujus quaestionis aut *dogmaticus* est aut *historicus*. Dogmatice hoc certe valet ratiocinium: primatus Petri in successoribus semper continuari debet; at praeter successionem in *episcopatu* Romano nulla unquam succes-

sionis forma exstitit; haec igitur successionis forma atque factum episcopatus Petri Romani, formae ejusdem fundamentum, vera sint necesse est. Nobis autem argumenta *historica* hic adhibenda sunt. Sed in ipsa re historice tractanda *essentiale* tantum factum ipsius adventus et episcopatus Romani probandum suscipimus, omissa quaestione *accidentali, quando* Petrus Romam venerit, aliisque adjunctis majoris minorisve momenti.

II. Adversarii. *a)* Petrum Romae fuisse, professi sunt per duodecim saecula tam catholici quam haeretici ac pagani omnes. Primi saeculo XIII. dubium moverunt Waldenses, ut refert pater Moneta in opere, quod inscripsit *Adversus Catharos et Waldenses.* Saeculo XIV. Marsilius Patavinus in suo opere *Defensor pacis* episcopatum saltem Petri Romanum non constare perhibuit. Exorto Lutheri bello, Ulricus Velenus a. 1520 edito *Tractatu, quod Petrus apostolus nunquam Romae fuerit,* contendit Petrum nunquam post Christi mortem Romae fuisse sed passum Hierosolymis, catholicorum autem argumenta non esse nisi *cavillos.* Multi haeretici Velenum secuti sunt, nominatim Spanheim junior in dissertatione sua, plurimorum protestantium repetitorio, *De ficta profectione Petri apostoli in Urbem Romam, deque non una traditionis origine.* Contra Velenum anno 1522 scripserunt J. Fisher, episc. Roffensis, *Convulsio calumniarum Ulrici Veleni,* anno 1524 Cochlaeus et Dietenberger, in opere: *Ob sant Peter zu Rom sey geweszen,* et alii plures, qui usque ad initium saeculi XIX. novos semper impugnatores eruditissime solideque confutarunt.

b) Saeculo XIX. factum itineris Petri Romani nova quadam ira et impetu coeptum est negari, duce praesertim Eichhorn in sua *Introd. in N. T.* (Einleitung in das N. T.) At armis vetustis plerumque usi sunt, videlicet silentio S. Scripturarum et tractis in perversum sensum testimoniis veterum aut rejectis. Suis tamen peculiaribus argumentis non caruit factio illa rationalismi protestantici, vulgo dicta schola Tubingensis, cujus haec fere ratiocinatio.

In principio religionis Christianae fuerunt factio Judaico-Christiana seu *Petrinismus* et factio ethnico-Christiana seu

Paulinismus, nulla tamen ecclesia catholica; deinde saeculo II. mediante coortus est *Petro-Paulinismus* seu factio catholica. Cf quaest. V. art. 4. Huic *porro hypothesi* congruit etiam ponere, quae ad commorationem Petri Romanam pertinent, ea conficta esse tam a Petrinismo quam a factione Petro-Pauliniana. Nam utriusque intererat, haec ut *fingerentur*. Petrinismi, Paulo perquam iniqui, Petrum Romae praedicasse intererat, ut gloria fidei Romanae a Paulo in Petrum transferretur, quin etiam ut Petrus Paulum sub figura Simonis Magi vicisse crederetur. Atque haec est legenda librorum *Pseudoclementinorum*. Petro-Paulinianis, litis componendae studiosis, opportunissimum erat, Petrum et Paulum, jam a Simone Mago distinctum, Romae pacifice collaborasse, et *pacem* confirmatam esse glorioso geminorum martyrio. Et fictum est ita. Patres autem istius fluentis ex duplici fonte fictionis aut conscii sunt aut victimae. Haec argumentatio hypothetica ab anno 1831 plurium modernorum fuit, ex quibus F. Ch. Baur, *Paulus, der Apostel Jesu Christi*, 1845, etc ; Zeller, *Die Apostelgeschichte*, 1854; *La légende de Saint-Pierre*, versio Gall. Marchand, 1876; Lipsius, *Chronologie der römischen Bischöfe*, 1869; *Quellen der römischen Petrussage*, 1872; J. Langen, *Die Clemens-Romane*, 1890. Alii, ut Schmiedel, in *Encycl. Biblica* et Grill, *Der Primat des Petrus*, etiamnunc haesitant. Ex Russis sententiam schismaticorum communem impugnant Sergius Souchkov, *Contra falsam doctrinam primatus ecclesiae Romanae*, Petropoli, 1891; cui consonat encyclica, quam Anthimus, patriarcha Cplitanus die 11. Oct. 1895 edidit.[1])

Inter recentiores, qui veterum argumenta recoxerunt, Mücke, *Die Nichtigkeit* etc., 1886, successionem apostolicam Romanorum Pontificum inanem esse contendit; non pauci

[1]) In period. *Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια*. Subscripserunt cum patriarcha episcopi schismatici duodecim. Cf. L Duchesne, *Églises séparées* (2. édit. 1905), qui p. 124 ait: „N'est-il pas lamentable de voir des évêques s'autoriser ainsi de théories jetées désormais au rebut, et déserter pour elles les traditions de tous leurs prédécesseurs, de tous les docteurs de leur église? Faut-il que la passion les égare!“

tamen, etiam ex acatholicis, Petrum Romae fuisse jam non negant. Catholici, quemadmodum olim adventum, episcopatum et martyrium Petri Romanum luculenter probarunt, ita hoc saeculo se vindiciis facti illius minine abstinuerunt. Cf. P. Martin, *Revue des quest. hist.* t. XIII. p. 5—107.; t. XV. p. 5—92.; t. XVIII. p. 202—210.; De Smedt, *Dissert. in primam aetatem hist. eccles.* p. 1—48.; Lecler, *De Romano S. Petri episcopatu;* Esser, *Des H. Petrus Aufenthalt etc. zu Rom;* Schmid, *Petrus in Rom* (1892); C. A. Kneller, *S. Petrus, Bischof von Rom,* in Z. für kath. Theol. 1902. In his habemus tum argumenta hujus controversiae tum uberrimam litteraturam. Pro disputatione de Romano Petri itinere, Romae habita a. 1872 diebus 9. et 10. Februarii inter Fabiani, Guidi et Cipolla, sacerdotes Romanos, et Sciarelli, Ribetti et Gavazzi, haereticos, cf. Reseconto autentico della disputa dei 9. e 10. Febbrajo, 1872. Roma, 1872.

Thesis: *Beatus Petrus Romam venit.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S Scriptura. a)* S. Petrus *ep.* I. cap. V. 13. ita scribit: *Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coelecta.* Jam multa suadent *Babylone* hic significari Romam. Quod probatur.

1⁰ *Ex veterum consensu.* Babylon aut est Roma; aut Babylon juxta Euphraten; aut Neo-Babylon seu Seleucia ad Tigridem; aut Babylon in Aegypto haud procul a Memphide, aut Hierosolyma.[1]) Tres autem ultimae interpretationes fere relictae sunt. Inter veteres non nisi Cosmas Indicopleustes saeculi VI., Jesujabus Nisibenus saeculi XIII. et Pseudo-Amrus saeculi XIV. vocem Babylonis in sensu litterali intellexerunt; ceteri, et antiquissimi omnes, Babylonem de Roma usurpatam existimarunt, uti Papias et Clemens Alexandrinus apud Eus. H. E. II. 15.; ipse Eusebius,

[1]) Haneberg, qui a. 1863 in suo opere *Geschichte der biblischen Offenbarung* Babylone *Antiochiam* significari perhibebat, in editione anni 1876 *Romam* intelligendam affirmat.

l. c. 14. et S. Hieron. *De viris illustr.* VIII. — Omitto Babylonem Assyriorum juxta Euphraten eo tempore multorum opinione desertam fuisse (cf. Flav. Jos. *Antiq. Jud.* XVIII. 9.), sicut Babylon Aegypti non erat nisi oppidulum seu statio militaris.[1])

Veteres sane, cum „in Babylone" legerent, non nisi evidentia coacti sensum litteralem reliquerunt; quis enim non stupescat, commorationem Petri Babylonicam, ipsius Petri testificatione firmatam, in antiquissimis patribus Syris ac Chaldaeis et in liturgia Orientalium adeo potuisse obliterari?

2° *Ex perluciditate metaphorae Babylonis.* Roma, „quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque", (Tac. *Annal.* XIII. 15.) optimo jure *Babel* seu *confusio* dicitur. Metaphora illa tam obvia est, ut etiam S. Joannes in *Apocalypsi* haud semel Romam figurate Babylonem appellaverit, v. g. cap. XVII. v. 5.: *Babylon magna.* Judaeis quoque, utique ob apertissimam similitudinem, solemne erat, Romam vocare Babylonem. Cf. Schoettgen, *Horae hebr.* Nec sensus, cum nuntius — Silvanus — epistolam deferret, quempiam latere potuit. Plura denique alia in ea epistola symbolice dicta sunt factisque ad V. T. allusionibus.

3° Fortasse etiam furor Helii, Tigellini et Neronis causa fuit utendi voce, paganis recondita.

b) Epistola S. Pauli ad Rom. aliquam praebet probabilem theseos confirmationem. Etenim cap I. 8. apostolus: *fides vestra annuntiatur in universo mundo;* rursus cap. XV. 24.: *spero quod praeteriens videam vos.* At tanta urbs tantae fidei et tam munita praesidiis spiritualibus, ut Paulus eam non nisi *praeteriens* edocendam existimet, fidem ab aliquo apostolo suscepisse videtur. Porro ante Paulum Petrus solus ille Romanorum apostolus esse potuit. Ex epistola igitur ad Romanos verisimile est beatum Petrum Romam

---

[1]) Harnack, *Die Chronologie,* B. I., p. 459 Hierosolyma designari obtendit, sed nullo fulcitus documento et tota contradicente antiquitate. Cf. Duchesne, *Hist. ancienne de l'Église* (1906), p. 63; Baljon, prot., *Comm. op. de kath. brieven* (1904), p. 152—153.

venisse. S. Thom. *Expos. in Rom.* XV. lect. III. Cf. Hundhausen, *Kommentar zum I. Briefe Petri.*

Arg. II. *Ex traditione.* S. Petrum Romam venisse, unanimis veterum et concors sententia est. Quorum quam gravis sit auctoritas facile patet. Sunt enim unanimes, et nullus contradicit; sunt antiquissimi ac testium series ab apostolorum coaevis contexitur; nulla fraus ipsis prodesse potuit; loquuntur de re omnibus manifesta et valde publica; plerique sunt et vitae sanctitate et doctrina rerumque praeteritarum inquisitione conspicui. Testes autem sunt:

a) S. Clemens Romanus, qui saeculo I. exeunte Romanam rexit ecclesiam, Romae ad Corinthios scribens ait: „Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletas veniamus; saeculi nostri generosa exempla proponamus . . . Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos: Petrum, qui propter zelum iniquum non unum aut alterum, sed plures labores sustulit atque ita martyrium passus in debitum gloriae locum discessit . . . Viris istis (Petro et Paulo) sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui suppliciis multis et tormentis, propter zelum passi, exemplar optimum inter nos extiterunt.“ I. *Ad Cor.* V—VI. Jam verbis istis *directe* et *indirecte* significatur, beatum Petrum Romae fuisse.

1° *Directe.* Etenim Clemens Petrum in persecutione Neroniana passum satis aperte memorat. Haec autem persecutio Romae saeviit; martyres Babylone passos nusquam legimus. Deinde Petrus ab auctore Romano connexus cum Paulo nominatur,[1]) quem Romae mortem subiisse nemo negat. Adde quod verba *inter nos*, ἐν ἡμῖν, Romam designare videntur. Denique *Petro* et Paulo aggregata est — συνηθροίσθη — „*magna* electorum *multitudo*“, quae non videtur alia esse atque *ingens multitudo* martyrum, quos *Romae* passos esse, Tacitus refert. *Ann.* XV. 44.[2])

[1]) Ob illam connexionem Lightfoot, protestans: „Is not the overwhelming inference that Peter suffered in this same city also?“ *S. Clement of Rome*, t. II p. 493.

[2]) Neander, Hilgenfeld et Seyerlen, protestantes, a Clemente Romam designari docent. Recte Harnack ait: „Lis sub judice ad-

2° *Indirecte.* Auctor epistolae *mortem* Petri martyriique *locum* Romae, Corinthi, et inde per totam ecclesiam censet esse notissima. Porro notus ille martyrii locus aut Roma aut alius locus fuit. At alius locus nullo modo. *Romanum* enim martyrium apostoli, vel adversariorum opinione, saeculo II. exeunte ratum erat omnibus. Hoc autem si error fuerit, sequitur ut posteri notissimum tanti martyrii locum non solum jam saeculo II. penitus et ad unum omnes obliti fuerint, sed etiam ut aliquorum dolo ac ceterorum stupiditate vero martyrii loco substituta Roma sit.[1])

b) S. Ignatius Antiochenus, apostolorum discipulus, ad Romanos haec scribit: „Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio. Illi apostoli, ego condemnatus" etc. *Ep. ad Rom.* c. IV. Jam vero dicendo: *„non ut Petrus* et Paulus *vobis praecipio"*, ostendit, 1° peculiare Romanorum cum Petro commercium, veluti cum doctore et magistro; 2° Petrum in praecipiendo Romanis exaequari Paulo, quem verbo et scriptura Romanis praecepisse constat. Jam vero ex duobus his factis Petrum Romae fuisse satis manifesto colligitur. Etenim ista connexio peculiaris Petri cum Romanis, et Petri quoad Romanos cum Paulo, aut praeceptis quibusdam, a Petro *scriptis,* aut *verbo orali* tribuenda est. At nulla Petri ad Romanos exstat epistola. Ergo Petrus Romae fuit, siquidem illa connexio, de qua diximus, causa congruenti caret, si Petrus, procul Roma Judaeorum studio tentus, Urbem nunquam inviserit.

c) Papias, episc. Hieropolitanus, qui cum apostolis ferme vixit, in opere, quod inscriptum erat *Expositiones sermonum Domini,* testatus est, priorem Petri epistolam „Romae scri-

---

huc non esset, nisi critici fabulis illis Pseudoclementis vel Judaizantium Christianorum plus quam par est auctoritatis tribuerent" Quod ad verba: ἐν ἡμῖν cap. VI. attinet, interpretationi nostrae minime contradicit alterum ἐν ἡμῖν cap. LV.; prout contextum legentibus patebit. Argumentum tamen ex verbis illis non pendet.

[1]) Recte Döllinger: „Es ist ebenso undenkbar, dass man bloss die Hinrichtung des Apostels ohne den Ort derselben gewusst, als dass man den Ort gewusst, bald danach aber vergessen, und dafür einen andern sich habe einreden lassen." *Christentum und Kirche,* 2. Aufl. S. 316.

ptam esse“· Ap. Eus. H. E II. 15. — *Clemens Alexandrinus*, a. 189 scholae Alexandrinae praefectus, in suis *Hypotyposeon* libris traditionem, *a vetustioribus presbyteris* acceptam, retulit atque Marci evangelium scriptum memorat, „cum Petrus in urbe Romae verbum Dei publice praedicasset.“ Ap. Eus. H. E. VI. 14. — *Cajus*, presbyter, Zephyrino Papa (202—219) Romae scribens, ait: „Ego apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam illam fundaverunt.“ *Disput. cum Proclo;* ap. Eus. H. E. II. 25.

d) Dionysius Corinthius († 180) in fragmento ad Romanos, ap. Eus. H. E. II. 25.; *Irenaeus*, episcopus Lugdunensis, qui Polycarpi et Papiae, virorum apostolicorum, consuetudine usus est atque Asiam, Galliam, Italiam ipsosque rerum fontes vidit, in opere, quod a. 172—192 exaratum *Adversus Haereses* inscriptum est, lib. III. 3.; deinde *Hippolytus* († 236), Philosophumena, VI. 20.; *Tertullianus* († 240), De praescr. c. XXXVI.; *Origenes* († 254), ap. Eus. H E. III. 1 ; *Cyprianus* († 258), ep. 52. et 55. aliique testes innumeri idem factum probant; veterum enim omnium est una sententia.

De *monumentis* infra.

Arg. III. *Ex acatholicorum testimonio.* Ex antiquissimis ecclesiae adversariis, sive haereticis sive paganis, nemo unquam Petrum Romam venisse negavit; sectae Orientales Petrum Romae fuisse vel in liturgiis profitentur; inter ipsos etiam haereticos recentiores viri non pauci valde docti nobis assentiuntur.

a) Nec Phlegon, Adriani Augusti libertus, neque Ebionita Orientalis, qui auctor esse videtur *Praedicationis Petri* (*Κήρυγμα*), aut opera Pseudoclementina, uti *Recognitiones* et *Homiliae*, neque opera gnostica, neque Celsus, qui saeculo II. mediante adversum Christianos scripsit, neque Julianus Apostata, nullum denique documentum itineri Petri Romano reperitur contrarium. Imo testes isti factum illud saepissime verbis expressis affirmant aut tanquam vulgatum subaudiunt, ut Porphyrius apud Macarium Mag-

netem, *Apocritic.* III. 22. et Julianus Apostata, qui *monumenta Petri et Pauli*, Joanne apostolo nondum e vita profecto, cultum jam obtinuisse significat. Apud S. Cyrill. *Adv. Jul.* lib. X. Atque hoc etiam considerandum est, quam graviter patres haereticos auctoritate Sedis Romanae, Petro fulgentis, redarguerint, ut S. Irenaeus gnosticos, Tertullianus haereses universim, Cajus Cataphrygas, S. Cyprianus Novatianos. S. Iren. *Adv. haer.* III.; Tert. *De praescr.* c. XXXVI.; Eus. H. E. II. 25.; S. Cypr. *ep.* 59. Nemo tamen refragatus est.

b) Orientis quoque antiquissimae sectae Petrum Romam venisse profitentur, v. g. Nestoriani in *Officio SS. Petri et Pauli*, quod saeculo IV. adscribitur.[1]) Orientales autem Petrum ecclesiae Romanae non tribuissent, nisi maxima fuisset adventus illius in urbem evidentia.

c) Haeretici recentiores a saeculo XVI. Petrum Romae fuisse saepissime quidem negarunt. At 1° causa negandi potius fuere orthodoxis odium Pontificatus et incredulis hypotheses pantheisticae ac atheae, quam documenta et rationes *historicae.* 2° Acatholici plurimi, doctrina et ingenio praestantes, adventum Petri Romanum pro certo ponunt, Cave, Pearson, Usher, Blondel, Joseph Scaliger, Is. Newton, Neander, Gieseler, Seyerlen, Hilgenfeld et non ita pridem Lightfoot, *S. Clement of Rome*, 1890; Naef, *Hist. de l'Église chrétienne*; Sanday and Headlam, *A critical and exegetical Commentary on the Epistle to the Romans* (2 edit. 1896); Harnack, *Die Chronologie der altchristl. Litteratur*, B. I. (1897) et *Die Mission und Ausbreitung des Christentums* (1902); Ib. Barclay Swete, *The Gospel according to St. Mark* (2 edit. 1902).

Grotius olim de Roma scripsit: „ubi Petrum fuisse

---

[1]) P. Martin ex officio nocturno haec, in linguam Gallicam translata, refert: „Pierre et Paul, étant fortifiés par la vertu de l'Esprit saint, sont entrés dans l'opulente Rome, en portant l'étendard de la croix . . Pierre évangélisa Rome, Paul les Juifs et les gentils, mais tous deux ont terminé leur vie en combattant pour la vérité.“ *Saint Pierre et s. Paul dans l'Eglise Nestorienne;* Rev. des sciences ecclésiast. 1875.

nemo vere Christianus dubitavit." *Annot. in Ep. Apost. et Apoc*, in I. Petr. V. 13. Post criticam duorum triumve saeculorum alii protestantes eruditione insignes sententiam negantem non minus absolute reprobant.[1])

Articulus II.

Utrum beatus Petrus suam cathedram Romae collocaverit.

I. Status quaestionis. S. Petrum Romae sedisse non ita intelligimus, ut Romanam tenens cathedram, nunquam peregre praedicaverit, puta Hierosolymis aut Antiochiae. *Sedes* enim, *titulus* et *residentia* differunt: *sedes* est locus, ubi ecclesia aliqua fundata est et in dignitate episcopali constituta; *titulus* est ipsius ecclesiae, unde sedes denominatur, vocabulum; *residentia* est commoratio in loco, ubi ecclesia fundata est. Petrus igitur, etiam susceptis longinquis itineribus, sedem suam retinuit, quemadmodum Pius VI. et Pius VII. exsulantes; namque absente Pontifice non nisi *residentia* interrumpitur.[2]) Quot autem annis Petrus Romae sederit, quaestio *accidentalis* esse videtur: Baronius, quem plerique catholici sequuntur, apostolum amplius viginti quinque annis episcopatum Romanum gessisse arbitratur; alii cum Papebrochio quindecim; alii cum Pagio duodecim; alii quidam, plerumque protestantes, minus anno integro

---

[1]) Ita Homersham Cox ait: „We have a host of wittnesses to the same fact, that the two great apostles preached and suffered martyrdom at Rome. The evidence is so ample, and is derived from so many different sources, that it may be safely pronounced indisputable." *The first century of Christianity* (1886), p. 184. Et Harnack, *Die Chronologie*, S. 244: „Der Märtyrertod des Petrus in Rom ist einst aus tendenziös-protestantischen, dann aus tendenzkritischen Vorurteilen bestritten worden . . Dass er aber ein Irrtum war, liegt heute für jeden Forscher, der sich nie verblendet, am Tage."

[2]) E. Le Camus censet, S. Petrum, a. 49 Roma expulsum, non nisi in fine vitae suae in urbem rediisse. *Oeuvre des Apôtres* (Paris, 1891), chap. IX. — Tanta autem absentiae diuturnitas parum probari videtur.

Nostra controversia non de diuturnitate, sed de ipso Petri episcopatu Romano erit.

II. Sententia Papebrochii de gemino episcopatu Romano. Papebrochius et alii viri quidem docti duos in solidum ecclesiae Romanae putant fuisse episcopos, Petrum et Paulum; sed ita fuisse, ut Petrus, collegii apostolici caput et princeps, suam quoque dignitatem tueretur. Cf. Boll. XIII. *Paralip. ad Conatum in catal. Pontif.* p. 33. Cui tamen sententiae, quamvis Petri primatum singularem non excludat, repugnare videtur patrum, urbis *episcopatum exclusive* Petro tribuentium, ac catalogorum major numerus; ea vero testimonia, quae gemino episcopatui favere creduntur, et formula, qua Romani Pontifices se Petri et Pauli successores esse declarant, episcopatum urbis sensu *latiori* Paulo tribuere videntur, ita ut hic episcopus in urbe, non urbis fuerit, quemadmodum et Linus, Cletus ac Clemens Romae, Petro superstite, episcopalia munia obiisse feruntur. Haec autem interpretatio non solum rei, de qua agitur, naturae respondet, verum etiam morem antiquitatis optime explanat, ut episcopatus Romanus modo a Petro solo, modo a Petro et Paulo originem duxisse dicatur. Nam ita loquuntur Tertullianus, Stephanus Papa, Eusebius, Epiphanius, Leo Magnus et alii.[1])

III. Adversarii. Acatholici aliqui non pugnant, quin Petrus Romam inviserit, sed Calvini suffragantur sententiae: „Episcopum (Petrum Romae) fuisse, praesertim longo tempore persuaderi nequeo.“ *Instit.* lib. IV. 6. Similiter Brussetius scripsit *De Petro Romae martyre, non pontifice;* Cave censet, aegre pati rationem muneris apostolici, Petrum Romanae cathedrae affixum fuisse tanquam peculiarem episcopum. Nostris temporibus etiam Lightfoot et Harnack, hanc opinionem inter suos inveteratam secuti sunt.

Thesis: *Beatus Petrus cathedram suam Romae collocavit.*

---

[1]) Vide plura apud Wilmers, *De Christi Ecclesia*, p. 202—205; Kneller, *Zeitschr. f. kathol Theol.* 1902, p. 233—243; H. Hurter, *Theol. dogm. Compendium* (ed. 11., 1903), p. 391—392.

Argumenta.

Arg. I. *Ex testium narratione.* Testes, qui factum internoscere potuerunt, decipere autem nequiverunt ac noluerunt, fide digni sunt. Et hujusmodi testes episcopatum Petri Romanum referunt. Ergo. Explicatur *major.* Scriptoribus mox recensendis, si tantum factum tamque publicum falso retulissent, contradixissent quam plurimi. Nec decipere voluerunt; tum quia ipsos probitatis magnae fuisse constat, tum quia nulla potest excogitari utilitas, quae homines tam diversos ad fraudem illexerit. Prob. *minor.*

a) S. Ignatius Antiochenus ait, b. Petrum Romanis *praecepisse*; *Papias* affirmat Petrum Romae divini verbi praeconem exstitisse; *Dionysius Corinthius* meminit apostolum Romanos *instituisse.* Atqui haec testimonia, jam articulo primo memorata, etsi episcopatum Petri Romanum non *demonstrant,* episcopi tamen muneri apprime quadrant. Ergo conjuncta subsequentibus testimoniis iisque perspicuis thesin probandam illustrant.

b) S. Irenaeus ait: „Fundantes igitur et instruentes beati apostoli ecclesiam, Lino *episcopatum* administrandae ecclesiae *tradiderunt* . . . Succedit autem ei Anencletus. Post eum *tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur* Clemens.“ *Adv. haer.* III. 3. *Tertullianus:* „percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc *cathedrae Apostolorum suis locis praesident* . . . Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.“ *De praescr.* cap. XXXVI — Auctor *Carminis adv. Marcionem,* Tertulliani probabiliter coaevus:

> *Hac cathedra Petrus qua sederat ipse,* locatum
> Maxima Roma Linum primum considere jussit . .
> Constabat pietate vigens ecclesia Romae
> Composita *a Petro, cujus successor* et ipse
> Jamque *loco nono cathedram suscepit Hyginus.* [1])

[1]) Juxta alios ad saeculum IV. pertinet. Cf. Duchesne, *Le Liber Pontificalis* I. p. XI.

c) S. Cyprianus: „Factus est Cornelius *episcopus*, . . . quum Fabiani locus, id est quum *locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis* vacaret.“ *Ep.* 51. Praeterea ecclesia Romana a scriptoribus ecclesiasticis passim *cathedra Petri, sedes Petri*, etc. vocatur. Omitto testes innumerabiles saeculi IV. et subsequentes, inter quos ecclesia Graeca schismatica, quae in suis hymnis Petrum ut Romae primum episcopum celebrat.[1])

Arg. II. *Ex catalogis. a) Hegesippus*, medio saeculo II. Romam veniens, Romanorum Pontificum successionem (*διαδοχήν*) usque ad Anicetum († 160) cognovit. Hunc autem, etsi verba ejus perierunt, successionis originem a Petro comperisse *primo* ex eo colligitur, quod ille, qui apostolicas origines (Eus. H. E. IV. 8.) diligenter investigabat, factum successionis sibi, cum Romae esset, manifestatum plurimi fecisse videtur;[2]) *deinde* ex eo, quod Eusebius, qui Hegesippi *Commentariis* saepius utitur, Petrum sedem suam Romae fixisse narrat, et nihil, quantum ad hoc factum, Hegesippi *ὑπομνήματα* criminatur vel corrigit. *b) Irenaeus*, Adv. haer. III. 3. et *Euseb.* H. E. III. 2. in recensendis episcopis Romanis post Petrum et Paulum munus episcopale Lino *traditum*, et a Lino *susceptum* affirmant. *c) Epiphanius*, Haer. XXVII. n. 6.: „Romae primi omnium Petrus et Paulus apostoli pariter et episcopi fuerunt.“ *Optatus Milevitanus*, De schismate Donati, II. 3.: „sedit prior Petrus; cui successit Linus“. Eodem modo. *Augustinus, ep.* 53. ad Generosum: „Petro enim successit Linus“. *d) Catalogus Liberianus* seu Bucherianus, ab Aegidio Bucherio S. J., quem catalogum Furius Dionysius Philocalus anno circiter 354 edidit, necnon *catalogi* ex Hieronymi Chronico, ex Georgii Syncelli Chronographia, ex Chronico Syriaco, Hor-

---

[1]) Pitra, *Hymnographie de l'Église grecque*, p. CXX et CXXXVII.

[2]) Quae apud Eus. H. E. IV, 22. ex Hegesippo leguntur: *Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην*, corrigenda videntur, mutato *ἐποιησάμην* in *ἐνοησάμην*. Cf. Ehrhard, *Die altchristl. Litteratur*, Th. I., p. 256–257; Funk, *Kirchengesch. Abhandl.* B. I., p. 373—390; J. Chapman, *Rev. Bénéd.* 1901 et 1904.

misdae, etc. Petrum primum urbis episcopum fuisse expressis verbis significant.[1])

Arg. III. *Ex Romanae ecclesiae statu ante Linum.* Ab ecclesiae primordiis in locis praecipuis, ubi florebant ecclesiae, episcopi constituebantur. Atqui ante Linum Romae, Paulo teste, *Rom.* I. 8., vigebat fides. Praeterea Roma caput mundi Romani erat. Romae igitur aetate apostolorum episcopum sedisse, vix in dubium revocari potest. At praeter Petrum nominatur ante Linum nemo. Ergo Petrus sedem suam Romae fixit.

Articulus III.

Utrum beatus Petrus Romae mortuus sit.

Apud catholicos usque in hodiernum diem firma doctrina est, S. Petrum Romae martyrio coronatum esse, et Romanum Pontificem vices apostoli defuncti excepisse. Cui quidem doctrinae de facto tam publico maxime favet praesumptio inconcussae per tot saecula possessionis. Verum inde a saeculo XVI. factum illud, impugnandi primatus causa, negatum est; et deinceps a Tubingensibus, ut *fictio* gemini martyrii suae de Petrinismo ac Paulinismo hypothesi perficiendae inserviret: scilicet *factum* martyrii memorati sentiunt hypothesi huic adversari. Proxime Erbes, pastor protestans, Petrum Hierosolymis mortuum esse, nobis persuadere conatus est.[2])

Recentioribus autem non paucis, Romae Petrum martyrium subiisse persuasissimum est. Vide p. 538.

Thesis: *S. Petrus Romae mortuus est.*

---

[1]) Cf. Eus. H. E. III. 1. 2.; V. 6.; De Smedt, *Dissertationes selectae in hist. eccl.* Append. K.; Duchesne, *Le Liber Pontificalis,* chap. I. p. I—XXV. — Vide supra p. 119.

[2]) C. Erbes, *Petrus nicht in Rom, sondern in Jerusalem gestorben,* in Zeitschr. für Kirchengesch. (1901).

Argumenta.

Arg. I. *Ex veterum testimonio.* *S. Clemens Romanus,* Ep. ad Cor. cap. V. Petrum Romae passum satis aperte significat. *Dionysius Corinthius* in fragmento Ep. ad Romanos seu ad Soterem Romanum Pontificem; *Origenes* ap. Eus. H. E. II. 15.; *Tertullianus,* De praescr. cap. XXXVI.; Scorpiace, cap. XV.; catalogus Liberianus; Latini, Graeci, Orientales, in Italia, Hispania, Africa, Asia, contradicente nemine, Petrum Romae martyrio affectum liquido declarant; denique ab omnibus, qui saeculo I—IV. scripserunt, Roma locus martyrii illius appellatur, praeter Romam alia civitas nunquam. Atqui nihil est quod omnes omnino testes omnium ecclesiarum in admittendo facto *maxime publico cognituque facillimo semper et ubique* erravisse dicamus.

Arg. II. *Ex adversariorum confessione.* Traditio de passione Petri Romana, fatentibus adversariis, paulo post annum 150 [1]) communis erat. Atqui haec traditio *legendaria* non fuit, sed *historia,* a fontibus rerum deducta. Ergo. *Major* negari a nemine potest, nisi prius auctores omnes saeculi II. spurios esse dixerit. Prob. *minor.*

a) Ex publica martyrii Petri inter facti aequaevos notitia. Fieri non potuit, ut factum historicum, exeunte saeculo I. inter coaevos *longe lateque* ac *distincte* notum, saeculo II. *substantialiter* legendarium fiat. Coaevis autem facti exeunte saeculo I. longe lateque ac distincte innotuerat, utrum Petrus passus esset Romae necne. Ergo traditio communis saeculi II. de passione Petri Romana historia est, non fabula. Prob. *min.* 1° *Longe lateque.* Etenim ecclesia Romana omnium in conspectu erat, ut satis liquet ex S Paulo, *Ad Rom.* I. 8. et ex S. Ignatio, *Ad Rom.* Similiter S. Petrus apostolus conspectatissimus erat. Ergo hoc per se longe lateque innotuisse necesse est, utrum Petrus passus esset Romae necne. Reapse locus martyrii innotuit *Romae* et *Corinthi,* ut patet ex Clemente, *Ep.* I. ad

---

[1]) Zeller ait: „dès le dernier tiers du second siècle". *La légende de saint Pierre;* trad. Marchand.

Cor. V.; *Antiochiae,* ut satis certo colligitur ex Ignatio, *Ep.* ad Rom. IV.; *lectoribus,* pro quibus S. Joannes evangelium suum primario composuit, ut non obscure significatur in evangelio *S. Joan.* XXI. 18—19. S. Joannes enim verba Domini ad Petrum referens: *Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis,* observat: *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Quibus verbis evangelista prophetiam Christi de Petro, hujus mortem designando explicat; quae quidem explicatio nihil effecisset, nisi martyrii factum lectoribus istis innotuisset. 2° *Distincte.* Factum enim vagum nec a Clemente tam concrete nec a Joanne obiter et ad illustrandum adductum fuisset. Ecclesia igitur una cum martyrio *locum* martyrii novit; aliquis ergo, si Romanum martyrium fabella fuisset, fabellam notasset. Cf. supra, p. 535.

b) Ex connexione patrum, qui a. 150 - 200 scripserunt, cum Petri aequaevis. Ista connexio ex tribus probatur. 1° Ex successione episcoporum in Sede Romana, qui profecto saeculo II. noverunt, utrum celeberrimus apostolus Romae pro Christo interfectus esset necne. 2° Ex paucissimis inter Petri coaevos et testes saeculi II. intermediis. Ita Dionysius Corinthius, qui anno 150 episcopale munus obibat, et Irenaeus, anno 120 natus, una alterave tantum aetate a Petro distant 3° Ex eo quod scriptores praecipui saeculi II. antiquitatis studiosissimi erant, ut patet ex Irenaeo, *Adv. haer.* III.; Clem. Alexandr. *Strom.* VII. 6.; Orig. *Hom.* I. in Luc.; Tertull. *De praescr.* cap. XXI. — Hoc nempe Tertulliani apud omnes valebat: „Id verius, quod prius." *Adv. Marcionem.* Ergo patres isti in re tanti momenti fabellam non amplexi sunt. At Hermas in *Pastore* silet et S. Justinus. Sane silent; sed cum nulla ipsis esset loquendi ratio, viri parum prudentis est, eorum silentio tot tantorumque testium auctoritatem velle suspendere.

Arg. III. *Confirmatio hujus articuli duorumque praecedentium ex monumentis.* Romae monumenta antiquissima et traditiones locales omnes beatum Petrum in urbe fuisse,

sedisse, passum esse testantur. Jam verisimile non est, ab ecclesiae fere primordiis Romam repleri monumentis Petri, quem nullus unquam aut laicus aut clericus in urbe viderat, audierat; quin imo repleri urbem viri, *procul* ab urbe *obscure* exstincti, recordatione et memoria. Monumenta autem et traditiones sunt:

a) Memoria seu sepulcrum beati Petri; cujus quidem Cajus mentionem facit his verbis: „Ego vero Apostolorum tropaea (τρόπαια) possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.“ Ap. Eus. H. E. II. 25. Ita Cajus in *disputatione cum Proclo*, quam, Romae habitam, Zephyrino Romano Pontifice (202—219), Romae scripsit. Petri sepulcrum indicari, patet 1° ex sensu obvio textus; 2° ex adjunctis, utpote qui Petri et Pauli τρόπαια Proclo opponat, Philippi apostoli sepulcro (τάφος) glorianti (Eus. o. c. III. 31.); 3° ex aliis antiquis testibus, inter quos Eusebius, loc. citatis et Liber Pontificalis, edit. Duchesne, p. 118 etc.; 4° ex basilicis, quas Constantinus M. in apostolorum sepulcris exstruxit et ex nonnullis indiciis archaeologicis antiquissimi coemeterii Vaticani.[1]) — Hinc illud S. Chrysostomi: „duos illa urbs habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum corpora . . . Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus.“ *In Ep. ad Rom.* hom. XXXII. Nihili autem refert, utrum sanctorum corpora necessitatis aut utilitatis causa quandoque ad tempus a Vaticano in alium locum urbis translata fuerint.

b) Cathedra Vaticana S. Petri, cujus partes primitivae, ex ligno querno confectae, in abside basilicae S. Petri asservantur. Anno 1867 De Rossi cathedram investigavit et descripsit, cf. *Bullet.* 1867; utrum vero pertineat ad antiquissima ecclesiae tempora, percontari possumus ex Tert. *De praescr.* cap. XXXVI., ex auctore operis *Contra Marcionem*, III., ex S. Optat. Milev. *Adv. Parmen.* II. 4.

[1]) Cf. De Rossi, *Bullet.* 1864 et 1876; De Waal, *Des Apostelfürsten Petrus glorreiche Ruhestätte;* Duchesne, *Lib. Pont.* p. CV. et 143.; Marucchi, *Le mémoire dei SS. Apostoli Pietro e Paolo nella città di Roma* (1894).

c) Coemeterium Ostrianum. In antiquis documentis saepe fit mentio cathedrae, ubi *primum* seu prius S. Petrus sedit. Ita in catalogo oleorum, quae abbas Joannes, Gregorio M. Pontifice, ex lampadibus coram martyrum sepulcris ardentibus collecta, Theodolindae reginae obtulit, „oleum de sede, *ubi prius sedit* S. Petrus" distinguitur ab oleo, „*sepulchri* S. Petri". Archaeologia documenta confirmavit. Nam anno 1876 inter viam Salariam et Nomentanam repertum est coemeterium Ostrianum, seu *Fontis S. Petri* aut *Ad Nymphas*, in quo inscriptio et alia indicia, quae S. Petrum in eo loco laborasse significant. Inscriptiones autem universim, symbola, omnia denique probare censentur, coemeterium illud ad saeculum I. aut II. pertinere. Ergo hoc saltem concludendum videtur, jam primis ecclesiae temporibus S. Petrum fidelium opinione cum eo loco connexum fuisse. Hic etiam fuisse creditur sedes, *ubi prius* sedit S. Petrus, quae ut *cathedra Ostriana* a *cathedra Vaticana* distinguitur. Cf. Armellini, *Scoperta della cripta di S. Emerenziana e di una memoria relativa alla cathedra di S. Pietro.*

d) Alia plura connexionem specialem S. Petri cum ecclesia Romana confirmant: 1° basilicae, traditionum localium testes; 2° picturae catacumbarum et scyphi vitrei, quibus effigies S. Petri exhibetur saepissime et ex typo, qui videtur historicus; 3° festivitas *b. Petri et Pauli*, ex omni memoria temporum Romae celebrata, de qua cf. Eus. H. E. II. 25.; Prudent. *Peristeph.*, hymn. XIII.; S. Paulin. *ep.* 16. ad Delphin.[1])

---

[1]) De festivitate *Cathedrae S. Petri* et utrum duplex S. Petri Cathedra Romana celebrata sit antiquitus an una cathedra die duplici, cf. Combefis, *Biblioth. Patrum concionatoria*, VI.; period. *Zeitschrift für kath. Theol.*, 1889, p. 566—576 necnon Duchesne, *Les origines chrétiennes.* — Lanciani, *Pagan and christian Rome*, p. 123 ait: „For the archaeologist the presence and execution of S. S. Peter and Paul in Rome are facts established beyond a shadow of doubt by purely monumental evidence."

Objectiones.

Obj. I. Apud auctores synchronos de itinere Petri Romano nihil. Tacet enim auctor *Actuum Apostolorum*, tacet S. Paulus, qui nec in *ep. ad Romanos* Petro nomine suo salutem dici jubet, nec in epistolis, Roma vel ex Italia scriptis, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, II. ad Timotheum et ad Hebraeos, Petri Romani mentionem facit. Ergo S. Petrus Romam non vidit.

Resp. *Nego* antec. Non prorsus silent synchroni, S. Petrus in *ep.* prima, Clemens Romanus et Ignatius Antiochenus, citati. Probationem *dist.:* silentii illius causa fuit, quod Petrus Romam nunquam venit, *nego;* alia quaedam causa, *conc.* Fallax argumentum ex silentio, non probata loquendi *necessitate.* Jam S. Lucas in *Act.* a capite XIII. Pauli labores refert, de aliis autem apostolis non nisi ea, quae cum Pauli historia cohaerent; nonnulla etiam ad Paulum pertinentia, ut naufragia, flagella, iter in Arabiam, correptionem Petri Antiochiae factam, silentio praeterit. Fortasse verbis, lectori coaevo satis manifestis, Romam indicavit cap. XII. 17.: *egressus abiit in alium locum,* εἰς ἕτερον τόπον.

Quod Paulus in *ep. ad Rom.* Petro salutem dici non jubet, nihil probat. Apostolus enim nec in epistolis ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Thessalonicenses, episcoporum illarum ecclesiarum mentionem fecit. Deinde pronum est — ait de Smedt cum Foggini — conjicere a Paulo peculiares ad hos episcopos litteras missas fuisse per eumdem, qui epistolam ipsius ad ecclesiam deferebat. Neque epistola peculiari opus erat, quandoquidem Paulus per Phoeben (Rom. XVI. 1.), epistolae perlatricem, salutem ad Petrum mittere eumque rerum certiorem facere potuit. De epistolis etiam Romae scriptis illud valet, quod nuntius coram egit, quae litteris non expressa sunt. Sed et nescio utrum silentii causa indaganda sit, cum apostolus in iisdem epistolis et de Roma et de ecclesia Romana prorsus sileat. Ergone, cum scriberet, Romae non fuit? — Omitto duas alias pro-

babiles tacendi causas: notam Petri absentiam temporariam et prudentiam, quae fuit iis temporibus, quibus *Actus* et *epistolae* memoratae scriptae sunt, magis minusve necessaria.

Instabis. *Act.* XXVIII., ubi Pauli adventus in urbem et ea, quae apostolo Romae contigerunt, paucis narrantur, Pauli historia cum Petri commoratione Romana cohaeret. Hoc igitur loco silentium aequiparandum est argumento positivo.

Resp. *Dist.* antec.: connexio illa est ejusmodi, ut S. Lucas de Petro loqui debuerit, *nego;* potuerit, *transeat.* Et *nego* conseq. Spectato Lucae fine, nulla conspicitur necessitas commemorandi Petrum. Fieri etiam potuit, ut in illa odii tempestate et angustiis temporum Petri praesentiam in urbe sedulo occultari oportuerit. Atque omnes id genus objectiones, praesertim cum tot testimonia *positiva* nobis praesto sint, non tam refellendi causam praebent quam inquirendi.

Urgebis. In epistolis, Romae scriptis, Paulus nonnulla dixit Petro, si Romae fuerit, valde contumeliosa, ut II. Tim. IV. 16.: *omnes me dereliquerunt;* item l. c. v. 11.; *Philipp.* II. 21.; *Coloss.* IV. 11.

Resp. Textuum illorum sensum *dist.:* pertinent ad nonnullos, Paulo conjunctos, *conc.;* ad ecclesiam Romanam aut ad beatum Petrum, *nego.* Ita II. *Tim.* IV. iis tantum labes aspergitur, quorum erat Pauli coram judice defensionem suscipere. Quis autem dixerit, Petrum coram judice patrocinari Paulo potuisse?

Obj. II. *Act.* XXVIII. 17—22. legimus a Paulo, cum Romam venisset, post tertium diem primos Judaeorum convocatos, qui *„dixerunt ad eum . . . Rogamus autem a te audire quae sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.* Haec autem cum apostolatu Petri Romano conciliari non possunt.

Resp. *Dist.:* isti primi Judaeorum religione Judaei erant, *conc.;* Christiani, *nego.* Paulus primum, ut facere consueverat (Act. IX. 15.; XIII. 5, 14.), *Judaeis* praedicavit; plures enim constat Romae fuisse nondum ad Chri-

stum conversos, religionis Christi ignaros, sive quod Petrum praedicantem non audierant, sive quod Petri despexerant humilitatem. *Christianorum* laus in *ep.* ad Rom. I. 8. De Judaeis in urbe, cf. Dion. Cass. LX.; Sueton. in *Claudio*, XXV.; *Act. Apost.* XVIII.

Urgebis. S. Paulus affirmat, se non praedicare quo alius apostolus jam venerat, *ne super alienum fundamentum* aedificaret. *Rom.* XV. 20. Romam igitur, quoniam Paulus Romanos invisit, ante ipsum apostolorum nemo appulerat.

Resp. Dist. antec.: et haec fuit regula, *transeat;* a qua non excipitur Roma, *nego.* Pauli regula haec fuit: *Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne,* etc. l. c. Nec dixit: „ubi *ab apostolo* nominatus est," sed simpliciter: „*ubi nominatus est.*" At nominatum Christum inter Romanos, patet ex Rom. I. 8.: *fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Quapropter Paulus non nisi *ad confirmandos* Romanos et *praeteriens* Romam venire cupivit. *Rom.* I. 11.; XV. 24.

Dices. S. Paulus, in epistola ad Romanos fidem docens et contentiones sedaturus, dissidentes ad Petrum, si hic episcopatu Romano perfunctus esset, remisisset. Hoc autem non fecit.

Resp. Nego totum. Paulus enim, ut apostolus et doctor gentium, docendi quoque Romanos et mundum universum potestatem a Christo acceperat. Imo *doctrinae* potius firmitate Christo devinciendi erant, quos *auctoritas* non subegerat. Attamen haud constat, Petrum eo tempore Romae fuisse.

Obj. III. Papiae, utpote mediocris ingenii viro, non valde fidendum est. Et nulla in scriptoribus ecclesiasticis ante Papiam reperitur itineris et martyrii Petri Romani commemoratio; posteri autem forsitan ex Papia hauserint. Veterum ergo testimonium hac in re infirmum est.

Resp. Dist. maj.: Papiae non valde fidendum est in speculativis, *transeat;* in referendo facto maxime publico, *nego.* Et *nego* minorem. Objectio in tribus falsa est.

a) Et primo quidem Papias, episcopus Hieropolitanus, etiamsi millenarismum tuitus sit, facta tamen publica scire

potuit et voluit. Fuit enim „Joannis auditor et sodalis Polycarpi“. Cf. Irenaeum, *Adv. haer.* V. 33. Profitetur se non secutum „eos qui nova quaedam et inusitata praecepta, sed illos qui Domini mandata . . . memorabant“; „si quis — inquit — interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar . . ., quid Andreas, quid Petrus, etc. dicere soliti essent.“ Ap. Eus. H. E. III. 39.

b) Ante Papiam Clemens Romanus et Ignatius Antiochenus Petrum Romae fuisse memorant. Locus, ubi Petrus martyrio erat coronatus, ante Papiam notissimus erat. Unde igitur errorem hausisset? Quod noverant omnes, Papias non novit?

c) Posteriores ex Papia suam de martyrio Petri Romano notitiam hausisse, gratis asseritur; imo factum illud ab aliis scriptis et viva voce traditum esse probavimus. Ipse Papias factum memoratum non nisi obiter indicat, quemadmodum in factis jam pervulgatis fieri assolet. Praeterea inter veteres Dionysius Corinthius ex traditione ecclesiae suae, Irenaeus, Origines, Tertullianus, cum Romam viderint, ex traditione ecclesiae Romanae, omnes denique scriptores saeculi II. ex contraria ecclesiarum notitia errorem Papiae, si errasset, potuissent corrigere.

Instabis. Iter Petri Romanum a Clemente et Ignatio non nisi obscure refertur. Eorum igitur testimonium certitudinem non suppeditat.

Resp. Dist. antec.: Clemens et Ignatius factum illud referunt obscure, id est, non verbis expressis, *conc.;* verbis incertis, *nego.* Ex argumentis supra expositis responsio patet. Accedit quod isti testes non sunt solitarii, sed proxime continuantur Papiae, Dionysii Corinthii, Caji, Irenaei omniumque subsequentium testimonio. Huc igitur facit hoc Ciceronis: „Aut hoc testium satis est, aut nescio, quid satis est.“

Obj. IV. Apostolatus et episcopatus particularis alicujus ecclesiae sociari non possunt, cum pastor ecclesiae particularis in mundum universum ire nequeat. S. Petrus igitur episcopus Romanus non fuit.

Resp. Dist.: sociari non possunt apostolatus et episcopatus, quantum ad residentiam, *transeat;* quantum ad sedem, *nego.* Nihil obstabat, quominus S. Petrus sedem sibi fixam eligeret; namque sedes illa, nominatim Roma, laboris uberrimi, et centrum longe lateque diffusae activitatis campus esse potuit. Excedens autem residentia sua apostolus haud dubie nactus est viros, quibus ministerium episcopale pro urbe mandaret.

Instabis. Veteres aliqui Petrum quidem Romae laborasse referunt, episcopali autem munere functum esse non addunt. Hinc certe factum est, ut Linus inter episcopos Romanos quandoque nominatus sit *primus ab apostolis.*

Resp. Veteres illi, quamvis episcopatum Petri Romanum *explicite* non memorent, sua tamen implicita testificatione veterum aliorum relationem corroborant. — Linus primus *ab apostolis* dicitur ab iis praesertim patribus, qui successionem *apostolicam* haeresi cuicunque opponunt; quorum mens clara est: *ab apostolis* dicunt, non excluso episcopatu, sed quia consentaneum erat, Petrum et apostolos seorsum a successoribus et *quodam peculiari modo* recensere *ob eam extraordinariam dignitatem,* qua eminuerunt.

Obj. V. Iter Petri Romanum et ejusdem in urbe martyrium opportunissima fuerunt prius Judaico-Christianis seu Antipaulinianis, ut Paulo gloriam apostolatus Romani eriperent; postea factioni irenicae seu reconcilianti, quo concordiam Petri et Pauli ex gemino martyrio Romano penitius animis infigerent. Ergo utraque factio, quippe cui figmentum prodesset, fabellam Petri Romanam excogitavit.

Resp. Transeat antec.; *nego* conseq. Petrum Romae fuisse et pro Christo passum, *historicis* argumentis iisque certissimis probatur. Afferant sua *documenta* adversarii, relictis iis, quae ex philosophia Hegeliana *a priori* statuuntur.

Instabis. Petri apostolatus in Ponto videtur contrarius martyrio Petri Romano. Atqui, juxta vetustissimam legendam Petri Ponticam, apostolus in Ponto, Cappadocia et Bithynia praedicavit; hoc enim testantur *Acta S. Andreae* (*πράξεις Ἀνδρέου*) apocrypha in recensionibus tam catholicis quam haereticis.

Resp. Dist. maj.: apostolatus in Ponto contrarius est apostolatui et martyrio Romano pro eodem tempore. *conc.;* pro diverso, *nego.* Et *dist.* minorem: in *Actis Andreae* etiam refertur iter in Occidentem, *conc.;* excluditur, *nego.* Schola Neotubingensis triplicem Petri legendam admittit, *Ponticam,* de qua in objectione, *Romanam* sub *forma Ebionitica* seu *Antipauliniana* et sub *forma catholica* seu *Petro-Pauliniana,* de quibus mox. Porro *Acta Andreae* nec sententiae catholicae contraria sunt, cum praedicatio Romana Ponticam non excludat; neque si adversa nobis essent hujusmodi documenta apocrypha, Clemente, Ignatio, Irenaeo aliisque testibus *recentiora,* fidem scriptorum authenticorum et antiquiorum infirmarent.

Dices. *Acta Andreae* hausta sunt ex *Periodis Andreae* (*περίοδοι Ἀνδρέου*), opere gnostico saeculi II. exeuntis. Testimonium igitur *Actorum* illorum vetus est.

Resp. Largiamur adversariis, apostolatum Petri Ponticum in *Periodis* memoriae traditum fuisse, quin etiam relatum fuisse ex traditione, ipsis *Periodis* multo vetustiori; nihil contra thesin, cum ne conjectura quidem asseri possit, gnosticum auctorem Romam a Petri laboribus exclusisse. Et si gnosticus negasset, quod negasse nullo indicio probatur, testes coaevi et alii Romanarum rerum periti negantem redarguerent.

Obj. VI. Juxta legendam Petri Romanam sub *forma Ebionitica* seu *Antipauliniana,* Petrus eo fine Romam venit, ut Simonem Magum in urbe compesceret. Haec autem traditio de fine itineris Petri et de occasione ejus martyrii fabulosa est. Ergo iter et martyrium Petri Romanum non nisi fabella esse videntur.

Resp. Data majori et minori, *nego* conclusionem. Certitudo, Petrum Romam venisse et ibidem pro Christo martyrio coronatum esse, ex legenda Ebionitica non pendet, sed ex aliis testibus iisque fide dignissimis; et sicubi sint legendaria mixta veris, nequaquam est, cur factum principale in dubiis ponatur; quod nisi certissimum fuisset, haeretici sua figmenta non adjunxissent.

Urgebis. Operum *Pseudoclementinorum,* quae Petri cer-

tamina contra Simonem Magum referunt, origo et opus fundamentale (Grundschrift) fuerunt *Praedicationes Petri* (*Κήρυγμα*), a quo fonte *Anagnorisma Clementis* (*ἀναγνωρισμοί*), opus exeuntis saeculi II. seu inchoantis III.; hinc *Recognitiones* et *Homiliae.* At *Kerygma Petri* anno circiter 160 exaratum putatur, et in eo probabile est Romanam Petri cum Mago disputationem jam indicatam fuisse. Ergo fabella illa Clementina tam antiqua cum primitiva traditione adventus apostoli in urbem cohaerescere videtur.

Resp. Transeat major cum minori. Et *dist.* conclusionem: ergo fabella illa cum primitiva facti traditione cohaerescere videtur ut *identica* aut ut *causa, nego*; ut *accidens* aliquod, *transeat.* Ex argumentis, ad thesin probandam supra propositis omnino constat, traditionem catholicam de iis, quae ad commorationem Petri Romanam pertinent, a narratione fabulosa (roman) Clementinorum aut quorumcunque apocryphorum non sumpsisse exordium; sed legendaria sunt *accidens,* ab haereticis *substantiae* facti adjectum. Ad majorem *transeat* eo dixi, quod operum Pseudoclementinorum incerta origo;[1]) pariter ad minorem, quoniam plures, v. g. Hilgenfeld, contra ac Lipsius, sentiunt, in *Praedicationibus Petri* de disputatione Romana apostoli cum Simone Mago nullam mentionem factam fuisse.[2]) Verum argumentatio nostra ex hujusmodi controversiis *minime* pendet.

Instabis. Legenda Petri Romana sub *forma catholica* seu *Petro-Pauliniana* id *contendit,* ut Petri et Pauli concordiam ex eo perspiciamus, quod apostoli *simul* Romae laboraverint et necati sint. Atqui haec legenda prodiit ex *Actis Petri* Ebioniticis, quae nullum argumentum *historicum* pro Petri adventu Romano praestare queunt. Iter ergo martyriumque Petri fundamento historico carent. Probatur *min. a) Acta Petri* mediante saeculo II. legendaque Petro-Paulinianâ *antiquiora* sunt. *b)* In *Actis Petri* Paulum sub mytho Simonis Magi tum in Syria tum Romae a Petro

[1]) Cf. H. U. Meyboom, *De Clemens-Roman* (1904); H. Waitz, *Die Pseudoklementinen Homilien und Rekognitionen; Analecta Bollandiana,* t. XXIV. (1905), p. 138—141.

[2]) Cf. etiam Funk, *Die apostolischen Konstitutionen,* p. 71.

impugnatum esse fingitur. At Irenaeus, Tertullianus et auctor *Philosophoumenon* tam Simonem Magum quam Petrum Romae fuisse cognoscunt. Ergo suam de labore et passione Petri in urbe sententiam ex narratione fabulosa de certamine Petri et Simonis Magi hausisse videntur.

Resp. Dist. maj.: hujusmodi *tendentia* reperitur in *historia* catholica S. Petri, *nego*; in appendicibus quibusdam legendariis, *subdist.:* et haec est ea tendentia conciliandi Petrinismum ac Paulinismum, quam Tubingenses veteribus affingunt, *nego*; secus, *transeat.* Ad minorem *dist.: historia* catholica Petri Romae commorantis ex *Actis Petri* prodiit, *nego*; cetera *transeat.* Et *nego* conclusionem.

a) Primam probationem minoris *dist.: Acta Petri* antiquiora sunt *historica traditione* de Petro Romano, *nego;* secus, *transeat.* Testes historicos Petri coaevos adduximus, Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, apostolorum sepulcra, quin et ipsum Petrum, quibus *Acta* qualiacunque Ebionitica antiquiora dici nequeunt. Deinde patres saeculi II. Romam et plurimas ecclesias catholicas viderunt, interrogarunt; nec fieri potest, ut fictionem Ebioniticam amplexi sint omnes veluti clausis oculis, contradicente nemine, rejecta veritate facti maxime publici. De ceteris dixi *transeat*; thesin non labefactant. Hoc tamen addamus, *Actorum Petri* Ebioniticorum seu *mere* Antipaulianorum exsistentiam minime probari; quae si saeculo II. exstitisse videantur, nullo modo sequitur, ut facti *traditio catholica* prodierit ex *deformatione* facti haeretica, sed deformatio ex traditione catholica, seu potius utrumque ex facti veritate.

b) Ad *secundam* probationem *transeat* major. Et *dist.* minorem: patres illi Simonem Magum Romam ivisse significant, *conc.;* eorum notitia de Petro, Romae praedicante et martyrium passo, ex opinione illa de Simone Mago pendet, *nego.* Etiamsi *Acta Petri,* nobis objecta, saeculo II. exstiterint, atque sub mytho Simonis S. Paulus designatus fuerit, patres Simonem Magum, Paulum et Petrum oppido distinxerunt. Magum vero primitive Paulum non fuisse, sed personam distinctam, *Act. Apost.* VIII. et S. Justinus,

Apologia I. cap. XXVI. ostendunt.[1]) Insuper auctor *Philosophoumenon* VI. 20. ait: „usque ad Romam progressus (Simon Magus) incidit in apostolos: cui multum Petrus adversatus est," quibus verbis auctor, quoniam Petrum *ante* Simonem Romam venisse memorat, nihil patrocinatur Ebionitis, si Petrum Simonis Magi impugnandi *causa* in urbem profectum esse perhibuerint.

Alias objectiones silentio praetereo, v. g. traditiones locales Romae et monumenta aliqua legendaria esse. Nihil enim refert, utrum monumenta quaedam minus vera videantur, cum in thesi ex authenticis conclusum sit. — Narratiunculae de sepulcro Petri Alexandrino et de lapide sepulcrali, quem centurio Gallicus occasione expeditionis Napoleonticae, prope Joppen Syriae detexit, obtusae sunt. Joppensis inscriptio: „Simon Petrus discipulus Jesu hic jacet", ab omnibus apocrypha nulliusque momenti habetur; in sepulcro Alexandrino Petrum Alexandrinum, martyrem († 311), conditum esse, novimus. — De crucifixione Petri, Romanis moribus non contraria, cf. Tacitum, *Ann.* XV.; Senec., *Consol. ad Marc.* XX.

Articulus IV.

Utrum Romanus Pontifex sit beati Petri in eodem primatu successor.

I. Status quaestionis. In antecessum pauca dicam, sed quae ad veritatem elucidandam et ad ea, quae ex veterum sententiis et moribus objiciuntur, prudentius dijudicanda alicujus momenti esse videantur. Agemus de primatu, quem Pontifices Romani *jure divino* et *ratione Petri* obtinent, non *ecclesiastico jure* duntaxat, nec jure tantum *historico*. Distinguendum est autem inter ipsam Pontificum *potestatem* et *potestatis usum*; potestas ipsa semper eadem fuit, *applicatur* paulatim et opportuno tempore ad varios casus. Parum etiam primitivorum sanctorum ideam

[1]) Cf. H. Waitz, *Die Pseudoklementinen, Homilien und Rekognitionen* (1904); A. Profumo, *Le fonti ed i tempi dello incendio Neroniano* (1905).

de primatu capiunt, qui *modum* hujus dogmatis *exprimendi* jam a primordiis scienter consummatum fuisse arbitrantur. Principio tamen progressus, quod p. 374 expositum est, triplex concordat evolutio, videlicet claritatis in proponendo, consequentiae in applicando, diligentiae et celebritatis in exsequendo. Praeterea psychologia et historia docent, homines affectibus commotis, saepe reniti, quando ad praxin veniendum est, caligantes quantum ad peculiarem applicandi casum, quin etiam quantum ad ipsum principium, quod prius integrum in mente quiescebat. Quarum rerum oblivio hominum valde eruditorum judicium a vero abduxit. Exempla sunt inter recentiores Harnack, *Dogmengeschichte;* F. W. Puller, *The Primitive Saints and the See of Rome* (3. edit. 1900) et A. Sabatier, *Les religions d'uutorité et la religion de l'Esprit.*

II. Adversarii. *a)* Inter schismaticos Photius, jura primatus quandoque professus,[1]) alias videtur perhibuisse, cum imperatoribus primatum etiam ecclesiae Roma transmigrasse Constantinopolin. Saeculo XV. Marcus Ephesinus fuit infestissimus Romano Pontifici. Anno 1612 Zacharias Kopystenski absolvit *Palinodiam,* opus a. 1878 typis mandatum, unitati Romanae hostile; similiter contra primatum scripserunt Galiatowski, Theophanes Prokopowitsch et alii, quos inter de Stourdza, qui a. 1816 opus edidit, inscriptum *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'église orthodoxe.* — Cf. plura, fol. period. Etudes de Théologie, etc. t. I.; Werner, *Geschichte der christl. Theol.* t. III.; Rozaven, *L'Eglise catholique justifiée*; Duchesne, *Églises séparées.*

b) Inter haereticos a patribus Constantiensibus damnatus est Wicleff, docens: „Ecclesia Romana est *synagoga Satanae,*“ prop. 51.; Calvino constat, Pauli de Antichristo (II. Thess. II. 4.) sententiam „*non aliter* quam de Papatu posse intelligi“; Luther anno 1520 scripsit „adversus execrabilem *Antichristi* bullam.“ Tribus post saeculis critica radicalis et orthodoxiae hostem communem impugnare pergunt, nec modo semper mitigato pugnandi; immo quibus

[1]) Cf. Hergenröther, *Photius,* B. I. p. 657.; B. III. p. 336.

antiquitus instar erat dogmatis, primatum non negare solum sed exsecrari, hi saepe consentientes habent scriptores recentes. Veruntamen factorum evidentia nonnunquam quoque modernorum animum intendit, ut primatum primis ecclesiae temporibus in agendo, sed nondum in theoretica, adfuisse fateantur.

Thesis: *Romanus Pontifex beati Petri in eodem primatu successor est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex perpetuitate primatus.* Ex quaestione XIV. art. 4. certum est, S. Petrum jure divino perpetuos habere in primatu successores. At successor aut nemo est aut Romanus Pontifex. Romanus igitur Pontifex est Petri in primatu successor. Conclusio patet. Successorem enim nullum esse, Christi ordinationi repugnat; praeter Romanum Pontificem autem nemo unquam indicari potuit. Atque conjunctam illam primatus et episcopatus Romani successionem rerum etiam naturae consentaneam esse, nemo non intelligit.

Arg. II. *Ex veterum testimoniis. a) Orientales.* In *ep. ad Romanos* S. Ignatii Antiocheni quatuor momenta occurrunt, quae, simul sumpta, primatum Romanum ostendere videntur. 1° Ecclesia Romana ab Ignatio vocatur *„caritatis coetui praesidens“*, *προκαθημένη τῆς ἀγάπης*. Atqui vox *τῆς ἀγάπης* ad *ecclesiam universam* referenda videtur. Etenim *προκαθῆσθαι* cum genitivo e loquendi consuetudine patrum non locum, sed *objectum* praesidii saepius significat; *ἀγάπη* autem ab Ignatio, ut patet ex aliis ejus epistolis, hic in *concreto* pro ecclesia usurpatur. Jam ecclesia Romana dicitur praesidens *τῆς ἀγάπης* non particularis alicujus ecclesiae, ut alias Smyrnaeorum aut Ephesiorum, sed absque ulla limitatione; ita ut vox *ἀγάπη ecclesiam universam* designare putetur. Sic etiam optime explicatur connexio totius textus.[1]) 2° De ecclesia Antiochena, pastorem suum amissura,

[1]) S. Ignatius salutat ecclesiam, „quae etiam *praesidet in loco regionis Romanorum* (*ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων*)

haec scribit: „Solus Jesus Christus illam vice episcopi *reget* (ἐπισκοπήσει) atque *vestra caritas* (ἀγάπη)“ (cap. IX.), seu *in concreto,* nisi fallor, Romana ecclesia. 3° Pensandum etiam, utrum ad magisterii potestatem pertineat hoc: „alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis“ (cap. III.). 4° Sanctus martyr majorem ecclesiae Romanae quam aliis, ad quas epistolas direxit, ecclesiis reverentiae testificationem exhibet.

S. Irenaeus: „quoniam valde longum est in tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes, qui quoquo modo . . . praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim *ecclesiam* propter *potentiorem*[1]) *principalitatem ne-*

---

digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, digna laude, digna quae voti compos fiat, digne casta et *universo caritatis coetui praesidens* (προκαθημένη τῆς ἀγάπης), Christi legem habens, patris nomine insignita“ (χριστόνομος, πατρώννμος). In sex reliquis epistolis non solemne illud προκαθήται, sed tantum τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ οὔσῃ ἐν Ἐφέσῳ, „ecclesiae *quae est*“, non quae *praesidet.* Progrediente phrasi, illud „praesidet *in loco* regionis Romanorum“ crescit in aliud „praesidens *caritatis*“, ita ut prius *centrum* praesidii seu potestatis — *in loco regionis Romanorum* — postea *amplitudo* significari videatur, *caritatis,* seu in concreto simpliciter: *ecclesiae.* Ex quibus colligitur, ecclesiam in loco regionis Romanorum esse praesidentem ecclesiae universae. Cujus quidem salutationis, sic intellectae, congrua clausula: *Christi legem habens, patris nomine insignita.* Si tamen προκαθημένη τῆς ἀγάπης vertendum videatur: *praesidens caritate,* idea tamen principalis *praesidii* ex priori προκαθήται et ex adjunctis recensitis remanet. Cf. Rev. Bénéd. 1896, p. 385—400; Funk, *Abhandl. und Untersuch.* B. I., p. 1—12 et Ehrhard, *Die altchristl. Literatur,* Th I., S. 97 contra Harnack, *Sitzungsber. der Berl. Akad.* 1896.

[1]) Omnia manuscripta *potentiorem* habent, excepto codice Claromontano saec. X. aut XI., qui *potiorem.* Cf. A. Dufourcq, *Saint Irénée* (1905), p. 126—129. — In *Carmine* Abercius Hieropolitanus scripsit, se Romae *vidisse populum splendido sigillo insignem,* λαὸν δ' εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγεῖδαν ἔχοντα, quibus verbis, praecipue quod

cesse est *omnem convenire ecclesiam*, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.“ *Adv. haer.* III. 3. Philologia sagax operam dedit, ut singulae hujus testimonii partes lucerent. At vero totus hic idearum complexus, cujus *potentior principalitas* **ecclesiae** Romanae cardo est, ejusmodi haberi potest, ut etiam simpliciter considerantibus primatum testificari videatur. Quae spontanea cognitio, cum argumenta contraria refellemus, utique reflexione stabiliri poterit.

S. Gregorius Nazianzenus Romam veterem novae (Constantinopoli) confert illamque laudat, quod Occidentem totum devinciens salutari doctrina, „Quemadmodum par est, ut *quae universis praesidet*, totam colat Dei concordiam.“ *Carm.* Lib. II. v. 579.

Theodoretus, ep. Cyrensis: „Habet enim sanctissima illa Sedes (Romana) *ecclesiarum*, quae *in toto sunt orbe principatum.*“ *Ep. ad Renatum.* Graeci omnes usque ad Theodorum Studitam, antiqua ecclesia Syro-Chaldaica, ecclesia Armena,[1]) quin etiam ipse Photius primatum Romanum haud obscure professus est, atque in hymnis liturgicis ecclesiae Graeco-Russicae S. Leo Magnus, Romanus Pontifex, appellatur *possessor praesidii Petri, τὴν τούτου προεδρείαν πλουτήσας*; similia de S. Sylvestro, Rom. Pontifice, praedicantur. Cf. Hergenröther, *Photius* III. 337—340; Tondini, *The primacy of S. Peter demonstrated from the liturgy of the Greco-Russian Church*, p. 143. et sqq.

b) Occidentales. Tertullianus Zephyrinum, Papam, irridens, quod hic definiisset, vere poenitentibus demitti posse peccata quaedam impudicitiae: „Audio — inquit — etiam edictum esse propositum, et quidem *peremptorium*, Pontifex scilicet Maximus, quod est, *Episcopus Episcoporum*, edicit“, etc.

λαμπρὰ σφραγίς rem sacram significet, ecclesiae Romanae honorem dixisse putatur.

[1]) Jos. Bar David, *Antiqua ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum divinum primatum.* Romae 1870. — Anzarian, *Ecclesiae Armenae traditio de Rom. Pontificis Primatu.* Romae 1870. — De aliis fontibus cf. N. Nilles, *Ἑορτολόγιον.*

De pud. c. I. Quibus verbis Montanista publicam catholicorum opinionem de auctoritate *peremptoria Episcopi Episcoporum* asperis verbis, sed claris, manifestat.[1]) Hermas († 150) quoque Romani Pontificis auctoritatem in ecclesias exteras indicare videtur, inquiens: „Mittet ergo Clemens (Rom. Pont.) in *exteras civitates* (librum Visionum); *illi enim mandatum est, ἐκείνῳ γὰρ ἐπιτέτραπται.*“ *Pastor.* Vis. II. 4. n. 3. — *S. Cyprianus* asseclas Fortunati, viri schismatici, perstringit, qui „navigare audent ad Petri cathedram *atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.*“ *Ep.* 59. Romam navigantes hortabatur, „*ut ecclesiae catholicae radicem et matricem* agnoscerent ac tenerent.“ *Ep.* 45.

S. Hieronymus ad Damasum Papam scribit: „Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior. Super *illam petram aedificatam ecclesiam scio.* Quicumque *extra hanc domum* agnum comederit, *profanus* est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.“ *Ep.* 15. — *S. Augustinus* ecclesiam Romanam veneratur, „in qua semper *Apostolicae cathedrae* viguit *principatus*“; in qua est „*culmen auctoritatis*“. *Ep.* XLIII. 3.; *De utilitate cred.* XVII. Idem ad Donatistas: „Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte: ipsa est *petra quam non vincunt superbae inferorum portae.*“ *Psalm. c. part. Donat.*[2]) Jure S. Prosper, *Carmine de ingratis:*

„Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet.“

c) Concilia oecumenica. In concilio *Ephesino*, oecumenico III., Philippus, Pontificis Romani legatus, patres hoc modo alloquitur: „Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput, fideique columna et catholicae ecclesiae

---

[1]) Adhémar, d'Alès, *La théol. de Tertullien* (1905), p. 210—211; 217—218.

[2]) Cf. Th. Specht, *Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustinus*, p. 154—186.

fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis et Redemptore, claves regni acceperit, solvendique et ligandi potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus, et semper, in suis successoribus vivit, et judicium exercet."

Plus ducenti episcopi aderant, quorum non nisi pauci Occidentales: contradixit nemo. — Patres concilii *Chalcedonensis,* oecumenici IV., ad Leonem M.: „Quibus (patribus Chalcedonensibus) tu quidem, sicut *membris caput,* praeeras;" Dioscorum vituperant, qui „suam insaniam" extendit „contra ipsum, *cui vineae custodia a Domino commissa est*"; in concilio conclamarunt: „Petrus per Leonem locutus est"; decretorum confirmationem postulantes, „Rogamus igitur — inquiunt — et tuis decretis nostrum honora judicium et sicut nos capiti in bonis conjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet impleat." Aderant Chalcedone praeter Occidentales aliquos circiter sexcenti patres Orientales. — In concilio *Cpolitano* III., oecumenico VI., patres de Agathone, Romano Pontifice, haec: „Summus nobiscum certabat apostolorum princeps; illius enim imitatorem et sedis successorem habuimus fautorem . . . Littera proferebatur et Petrus per Agathonem loquebatur." Aderant praeter Occidentales plus 150 patres Orientales. Similiter patres concilii Cpolitani IV., oecumenici VIII., subscripto famoso *libello fidei,* testimonium primatus Romani perquam illustre reliquerunt. Cf. *Conc. Ephes.* Act. III.; *Ep.* syn. Chalced. ad Leonem M. et *Act. Chalc.*; *Conc. Cpolit.* III., Act. XVIII.; *Conc. Cpolit.* IV., Act. I. Omitto recentiorum conciliorum firmissima de primatu judicia pluresque doctorum primitivorum sententias, de quibus infra, ubi de vi et ratione primatus agendum erit.

Arg. III. *Ex factis.* Ab antiquissimis temporibus *a*) *Romani Pontifices in suis actis supremae suae auctoritatis sinceram conscientiam publice exprimunt.* Ita Clemens Rom. *ep.* I. ad Cor.; Julius I., *Ep.* I. 22.; Damasus, *ep.* ad Orient.; Siricius, *ep.* ad Himerium; Innocentius I., *ep.* 29.; Leo M. etc. Quare Bonifacius I. († 423): „Hanc ergo (Rom. eccl.) ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum

est esse membrorum, a qua se quisquis abscidit, fit christianae legis extorris." *Ep.* 14. ad Rufum.

b) Romani Pontifices in quascunque ecclesias auctoritatem suam exercent. Nam Clemens Rom. ad Corinthios *ep.* I. 63. haec scribit: „laetitiam nobis praestabitis, si *obedientes* (ὑπήκοοι) *facti iis*, quae *scripsimus per spiritum sanctum*, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistola." [1]) Item Victor († 197) in controversia de celebrando Paschate,[2]) Zephyrinus († 217) in damnandis Montanistis, Cornelius († 252) adversus Novatianum, Stephanus († 257) in lite de rebaptizandis haereticis, Dionysius († 269) in definiendo Incarnationis dogmate, Felix I. († 274) in damnando Samosateno summa auctoritate usi sunt. Anno 342 Julius I. S. Athanasium in sedem Alexandrinam restituit *(ep.* Julii); Hormisdas legatos cum *Fidei libello* Cpolim misit, cui episcopi Orientales subscriberent, etc. Omnes ecclesiae Romam interrogant, jus suum Romae prosequuntur, Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Flavianus. Et S. Hieronymus in *ep.* 123. ad Ageruchiam: „Cum — inquit — in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanum episcopum, et *Orientis Occidentisque synodicis consultationibus* responderem."

c) Ecclesiae ubique terrarum Pontificem Romanum sequuntur, sicut patres Ephesini concilii Caelestinum I.;

[1]) Cf. Rev. Biblique, 1900, p. 316—318; W. Scherer, *Der erste Klemensbrief an die Korinther* (1902). Versionem latinam antiquissimam edidit G. Morin, *Anecdota Maredsolana*, vol. II. (1894).

[2]) In tractatu *De aleatoribus* I. haec: „Magna nobis ob universam fraternitatem cura est . . . et quoniam in nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini sedem coelesti ordinatione ordinavit et *originem authentici apostolatus*, super quem Christus fundavit ecclesiam in superiore nostro portamus, accepta simul potestate solvendi ac ligandi et cum ratione peccata dimittendi: salutari doctrina admonemur, ne dum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur." Harnack, *Texte und Untersuchungen zur Gesch. der altchristl. Liter.* B. V. opusculatum citatum S. Victori tribuendum esse affirmat. Sed post diutinam controversiam adhuc sub judice lis est. Si auctor aliquis Pontifex Romanus sit, paulo ante aut post annum 300 vixisse putatur. Cf Adhémar d'Alès in *Études*, 1905, 5 Août.

patres Chalcedonenses Leonem M., exclamantes: „Petrus per Leonem locutus est;“ bis mille quingenti episcopi Hormisdae *formulae* subscripserunt. Ex altera parte patres invictam ecclesiae Romanae auctoritatem haereticis ac contumacibus quibuscunque opponunt; quod ab Irenaeo, Cypriano, Augustino aliisque inclytis ecclesiae propugnatoribus factum esse, supra probavimus. — *Haeretici* quoque, dum subterfugiendi spes ulla fuerit, Romanae Sedis auctoritatem professi sunt, assensum quaesiverunt, ut Marcion (Epiph. *Haer.* XLII.), Cerdo et Valentius (Iren. *Adv. haer.* I. 1.; III. 3.), Manichaei (Leo M. *ep.* 20.), Eutyches (idem *ep.* 21.), Sergius (Mansi, XI. 530.), Acaciani schismatici, qui de peccato se purgandi causa dixerunt, se „ignorasse, quid Sedes Apostolica censuisset“. — Neque primatus *ethnicos* latebat. Etenim cum Paulus Samosatenus, qui a recta fide simul et episcopatu exciderat, e domo quadam ecclesiae *Antiochenae* excedere nollet, „interpellatus Imperator Aurelianus (270—275) *rectissime* — ita Eusebius — hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus Italici Christianae religionis antistites et *Romanus episcopus* scriberent.“ H. E. lib. VII. 31. Item Liberius Papa ab Ammiano Marcellino, viro ethnico, simpliciter „Christianae legis antistes“ (Rerum gestarum, lib. XV.) nominatur; deinceps mentionem facit de *auctoritate*, „qua *potiores* aeternae Urbis Episcopi“. Ecce primatus *realis praesentia*.[1])

Arg. IV. *Ex ratione divinae Providentiae.* Quidquid unquam pro Deo et Jesu Christo praeclare gestum est, Romanus Pontifex dux et auctor fuit. Ergo Romanus Pontifex non est *Anti*christus, sed *vir Dei*. Cum conceptu enim divinae Providentiae, ecclesiam modo speciali regentis, valde repugnat, ut jura Dei et Christi regnum a principio usque ad hanc aetatem ipsi *per se* et *directe* defendenda

[1]) Cf. L. Duchesne, *Églises séparées* (2. édit. 1905), p. 113—163: *L'Église romaine avant Constantin.* — Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums* (1902), S. 268—272 eos recensens, qui a Polycarpo ad Originem peregre abierunt, ait: „Dabei tritt die römische Gemeinde in überraschender Weise in den Vordergrund: sie ist der Zielpunkt der meisten Christen, die wir als Reisende kennen.“

relinquantur, qui sedeat in *sede superbiae* tanquam *Antichristus*. Ad probandum *antec.* nonnulla facta nomino, historicis exponenda. Pontifices *paganismo* restiterunt, passi fortiter martyrium; *haereticis* docendo, dirigendo, patiendo plurima, ut Sylvester, Julius, Damasus impugnando Arianos; Caelestinus Nestorianos, Leo M. Eutychianos, Martinus Monothelitas; *barbaros* subegerunt praedicando, educando, puta Gregorius M. et Nicolaus M.; dimicarunt adversus morum corruptelam et pro libertate Christi ecclesiae uti Gregorius VII., Innocentius III.; vindicarunt a sectis unitatem fidei, sacramenta, hierarchiam, consilia evangelica, libertatem Christianam, integritatem S. Scripturarum, uti Pius V.; adversati sunt philosophismo, ut Pius VI. et Pius VII.; eorum, qui in Christum credunt, maximam partem ad fidem adduxerunt, et tradiderunt praecepta vitae integerrimae. Hodieque a Pio IX. ad Pium X. feliciter regnantem, collapsis rebus maximis, confusis haereticorum et rationalistarum sententiis, Roma per Christum *verba vitae aeternae* habet. Nec vate opus est, ut intelligatur, certaminis futuri *adversus* errores et *pro* Christo Deo duces fore Romanos Pontifices. Cf. Wiseman, *Lectures on the principal doctrines and practices of the catholic church*, lect. VIII.

Objectiones.

Obj. I. Antiquissimi patres de primatu non tractant in extenso, et adeo obscure. Ex iis ergo parum probatur.

Resp. Dist.: patres illi de primatu non tractant in extenso, quod operum suorum argumentum hoc non poscit, *conc.;* quod primatum non crediderunt, *nego.* Neque veteres *obscure* loquuntur; quamvis enim testimonia quaedam indirecta aut implicita per se sola primatum non demonstrent, magna copia suppetit aliorum testimoniorum, de quibus, maxime simul sumptis, dubitatio incidere non potest.

Instabis. Ex antiquis testimonium Irenaei illustre habetur. At *potentior principalitas*, quam hic ecclesiae Romanae tribuit, fortasse ob urbis honorem et splendorem attributa est. Irenaeus ergo testis incertus est.

Resp. Dist. min.: illa *potentior principalitas* ab Irenaeo fortasse ob urbis splendorem ecclesiae Romanae attribuitur, si extra textum ex opinione praeconcepta judicamus, *transeat;* si *verba* Irenaei *ipsa* spectamus, *nego.* Ut de primatu interpretemur, cogunt *littera textus,* quae tota in idea *ecclesiae* insistit: „ad hanc — ait — *ecclesiam*"; et „omnem ecclesiam, *hoc est,* qui sunt undique *fideles.* Ex *contextu* accipimus, S. Irenaeum tractare de auctoritate *traditionis apostolicae,* quam ut probet, allaturum se dicit auctoritatem „maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae". Accedit auctoris *finis.* Gnosticis veritatem persuadere conatur, non ex amplitudine civitatum, quod absurdum sit, aut ex potentia temporali, sed ex *charismate veritatis,* de quo *Adv. haer.* IV. 26. haec scribit: „Iis, qui sunt in ecclesia presbyteris (primi ordinis seu episcopis) obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt." Denique aliorum auctorum *loci paralleli* ostendunt, veteres ecclesiae Romanae veneratas esse auctoritatem, non quia in urbe constituta est, sed quod *cathedra Petri* sit, *locus Petri.*[1]) Quare Bossuet jure ac merito „Ludunt — inquit — qui potentioris principalitatis nomine Urbis amplitudinem designari putent." *Defens. declarat. cleri Gallic.* lib. X. 6.

Instabis. Necessitas conveniendi ad ecclesiam Romanam, de qua Irenaeus loquitur, non moralis est, sed naturalis, cui in originali non δεῖ responderit, sed ἀνάγκη aut ἀναγκαῖον. Atqui primatus Romani Pontificis necessitatem ethicam seu obligationem ecclesiarum secum fert. Ergo textus Irenaei vim argumenti non habet.

Resp. Dist. maj.: Necessitas illa non est moralis expressa in forma legis, *transeat;* nec indicata in facto, *nego.* Multi *convenire ad hanc ecclesiam* idem esse docuerunt ac

---

[1]) Pro critica textus Irenaei per partes vide Chapman, *Rev. Bénéd.* 1895, p. 49—64, 1896, p. 385—400; Funk, *Kirchengesch. Abhandl. und Unters.* B. I., p. 12—23; Wilmers, *De Ecclesia Christi,* p. 218—226.

convenire cum, locutionem a vetere interprete a graeco *συμβαίνειν πρὸς* eisdem verbis redditam. Irenaeus igitur *legem conveniendi*, utique in rebus fidei, cum ecclesia Romana *directe* expresserit. Salmasius etiam in libro *De Primatu,* quem contra primatum scripsit, ita legit: „Necesse est, dicit, omnem Ecclesiam convenire ad Romanam, id est, ut Graece locutus fuerat Irenaeus, *συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν*, quod significat: convenire et concordare in rebus fidei et doctrina cum Romana ecclesia.“ Cum Salmasio Schneemann refert concinere quum plurimos alios acatholicos, tum Henricum Thiersch et Adolphum Stieren, viros eruditione insignes. Quorum omnium sententiae et Harnack favet.[1]) Addubitantibus autem lectionem hanc aut etiam negantibus constare tamen potest Irenaei pro primatu allata auctoritas. Et quidem undenam tanti confluxus ecclesiarum fideliumque ad Urbem necessitas? *Physicum* quandoque vocant, non solum quod *factum* affirmetur, sed pariter quod factum illud confluxus *naturam rei* sequatur. Sequitur enim ex *potentiori principalitate* Romanae ecclesiae, ut omnes aliae ecclesiae, si veritatem fidei servare et defendere volunt, tantae auctoritati sese conformandi causa eandemque haereticis opponendi gratia Romanum iter suscipiant. Ecce in facto designata lex. Nam si veram servare fidem lex est, ad ordinem etiam moralem seu ethicum pertinet, tantae auctoritati parere. Sic *indirecte* idem concluditur, quod in priori lectione *directe.*

Urgebis. Irenaeus ecclesiae Romanae auctoritatem ostendit in testando, non in regendo. Ergo pro majori hujus ecclesiae potestate spirituali argumentum certum ex Irenaei testimonio inferri non potest.

Resp. Dist. antec.: Irenaeus ostendit ecclesiae Romanae auctoritatem in testando cum potestate, *conc.;* hac potestate exclusa, *nego.* Et *nego* consequens. Sanctus doctor gnosticis, qui sua seorsim ab apostolis accepta doctrina absconditis-

[1]) Harnack, Dogmengeschichte, B. I., p. 406. Cf. Schneemann, *S. Irenaei de ecclesiae Romanae primatu testimonium* in Collect. Lacensi, t. IV., Appendix; Massuet, *Opera S. Irenaei* et auctores citatos p. 514.

que gloriabantur mysteriis, hanc regulam opponit: „si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus ipsas Ecclesias committebant.“ Porro confutationis ejus totiusque egregii operis *Adv. Haereses* capita haec: S. Spiritus in ecclesia operatur; ubi ecclesia, ibi veritas; omnes igitur in ecclesiae unitate permanere tenentur; veritas ecclesiae cognoscitur signo apostolicitatis; apostoli suis successoribus, episcopis, *suum ipsorum locum magisterii* tradiderunt; episcopi cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; episcopis *obedire oportet.* Tota denique ratiocinatio librorum *Adv. Haereses* in conceptu hierarchiae seu principatus sacri fundatur. Jam vero in hoc principatu sacro *potentior principalitas* ecclesiae Romanae competit. Tantum ergo abest ut S. Irenaeus de potestate ecclesiae Romanae taceat, ut ex tota sancti doctoris argumentatione ejusdemque profundo de ecclesia vera conceptu enascatur.

Dices. S. Irenaeus in controversia de celebrando Paschate Victorem, Romanum Pontificem, admonet, „ne integras Dei ecclesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat.“ Eus. H. E. lib. V. 23. At, quo liberius Pontificem admonuit, eo minus primatum agnovit.

Resp. Dist. antec.: S. Irenaeus Victorem admonuit seditiose, *nego;* decenter, *conc.* Irenaeum admonuisse „decenter“ (*προσηκόντως*) apud Eusebium legimus. Porro haec ipsa admonitio primatum ostendit, cum clarum sit eam fieri non negandae potestatis causa, sed Pontificis placandi.

Obj. II. S. Cypriani magna auctoritas. Hic autem in concilio Carthaginensi III. coram 86 episcopis ait: „Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus; neminem judicantes . . . Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suas adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare.“

Resp. Dist. maj.: S. Cypriani auctoritas magna est generatim, *conc.;* semper in illa lite de rebaptizandis, *nego.* Dato, non concesso, haec verba tacite etiam ad Stephanum Papam directa esse, minorem *dist.:* his verbis Cyprianus rejicit *jus* primatus, *nego; applicationem* in casu subterfugit, *conc.* Locus ille ex tribus rectius intelligetur. Primo, fieri potest, ut vir ceteroqui laude dignus mente quieta recte sentiat, et in aestu controversiae quaedam exaggerate proferat, atque etiam prorsus erronee. Tum, alias a Cypriano dicta sedato animo non delentur iis, quae, exorta lite, fortasse pronuntiaverit primatui minus consona. Verba denique illa *absolute* dicta esse nequeunt; cum absoluta loquendi agendique potestas, singulis episcopis concessa, *unitatem ecclesiae,* opere egregio Cypriani celebratam, a stirpe tolleret.[1]) Verum sanctus martyr quaestionem limitat: „*de hac* — inquit — *ipsa re,*“ item *ep.* 72. ad Steph.: „*Qua in re*“; nimirum rem illam ut disciplinarem tractasse videtur.[2]) At in ipsa controversia primatum in se non rejecit. Hinc, ut Stephano persuadeat hac in re „ratione vincendum“ esse, allegato Petri exemplo: „nec Petrus — inquit — quem primum Dominus elegit et *super quem aedificavit ecclesiam,* cum secum Paulus de circumcisione disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter; ut diceret *se primatum tenere,*“ etc. *Ep.* 71.; cf. *ep.* 70. ad Januarium, n. 3.; *ep.* 73. n. 7. et 11. Quasi diceret: ita nec tu ad primatum tuum provoces. Ergo Petri primatum in Stephano esse, non negat.

Instabis. Firmilianus, Cypriani in lite socius, ad Cyprianum de Stephano vehementem epistolam scribens, inter alia his verbis utitur: „Stephanus, qui per successionem Cathedram Petri habere se praedicat, nullo adversus haereticos zelo excitatur.“ Inter Cypr. *ep.* 75. Ergo primatum despexit.

Resp. Dist. antec.: Firmilianus Stephanum accusat,

---

[1]) Cf. de Cypriani principiis et praxi generatim J. Tixeront, *Hist. des dogmes,* t. I. (1905), p. 382—388, et J. Ernst, *Papst Stephan I. und der Ketzertaufstreit* (1905), p. 18, 29, 40, etc.

[2]) Cf. Billuart, *De sacramentis in genere;* Palmieri, *De Rom. Pontifice.*

quod primatu non usus sit adversus haereticos, *conc.*; quod primatu falso glorietur, *nego.* Mens Africani vehementissimi haec est: tu, *Petri successor,* in hac de rebaptizandis controversia primatum tuum, quem verbis extollis, *factis* dedecoras.

Dices. S. Cyprianus quoque verbis *praesumptionis, pravitatis* aliisque non minus contumeliosis in Romanum Pontificem usus est. Quae certe non sunt episcopi, primatum credentis.

Resp. Dist. antec.: haec ab irato sunt dicta *conc.;* ex mente ecclesiae, *nego.* Unanimem patrum de primatu consensum ostendimus. De Cypriano autem S. Augustinus: „Illa quae in Stephanum *iratus effudit,* retractare nolo; quia et non opus est, . . . et ea praeterire melius est, quae periculum perniciosae dissensionis habuerunt." *De bapt.* lib. V. 25. Veruntamen: „si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis." *Ep.* 93 ad Vincentium.[1])

Obj. III. Primatus origo explicari potest per causas humanas, qualia sunt: ingens in urbe fidelium multitudo, splendor Romae, divitiae, caritas eximia, origo apostolica, fides integerrima et intrepida, Romanorum episcoporum versutia, ambitio, decreta imperatorum. Nulla igitur necessitas admittendae institutionis divinae.

Resp. Dist. antec.: per causas illas primatus explicari potest, negatis omnibus certissimisque documentis historicis, *transeat;* secundum veritatem historicam, *nego.* Missum facio, quod de Pontificum „ambitione et versutia" falso asseritur; de causis vero, quae primatum gignere *potuerint,* nihil utra habemus dicere, quoniam *S. Scripturae, patres, ratio, facta* primatus originem divinam *esse* demonstrant.

---

[1]) M. Molkenbuhr, *Dissert. criticae* (1790) et V. Tizzani, *La celebre contesa fra S. Stefano e S. Cipriano* (1862), documentorum, ad hanc controversiam pertinentium, authentiam non agnoscunt et ipsam controversiam ex integro aut ex parte commentitiam esse credunt. Contra quos cf. L. Berti, *De theol. disciplinis;* Freppel, *S. Cyprien et l'église d'Afrique au III. siècle.* — De hypothesi modificati ab ipso Cypriano tractatus *De catholicae ecclesiae unitate,* vide U. J. Chapman, *Rev. Bénéd.,* 1902 et 1903.

Romanorum Pontificum auctoritatem non in praxi modo, verum etiam *in doctrina* antiquorum reperimus. Quodsi urbis majestas nonnihil contulerit, unde praxis explanaretur, majestas Christi firmamentum erat in quo doctrina primatus fundabatur. Providentia autem divina vere dignum erat, ut ordinatis ad finem mediis, Romae sedem aptam Petri successoribus praepararet, quemadmodum per imperium Romanum evangelizantibus pacem viam quodammodo paraverat. Haec criticam dehonestare non poterunt; indoles criticae in iis desideratur, qui primatum Romanum super urbis potestatem, errorem itineris Petri Romani, Romanorum episcoporum fraudem ambitiosam aedificatum perhibuerint.

Instabis. Imperatores Valentinianus III., Carolus M., Phocas, maximam decretis suis Romanae Sedi auctoritatem obtinuerunt. Ergo decreta ista primatus causa videntur.

Resp. Dist. antec.: ista decreta primatum creaverunt, *nego*; confirmaverunt, *subdist.:* in foro civili, *conc.;* in foro ecclesiastico, *nego.* Nulla comminiscendi arte opus est; constat enim verissimis rationibus, primatus causam esse Christum. Quodsi decretum principis interdum iis vocabulis conceptum sit, quae minus accurate dicantur, haec sane non ad verbum sed ex mente ecclesiae universalis et doctorum auctoritate interpretanda sunt.

Urgebis. Canone III. concilii Cpolitani I., quod est oecumenicum secundum, statutum est: „Cpolitanae civitatis Episcopum habere oportet honoris primatum post Romanum Episcopum, *propterea quod sit nova Roma.*“ Similiter can. XXVIII. concilii Chalcedonensis: „antiquae Romae throno, *quod urbs illa imperaret*, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti 150 Episcopi *novae Romae throno* aequalia privilegia tribuerunt.“ Ex quibus sequitur, primatum ex civili Romae imperio natum esse.

Resp. Dist. antec.: istis canonibus statuitur de Summo Pontificatu, *nego*; de patriarchatu, *subdist.:* allegando causam, ab ecclesia damnatam, *conc.;* causam, in jure receptam, *nego.* Sophisma, quo patriarchatus Cpolitanus extollitur, Byzantinismum olet; nec approbatum est ab ecclesia catholica.

a) Non agitur de Summo Pontificatu. Quod patet 1° ex connexione canonis III. Cpolitani cum canone II., quem in determinando episcoporum ordine et honore complet; 2° ex *conclusione* prolati canonis Chalcedonensis; „ut Ponticae, et Asianae et Thraciae dioeceseos metropolitani soli . . . a praedicto throno Cpolitanae Ecclesiae ordinentur"; 3° ex eo quod Leo M. non Pontificatus Summi jura, sed „tot metropolitanorum primatus" et „provincialium jura primatuum" attentata esse queritur (ep. 105. et 106.); 4° ex historia, siquidem veteres totam de canonibus istis controversiam ad litem de patriarchatu referunt.

b) Causa allegata rejecta est. Nam 1° Leo M. declaravit: *„alia ratio est rerum saecularium, alia divinarum*; nec praeter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio." *Ep.* 104. 2° Ecclesia Romana *canonem III. Cpolitanum* non accepit, ut patet ex Leone M., *ep.* 106. ad Anatolium Cpolitanum episcopum et ex Greg. M., *Ep.* lib. VII. 34. Canon autem Chalcedonensis a Leone M., concilii confirmationem rogato, his verbis repudiatus est: *in irritum mittimus et per auctoritatem b. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus. Ep.* 105. 3° Canon Chalcedonensis in collectionibus pluribus expunctus est, ut in collectione Latina Dionysii Exigui et Isidori; in Prisca; in Graeca Joannis Antiocheni; in Arabica Josephi Aegyptii. 4° Anatolius *episcopus Cpolitanus*, tam Romanae Sedis auctoritatem quam canonis Chalcedonensis indignitatem professus est, haec ad Leonem M. scribens: „pro certo beatitudo vestra hoc habeat, *nullam esse culpam in me.*" Paulo post *gestorum vis omnis et confirmatio* dicitur Romano Pontifici *reservata;* et addit: „Hoc igitur bene compertum Sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius causa factum esse negotii, qui semper *omnem jactantiae levitatem* et *aliena appetendi cupiditatem* mihi vitandum crediderim." Inter *Ep.* Leon. M. 132.

Replicabis. In canone XXVIII. Chalcedonensi, jam prolato, legimus: „antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure *patres* privilegia tribuerunt." Ergo concilia, non Christus, primatum creaverunt.

Resp. *Dist.* antec.: iste canon rejectus est, *conc.;* doctrinam ecclesiae exprimit, *nego.* Ex argumentis, ante positis, facile intellectu est, quam vere Bonifacius I. dixerit: „Ista privilegia huic ecclesiae a Christo donata, a synodis *non donata,* sed jam solummodo *venerata* et *declarata* sunt." *Ep.* 8. Sophistica autem canonis illius redactio non orta est ex dubia *de primatu* fide, siquidem catholica doctrina de divina primatus institutione *Actis* Chalcedonensibus dilucide confirmatur; sed cum nihil melius invenirent fautores *patriarchatus* Cpolitani, rationes ambiguas adduxerunt.

Articulus V.

Quonam jure primatus episcopatui Romano annexus sit.

I. Conjunctio episcopatus orbis et episcopatus urbis, hoc est, primatus et Romani episcopatus. *Factum* hujusmodi conjunctionis ex iis, quae de primatu Pontificis Romani disseruimus, innotescit. Itaque ex disputationibus tum de Petri primatu et martyrio Romano tum de primatu Romani Pontificis haec duo certa sunt: 1^0 Petrum jure divino habere in eodem primatu perpetuos successores; 2^0 *stante praesenti rerum statu,* primatum illum episcopatui urbis esse annexum.

Quaeres, utrum primatus et episcopatus Romanus sint duo episcopatus, quo modo episcopus alicujus loci adjungit sibi alium episcopatum? *Respondet* Cajetanus: „Quum autem dicimus, Petrum et Romanum pontificem, et pontificem ecclesiae catholicae, non duos intelligas pontificatus; non enim sunt duo in actu, sed in potentia tantum, hoc est, quia potuissent esse duo, ut patet ex dictis. Unde non se habent sicut duo episcopatus uniti, non erat siquidem in Rom. ecclesia episcopatus ante Petrum: sed ipse Petrus Rom. ecclesiam erexit in pontificatum, non alium, quam suum, quem secum vehebat, ita quod pontificatum suum, quem a Christo habuit relate ad ecclesiam Catholicam, retulit ipse Petrus ad ecclesiam Romanam appropriando sibi illam." *De Rom. Pont. instit.* cap. XIII. Est igitur una potestas primatialis.

II. Variae catholicorum sententiae de jure, quo primatus episcopatui Romano annexus est. Diversitas sententiarum hac de re oritur a sententiarum diversitate de modo, quo Petrus episcopatum Romanum primatui suo appropriaverit. *D. Soto,* conjunctione supposita, universalitatem episcopatus Romani de jure divino esse docet; ipsam autem conjunctionem, quod *a solo Petro,* nihil mandante Deo, manaverit, de *jure humano* esse affirmat. *In IV. Sent.* dist. 24. q. 2. art. 5. *Joannes a S. Thoma* ait: „Et si *probabile* sit *ex aliquo mandato revelatione sufficienti* ad inducendum jus divinum, Petrum cunjunxisse pontificatum Ecclesiae episcopatui urbis, *non* tamen est *certum* eam conjunctionem esse *de jure divino.*" *Cursus theolog.* tract. de auctor. S. Pont. art. IV. 9. *Cajetanus* docet, rationem succedendi Romani Pontificis esse „ecclesiae Romanae appropriationem ad pontificatum Petri, *firmatam et Petri morte, et Christi mandato*". *De Rom. Pont. instit.* cap. XIII. Hic igitur conjunctionem *jure divino* factam esse pro certo ponit. Auctores in tres illas sententias juris scilicet *ecclesiastici,* juris *mixti* et juris *divini* discedunt, sed tertia sensentia tenenda videtur, quam probabiliter etiam Angelicus expressit, inquiens: „ut (Dominus) suam potestatem magis ostenderet, *in ipsa Roma,* quae caput mundi erat, etiam *caput Ecclesiae suae statuit.*" III. 35. 7.

III. Utrum episcopatus Romanus et primatus ita conjungantur, ut sint inseparabiles. Diximus, Dominici Soto et aliorum quorundam judicio utriusque dignitatis unionem jure tantum humano esse constitutam. „Quamvis autem — ait Benedictus XIV. — possit *in aliquo sensu* dici, supremam Ecclesiae monarchiam jure tantum humano esse annexam sedi romanae, quia nimirum utriusque unio, nexus et alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt, praefatam annexionem ita esse de jure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi, et una ab altera separari." *De Syn.* II. 1. n. 1. Joannes a S. Thoma unum casum excipit, quo Roma deleretur. „Extra hunc vero casum — hic ait — existimo nullum dari posse ita urgens quod justificare posset

istam separationem, *nec etiam validam* reddere." Affirmat autem se ad exceptionem illam moveri, „quia ille casus eversionis Romanae urbis absolute non est impossibilis, et de facto eventurus putatur tempore Antichristi." L. c. n. 21. Apparet autem doctrinam de *separabilitate* e quaestione de conjunctionis *jure* ita pendere, ut, posito conjunctionis *jure divino*, inseparabilitas absoluta sequatur. Cf. Franzelin, *De eccl. Christi*, thes. XII.

Quaeres, utrum inseparabilitas *absoluta* eum etiam casum excludat, quo Providentia extraordinaria quadam dispositione significaret, primatum ab episcopatu Romano esse transferendum. — *Resp.* Putatur casus ille, tametsi per se non repugnet, nunquam venturus; prout ex rationibus exponendis patebit, quibus conjunctio prorsus *definitiva* probari videtur.

IV. Quale sit jus illud divinum, quo primatus episcopatui Romano annexus est. Jus illud oriri censetur 1° aut ex sola electione Petri, qua posita, jam in nullius potestate esset, episcopatum Romanum et primatum dispescere; aut 2° ex voluntate Christi, quomodocunque manifestata, qua successionis modus, a Petro proprio libitu determinatus, *definitive* firmatus haberi debet; aut 3° ex eo, quod appropriatio et conjunctio, mandante Christo, facta sint. At „si sola Petri, — Suarez inquit — ut summus Pontifex erat, voluntate fieret, alterius etiam pontificis voluntate mutari aliquando potuisset". *Disp. X. De Summo Pont.* sect. III. Ita Mendive, *Instit. theol. dogmat.* P. I. (1895), cui hypothesis de sola voluntate Petri displicet, jure concludit: „hinc minime certum est, deesse romano pontifici potestatem primatum alio transferendi, quando id postulat necessitas: certo autem constat, hanc translationem sine romani pontificis voluntate fieri haud posse." Ob eamque rem, si *causa* quaeritur, cur conjunctio, a Petro vivente non mutata, rata manserit, ad sententiam 2. aut 3. de jure divino adducimur.

Quaeres, quonam modo divinum de conjungendo episcopatu urbis et orbis mandatum Petro significatum sit. *Resp.* De *modo* hoc tantum accepimus, quod S. Ambrosius scripsit,

videlicet Petro Roma egredienti Christum occurrisse; apostolum autem ad nutum Domini, dicentis: Venio iterum crucifigi, sponte Romam remeasse. *Sermo contra Auxent.* de basil. tradend. Innocentius III. affirmat Petrum „ex revelatione divina ab Antiochia translatum fuisse ad Urbem". *Ep.* lib. II. 209. Veruntamen non idcirco quod testimonia de *modo* locum dubitationi relinquant, *res* ipsa redditur dubia.

V. De propositione 35. Syllabi. Notatur in *Syllabo* haec thesis: *Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.* Nuytz, professor Taurinensis, errorem istum propugnavit. Certe translationem *sedis* intellexit, non *residentiae;* Pontifices enim nonnullos pluribus annis Avenione, alios exsules in locis diversis commoratos esse constat. Apparet autem ex notata Taurinensis propositione, firmissimam quandam inter urbis episcopatum et primatum admittendam esse conjunctionem; utrum vero conjunctio jure divino facta sit necne, hac Syllabi nota non exploratum est. Neque ecclesia alibi conjunctionem, de qua diximus, jure divino statutam esse, tanquam rem fidei expresse definivit.

Thesis: *Primatus probabilius jure divino episcopatui Romano annexus est.*

Argumenta.

Arg. I. Primatum et episcopatum Romanum divino jure conjungi, prudenter credimus, si gravissimorum testium in eam rem sententiae proferri possunt. Haec autem testimonia sive *implicita* sive *explicita* exstant. Quod probatur.

a) Testimonia implicita. Nexus absolutus utriusque dignitatis jure mere humano constitui posse non videtur. Atqui veteres assensu communi docent, dignitates illas in concreto et absolute conjungi. Ergo. Prob. *minor.* Patres, quorum judicia clara et certa articulis superioribus adscripta sunt, in Summis Pontificibus primatum agnoscunt, quod sint *episcopi Romani,* quod *locum Petri* et *sedem apostolicam*

teneant, quod sedeant in *cathedra Petri;* nusquam autem suspicantur fieri posse, ut primatu potiatur, qui episcopus Romanus non sit.

b) Testimonia explicita. S. Gelasius, Papa: „*Sedis* illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit praeeminere." *Ep.* 11. ad Anast. imper. Idem, *Ep.* 14. asseverat Christum „dispensatione mirabili Petrum in dominam gentium, Romam direxisse". — Rursus *Nicolaus I.:* „Privilegia illius *sedis* perpetua sunt; *divinitus* radicata atque plantata sunt; impingi possunt, *transferri non possunt.*" *Ep.* 8. ad Mich. imper. — *Bonifacius VIII.:* „*Ecclesiam* Romanam imperscrutabilis *divinae Providentiae* altitudo universis *dispositione incommutabili* praetulit ecclesiis." Bulla *Sacrosanctae Romanae.* — *Leo XIII.:* „nec sine *speciali Dei numine* ad illam idololatrae Orbis *Μετρόπολιν* b. Petrus Apostolorum Princeps gressus egit, ut ejusdem Pastor evaderet, eique supremi Apostolatus auctoritatem in perpetuum transmitteret." *Litterae* ad Em. Card. Rampolla, 15. Juni 1887. Postea, die 11. Maji 1899: „Unam ex omnibus romanam urbem ad munera excelsiora atque altiora humanis delegit sibique sacravit Servator perpetuitate temporum."

Quod pro thesi ex Concilio Vaticano prius erueram, dubito an satis valeat. In Const. dogm. *Pastor aeternus,* cap. II. haec: „qui (S. Petrus) *ad hoc usque tempus et semper* in suis successoribus, *episcopis sanctae Romanae Sedis,* ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, *vivit et praesidet et judicium exercet.* Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is *secundum Christi ipsius institutionem* primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet." Et cap. III.: „Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam *Romanam disponente Domino* super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum." Licet in his connexis firmissima primatus cum sede Romana subaudiri videatur, verba tamen hujus *Constitutionis* eam vim non habent, ut connexio *juris divini* tenenda sit. Quod Th. Granderath, *Constit. dogmaticae Conc. Vatic.* (1892), p. 137—150 docte probat. Conclusio ejus haec est: „Ipsis igitur capitis ver-

bis non enuntiatur, Primatum cum Romana sede ab ipso Christo immutabiliter connexum esse. Patres autem Concilii Vaticani *de ea re nihil in Constitutionem recipere voluisse*, praeclarissime ejus historia probatur".

Arg. II. *Ex convenientiis. a)* Divino ecclesiae Conditori maxime convenit, apostolis suis manifestare rem, ad ecclesiae unitatem et pacem continendam valde necessariam. Atqui sedes certa et fixa valde necessaria est, ut ecclesiae pax et unitas serventur. Ergo. Quare Canus: „Si enim Moysi — inquit — locus ille revelatus est, quem Dominus elegerat, ut inde a Judaeis divina oracula peterentur, quanto magis credendus est Christus Petro manifestasse, quisnam esset ille locus, ubi constituerat regni sui et principatum et sedem collocare." *De locis theolog.* lib. VI. 8, ad 10.

b) Idem convenit Christo triumphanti, juxta hoc Angelici: „ut suam potestatem (Deus) magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam caput Ecclesiae suae statuit in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum." III. 35, 7. ad 3.; cf. *De reg. princ.* lib. I. 14.

c) Nec Summi Pontifices inter maximas angustias, quibus ab ecclesiae principio Romae saepissime pressi sunt, unquam de sede transferenda cogitarunt. At conjunctio tam fixa, ut separatio ne in mediis quidem angustiis cuiquam in mentem venerit, juris divini esse videtur.[1])

Objectiones.

Obj. I. Petrus aliquando sine certa sede fuit. Et si interea fuisset occisus, nihilo setius alius in ejus locum successisset. Ergo primatus esse sine certa sede potest.

Resp. Dist. conclusionem: ergo primatus certa sede carere potest absolute, *transeat;* hypothetice, *nego.* Posita ordinatione Providentiae, quam argumentis ostendimus, extra sedem, Romae fixam, aditus ad primatum jam nemini

[1]) Cf. Mamachi, *Epist. ad auctorem anonymum opusc. inscripti* Quid est Papa (1786); J. Hollweck, *Der Apostolische Stuhl u Rom* (1895).

patet. Praeterea sedis certae necessitas ex eo negari non potest, quod Petrus *transitorie* sine sede fuerit, sed admittenda est potius, quod status illius incertitudinem reliquerit.

Instabis. Testimonia adscripta hoc unum probant, S. Petrum Romae sedem fixisse, auctrice Dei providentia. Atqui ad unionem jure divino constituendam non sufficit merus actus Providentiae respectu Petri, sed respectu posterorum mandatum requiritur. Ergo nexus primatus cum episcopatu Romano juris divini non est.

Resp. Dist. maj.: ea testimonia ostendunt auctricem Dei providentiam exclusive respectu Petri et electionis mutabilis, *nego*; respectu omnium Summorum Pontificum et electionis definitivae, *conc.* Concedo minorem, et conclusionem nego. Ex locis, in probatione allatis, apparet, a sanctis doctoribus eam admitti Providentiae dispositionem, quae lex fixa haberi debeat; ajunt enim: *transferri non possunt; dispositione incommutabili.*

Obj. II. Roma vastata, episcopus Romanus esse non potest. Id autem non repugnat, vastari Romam. Primatus igitur ab episcopatu Romano avelli potest.

Resp. Transeant major et minor. *Nego* conclusionem. 1° Major non satis certa videtur. Etenim etiamsi Roma solo ita aequaretur, ut nullus ibidem fidelibus pascendis locus superesset, *sedis* tamen *titulus*, uti quondam in episcopis, i. p. i. maneret. Wilmers: „Tunc — inquit — eligeretur successor Romani Pontificis, qui perierat, sicuti nunc eliguntur episcopi sedium destructarum in terris infidelium. Qui eligeretur, haberet jura omnia ultimi episcopi Romani, hinc etiam jus regendi Ecclesiam urbis, si haec aliquando ex abysso emergeret.“ *De Christi ecclesia* (1897), p. 256. — 2° Gravissimi viri censent Deum non permissurum, ut Roma deleatur et ea certe ruina vix unquam evenire poterit, ut nulli fideles ac nullae episcopatus Romani reliquiae relinquantur. — 3° Denique etiamsi fieri possit, ut episcopatus Romanus prorsus exstinguatur, episcopatus et primatus in statu separationis, proprie dictae, non versarentur, sed Deus ipse dispositione tam extraordinaria mun-

danarum rerum utriusque nexum, quemadmodum matrimonii vinculum morte conjugis, dissolveret.

Quaeres. Utrum haec propositio: *Pius X. est Summus Pontifex*, sit de fide.

Resp. Propositio, quae in propositione de fide tanquam particulare in universali continetur, habetur de fide; conf. p. 343, 344. Jam vero haec propositio: Pius X. est Summus Pontifex, continetur tanquam particularis in hac universali: Omnis homo acceptatus ab universali ecclesia in Petri successorem est Summus Pontifex, quae est de fide. Ergo propositio, de qua agitur, fidei assensu admittenda esse videtur. Cf. Bill. *De reg. fidei,* diss. IV. art. 9.; Salmant. *De fide.* disp. IV. dub. 2.

Quaestio XVI.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

In hac quaestione *de vi et ratione* potestatis Pontificiae, nonnulli contra catholicam doctrinam passione quam ratione disputare maluerunt. At catholici gloriam Deo non detrahunt, qui *tantum* Pontifici tribuunt potestatis, *quantum* Deum ipsi concessisse viderint. *Non est enim potestas nisi a Deo*, Rom. XIII. 1., atque: *Omnia, et in omnibus Christus*, Col. III. 11. Quaerimus autem:

Primo. *Utrum Romanus Pontifex potestatem suam a Deo immediate accipiat.*

Secundo. *Utrum Romanus Pontifex habeat totam plenitudinem potestatis supremae.*

Tertio. *Utrum haec potestas sit ordinaria et immediata in omnes et singulas ecclesias.*

Quarto. *Utrum jurisdictionis potestas mediante Pontifice Maximo an immediate a Deo in episcopos derivetur.*

Quinto. *Utrum Romanus Pontifex ex cathedra loquens sit infallibilis. Ex S. Scriptura.*

Sexto. *Utrum eadem infallibilitas ex traditione monstretur.*

Septimo. *De valore Syllabi.*

Octavo. *Quaenam sit auctoritas congregationum Romanarum in materia fidei et morum.*

Articulus I.

Utrum Romanus Pontifex potestatem suam a Deo immediate accipiat.

I. Status quaestionis. Designatio personae et collatio potestatis. Quaeritur, utrum Romanus Pontifex eam potestatem, quam jure divino ipsi competere supra monstravimus, directe et immediate a Deo accipiat, ecclesiane mediante. Qua in controversia dirimenda *designatio personae* et *collatio potestatis* distinguendae sunt. 1° S. Petrus a Christo et designatus et clavibus donatus est. 2° Successores Petri ab electoribus legitimis in ecclesia designantur, variante tamen eligendi ratione, pro varia conditione temporum. Est autem probabilius, hanc potestatem eligendi ecclesiae divinitus competere proxime et *formaliter, regulative* Summo Pontifici; hoc est, ecclesia habet jus eligendi, Summus Pontifex per se solum habet jus dirigendi seu determinandi electionis modum. Veruntamen non desunt, qui existiment, Papam posse sibi successorem designare. Quin immo non accederem ad eorum sententiam, qui designationem stricte dictam, hoc est, auditoribus non auditis, prorsus *illicitam* esse opinantur.[1]) 3° Collatio potestatis absolute soli Deo competit.

II. De modo, quo potestas Pontificia in eum, qui ab ecclesia designatus est, transit. Joannes a S. Thoma modum illum explicans, ait: „collatio pontificatus facta huic, qui de novo eligitur, non constat per ali-

[1]) Cf. Holden, *Die Designation der Nachfolger durch die Päpste* (1892); L. Gaugusch, *Das Rechtsinstitut der Papstwahl* (1905).

quam revelationem factam de hac persona, *constat tamen ex prima illa institutione pontificatus, et collatione illius a Christo Domino ipsi Petro, et successoribus,* ut notat pater Suarez . . . nam hoc ipso quod legitime eligitur et designatur ad succedendum Petro, ex vi illius primae collationis ei debita est potestas illa, quae Petro data est, ut remaneret in successoribus, nec indiget nova alia collatione sed sola Ecclesiae designatione." *In II. II. de auct. Summi Pont.* II. art. 1. n. 16.

Quaeres, utrum Papa electus claves secum afferat; aut cuinam Papa moriens eas relinquat. *Resp.* Cajetanus: „quum Papa — inquit — eligitur, neque secum claves affert, neque ab ecclesia illas accipit: sed a Christo, non nova traditione sed antiqua illamet, qua tradidit Petro: Ecclesia siquidem ministerio electionis personam deputat, quae Petro succedat: Christus autem ipse in beato Petro et cuilibet successori claves tradidit, et propterea vana est quaestio, a quo accipit, aut cui relinquat moriens: verbum enim semper vivum dat claves cuilibet succedenti, et non unus alteri relinquit." *De Rom. Pont. instit.,* cap. III. ad 4.

III. Error democraticus de collatione potestatis Pontificiae. Hoc loco rursus mentio infertur systematis democratici, cujus assertores ecclesiastici ministerii ac regiminis potestatem *a communitate fidelium* in pastores derivari perhibent. Cujus erroris Richerius et Febronius auctores praecipui fuerunt. Nam ille in opere, quod *De ecclesiastica ac politica potestate* scripsit, ut alias plures ita et hanc propositionem erroneam vulgavit: „Christus suam fundando Ecclesiam, *prius, immediatius et essentialius* claves seu jurisdictionem toti dedit Ecclesiae, quam Petro et aliis Apostolis." Et quoniam suprema potestas immediate in multitudine esse dicebatur, principes nonnulli, quod membra ecclesiae nobiliora sibi viderentur, partem potestatis, Summo Pontifici conferendae, sibi reservare maluerunt. At patres Vaticani definierunt: „Si quis igitur dixerit, beatum Petrum . . . honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo *directe et immediate* accepisse; a. s." Const. *Pastor aeternus,*

cap. I. De Romano autem Pontifice docent: „ipsi *in beato Petro* pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam *a Domino nostro Jesu Christo* plenam potestatem traditam esse.“. L. c. cap. III.

Thesis: *Romanus Pontifex potestatem suam a Deo immediate accipit.*

Argumenta.

Arg. I. Oportet eum, qui potestatem confert, potestatem illam aut superare, aut adaequare. At ecclesiae membra quotquot sunt, suprema potestate Pontificia sunt inferiores. Ergo Pontifices potestatem suam immediate a Deo accipiunt. Prob. *minor* ex S. Scriptura: etenim *Matth.* XVI. *Luc.* XXII. *Joan.* XXI. omnes denique textus, quibus primatum a Christo institutum esse ostendimus, proxime et immediate ad Petrum pertinent; fidelium autem multitudini potestas suprema conferri nusquam legitur.

Arg. II. In eum, qui alicujus vices gerit, potestas derivari non potest nisi ab illo, cujus vices gerit. Jam Summus Pontifex non ecclesiae sed solius Christi vice fungitur. Suam ergo potestatem immediate, populo omnino non mediante, obtinet. Prob. *minor* ex Scripturarum testimoniis veterumque sententiis, pro primatu Petri et Romanorum Pontificum antea adscriptis.

Objectiones.

Obj. I. Potestas, in bonum ecclesiae collata, potestas ministerialis est. Atqui potestas Pontificia in bonum ecclesiae confertur. Ita ministerialis est ac mediata.

Resp. Dist. maj.: haec potestas ministerialis est respectu Dei, *conc.*; respectu ecclesiae, *subdist.:* in quantum collata est *pro* ecclesia, *conc.; ab* ecclesia, *nego.* Adversarii, deficiente ratione positiva, *a priori* suam aequivocationem comminiscuntur. Nam in jure non eam potestatem, quae in bonum aliorum conceditur, ministerialem vocant, sed illam, quae delegata ac nullo titulo proprio obtinetur. Potestas igitur Pontificia *respectu ecclesiae* proprio sensu juris *prin-*

cipalis est, etsi Pontifex potestate suâ in bonum aliorum utitur, *sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matth. XX. 28.

Obj. II. Deus et natura prius et immediatius ad suppositum quam ad aliquam suppositi partem, quamvis nobilissimam, intendunt. Ergo Christus, potestatem supremam conferens, immediatius ecclesiam quam Romanum Pontificem intendit. Explicatur *antec.* exemplo hominum, qui videndi facultatem per oculum, tanquam per organum et ministrum, exercent.

Resp. Transeat antec. *Dist.* conseq.: Christus, potestatem supremam conferens, immediatius ecclesiam intendit *finaliter, conc.; formaliter, nego.* Finis primatus est ecclesiae bonum, et immediatum hujus potestatis *subjectum* Pontifex Maximus. Quod de oculo dicitur ad rem non facit; quis enim credat videndi vim a corpore in oculum derivari?

Obj. III. Ubi designatio personae et collatio potestatis ad diversos pertinent, fieri potest, ut ille, qui potestatem conferat, personam designatam, si digna non sit, repudiet. Jam vero absque revelatione non constat, utrum electus Pontifex a Deo accipiatur. Ergo quis sit verus Pontifex, semper incertum erit, nisi ab ecclesia pariter ac eligit potestas conferatur.

Resp. Dist. maj.: haec regula valet simpliciter, *transeat;* secundum quid, *nego.* Similiter *dist.* min.: absque revelatione *generali* de primatu, *conc.;* absque revelatione *toties quoties, nego.* Christus, primatum perennem instituens, nusquam statuisse legitur, ut sancti soli supremo regendi munere fungerentur. Sed, lege Christi absoluta posita, sequitur, qui electus sit, eum a Deo semper accipi.

Articulus II.

Utrum Romanus Pontifex habeat totam plenitudinem potestatis supremae.

I. Conceptus plenitudinis potestatis Pontificiae. Haec plenitudo est *potestas jurisdictionis supremae tota et in-*

divisa in uno Pontifice. Nam „*plene* habetur, quod *perfecte et totaliter* habetur". S. Thom. III. 7. 9. Diximus autem plenitudinem *jurisdictionis*, non *ordinis*. Pontifex enim „per hoc quod est Episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus Domini verum, sed per relationem ad *corpus mysticum*". *In IV. Sent.* dist. 7. q. 3. art. 1. q. 3. Quae quidem potestas spectari potest *a)* in suis objectis, *b)* in suis subditis. De utrisque pauca ex S. Thoma.

a) Objectum potestatis memoratae sunt tam res omnes *fidei et morum* quam *disciplinae et regiminis.* Papa non potest dispensare „quantum ad ea, quae sunt de jure naturali et quantum ad ea quae sunt de necessitate sacramentorum et fidei; sed in aliis quae sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi et destruendi, potest *per eum, qui primatum in Ecclesia tenet*, dispensari". *In IV. Sent.* dist. XXII. q. 3. art. 3. Cf. *S. Theol.* II. II. 89. art. 9. ad 3.; *C. Impugn.*, cap. IV.; *Quodl.* IV. 13.

b) Subditi hujus potestatis sunt universalis ecclesia, fideles et pastores tam seorsum singuli quam simul omnes. Scilicet „Papa habet plenitudinem *pontificalis potestatis*, quasi *Rex in regno*; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus praepositi" *(In IV. Sent.* dist. XX. art. 4.); apud eum est „praelatio *indistincte in omnes*", et sub eo alii, qui „super *diversos distinctam* potestatem" accipiunt. L. c. dist. XIX q. 1. art. 3. Ipse legibus mere ecclesiasticis non nisi directive ligatur; sed „*quaecumque* sunt instituta *per Ecclesiam* vel Ecclesiae praelatos, sunt dispensabilia a Papa". *Quodl.* IV. art. 13. „Hoc autem privilegium Christus Romanae Ecclesiae contulit, ut *omnes ei* sicut Christo obediant" *(C. Imp.* cap. III.); ex quo sequitur, ut „subesse Romano Pontifici, sit de necessitate salutis", *C. errores Graec.* cap. LXVIII.

Omnis igitur potestas, quam Christus ecclesiae suae dedit, in Romano Pontifice tota residet; cujus regimen est *vere monarchicum*, quia non modo habet potestatis partem maximam, sed plenitudinem. Haec monarchia sicut a cor-

pore episcoporum non *limitatur*, ita supremae potestatis *mixturam* ex monarchia et aristocratia nequaquam admittit.

II. Adversarii; distinctio Febroniana inter jura primatus essentialia et accidentalia. 1° Tempore concilii Pisani (1409) perhiberi coeptum est, Papam superiorem esse ecclesia *distributive* non *collective* sumpta. Richeriani asseverant, potestatem Pontificis, quem caput *ministeriale* vocant, ministeriali episcoporum potestate limitari; nullam ipsi in *corpus* episcoporum auctoritatem competere; ad illum tantum pertinere canonum exsecutionem, legis interpretationem et dispensationem canonum *loco concilii*, quod permanenter congregari non potest. 2° Gallicani in *Declaratione* statuunt, concilia oecumenica esse supra Summum Pontificem (prop. 1.) et eum in auctoritatis suae exercitio *juri communi* subjacere. *Jus commune* canones universales, et nonnulli etiam regni et ecclesiae Gallicanae consuetudines ac instituta intellexerunt. Cf. de 4 articulis Gallicanis Gérin, *Recherches hist. sur l'assemblée de 1682*, ed. 2. 3° Pessima certe habetur Febroniana distinctio inter *jura primatus essentialia et accidentalia.*

Febronius in suo opere *De statu Ecclesiae* asseverat, esse jura quaedam primatus *essentialia*, quae, divinitus primatui annexa, ab eo separari non possunt, originaria, naturalia, divina; sed alterius generis esse jura *accidentalia*, seu derivativa, accessoria, humana, quorum origo decretalia Isidori Mercatoris, temporum ruditas et ignorantia, dominandi cupido. Addit, certius et prudentius ad essentialia dignoscenda medium nullum reperiri, quam ut circa singulas primatus partes et jura consulatur constans usus et disciplina ecclesiae, qualem primis sex septemve saeculis cum maximo ecclesiae bono et unitatis conservatione viguisse, ex scriptis patrum, actis conciliorum, ipsorumque Pontificum gestis constiterit. Postremo, ad *essentialia* jura referuntur jus supremae inspectionis, jus supremi provisorii regiminis, jus concilia generalia convocandi iisque praesidendi, jus vindicandi canonum observantiam, etc.; *accidentalia* censentur jus confirmandi episcopos, canonizandi sanctos, recipiendi appellationes, dispensandi, instituendi festa, casus reservandi, etc.

Febroniana distinctione *plenitudo* potestatis Pontificiae prorsus negatur; *causa juris habendi* ab *occasione juris applicandi* minime discernitur; *accidentale*, quod in tali *usu* juris situm est, in *ipsum jus* transfertur; nec ulla habetur ratio hujus veritatis, luce clarioris et in ipsa ecclesiae natura ac fine fundatae, videlicet: primatum *ex uno jure* suo immutato et pleno posse ac debere in tempore *varia jura* sua *particularia* explicare et applicare *pro variis* ecclesiae utilitatibus et indigentiis. Haec est *purior* ista jurisprudentia, quam et *Emsani* conventus *punctatores* (1786) non exiguo ecclesiae damno secuti sunt. Cf. Roskovány, *De primatu Rom. Pont.*: Brück, *Geschichte der kathol. Kirche in Deutschland.*

III. Definitio Vaticana. Concilium Vaticanum, innovato concilii Florentini judicio, plenitudinem potestatis Pontificiae his verbis definivit: „Si quis igitur dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit.“ Sess. IV. cap. III.

Thesis: *Romanus Pontifex habet totam plenitudinem potestatis supremae.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex. S. Scriptura.* Plenitudo potestatis est suprema potestas jurisdictionis tota in uno. Jam vero hanc potestatem penes Romanum Pontificem esse, S. Scripturae ostendunt. Quod probatur.

a) Legentibus utramque quaestionem, proxime habitam, facile apparet, *supremam jurisdictionis* seu *regendi potestatem* Petro ejusque successoribus concessam, dicente Domino: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, Matth. XVI. 18.;

tibi dabo claves, etc. l. c.; *confirma fratres tuos*, Luc. XXII. 32.; *pasce agnos meos . . . pasce oves meas*, Joan. XXI. 16, 17.; quibus verbis alias S. Litterarum testimonia, primatum indicantia, subjunximus.

b) Haec porro potestas *tota in uno* est. Probavimus enim ex iisdem S. Codicibus, eam non dividi in plures, sed *indivisam uni* concessam fuisse. Eaque *tota* datur. Etenim *tota* potestas datur, si nemo prorsus nullaque jurisdictionis ecclesiasticae pars subtrahitur. Atqui *nemo* subtrahitur ab obedientia illius, qui est simpliciter sub Christo fundamentum seu *petra* totius ecclesiae, *confirmator* omnium fratrum, *pastor* totius gregis, cui *claves regni caelorum* et potestas *quodcunque ligandi* committuntur; *nec ulla pars* subtrahitur, cum dictis verbis tantum potestatis exprimatur, quantum usquam ecclesiae concessum legimus in fide, moribus ac disciplina.

Arg. II. *Ex traditione.* Veteres supremam in universam ecclesiam potestatem *totam uni* Petro datam esse testantur. Atqui unanimi veterum consensu similiter constat, Romanum Pontificem Petro in primatu ita successisse, ut dici debeat *Petrus in potestate.* (Albertus M. *In Matth.* XVI.) Ergo suprema Petri potestas est *tota in uno* Romano Pontifice, seu in Pontifice est plenitudo potestatis. Argumentum nititur testimoniis quaest. XIV. et XV. prolatis, quae ad duo capita reduci poterunt. Videlicet:

a) Patres docent, Romanum Pontificem esse *petram* totiusque ecclesiae fundamentum; ipsi competere *claves* Petri, et similia passim. Jam vidimus, sub metaphora *petrae*, *clavium*, etc. supremam jurisdictionis potestatem *totam uni* collatam. Ex quo concluditur, patres potestatis plenitudinem in Romano Pontifice agnovisse.

b) Veteres affirmant, penes *unum* Romanum Pontificem esse potestatem in *omnes* et in *omnia*, quae ad potestatem spiritualem pertinent. 1° *In omnes*, etiam simul sumptos. Ideo Papa irridetur a Tertulliano haeretico tanquam *episcopus episcoporum* (De pudic. I.); honorat S. Augustinus *pastorem pastorum* (Contra duas epist. Pelagian. l. IV. 12); a conc. oecumenico VI. Papa vocatur *Antistes universalis ecclesiae*

(in epist. synod. ad Agathonem Papam); Gregorius M., ut Joannis Jejunatoris, episcopi Cpolitani, superbiam humilitatis exemplo corrigeret, *titulum* episcopi oecumenici (ἐπίσκοπος οἰκουμενικός) respuit, sed *rem* affirmat, inquiens: „claves regni caelestis accipit (S. Petrus), *cura ei totius* ecclesiae et principatus committitur' (Ep. V. 20, ad Maurit. Imper.). Rursus archimandritae et monachi secundae Syriae ad Hormisdam: „*Christus* Deus noster *principem pastorum*, doctorem et medicum animarum constituit nobis vestrum sanctum angelum." — Quare Romani Pontifices summa auctoritate usi sunt in ecclesias Orientales et Occidentales; in patriarchas Cpolitanum, Antiochenum, etc.; in oecumenica concilia, *praecipiendo*, ut Caelestinus patribus Ephesinis, qui agunt „coacti per canones et epistolam patris ac comministri Romanae ecclesiae episcopi" (Mansi VI. 1211.); *appellationes a conciliis admittendo*, v. g. in casu Theodoreti, qui in conciliabulo Ephesino a Dioscoro depositus, ad rectum ac justum *tribunal* Leonis M. *provocavit*. *Ep.* 113. inter ep. Theodor.

2⁰ Pontificia potestas extenditur *ad omnia* spiritualia. Pontifices fidem docuerunt, haeresin damnarunt; ab iis per diversam appellationem causarum aut *retractata* aut *confirmata* sunt judicia (Leo M. *ep.* 10.); episcopos et patriarchas reos deposuerunt, insontes restituerunt, puta in causa S. Athanasii, cum omnis Aegyptus ac Alexandria litteras ad Romanum Pontificem daret, ad Julium prius de *reddenda* exsulanti Athanasio communione, dein ad Liberium de *tuenda* (S. Hil. *Fragm.* IV. 2.); praecepta disciplinaria dederunt (*ep.* conc. Arelat. ad Sylvestrum), etc. Hinc Caelestinus I. ad episcopos Illyrici *ep.* 3.: „Inter ceteras *curas* et *diversa negotia*, quae ad nos ex *cunctis* veniunt semper ecclesiis, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere . . . poteritis advertere." Mox ita prosequitur: „Nos praecipue *circa omnes cura* constringimur, quibus necessitatem *de omnibus* tractandi Christus in S. Petro apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit." Atque Leo M. *ep.* 8. ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, Pontificis delegatum: „Vices enim nostras ita tuae credi-

dimus caritati, ut in partem sis vocatus solicitudinis, non in *plenitudinem potestatis.*"

Arg. III. *Ex fine ecclesiastici regiminis,* qui est pax et unitas fidelium. Nam ut quodque regimen est maxime unum, ita causa congruentissima habetur pacis et unitatis. Jam vero regimen maxime unum est, quando potestatis plenitudo tota penes unum residet. Regimini ergo ecclesiastico maxime consentanea videtur doctrina de plena potestate Romani Pontificis.

Dices, Summum Pontificem universis seu singulis ecclesiis praeesse, non *universae ecclesiae. Resp.* Obsoleta est ista Gallicana distinctio, cui et S. Scriptura et patrum auctoritas refragantur. Hoc enim argumentis confirmavimus, juxta Domini constitutum totam ecclesiam, totum gregem, totum Christi regnum, universam ecclesiam, episcopos, etiam in concilium generale congregatos, Petro ejusque successoribus regendos committi.

Objectiones.

Obj. I. Consulendum est libertati. At libertati melius consulitur, divisa inter plures potestate suprema per monarchiam mixtam. Tale igitur oportet esse ecclesiae regimen.

Resp. Dist. maj.: libertati consulatur secundum legem Christi, *conc.;* ex judicio voluntatis humanae, *nego.* Et *transeat* minor. Errant profecto, qui constitutionem ecclesiae divinam ex conceptu mere humano determinandam esse credant.

Instabis. Plenitudo potestatis in uno, seu monarchia non mixta, tyrannidis periculum adducit. Ergo in ecclesia Christi nemo tali potestate donatus est.

Resp. Dist. antec.: tyrannidem adducit *per se, nego; per accidens, subdist.:* ubi adest assistentia specialis Spiritus sancti, *nego;* secus, *transeat.* Monarchia, quoniam unitatis aptior causa videtur quod est per se unum quam plures, optimum regimen esse putatur ad servandam *unitatem spiritus in vinculo pacis.* Eph. IV. 3. Ad hoc autem quod *per accidens* tyrannis adduci potest, respondetur *transeat,* quia

Angelicus: „Non minus — inquit — contingit in tyrannidem verti regimen multorum quam unius, *sed forte frequentius.*“ *De reg. princ.* I., 5. Cf. I. II. 105. 1. At vero ecclesiastica monarchia, cum *Christus* Pontificem Maximum in ecclesia gubernanda dirigat, eidem atque regna civilia tyrannidis periculo nunquam erit obnoxia.

Urgebis. Absolute tamen fieri potest, ut Pontifex aliquis potestate sua abutatur. Jam in tali casu remedium nullum relinquitur adversus Pontificem, plena jurisdictione pollentem.

Resp. Dist. maj.: id absolute fieri potest extra res fidei ac morum, *conc.;* secus, *nego.* Quidquid acciderit, divina Providentia, quae regit ecclesiam, tempore opportuno remedium praebebit. Episcopi praeterea, gregis sui curam gerentes, servato tamen ordine dependentiae ab ecclesiae capite, malis plurimis poterunt mederi.

Obj. II. Ad plenitudinem potestatis Pontificiae pertinet jus appellationes ex orbe toto recipiendi. S. Cyprianus autem in causa Basilidis et Martialis Pontifici Romano, Basilidem Asturicae episcopum restituenti, renisus est.

Resp. Dist. min.: S. Cyprianus Stephani sententiae renisus est ob *obreptionem* petentis, *conc.;* ob *defectum potestatis* sententiam ferentis, *nego.* Basilides, episcopus Leonis et Asturicae, cum ipse et Martialis, episcopus Emeritae, propter gravia crimina, ipsis objecta, in Hispania depositi fuissent, Romam venit, et a Stephano legitimus episcopus habitus est. Fideles dioeceseon, de quibus diximus, existimantes Romanum Pontificem a Basilide deceptum fuisse, Felicem et Sabinum miserunt, qui Cyprianum, virum celeberrimum, de hoc negotio consulerent. Cyprianus respondit, fallaciam et obreptionem Basilidi prodesse non posse. „*Obrepere* autem — inquit — si Basilides hominibus potuit, Deo non potest.“ Ep. 68.

Instabis. Cum Fortunatus in causa sua Felicissimum Romam misisset, ad Cornelium, Romanum Pontificem, S. Cyprianus haec scripsit: „oportet utique eos quibus praesumus non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed

agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint." *Ep.* 55. Cyprianus igitur jus appellationes recipiendi rejecit.

Resp. Dist. antec.: Cyprianus negat *jus, nego; opportunitatem, subdist.;* in tali periculo subreptionis, *conc.;* simpliciter, *nego.* Cyprianus aegre tulit Fortunatum, pseudoepiscopum Carthaginiensem, „subdola et fallaci temeritate" Romae per legatos agitasse; quapropter causam significat, cur presbyteri rebelles juxta statuta Africana jus ulterius appellandi non haberent: nimirum oportebat eos „agere illic causam suam, ubi et *accusatores habere et testes* sui criminis" possent.

Attendas etiam ad haec. Primo ex factis Basilidis et Fortunati, ad Romanum Pontificem appellantium, thesis nostra confirmatur. Tum S. Cyprianus in eadem epistola 55. ecclesiam Romanam vocat *cathedram Petri* et *ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Ad Romanum igitur Pontificem, naturali etiam ratione dictante, ab omnibus, tanquam ab inferioribus ad superiorem, appellari fas est. Denique cum Galliae episcopi de Marciano, episcopo Arelatensi, qui Novatianis se conjunxisset, nuntiassent ad Stephanum, Romanum Pontificem, Cyprianus ad Pontificem illum scripsit: „Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, *quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur* . . . Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, *ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus.*" Ep. 67. Stephanus ergo ut *judex* in causa episcoporum Galliae agnoscitur.

Obj. III. Africani saeculo V. ineunte Romam appellare vetuerunt. Nam *a)* Episcopi Africani Zosimo (417—418) et Bonifacio I. (418—422) in causa Apiarii, presbyteri ad Pontificem appellantis, adversati sunt. *b)* Synodus Carthagiensis anno 418 presbyteris et diaconis praecipit: „non provocent nisi ad Africana concilia vel ad primates provinciarum suarum.[1]) Ad transmarina autem qui putaverit

[1]) Alio tempore — ut credunt — canoni additum: „aut ad universale concilium, sicut de episcopis saepe constitutum est."

appellandum, a nullo intra Africam in communionem accipiatur."

Resp. Dist. antec.: Africani appellationes improbarunt ob defectum *juris* in Summo Pontifice, *nego;* ob incommoda praxeos, *subdist.:* simpliciter, *nego;* in certis adjunctis, *conc. a) Jus* non negatur. Etenim rationes, quibus Africani appellationibus adversantur, non desumuntur ex defectu juris Pontificii, sed consuetudo, longinquitas locorum, periculum fraudis allegatur. *b)* In causa Apiarii, Siccensis ecclesiae presbyteri, qui, depositus ab Urbano episcopo suo, Pontificem Romanum appellaverat, plerique, lato adversus abusum canone XVII. Carthaginiensi, juris *applicationem* limitare conantur. Neque id simpliciter faciunt, sed certo moderamine respectu Summi Pontificis, quandoquidem in litteris ad Pontificem Maximum: „*Deprecamur* — inquiunt — ut deinceps ad vestras aures hinc venientes *non facilius* admittatis." Labbe, II. p. 1674. *c)* Canone XVII. de sacerdotibus, non de episcopis decernitur. *d)* Constat, ex ipsa ecclesia Africana non paucos Pontificem Romanum appellasse, repugnante nemine, quod ex *ep.* 162. S. Augustini perspicuum est. Utut est, si erraverint Africani, universalis ecclesiae consensio jus recipiendi appellationes penes Pontificem Romanum esse probat.

Instabis. Zosimus in causa Apiarii definiens, episcopos ad Romanum Pontificem appellare posse, Nicaenos (Sardicenses) canones protulit. Jus igitur appellationes recipiendi totum ex ecclesiae *decretis* oritur.

Resp. Dist. antec.: canones afferuntur ad determinandum jus in se, *nego;* juris exercitium, *subdist.:* quia canones sunt Pontifici Romano norma quaedam et directiva, *conc.;* unica et coactiva, *nego.*

Summi Pontifices, ut meliori, qua fieri posset, ratione ecclesiae prospicerent, multoties concilia convocaverunt eaque ad commovendos infirmos allegarunt, quemadmodum et in concilio Tridentino *sess.* XIII. de appellationibus de-

Verba autem *sicut de episcopis* etc. ad partem canonis positivam spectare videntur, quae est de appellando ad concilium, non ad negativam partem, qua judicia transmarina improbantur.

cretum latum est. Africani, quibus appellationes ex Africa ob *subreptionis periculum* displicebant, argumentationem seu excusationem quandam *ad hominem* adhibent, affirmantes, canones, quibus Zosimus rem illam urgebat (et qui reapse *Nicaeni* non sunt) in exemplaribus suis desiderari. At appellationum *praxin* sola conciliorum auctoritate determinandam esse, non asseverant; sed ad Pontificem scribentes, utuntur verbo: *Deprecamur*, ut supra. Mentem eam *subjectam* eodem fere tempore (anno 423) S. Augustinus in alia causa Africana exhibuit. Nam, cum Antonius episcopus Fussalensis, ad Romanum Pontificem appellasset, sanctus pro utraque parte Caelestini Papae misericordiam his verbis imploravit: „Utrique *misericordiam* mereantur tuam, illi ne mala patiantur, iste ne faciat . . . Si autem et membra Christi, quae in illa regione sunt, ab exitiali timore ac tristitia recreaveris et meam senectutem hac *misericordiae justitia* fueris consolatus, retribuet tibi, et in praesenti et in futura vita, qui per te nobis in ista tribulatione succurrit, et *qui te in illa Sede* constituit." *Ep.* 262.

Urgebis. Jus recipiendi appellationes Sardicensibus canonibus III., IV., V. Romano Pontifici concessum est. Ex quo iterum colligitur, Romanum Pontificem potestatis plenitudine, saltem quantum ad appellationes, non pollere jure divino.

Resp. Dist. antec.: canonibus illis *jus* appellationum tribuitur, *nego;* appellationum *ordo sancitur, conc.* Ne unico quidem illorum canonum vocabulo significatur, *jus* recipiendae appellationis Pontifici *conferri.* Contra ex *ep.* I. S. Julii Papae, ex historia S. Athanasii aliisque documentis et factis comperimus, jus illud, in primatus *essentia* fundatum, non eo primum tempore exercitum fuisse. Sed patres jus non scriptum contra Arianos, qui episcopos, etiam ad Romam appellantes, suis sedibus spoliarant, *scripserunt* et declararunt. Cf. Alex. Nat. H. E. *saec.* IV. dist. XXVIII.; Hefele, *Konziliengeschichte,* B. I. p. 569 et seqq. Edit. 2.

Obj. IV. Pseudo-Isidori *Collectio,* id est, falsa decretalia potestatis Pontificiae plus aequo augendae causa fue-

runt. Plenitudo ergo potestatis Pontificiae non est a Deo constituta.

Resp. Dist. antec.: ista collectio causa fuit plenioris potestatis Pontificiae in se, *nego;* quantum ad *praxin* appellandi, *subdist.:* substantialiter, *nego;* accidentaliter, *transeat.*

a) Collectio, cui nomen subdititium Isidori Mercatoris (alias: mercatus, peccator) affixum est, circa annum 852, insciis omnino Romanis Pontificibus, confecta et in lucem edita, decretales epistolas Summorum Pontificum a S. Clemente ad Gregorium II. († 731) complectitur. In ea plura decretalia falsa. At ipsa collectio primatum *non creavit,* sed fidem plenitudinis potestatis Pontificiae *praeexistentem,* eamque communissimam firmissimamque, demonstrat.[1]) *b)* Plena potestas Pontificia documentis certissimis ac authenticis decretalibus probatur; nec ulla epistola falsa opus est. Romani Pontifices nunquam ante Leonem IX. (1049—1054), hoc est, non nisi duobus saeculis post collectionem editam ejusmodi decretalibus usi sunt, quamvis Nicolaus I. et Hadrianus II. collectionem quandoque indicaverint.[2]) *c)* Denique primatus incrementum nec est *finis* Isidori nec *effectus:* sed *finis* episcoporum libertas est, *effectus* modificationes aliquae in *usu* appellandi, temporibus convenientes, quae vulgatis decretalibus fortasse facilius invaluerunt.[3])

---

[1]) Spencer Jones, protestans, certissimas Leonis Magni et Gregorii Magni de potestate pontificia sententias allegat, et sapienter concludit: „Die „falschen Dekretalen" des Pseudo-Isidor, in denen die Gegner des Papsttums so gern die Quelle seiner Primatialrechte erblicken, tauchten im Jahre 850 auf, d. h. erst 400 Jahre nach oben zitiertem Ausspruche Leos I. und erst 250 Jahre nach Gregor I. dem Grossen" *England und der Hl. Stuhl,* (versio Germanica, 1904), p. 109.

[2]) De Nicolao I. cf. H. Schrörs, in *Hist. Jahrbuch,* 1904, p. 1—34.

[3]) Tilloy inter alias hanc de *Decretalibus* thesin proponit: „Il résulte de la déclaration des Fausses Décrétales et de l'examen des pièces qu'elle contient, que cette collection n'est pas une entreprise romaine, conçue en vue d'exalter les prérogatives de la primauté, ou de fournir à celle-ci, à l'aide d'une antiquité feinte, un titre historique et légal. L'oeuvre d'Isidore accuse un but de réforme en faveur des droits des évêques et la situation de l'Eglise de France, au IXe siècle, suffit à prouver que ce but correspondait aux besoins

Instabis. Maxima est in catholicis scholis S. Thomae Aquinatis auctoritas. Is autem suum systema Papale, ex corruptis patrum textibus haustum, in opusculo *Contra errores Graecorum* exponit. Scholae igitur catholicae systema Thomisticum de plenitudine potestatis Pontificiae ex authenticis documentis non sumpserunt.

Resp. Dist. min.: S. Thomas suam doctrinam de Romano Pontifice ex textibus corruptis hausit, *nego;* in opusculo memorato textus aliquos minus exactos, sibi exhibitos, in capita quaedam distribuit, *conc.* Negamus objectionem quidquam omnino contra doctrinam catholicam de primatus potestate plena valere, utpote quae in S. Scripturis et traditione fundata sit. Nam *a)* Angelicus doctrinam suam ex consensu catholico *sumpsit* et ex S. Scripturis aliisque firmissimis argumentis *probavit;* in *Summa theologica* textum nullum, ne maxime quidem authenticum, ex opusculo *Contra errores Graecorum* adhibet. *b)* In hoc ipso opusculo nequaquam id agit, ut doctrina *nova* ex auctoritatibus sanctorum patrum, sibi ab Urbano IV. missis, deducatur, sed ut textus nonnullos exceptos juxta *fixam* ecclesiae doctrinam in classes aliquas distribuat. *c)* Praeterea iidem textus, ex libello Urbani IV. ad primatum probandum excerpti, aut *re* authentici sunt, aut habent in veterum operibus pares.[1])

---

de cette situation." *Compte rendu du Congrès scientifique international des catholiques,* 1891, 4me Section, p. 36. — Cf. F. Heiner, *Kath. Kirchenrecht* (4. Aufl. 1904), B. I., p. 61—63.

[1]) Cf. Joan. Turrecremata, *Tract. compendiosissimi septuaginta quaestionum super potestate et authoritate Papali ex sent. S. Thomae collectarum;* Leitner, *Der hl. Thomas über das unfehlbare Lehramt;* Uccelli, *Dei testi examinati da S. Tomaso d'Aquino nell' opusculo contro gli errori dei greci relativamente all' infallibilità pontifica;* Bianchi, *De constit. monarchica ecclesiae.* Contra Döllinger, *Akad. Vorträge,* Fidelis a Fanna, *Seraph. Doctoris Divi Bonaventurae doctrina de Romani Pontif. primatu et infallibilitate;* item S. Bonav. *Opera omnia* (ed. Quaracchi), t. V., p. 189—198. — *De schola in theologia,* et non tantum schola utriusque juris, Thomae temporibus Romae florente, vide contra Gregorovium, Savigny et Harnack, Grabmann, *Die Lehre des hl. Thom. von Aquin* (1903), p. 105—107 et Denifle, *Die Universitäten des Mittelalters bis 1400,* B. I, S. 302.

Obj. V. Ecclesia gubernari posset etiam a multis, supremae potestatis consortibus. Argumentum igitur convenientiae, ex fine ecclesiae sumptum, potestatem in Summo Pontifice plenam esse non probat.

Resp. Dist. antec.: eo modo ecclesia gubernari posset, *transeat;* ea gubernatio esset optima, *nego.* Sunt enim plane perspicua haec Angelici: „id ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, est unitas, sive pax. Unitatis autem causa per se est unum. Manifestum est enim quod plures multa unire et concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo uniantur. Illud autem quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius quam multi uniti; unde multitudo melius gubernatur per unum quam plures." I. 103. 3.

Articulus III.

Utrum potestas Romani Pontificis in omnes et singulas ecclesias sit ordinaria et immediata.

I. Status quaestionis. Potestatem *ordinariam* intelligimus, quae principi *vi muneris* competit, ob eamque rem pro semper et non tantum pro casibus extraordinariis; *immediatam* autem dicimus, qua quis nullius potestate interposita utitur in subditos *proprios.* Ideo hoc agitur, utrum Romani Pontificis potestas in omnes et singulas ecclesias ordinaria sit ac immediata. Quid autem voce *immediatae* significetur, rectius intelligitur ex auctoritate S. Thomae, explanantis, quare *et* Papa *et* episcopus habeant potestatem immediatam in dioecesin, archiepiscopus vero non habeat in illos, qui sunt de dioecesi episcopi. S. Thomas enim ad quaestionem, utrum et Papae et episcopo potestas immediata in dioecesin competat, ita respondet: „Constat enim quod Archiepiscopus non habeat immediatam jurisdictionem in illos qui sunt de dioecesi Episcopi, nisi causa ad eum deferretur; sed Episcopus habet *immediatam* jurisdictionem in parochianos sacerdotis, cum possit quemlibet coram se citare et excommunicare; quod Archiepiscopus non potest in subditis Episcoporum, ut dictum est. Cujus ratio est, quia potestas sacerdotis *naturaliter et ex jure divino* subditur

potestati Episcopi, cum sit imperfecta respectu illius, ut Dionysius probat; sed Episcopus subditur Archiepiscopo solum *ex ordinatione Ecclesiae.* Et ideo in quibus Ecclesia statuit Episcopum Archiepiscopo subjectum, in illis tantum subjectus est ei. Sacerdos autem qui ex jure divino Episcopo subditur, in omnibus est ei subjectus; sicut etiam Papa habet *immediatam* jurisdictionem *in omnes* Christianos; quia Romana ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica *voce Domini* et Salvatoris nostri primatum obtinuit.“ *C. Impugn.* cap. IV.

II. Adversarii. Inter Richerianos et Febronianos convenit, Papam in negotiis dioeceseon intervenire non *posse* nisi extraordinario. Cui opinioni Febroniani ita favent, ut eant infitias, Pontificem Maximum in diœcesibus eximere posse regulares ordines, dispensationes sibi reservare vel quicquam agere hujusmodi, non consentiente episcopo. Nostra aetate viri aliquot, uti „Janus“, insolentes sensus ecclesiastici. de Vaticanis decretis declamitarunt, conquesti Papalem *omnipotentiam* atque deturbatos dignitate sua praesules. — Patres Vaticani, ut paulo superius, decreverunt: „Si quis igitur dixerit . . . ejus (Rom. Pontif.) potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, a. s.“ Cf. Syll. prop. 34.

Thesis: *Potestas Romani Pontificis est ordinaria et immediata in omnes et singulas ecclesias.*

Argumenta.

Arg. I. *a)* Potestas *ordinaria* est, quae principi vi muneris pro semper competit et pro quibusvis casibus. Haec autem in Pontifice Romano residet. Nam Dominus noster S. Petrum *fundamentum* ecclesiae, *clavigerum* caeli, *pastorem* gregis, *confirmatorem* fratrum creavit; quae munera sane simpliciter et pro casibus quibuscunque concredita sunt, non pro casibus extraordinariis tantum. Nullum enim discrimen a Christo factum est.

b) Potestas *immediata* est, quae, nullius interposita po-

testate, in subditos proprios exerceri potest. Jam ex argumentis ante positis facile intelligitur, totam ecclesiam, omnes fratres, agnos et oves, fideles et pastores, Petro .ejusque successoribus directe et jure divino commissos esse. Ergo Summus Pontifex „solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiae contulit . . . ubique in omnibus Ecclesiis habet illam sicut in speciali sua Sede Romana.“ S. Bonaventura, *Quare fratres min. praedic.*

Corollarium. Dictis hoc articulo et praecedenti jungimus ea, quae patres Vaticani ut consecutiones supremae potestatis Romani Pontificis docuerunt.

a) „Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.“

b) „Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.“ Sess. III. cap. III.

Objectiones.

Obj. I. Plures in una eademque dioecesi praepositos ordinarios et immediatos esse, absurde dicitur. At episcopi

potestate immediata et ordinaria in ecclesias suas pollere constat. Rejicienda est igitur immediata illa et ordinaria potestas Romani Pontificis.

Resp. Dist. majorem: assertum falsum est, si plures, qui ita praesunt, non sunt subordinati, *conc.;* si subordinati, *nego.* „Inconveniens esset — ait S. Thomas — quod duo *aequaliter* super eamdem plebem constituerentur; sed quod duo, *quorum unus est alio principalior,* super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa: et quilibet eorum potest ea, quae sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia, alteri committere." *In IV. Sent.,* dist. 18. q. 3. art. 3. q. 5.

Instabis. Rectum illud est, ut episcopi suam tueantur dignitatem. Jam altero constituto in dioecesi ordinario, proprii episcopi dignitas laeditur. Papa ergo cujuslibet ecclesiae ordinarius esse nequit.

Resp. Dist. min.: dignitas episcoporum laesa censetur, constituto altero praeposito eadem ratione, *conc.;* diversa ratione, *nego.* Nimirum episcopi sibi ducunt esse gloriam, obsequi Christo, potestates ordinanti. Rursus patres Vaticani: „Tantum abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu S. in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatas sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur et vindicetur." Sess. III. cap. III.

Obj. II. Si Romani Pontificis potestas in omnes et singulas ecclesias immediata est ac ordinaria, atque adeo episcopalis, sequitur ut Summus Pontifex jure nominetur oecumenicus episcopus. Jam vero S. Gregorius M. eum titulum repudiavit, quemadmodum legimus, *Epp.* lib. V. 18.

Resp. Dist. majorem: Summi Pontifices jure vocantur oecumenici episcopi, exclusis *specialibus* dioeceseon episcopis, *nego*; ut significetur Pontificum potestas immediata in easdem dioeceses, *subdist.:* eos episcopos oecumenicos eo sensu vocari, non repugnat per se, *conc.;* vetandum non fuit per

accidens, *nego.* Id ipsum S. Thomas docet. Sic enim loquitur: „Quod autem Papa *universalem Pontificem* se prohibet nominari, non ideo est quia ipse non habeat auctoritatem *immediatam et plenam in qualibet Ecclesia;* sed quia non praeficitur cuilibet particulari Ecclesiae ut proprius et specialis illius Ecclesiae rector, quia sic cessarent omnium aliorum pontificum potestates." *C. Impugn.* cap. IV.

Instabis. Apud S. Cyprianum scriptum est: „Episcopatus unus est, cujus a singulis *in solidum pars* tenetur." *De unit. eccl.* V. Cum igitur a singulis *pars* in solidum teneatur, nemini potestas ordinaria et immediata *in omnes partes* competit.

Resp. Dist. antec.: a singulis episcopis pars in solidum tenetur, servata *omnium* subordinatione *capiti* totius ecclesiae, *conc.;* relicto centro unitatis, *nego.*

S. Cypriani propositum est, in *fidelibus* et in *fide* haud secus atque in episcopis ecclesiasticae unitatis extollere concordiam. Hinc omnes ecclesiae partes ostendit inter se concinentes: „Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. *Ecclesia quoque* una est, quae *in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur.*" Et alias: „cum sit a Christo *una ecclesia* per totum mundum in multa membra divisa, *item episcopatus unus* Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus;" rursus: „Una Ecclesia . . . et fides una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata." Non tamen inde quidquam concludi potest contra „Petri cathedram" et „ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est". S. Cypr. *ep.* 59.

Articulus IV.

Utrum jursidictionis potestas mediante Pontifice Maximo an immediate a Deo in episcopos derivetur.

I. Status quaestionis. 1° Non agitur de potestate *ordinis,* quae tota per sacramentum ordinis confertur et semel accepta nunquam amitti potest nec auferri; sed de potestate *jurisdictionis,* quae ab ordinis potestate *distincta* est ac *separabilis.*

2° Vix opus est, ut hoc adjungam, dignitatem patriarcharum, archiepiscoporum aliasque id genus dignitates hierarchicas, ut tales, nec non descriptionem cujuslibet dioecesis, v. g. Buscoducensis, juris esse ecclesiastici.

3° Quaestionem non habemus de *designatione* aut *electione personae,* cui dignitas episcopalis conferatur, sed de ipsa potestate. Ea porro considerari potest *a)* secundum ipsum *ordinem* et *gradum* episcopalem seu in abstracto, ut ajunt; sub quo respectu jurisdictio episcopalis *immediate a Deo* procedit, in quantum scilicet ex immediata Christi ordinatione est, ut in ecclesia semper reperiantur, qui *sint* episcopi et, servata subordinatione debita Romano Pontifici, commissum sibi gregem *regant. b)* Rursum potestas jurisdictionis considerari potest in *individuis,* potestatem illam obtinentibus. Atque illud quidem trifariam: primo quantum ad *aptitudinem*; secundo quantum ad *exercitium*; tertio quantum ad *actualitatem. Aptitudinem* immediate a Deo esse remur, cum nemo dubitet, quin ordinatio episcopalis aptitudinem ad jurisdictionem episcopalem recipiendam conferat; et haec aptitudo ab aliquibus jurisdictio *incompleta* vocatur. *Exercitium* a S. Pontifice pendere et ab eo amplificari, tolli posse, universalis et constans ecclesiae praxis ostendit; non ita tamen, ut ipse tollatur ordo episcopalis, prout ex modo dictis conspicuum est. Restat igitur, ut de *actualitate* seu de *actuali* jurisdictione episcoporum, quam alii *completam* vocant, inquiratur.

II. Duplex sententia de origine jurisdictionis actualis episcoporum. Nulla nobis super jurisdictionis potestate movetur lis, utrum juris divini sit an ecclesiastici: namque eam juris divini esse, omnes catholici affirmant, sed alii aliter. 1° Prima sententia est, potestatem jurisdictionis episcoporum a Christo quidem tanquam a causa *principali* derivari, sed *mediante Romano Pontifice.* Qua de re S. Thomas haec affirmat: „Papa, qui est loco S. Petri, habet plenariam potestatem, *alii vero ab ipso.*“ *Expos. in Matth.* XVI. n. 2.; cf. *In. II. Sent.* dist. 44. q. 2. art. 3.; *C. Gent.* IV. 76.; II. II. 39. 3. Itaque episcopi jurisdictionis potestatem *non consecratione,* sed *injunctione* acquirunt. Id

etiam valet de *jurisdictione collegiali*, id est, de jurisdictione in universalem ecclesiam ab episcopis exercenda *in concilio*, Summi Pontificis auctoritate celebrato. Haec enim sola consecratione non acquiritur, sed consecratione episcopi gradum obtinent, quo judices jure divino constituuntur, quando Romanus Pontifex ipsis participationem sollicitudinis universalis confert. Quae participatio utrum episcopis etiam *non residentialibus* per se satis conferatur, extra dubitationis aleam non est. Cf. Mazzella, *De relig. et ecclesia*, disp. V. art. 4.

Primae sententiae adstipulantur S. Bonaventura, *Quare fratres minores praedicent*; S Antoninus, *Summa*, p. II. tit. XXII. cap. III. § 3.; Lainez, *Disput. Trid.* t. I.; Suarez, *De leg.* lib. IV. 4. omnesque fere summi theologi.

2° Altera sententia eorum est, qui episcopos jurisdictionis potestatem immediate a Christo tenere existimant, ut Alphonsus de Castro, Vasquez.

III. Sententia eligenda. Eadem quaestio inter patres Tridentinos agitata est, sed nihil definitum. Nonnulli patres, duce Guerrero, Granatensi archiepiscopo, secundam sententiam contra alios, prioris sententiae defensores, tuebantur. Benedictus XIV. ait: „Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem (jurisdictionis) a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita.“ *De syn. dioec.* lib. I. cap. IV. n. 2. Igitur Angelici sententiam de origine episcopalis jurisdictionis in singulas dioeceses sequendam esse arbitramur.

IV. Utrum in utraque sententia de origine jurisdictionis episcopalis tum Romani Pontificis tum episcopi potestas in dioecesin ordinaria et immediata sit.

Resp. In utraque sententia tam *episcopi* quam *Papae* potestas ordinaria et immediata censenda est.

1° *Quod ad Papam* attinet, sentiunt catholici omnes, et in utroque systemate, jurisdictionem episcoporum dependere, saltem quantum ad *exercitium*, a tacito et, ut jam fit, ab expresso consensu Pontificis. Eam vero Pontificis po-

testatem in episcoporum jurisdictionem, saltem quantum ad exercitium, ordinariam esse ac immediatam, ex thesibus proxime probatis apparet.

2° *Episcoporum* potestas ordinaria et immediata similiter in utraque sententia consistit. Nimirum quia Christus ordinem episcopalem instituit, ut ecclesia regulariter per episcopos regatur, et quia ordini illi potestas propria divinitus constituta est. Jurisdictio autem, quam episcopus consecratus a Romano Pontifice accipit, non est potestas Papae delegata, sed propria illa potestas, quam Christus *muneri episcopali*, dependentem tamen a Pontifice Romano, alligavit. Neque gradus episcopalis, cum munus illud sit juris divini, a Papa aboleri potest. Ita potestas jurisdictionis episcoporum *ordinaria* semper erit. Eademque *immediata;* etenim sive immediate a Deo sive mediante Papa eam conferri sentias, nulla alia potestate inter episcopum et dioecesin posita, exercetur.

Quae cum ita sint, jurisdictio episcopalis, quanquam *in particulari* immediate a Deo concedi non videtur, *in genere* tamen immediate a Deo procedit, qui episcopos cum jurisdictione ordinaria in ecclesia esse voluit.

Articulus V.

Utrum Romanus Pontifex ex cathedra loquens sit infallibilis. Ex S. Scriptura.

I. Decretum Vaticanum hoc est: „Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus

instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit." Sess. IV. cap. IV. — Hoc decreto patet, definiri *activam* Romani Pontificis infallibilitatem seu infallibile *magisterium*.

II. Infallibilitatis Pontificiae definitio. Haec infallibilitas est *charisma, quo Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, per assistentiam divinam in definienda doctrina de fide vel moribus errare non potest.*

1° Diximus: *ex cathedra*. „Cathedra — ait S. Thomas — proprie est Magistrorum et ideo illi super cathedram dicuntur sedere, qui sunt successores Moysis." *In Matth.* XXIII. 1. Patres autem Vaticani metonymiae hujus, ab ipsis adhibitae, sensum sic explicant: „cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Patris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab omnibus tenendam definit." L. c.

2° *Per assistentiam divinam.* Charisma infallibilitatis nec *donum naturale* est neque *habitus supernaturalis*, neque veri nominis *inspiratio*, neque *revelatio*. Patres Vaticani *assistentiam* esse docent. Nam haec clara sunt: „Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, *eo assistente*, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte *custodirent* et *fideliter exponerent*." Hanc porro assistentiam intelligimus auxilium divinum Pontificem determinans, ut *verum doceat*. Cujus auxilii seu operationis divinae, quam S. Thomas *instinctum Spiritus sancti* vocat, effectus *internus* est, ut Pontifex veritatem, in ecclesia depositam, cognoscat; *externus*, ut ex cathedra loquens veritatem proponat. Cf. S. Thom. *Quodl.* IX. art. 16. Attamen stricte opus esse non videtur, ut assistentia divina peculiarem fidei firmitatem in anima Pontificis efficiat.

3° *In definienda doctrina de fide et moribus.* Infallibilitas igitur *illimitata* dici nequit.

III. Quonam sensu Pontificis infallibilitas sit

personalis. Non eo sensu *personalem* Pontificis inerrantiam vocamus, ut infallibilitatem *a se* habeat; nam judicium eorum, qui ecclesiae praesunt, errare potest, „si *personae* eorum *tantum* respiciantur." S. Thom. *Quodl.* IX. 16. Ob eamque rem infallibilitas Pontificia *participata* dicitur, quia divinitus data.

Infallibilitatem *personalem* profitemur, quia Pontifex, non ut persona privata, sed ut persona *qualificata*, ut ajunt, Pontificatu potest edere decreta, quae *ex sese*, *non* autem *ex consensu ecclesiae*, irreformabilia sunt. Verum, etsi Papa decreta hujusmodi edere potest absque consensu ecclesiae, sive congregatae in concilio sive per orbem dispersae, nullo tamen tempore pastor sine ovibus erit, nec caput sine membris, hoc est, sine ecclesia, *pro* qua charisma divinum obtinet.

Ita, quantum ad Pontificem supremo suo munere fungentem, prorsus rejicitur quaevis distinctio inter *sedem* et *sedentem*, inter *seriem* Pontificum et Pontifices singulos, quasi sedentes aut singuli errare possent, non itidem sedes et series. Romanam sedem, cathedram, ecclesiam si infallibilem asserimus, ipsos Pontifices, etiam singulos, erroris immunes intelligimus.

IV. Quaenam ad locutionem ex cathedra requirantur. Jam non quaerimus, quibus indiciis locutionem ex cathedra esse *cognoscamus*, sed quaenam requirantur, ut locutio ex cathedra *sit*. Haec enim, etiam quando de conciliorum oecumenicorum decretis agitur, differunt. Qui hoc negligit, saepe in errore versabitur. Fac, disputationem haberi de Joanne XXII., qui in disputationibus et sermonibus valde propenderit ad errorem dicentium, animas justorum vere purgatas non mox in caelum recipi: quid respondebit, ut auctoritatem sententiae Pontificis abneget? Omnem difficultatem solverit, si ostenderit, quod verum est, nihil a Joanne XXII. fuisse definitum [1]) Conditiones autem ad locutionem ex cathedra jam neminem latere debent, quas Concilium Vaticanum nos edocet. Sunt quatuor.

[1]) Cf. auctores dogmaticos et Denifle, *Chartularium Paris* p. 970—987.

1° Sententia *definitiva.* Non sufficit sententia, quae absque credendi obligatione proferatur, puta adhortandi causa, aut ut Pontifices opinionem significent, et quid sibi probabilius aut certius esse videatur; sed necessaria est intentio Pontificis decidendi veritatem; quod est apud S. Thomam „*finaliter determinare*" ea quae sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, seu, „ut *sic* ejus sententia a tota ecclesia firmiter teneatur." II. II. 1. 10.

2° Sententia *Pontificis,* in quantum loquitur ut pastor et doctor supremus, seu, ut ait S. Thomas, sententia Papae, „quam profert in judicio." *Quodl.* IX. art. 16. Idcirco non censentur ex cathedra latae sententiae, quas Pontifex edit ut *doctor privatus,* vel ut Pontifex est, sed non usus auctoritate sua suprema in universam ecclesiam.

3° In definienda *doctrina de fide vel moribus.* Patres Vaticani docent, Romanum Pontificem ea infallibilitate pollere, „qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit." De objecto autem infallibilitatis ecclesiae quaestione IX. disseruimus. Pontifex — ut docet Aquinas — errare potest in sententiis, „quae ad facta particularia pertinent"; errare non potest „in his quae ad fidem *pertinent*". Cf. *Quodl.* l. c.; II. II. 1. art. 10. — Plura de extensione infallibilitatis Pontificiae vide infra in fine art. 6., ubi ad quaesita nonnulla respondetur.

4° Doctrina *ab universa ecclesia* tenenda; id est a Pontifice definita, „ut sic ejus sententia *a tota ecclesia firmiter teneatur.*" S. Thom., ut supra. Jam „haec intentio Pontificis — Franzelin ait — decidendi veritatem et obligandi fideles sufficienter *manifestata* sit oportet. Quamvis vero sint quaedam formae solemnes documentorum, quae semper manifestant hanc intentionem (ut Bullae dogmaticae in iis, quae directe et scopo principali docent); non tamen definitio per se ullis formis determinatis alligata est, quia ea, de qua loquimur, intentio decidendi veritatem multis ac diversis modis sufficienter manifestari potest." *Ep.* edita in opere period. *Études religieuses,* Juillet 1889.

Si quis igitur quaerat, v. g. utrum encyclica *Rerum*

novarum, cujus auctoritas doctrinalis absque dubio magna est, etiam videatur esse locutio ex cathedra, considerandum erit, non materies modo hujus encyclicae et ad quos directa sit, verum etiam hoc, utrum Summus Pontifex ad doctrinam fidei aut morum, quam exposuit, definitive acceptandam cunctos fideles obligare voluerit.[1]) Encyclica de doctrinis et definitio ex cathedra non sunt synonyma.

V. Adversarii. *a)* Exordium erroris fuit calamitosa lis, quae saeculo XIV. de occupanda Petri sede exorta est. Ea tempestate Petrus d'Ailly seu de Alliaco († 1420) et Joannes Gerson (1429) potestatem Pontificis concilio generali dirigendam et regulandam subdidisse videntur. Verum haec doctrina non ex traditione ecclesiae hausta est, sed *fabricatam* diceres, ut schisma finiretur. Nec Gerson in systemate suo semper idem fuit, neque multi fuerunt, qui Sedem Apostolicam erroribus in fide obnoxiam esse crederent; imo Canus anno 1562: „Nolumus — inquit — hic nos ecclesiae sententiam praevenire, sed si ad generale concilium referatur, *haereseos* nota errori illi inuretur;" addit sese *tuto* sententiam infallibilitatis Pontificiae sequi, „quoniam *communis* catholicorum est". *De loc. theol.* lib. VI. 7.

b) Anno 1682 contra inerrantiam Romani Pontificis positus est *Declarationis Cleri Gallicani* art. 4.; quo episcopi triginta quatuor, a Ludovico XIV. Parisios convocati, perhibent: „In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, *nec tamen irreformabile* esse judicium, nisi *Ecclesiae consensus* accesserit." Quot et qualium consentientium episcoporum consensus requiratur, fuit ambiguum; sed perinde esse putabatur, sive consensus esset antecedens, sive subsequens vel comitans, expressus sive tacitus. Janseniani et Febroniani eo venerunt, ut consensum completum et universalem si non fidelium omnium at omnium episcoporum atque etiam sacerdotum postularent. Cf. Const. *Inter multiplices,* 4. Aug. 1690, et *Auctorem fidei.*

c) Saeculo XIX. sensus aliquorum schismaticus, qui

[1]) Cf. Granderath, *Constit. dogmaticae Concil. Vaticani,* p. 230—234.

nationales ecclesias instituendas esse contendebant (Chatel, Ronge), et scientia quaedam rationalismi non immunis effecerunt, ut viri aliquot catholici deficere ab ecclesia quam decretis oecumenici concilii Vaticani parere mallent. Döllinger, *Erwägungen* seu *Considerationes pro episcopis;* Janus (Döllinger-Huber), *Der Papst und das Konzil;* Gladstone, *The Vatican decrees;* Friedrich, *Neubearbeitung des Janus*, 1892, et alii inerrantiam Pontificiam impugnarunt. Orta et secta Neocatholicorum, quae tantum non tabuit.

Thesis: *Romanus Pontifex, ex cathedra loquens, est infallibilis.*

Argumenta.

Arg. I. *Generatim ex ipsa ratione primatus.* Ex S. Scriptura duo patent: oportere Romano Pontifici subesse universam ecclesiam; ecclesiam in rebus fidei et morum errori non esse obnoxiam. Atqui si Romanus Pontifex, ex cathedra loquens, infallibilitate non polleret, alterutrum destrueretur. Ecclesia enim aut non paret Pontifici, aut eum sequitur; si paret erranti, una cum Pontifice periclitatur; si non sequitur Pontificem, plenitudo Pontificiae potestatis evacuatur. Magisterium ergo infallibile Romani Pontificis admittendum est.

Arg. II. *Ex Matth.* XVI. 18. *a)* In pollicitatione primatus Dominus ad S. Petrum dixit: *super hanc petram (kepha) aedificabo ecclesiam meam;* igitur Summus Pontifex est *fundamentum* totius ecclesiae. Atqui ad ecclesiae essentiam pertinet fides, eaque nunquam defectura. Summus ergo Pontifex est *fundamentum* fidei nunquam defecturae. Jam si fundamentum succumbat, tota fabrica in ipso fundata corruet. Ergo Summus Pontifex, quoniam fundamentum est infallibilis ecclesiae, in fide errare non potest.

b) Christus ita prosequitur: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, id est, adversus petram (kepha), aut adversus ecclesiam, quatenus in petra (kepha, Petro) fundatur. At *portae inferi* sunt et haereses. Haereses igitur adversus eum, qui est *petra* et firmitudo totius ecclesiae, nihil quidquam praevalebunt. Jam vero *petra* est Summus

Pontifex. Hic ergo in fide errare non potest. Quod magis propalatum habemus ex *Matth.* VII. 24—27., ubi domus viri stulti cecidisse dicitur, quia stultus „*aedificavit* domum suam *super arenam*“; domus viri sapientis, pluvia, fluminibus, ventis simul in domum irruentibus, „non cecidit: fundata *enim* erat *super petram.*“. Eodem modo firma est fides ecclesiae; fundata *enim* est *super petram.* Cf. S. Thom. *In Matth.* XVI. n. 2.

Arg. III. *Ex S. Luca* XXII. 32. Verba Christi: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* referuntur ad S. Petrum et successores ejus, ut caput ecclesiae. Jam iis ipsis verbis promittitur infallibile magisterium. Ergo caput ecclesiae seu Summus Pontifex gaudet infallibili magisterio. Prob. *min. a)* Petrus, jussus reliquos omnes in fide confirmare, ipse firmissimus sit necessum est. At Petro soli — pro *te,* fides *tua, tu* — mandatur munus *confirmandi* in fide reliquos omnes, quos Dominus vocat *fratres tuos.* Ergo Christus promisit, caput ecclesiae suae, hoc est, S. Petrum ejusque in primatu successores ab omni semper errore permansuros illibatos, id est, Rom. Pontificem in docendo fore infallibilem.

b) Idem jure efficitur ex verbis: *ego rogavi pro te.* Nempe Christus orans etiam *confirmandi* munus spectavit. Christus autem procul dubio *exauditus est pro sua reverentia.* Hebr. V. 7.

c) Neque parallelismus idearum inter Matthaeum, ut supra, et Lucam obscurus est. Nam *petra ecclesiae* et *confirmator fratrum* unum firmitudinis conceptum exprimunt. Cf. S. Thom. II. II. 1., 10.; 2., 6. ad 3.; *suppl.* 25., 1.; *In Symb.* art. IV.

Arg. IV. *Ex S. Joanne* XXI. 15—18. Christus his verbis: *Pasce agnos meos; — Pasce oves meas,* universum gregem Summo Pontifici suprema auctoritate regendum commisit. At „evangelizare pascere est“. S. Bern. *De consid.* IV. 3. Pontificis est igitur, universum Christi gregem evangelicae veritatis pabulo nutrire. Porro pastor

supremus si esset errori obnoxius, fieri posset, ut universum Christi gregem a pabulo salubri veritatis ad venenosa errorum abduceret. Christus ergo, qui media largitur fini congrua, summo pastori charisma inerrantiae concessit. Cf. S. Thom. *In Joan.* XXI. lect. III. et conc. Vatic. sess. IV. cap. IV.

Objectiones.

Obj. I. Id ex S. Litteris ratum ac firmum, solum Christum auctorem esse fidei. Ergo infallibilitas Pontificia, cum certe superflua sit, a priori negatur.

Resp. Dist. antec.: Christus est auctor fidei intus efficiendae, *conc.;* proponendae fidei, *subdist.:* auctor principalis, *conc.;* exclusa causa instrumentali magisterii Pontificii, *nego.* Christus secundum utramque naturam simul est caput totius ecclesiae secundum gubernationem, dignitatem et influentiam. Cf. S. Thom. *De verit.* q. XXXIX. art. 4. Sed Pontificis magisterio tanquam instrumento utitur, ut ecclesiae suae fidei veritatem ad credendum *proponat.*

Instabis. S. Petrus fidem negavit in atrio Caiphae, abscondit Antiochiae, Paulo resistente. Ergo Papa non magis infallibilis est quam beatus Petrus.

Resp. Dist. antec.: haec facta sunt Petri, ex cathedra loquentis, *nego;* pertinent ad Petri fidem personalem, *subdist.:* ratione fidelitatis aut prudentiae, *conc.;* ratione fidei proprie dictae, *nego.* Et sane Petri facinus in atrio privatum fuisse nemo ignorat; nec ejus fides privata defecit, sed fidei *professio;* adde, apostolum eo tempore in munere supremi pastoris confirmatum non fuisse, neque in eum venisse Spiritum sanctum. — Res Antiochena prudentiae offensio fuit, fides nec publica nec privata ullo pacto defecit.

Dices. Quandoque fit, ut Pontifices praebeant reprehensionis ansam aliquam. Vitia autem et infallibilitas pugnant.

Resp. Transeat antec. *Nego* conseq. Scilicet ab integritate vitae deficere et errare ex cathedra differunt. Ita „Caiphas *quantumvis nequam* tamen *quia* Pontifex legitur etiam inscius prophetasse.“ S. Thom. *Quodl.* IX. 16. Quod

apte ad Pontificem Romanum transfertur, qui, Deo *assistente* ex cathedra loquens, *excedit seipsum.*

Obj. II. Dominus ad S. Petrum: „tu aliquando *conversus* confirma fratres suos.“ Jam vox *conversus* confirmandi munus ad Petri personam coarctat. Ex hoc igitur textu neutiquam probatur, Pontifices in fidei judicio errare non posse.

Resp. Dist. min.: vox *conversus* munus ad Petri personam coarctat, *nego;* personam Petri accidentaliter determinat, *conc.* Vox *conversus* substantiam et indolem promissionis divinae: *rogavi pro te,* etc. nihil contingit, quasi Dominus instituisset *confirmatorem conversum;* sed accidens est, significans: postquam conversus es, vel aliquid hujusmodi.

Dices. Omnes apostolos divinitus in fide confirmatos esse, constat. *Munere* igitur confirmatoris et infallibilis doctoris non opus erat.

Resp. Dist. antec.: omnes apostoli in fide confirmati sunt, *conc.;* et munus confirmatoris ante omnia pro apostolis institutum est, *nego.* Christus pro Petro oravit, et ipsum fidei confirmatorem creavit, ut cathedra Petri arx fidei esset pro omnibus hominibus et saeculis, et pro ipsis apostolis, in quantum alicujus confirmationis indigerent.

Instabis. Primus Agatho, Papa († 681), Lucam XXII. ad primatum illustrandum attulit. Ergo interpretatio illa, quia nova, nulla est.

Resp. Nego assertum, quod, a Launoio *(ep.* V. 6.) inventum, tempore concilii Vaticani iteratum est. — S. Ambrosius, *De fide,* lib. V. 1.; S. Leo M. *Serm,* LXXXIII. 3.; S. Cyrillus Alexandr. *Comment. in Luc.* XXII. 32. et alii locum illum ad primatum retulerunt. Ita S. Gelasius, *ep.* 4. ad Honorium, Dalmatiae episcopum: „totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est: *Et tu conversus confirma fratres tuos;* et item: *Petre amas me? Pasce oves meas:* dissimulare nec possumus nec debemus, quae“ etc. Apud Thiel, I. p. 321. Neque illam Agathonis interpretationem *novam* esse censuerunt patres concilii Cpolitani, cum de

epistola, nobis objecta, exclamaverint: *Petrus per Agathonem locutus est.*

Obj. III. S. Codicum de magisterio testimonia sic explicari possunt, ut Sedes Apostolica non erret in *decisis*, non ita firma sit in *decidendis*. Ergo Papa *definire* non potest.

Resp. Dist. antec.: S. Scripturae sic explicari possunt, ut Papa sit infallibilis tam in decidendis quam in decisis, *conc.;* in alterutro duntaxat, *nego.* Indoles capitis, confirmatoris, summi ecclesiae pastoris haec est, ut Pontifex Summus firmitate sua in *decidendis* praebeat ecclesiae *decisa* vera.

Instabis. Si *seriem* Pontificum ab omni prorsus errore illibatam dicimus, *non singulos*, Sedes Romana tamen erit, quae omnes ad unitatem in fide moveat. Hac igitur interpretatione S. Scripturis nulla vis infertur.

Resp. Dist. antec.: si series Pontificum non erret, Sedes tamen Romana erit, quae omnes ad unitatem in fide moveat, omnes omnium temporum, *nego;* secus, *transeat.* Pollicitatio divina est, *nunquam* fore, ut portae inferi sive adversus ecclesiam, sive adversus petram ecclesiae praevaleant. Atque etiam distinctio illa inter *seriem* et *singulos* infallibilitatem *activam* penitus delet. Nam quos *Christus* pavit, eos jam pascunt *singuli* Ejus vicarii; at si in fide definienda possint errare singuli, infallibili certitudine fidendum est nulli.

Dices. Saltem fas sit, sequi hoc Leonis M.: „Aliud sunt *sedes*, aliud *praesidentes.*“ *Ep.* 101.

Resp. Dist.: S. Leo distinguit inter sedem et sedentem, quantum ad ea, quae sedenti non competunt ex sua sede, *conc.;* quantum ad ea, quae sedens non habet nisi ex sua sede, *nego.* In casu, vitia Acacii sedis episcopalis jura tollere non potuerant; at vero Pontifici Romano jura Petri ex cathedra Petri profluunt. Quis autem dixerit, fideles in vera fide infallibiliter servari per sedem, non per sedentem? Servatur Christi populus per Pontificem, quatenus hic vi muneris sui agit, id est, ex sede sua seu ex cathedra.

Alia, quae a nonnullis contra dicuntur, in disputationibus de primatu habitis satis excussa videntur.

Articulus VI.

Utrum infallibilitas Romani Pontificis ex traditione monstretur.

Adversarii. A Gallicanis quondam quaesita sunt argumenta ex traditione factisque historicis, quae theologos, infallibilitatem Pontificiam asserentes, confunderent; ita Bossuet, qui contendere videtur suae *Defensioni* patrocinari *exploratam patrum sententiam*, repugnare nihil praeter *novellas* scholasticorum opiniones. Non majori jure Döllinger,[1]) *Erwägungen* seu *Considerationes*, et qui cum eo definitionem Vaticanam rejecerunt, ecclesiam catholicam *sensu historico* carere perhibent; quorum asserta legens, crederes inter Orientales neminem unquam suspicatum esse infallibilitatem Pontificiam factaque cuncta doctrinae Vaticanae esse contraria. Si qui patres Occidentales dogmatis hujus mentionem non faciant, illico nobis adversi dicuntur, et Aquinatem citanti respondent, sanctum deceptum monumentis suppositis. De S. Thoma vide art. 4. In praesentia probandum est, multo ante aetatem Angelici et ab antiquissimis temporibus doctrinam de infallibili Pontificis Romani magisterio in ecclesia viguisse.

Thesis: *Infallibilitas Romani Pontificis ex veterum testimoniis certa est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex veterum testimoniis. a) S. Clemens* Romanus et *S. Ignatius* Antiochenus non ad probandum sed ad confirmandum aliquid testimonii praebere videntur. Nam Clemens suam ad *Corinthios* epistolam tanta auctoritate scripsit, ut virum infallibili magisterio donatum valde deceat; unde S. Irenaeus de illa epistola: „scripsit, quae est Roma, ecclesia potentissimam (ἱκαιωτάτην) epistolam, reparans fidem illorum et annuntians, quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem.“ *Adv. haer.* III. 3. Igna-

[1]) Cf. Michael, *Ignaz v. Döllinger*, 1892.

tius autem *ad Romanos,* cap. III.: „Neminem unquam fascinastis; alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis.“ Verum haec fortasse tantummodo de exhortatione ad martyrium dicta sunt.

b) S. Irenaeus, Adv. haer. III. 3.: „Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.“ Porro his verbis, cum suis adjunctis, affirmatur *necessarius consensus omnium ecclesiarum cum Romana ecclesia, quod in ea sit incontussa firmitas fidei.* Id autem idem est ac agnoscere Romanae ecclesiae infallibilem auctoritatem. Ergo infallibilitas competit Romano Pontifici. Exposito supra (p. 564—567) textu S Irenaei, quatenus primatum probat, argumentum nostrum suo jam fundamento non caret. Illa enim *necessitas consentiendi,* quam directe sive indirecte expressam monstravimus, *ex fidei firmitate* in Romana ecclesia oritur. Nam 1° ecclesia huic tribuitur *potentior principalitas.* Atqui sanctus martyr lib. IV. 26 docet eos, qui successionem ab apostolis habent, cum episcopatus successione *charisma certum veritatis* accepisse. Hoc igitur *charisma veritatis certum* maxime fuisse in ea ecclesia credidit, quae tantam habet *principalitatem,* ut *omnes ecclesias ad eam convenire necesse sit.* 2° Hujus „*maximae* et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae *ecclesiae*“ auctoritas tam firma est, ut Irenaeus ea *confundat* Gnosticos et „omnes, qui *quoquo modo* . . . praeterquam oportet, colligunt“. 3° In ecclesia Romana „*semper* ab his, qui sunt undique, *conservata* est ea quae est ab Apostolis traditio“. 4° Continuo enumeratis Romanis Pontificibus usque Eleutherium, sanctus doctor concludit: „est *plenissima haec ostensio,* unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.“ O. c. lib. III. 3.

Quibus positis efficitur, ecclesiae Romanae auctoritatem in rebus fidei tantam esse, ut ea *sola* contra *omnes* errores sit *plenissima ostensio.*

c) Inter alios testes *S. Cyprianus* communicationem cum *Pontifice Romano* idem esse affirmat atque „*ecclesiae catholicae* unitatem et caritatem" probare, et „cum *ecclesia catholica* communicare", *Epp.* 48. et 55.; idem Romanos, hoc est, Romanam Ecclesiam laudat, „ad quos *perfidia* non possit habere accessum". *Ep.* 59. — *S. Ambrosius:* „*Ubi Petrus, ibi ecclesia;* ibi nulla mors, sed vita aeterna; et ideo addidit (Christus): *Et portae inferi non praevalebunt ei*, et: *Tibi dabo claves regni coelorum.*" *In Ps.* XL. 30. Idem *De obitu fratris Satyr.* I. 47.: „Percontatusque ex eo (episcopo) est, utrumnam cum *episcopis catholicis, hoc est*, cum *Romana ecclesia* conveniret." Cf. Maximum M. *Ep. ad Petrum illustrem.* — *S. Hieronymus* inter errorum procellas ad Romanum Pontificem scribens: „Ego — ait — nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est;" atque: „Quicunque *tecum* non est, spargit, *hoc est*, qui *Christi* non est, Antichristi est." *Ep.* 15. ad Damasum. — *S. Augustinus:* „In hac cathedra unitatis posuit Deus doctrinam veritatis." *Ep.* 105. Idem, recensitis Romanis Pontificibus, subdit: „Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae." *In ps. contra partem Donati.* Rursus, receptis Innocentii I. ad concilia Carthaginiense et Milevitanum rescriptis in re Pelagii: „de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. *Causa finita est.*" *Serm.* CXXXI. 10. Cf. *De util. credendi*, cap. XVII. *S. Petrus Chrysologus* ad Eutychen, abbatem Cpolitanum, haec verba direxit: „In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a Beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, *praestat quaerentibus fidei veritatem.*" Inter *epp.* S. Leonis, 25. Cf. S. Epiphan. *Ancoratus*, cap. IX.; S. Ephraem, *Serm.* IV. *in hebdom.* S. Leo M.: „*Soliditas illa fidei*, quae in apostolorum principe est laudata, *perpetua* est." *Serm.* III. 2. Rursus: „*Soliditas* enim illa, quam de Petra Christo etiam ipse

(Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes." *Serm.* V. 4.

d) Brevitatis causa, plurimis aliis omissis veterum testimoniis, *formulam Hormisdae* (514—523) proferimus. Eam subscripserunt episcopi quotquot a schismate Acaciano ad unitatem catholicam revertebantur, necnon patres concilii oecumenici VIII.; ingens certe episcoporum numerus (circiter 2500), inter quos Epiphanius, Joannes et Mennas, patriarchae Constantinopolitani.[1]) Formula autem haec est:

„Prima salus est, regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio.[2]) De hac ergo spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses", etc. Mox subjungitur: „Quapropter suscipimus et probamus epistolas beati Leonis Papae universas, quas de religione Christiana conscripsit. Unde, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et praedicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse merear, *in qua est integra et verax*[3]) *Christianae religionis soliditas*. Promittentes etiam sequestratos a communione *Ecclesiae catholicae, id est,* non consentientes *Sedi Apostolicae,* eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria." Apud Thiel, *Epistolae Rom. Pont. genuinae.* Fasc. II. p. 754—755. Ex quibus haec colliguntur: 1° Fides in Sede Apostolica *semper immaculata* servata *est;* 2° idque *vi* sententiae Dominicae: *Tu es Petrus,* etc., ita ut *dicta* proben-

---

[1]) Rusticus diac. *Disp. adv. Acephalos;* Döllinger, *Kirchengesch.* (2. Aufl.), B. I., 177; Granderath, *Constit. dogmaticae Conc. Vatic.* p. 164 et seqq.

[2]) In solemni professione concilii Cpolitani IV., quam et patres Vaticani afferunt (sess. IV. cap. IV.), hoc loco adduntur verba: *et sancta celebrata doctrina.*

[3]) In professione Cpolitana: *vera.*

tur *effectibus;* 3° haec ergo fides semper immaculata *erit* in illa Sede, in qua est *integra* et verax Christianae religionis *soliditas;* 4° non consentientes Sedi Apostolicae sequestrati sunt a communione ecclesiae catholicae. Atqui certe nihil firmius est hoc testimonio. Constat ergo, penes Romanum Pontificem esse infallibile magisterium.

Arg. II. *Ex conciliis. a) Ex synodo Ephesina.* S. Caelestinus, Papa, ad patres Ephesinos scribens: „Direximus — ait — pro nostra sollicitudine . . . Arcadium et Projectum Episc. et Philippum presbyterum, qui iis, quae aguntur, intersint, et *quae a nobis ante statuta sunt, exsequantur.* Quibus praestandum a vestra Sanctitate non dubitamus assensum." Patres deinceps sententiam ferentes: „*Coacti* — inquiunt — *per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri* . . . Caelestini Romanae ecclesiae Episcopi . . . ad lugubrem hanc contra eum (Nestorium) sententiam *necessario venimus.*" Philippus demum Pontificis Romani legatus: „Gratias — inquit — agimus sanctae . . . Synodo, quod litteris . . . Papae nostri vobis recitatis *sancta membra . . . sancto capiti . . . vos adjunxeritis.* Non enim ignorat vestra Beatitudo, *totius fidei,* vel etiam Apostolorum *caput esse b. Apostolum Petrum.*" Hard. I. 1471, 1506.

b) Ex concilio Chalcedonensi. S. Leo M. patribus Chalcedonensibus, quid sit credendum, praescribit. Nam „rejecta — inquit — penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: nec liceat defendi, quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates . . . *plenissime . . . per litteras,* quas ad b. memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento incarnationis D. N. J. C. pia . . . confessio." Pariter *ep.* 120. ad Theod.: „(Deus) nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed *quae nostro prius ministerio definierat,* universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu." Rursus de concilio: „*quae fides prius docuerat,* haec postea examinatio confirmat." Neque tamen quisquam magistratum hunc fidei rejicit; sed, lecta Leonis ad Flavium epistola, Chalcedonenses patres clamarunt: „Omnes ita cre-

dimus . . . *Petrus per Leonem locutus est;*" sed improbatur Dioscorus, qui „contra ipsum, *cui vineae custodia a Domino commissa est,* extendit insaniam." At *vineam* praesertim de fidei incolumitate hoc loco dici, non ambigitur. Denique synodus ad Leonem scribit: „(fidem) ex praecepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres et *ejus fidei beatificationem super omnes adducens* . . . Quibus tu quidem, *sicut membris caput,* praees" (*ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες*). Inter *epp.* Leon. 98. Quorum haec summa: Leo definit, quia *caput* est; patres definientem *sequuntur*, quia *membra.* Cf. S. Thom. *De potentia,* X. art. 4. ad 13.

c) Concilium oecumenicum VI., Cpolitanum III. ad Agathonem, Papam, scripsit: „tibi ut primae Sedis antistiti universalis ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, *stanti super firmam fidei petram*, libenter, acquiescentes verae confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad . . . Imperatorem missis." Agatho, Constantini imperatoris epistolae respondens, *fidem* ecclesiae Romanae *illibatam* permansisse memorat „*secundum* ipsius Domini Salvatoris *divinam promissionem*". Jussit autem definitiones suas de Sergii errore, ad concilium missas, illibatas custodiri, quia „Romanae ecclesiae auctoritatem, *utpote* Apostolorum omnium principis, *semper omnes* catholicae ecclesiae et universales synodi fideliter amplectentes, *in cunctis* secutae sunt". Patres epistolae acclamarunt: „Charta et atramentum videbatur, et *per Agathonem Petrus* loquebatur." Act. XVIII. Cf. S. Thom. l. c.; Hefele, *Conciliengesch.* III.

d) Concilium oecumenicum VIII., quod est Cpolitanum IV., plurimum valet ad probandam infallibilitatem Pontificiam, utpote cum Hormisdae *formulam*, in arg. I. prolatam, acceperit. Nam profecto inter veterum monumenta hic locus est planissimus. Alia plurima omitto.

Arg. III. *Ex factis.* Facta, quae sunt plurima, generibus *quinque* comprehendo.

a) Romani Pontifices ad ecclesias tam Orientales quam Occidentales suas de rebus fidei epistolas summa auctoritate scripserunt, disertim affirmantes, Salvatorem promisisse,

fidem Petri *non defecturam*, nec unquam fore, ut portae inferi et haereses adversus *petram* praevaleant. Quo in genere collectio Leonis M. conspicua est.

b) Veteribus fides *Romana* et fides *catholica* sunt res prorsus una. „Fidem suam — Hieronymus ait — quam vocat?“ „*Si Romanam* responderit, *ergo* catholici sumus.“ *Apol. adv. Rufin.* I. 4. Aug. *Serm.* CXX., ap. Mai, *Nova patrum biblioth.;* Cyprianus, Ambrosius, Maximus, ut supra.

c) Si qua de fide movebatur quaestio, patres scribendo, adeundo, appellando, parendo, rem Romae definiendam esse probarunt. Ita Dionysius Alexandrinus († 265), cum adversus Sabellii haeresin scripsisset, quidam ecclesiae fratres, episcopi doctrinam parum recte intelligentes, *Romam se contulerunt* illumque apud Dionysium, Pontificem Romanum, accusarunt. Quibus auditis, Alexandrinus litteras misit ad Pontificem, librum autem sui purgandi causa quam primum edidit, inscriptum: *Elenchus et apologia ad Dionysium Romanum.* Quod refert S. Athan. *De sent. Dionysii.* Eam Pontificum auctoritatem inter catholicos maximi fuisse, haeretici nobis testes sunt, cum potestate illa abuti conarentur, ut Valentinus, Cerdo, Marcion, Novatianus, Nestorius, Sergius et alii.

d) Plures haereses solius Pontificis Romani sententia damnatae sunt, velut Montanismus, in quem Zephyrinus *edictum* edidit vere *peremptorium*, non obstante Tertulliano (Tert. *C. Praxeam.* I.); et Pelagiani, de quibus S. Prosper aperte: „Tunc istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae suae locis ac principibus corruerunt, quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris *capita apostolico mucrone percussit,*“ etc., *Contra collatorem*, cap. XXI.; item Macedonii error a Damaso damnatus est. „Quo facto, *utpote* controversia judicio Romanae ecclesiae terminata, singuli quievere“ (Orientales episcopi). Sozom. H. E. VI. 22.

e) Tot volventibus saeculis, cum sedes patriarchales omnes in fide erraverint, Pontifices Romani, ad quos innumerae propemodum controversiae delatae sunt, nullum unquam errorem ex cathedra docuerunt. Profiteamur ergo: *Digitus Dei est hic.* Exod. VIII. 19.

Arg. IV. *Ex necessitate infallibilitatis Pontificiae.* Una fides debet esse totius ecclesiae. Sed unitas servari non potest, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti ecclesiae praeest; ut sic ejus sententia a tota ecclesia firmiter teneatur, ut ait S. Thomas, II. II. I. 10. Ergo Romanus Pontifex est infallibilis. Prob. *min. a)* Omnes sequi tenentur Papam, in quo *plena* potestas residet; ab eo igitur omnes in fide servari necesse est. *b)* Ut lites de fide convenienter dirimantur, requiritur tribunal certum et permanens. Hoc autem est Pontifex infallibilis. Synodus enim universalis pro singulis erroribus congregari nequit, cum cura episcopalis, longa itinera, pericula belli et alia hujusmodi saepe valde impediant, quominus omnes orbis pastores in synodum conveniant. Consensus vero totius ecclesiae plerumque nec exspectari potest neque certo cognosci. S. Thom. *De potentia,* l. c.; *C. Gent.* lib. IV. 76. — Cf. Orsi, *De irreformabili Rom. Pontif. in definiendis fidei controversiis judicio;* Ballerini, *De potestate ecclesiastica S.S. Pontificum et Conciliorum generalium et de vi ac ratione primatus Romanorum Pontificum,* etc.; Schrader, *De unitate Romana;* pro analogia cum V. Test. Vincenzi, *De Hebraeorum et Christianorum sacra Monarchia.*

Quaeres I. *Utrum Summus Pontifex, ex cathedra definiens, et concilium oecumenicum, Summo Pontifici conjunctum, sint* duo subjecta *infallibilitatis activae et duae supremae auctoritates infallibiles.*

Resp. Una est in ecclesia auctoritas infallibilis, quae tamen *duplici modo* exercetur. *Subjectum* enim infallibilitatis activae est Romanus Pontifex, in quo seorsum ab oecumenico concilio potestas summa est ac plena; haec autem potestas et infallibilitas in concilio, ut in *subjecto magis extensivo,* reperiuntur, quando corpus episcoporum cum capite suo judicium exercet et docet universam ecclesiam. *Unam* autem auctoritatem infallibilem patres Vaticani haud obscure designant, definientes, Romanum Pontificem „ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit". Sess IV. cap. IV.

Quaeres II. *Quonam criterio fideles internoscere possint decreta Romani Pontificis infallibilia.*

Resp. a) In definitione Vaticana hoc tantum exprimitur, Romanum Pontificem esse infallibilem, „cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit.“ L. c.

b) Praeter hanc regulam generalem ea quoque hic valent, quae de conciliorum oecumenicorum decretis, supra p. 466—467, dicta sunt.

c) Id etiam verissimum esse videtur, quod Palmieri ait: „Haec quidem necessaria sunt, ut sciat fidelis sibi esse credendum; quod nempe doctrina ab omnibus credenda proponitur, et quod proponitur vi auctoritatis illius, quae infallibilis est. Quid amplius potest desiderari? an ut determinetur specialis modus quo Romanus Pontifex definiat doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, quo adhibito, ejus definitio censenda sit infallibilis, quo non adhibito, liceat non talem eam censere? Verum et id necesse per se non est pro certo exercitio cujusque auctoritatis statuere. Cum enim natura suppeditet omnibus hominibus plures vias et modos significandi cum certitudine ceteris suam voluntatem, exercitiumque suae facultatis, nulla est necessitas cur haec potestas a natura omnibus facta limitetur in Principe: quod enim postulatur hoc est, ut nimirum ipse significet agere se ut Principem, velleque obligare; quocunque autem modo id faciat, dummodo id assequatur, perinde est.“ *Tract. de Rom. Pontifice,* thesis XXXI.

Quaeres III. *Ad quae extendatur infallibilitas Pontificia.*

Resp. a) Patres Vaticani, sess. IV. cap. IV. definientes, Romanum Pontificem ita esse subjectum infallibilitatis, ut ejus „definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles“ sint, non nisi formula *generali* expresserunt *objectum,* ad quod infallibilitatis praerogativa porrigitur. Scilicet solemniter asserunt, Papam infallibilitate pollere, cum „*doctrinam de fide vel moribus* ab universa

Ecclesia *tenendam* definit". Quibus verbis patres infallibilitatem Pontificis Romani, definientis res cum dogmate revelato connexas, ob rationes gravissimas expressis quidem verbis non asseruerunt, at multo minus eam excluserunt. Imo vox illa *tenendam* posita est, exclusa formula illa, quam alii nonnulli proposuerant, videlicet: „*de fide* tenendam": timebant enim patres, ne Pontificis Romani inerrantia hujusmodi formula coarctari videretur ad veritates in se revelatas, quae *fide divina credendae* sunt. Cf. *Coll. Lacens.* t. VII., p. 415, 1700, 1713 etc.

b) Infallibilitas Pontificia ad ea porrigitur, quae cum doctrina revelata connexa sunt. Nam 1° Romanus Pontifex ea infallibilitate pollet, qua Christus ecclesiam suam instructam esse voluit. Cf. Conc. Vat. l. c. Ostendimus autem, quaest. IX. art. 2—6. ecclesiam in iis etiam, quae cum revelata doctrina de fide vel moribus connexa sunt, erroris expertem esse. Infallibilitas ergo Pontificia ad eadem objecta extenditur. — 2° Patres Vaticani docent, Petri successoribus Spiritum sanctum promissum esse, ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum *sancte custodirent et fideliter exponerent.* L. c. Haec autem custodia et expositio inerrantiam, etiam pro connexis cum immediate revelatis, omnino postulant. Cf. quaest. IX. art. 6.

c) Quemadmodum ecclesia, ita et Summus Pontifex infallibilis est in ferendis censuris, *haeresi* inferioribus. Negare autem, ecclesiam in iis ferendis infallibilem esse, *haereticum* ducunt de Panormo, *Sanct. Doctr.* cap. III. art. 13. et alii; si non haereticum, at *erroneum* aut *errori proximum*, De Lugo, *De Fide*, disp. XX.; Ripalda, t. III. disp. I. sect. VII. et alii. Cf. supra p. 388—389.

Quaeres IV. *Qualis obedientia debeatur Romano Pontifici, aliquid circa doctrinam fidei vel cum ea connexum docenti, quando non ex cathedra definit.*

Resp. a) Quando Romanus Pontifex „docens quidem aliquid — ait Palmieri — tamen non intendit obligationem imponere credendi illud tanquam aliquid tenendum ab universa Ecclesia, sive id non significat se velle, tunc non

dicitur loqui ex cathedra, etsi de doctrina loquatur spectante fidem vel mores. Qua in hypothesi non satis bene dicitur loqui ut *doctor privatus;* licet enim non loquatur ex plenitudine auctoritatis, loquitur tamen ex auctoritate: quocirca Romanus Pontifex sic loquens non est detrudendus in censum quorumque doctorum privatorum nullam habentium auctoritatem.

b) Magisterio Romani Pontificis, etiam non loquentis ex cathedra, debetur: 1° obsequium silentii; 2° assensus quidam religiosus, cum nihil sit, quod suspensionem assensus prudenter suadeat. *De Rom. Pontifice,* thesis XXXII. scholion II.

Objectiones.

Obj. I. Ecclesia non potest facere dogmata nova. At dogma Pontificiae inerrantiae novum. Ergo falsum.

Resp. Dist. maj.: ecclesia non potest dogma novum *facere, conc.;* non potest *declarare* dogma antiquum, *nego.* Nihil omnino praeter solemniorem definitionem in Vaticano decreto novum; quemadmodum et S. Thomas docet in nova symboli editione non contineri „*aliam* fidem", sed „*eamdem* magis expositam". II. II. 1. 10. ad 2.

Obj. II. Pontifici Summo, si errare in judicio fidei nequit, inquisitio nulla veritatis adhibenda est. Pontifices autem non nisi post diligentem inquisitionem decreta sua edere consueverunt. Ergo non sunt infallibiles.

Resp. Dist. maj.: nihil inquirendum esset Pontifici, si inerrantiam haberet per revelationem divinam, *conc.;* per assistentiam divinam, *nego.* Item *dist.* min.: Pontifices inquirunt, quia diligens inquisitio est *causa* sententiae infallibilis, *nego;* quia est medium, assistentiae S. Spiritus subordinatum, *conc.*

Pontifex in definiendo *seipsum excedit,* id est, per assistentiam S. Spiritus edit infallibiliter vera decreta: quod vires *humanas* plane superat. Sed assistentia divina mediorum humanorum usum non aufert. Quapropter patres Vaticani declarant: „Romani Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Con-

ciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis *auxiliis*, ea tenenda definiverunt, quae S. Scripturis et apostolicis Traditionibus, *Deo adjutore*, cognoverant." L. c. — De episcopis, in concilio oecumenico definientibus, cf. supra quaest. XIII.

Instabis. Quod infallibiliter decretum est, iterum examinari non debet. Jam vero episcopi, quin etiam Romani Pontifices veritatem, Pontificio judicio jam determinatam, in oecumenicis conciliis iterum examinari voluerunt. Pontificis ergo Romani decretum ex cathedra erroneum esse potest.

Resp. Dist. maj.: decretum infallibile iterum examinari non debet examine dubitativo, *conc.;* confirmativo examine, *subdist.*: ut veritas proponatur auctoritate majori extensive, *conc.;* intensive, *nego.* Ita factum est, ut Romani Pontifices sententias suas in oecumenicis conciliis solemnius declarari voluerint, quoniam tanti coetus splendor et externa auctoritas hominum mentes admodum permovent; et quia communi tot virorum praestantissimorum consilio tutissime et efficacissime statuuntur, quae visa sunt ad fidei decreta *tuenda* et ad amovendas dissidiorum causas aptissima.

Obj. III. S. Irenaeus inerrantiae Pontificiae testis habetur, quod docuerit necesse esse, omnem ecclesiam *cum* ecclesia Romana *convenire;* id enim retro declaratum est. At locus ille graece non exstat, et Irenaeus fortasse intellexit: *convenire ad*, de confluxu ad Urbem physico. Irenaeus ergo testis dubius.

Resp. Dist. maj.: testimonium illud totum pendet ex interpretatione: „convenire *cum*", *nego*; hac interpretatione confirmatur, *conc.; Dist.* min.: Irenaeus fortasse intellexit confluxum physicum ad Urbem materialiter, *transeat;* formaliter, *nego.* Et *nego* conclusionem. Explicatur *min.*

Faciamus ita legendum, ut S. Irenaeus *necesse* esse dixerit, *„omnem* ecclesiam, hoc est, *qui sunt undique fideles*" Romam pergere. Qui sic interpretantur, *vim* argumenti non effugiunt. Nam *necessitas* istius *conventus* ad locum Urbis procedit *ex necessitate consensionis* ecclesiasticae, prae-

sertim in fide, cum Romana ecclesia. *Causa* scilicet conveniendi, in utraque interpretatione: ecclesiae Romanae *potentior principalitas; finis:* ostensio *vivificatricis fidei. Argumentatio* autem sancti martyris haec est: auctoritas ecclesiae Romanae est *plenissima ostensio* fidei; ex quo concludit, hujus ecclesiae auctoritate *confundi omnes,* qui quoquo modo, praeterquam oportet, colligunt. Vide supra p. 559—561 et p. 614.

Itaque si consideremus totum textum cum suo contextu et adjunctis, duo apparent: *a)* si incisum: *convenire ad,* dictum est pro *convenire cum,* necessitatem concordandi in rebus fidei cum Romana ecclesia *immediate* demonstrat; *b)* sin *litteram* textus de conventu in locum Urbis interpretandam esse contendas, idem tamen *mediate* significatur.[1])

Instabis. Irenaeus eam, quae est ab apostolis, traditionem in ecclesia Romana *conservatam* esse sentit „*ab* his, qui sunt undique". Ergo fides non per ecclesiam Romanam in ecclesia universa, sed per universam ecclesiam in Romana servatur.

Resp. Dist. antec.: ab his, qui sunt undique, apostolica traditio conservata est in ecclesia Romana, quae *dabat* omnibus virtutem conservandi, *conc.;* quae *accipiebat* ab omnibus virtutem conservandi, *nego.*

S. Irenaeus ecclesiae Romanae, independenter ab aliis ecclesiis, eam auctoritatem tribuit, *per quam* vera fides ab omnibus conservari possit ac debeat. Etenim, enumeratis episcopis Romanis a beato Petro ad Eleutherium, subjungit: „est *plenissima* haec ostensio"; *maximae* hujus ecclesiae auctoritate dicit se *confundere omnes* haereticos; *potentior* ecclesiae Romanae *principalitas* est ejusmodi, ut ad eam *necesse* sit *omnem* convenire ecclesiam. Ergo sententia illa, quam sanctus martyr in fine argumentationis suae posuit, — „in qua semper ab his, qui sunt undique" etc. — nullo modo vim eam habet, ut ecclesia Romana ab *his, qui sunt undique* fidei suae firmitatem acceperit; sed aut est *argumentum secundarium,* ex auctoritate aliarum ecclesiarum

[1]) Cf. Hist.-pol. Blätter, Bd. LXXIII, 253—266; 333—360.

additum, aut *consecutio* quaedam, simillima hujus S Optati sententiae, qua docet cathedram a S. Petro Romae collocatam, *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur. C. Parmen.* Cf. Pelag I. apud Jaffé, *Reg. Pont. R.* n. 998.

Urgebis. Irenaeus privilegia Romanae ecclesiae, non Pontificis Romani celebrat.

Resp. Nego assertum. Ecclesiam Romanam non nisi per suum Pontificem caput fidei esse, S. Irenaei sententia manifesta est. Et vero *a)* sanctus universim hanc statuit regulam: „eis, qui in ecclesia sunt, *presbyteris* obaudire oportet, . . . *qui* cum episcopatus successione *charisma veritatis* certum secundum placitum Patris *acceperunt.*“ *Adv. haer.* lib. IV. 26. *b)* Linus, non *ecclesia* Romana, Petri in potestate successor habetur; inde a Petro series *Pontificum* Romanorum ab Irenaeo contexitur tanquam *plenissima* veritatis *ostensio. c)* Epistola, quam *S. Clemens* ad Corinthios scripsit, dicitur scripta ab ea, *quae est Romae ecclesia.* L. c. lib. IV. 3.

Obj. IV. Formulae Sirmienses haeresin docent. Jam Liberius Papa alicui formulae Sirmiensi subscripsit. Pontifex ergo, cum Arianis suffragatus sit, in fidei judicio erravit. Prob. *min.* S. Hilarius in *Fragmentis*, Athanasius, *Apol. contra Arianos,* c. LXXXIX., et *Hist. Arian.* c. XLI.; Hieronymus in *Chronico,* anno 354 et *Catal. Script.* c. XCVII.; *Praefatio* libelli precum Faustini et Marcellini et Philostorgius Arianus testes nobis sunt, Liberium formulae Sirmiensi alicui subscripsisse.

Resp. Dist. maj.: Sirmienses formulae haeresin docent, id est, formula secunda anni 357, *conc.;* prima, tertia et quarta, *subd.:* ex interpretatione haereticorum, *conc.;* in se et eo modo, quo Liberius subscripserit, *nego.*[1])

---

[1]) Valesius, Hefele et Hergenröther quatuor formulas Sirmienses esse sentiunt. *Prima* (351), in qua vox ὁμοούσιος desideratur, neutralis est. *Secunda* (357), tam vocem ὁμοούσιος (consubstantialis) quam ὁμοιούσιος (similis) reprobans, Ariana est. *Tertia* (exeunte anno 358) vocem ὁμοούσιος deserit, id tamen eo fieri dicebatur, quod Photiniani *voce* abuterentur. Quarta (aliis tertia) vocem *substantiae,* οὐσίας, relinquit, sed doctrinam haereticam non exprimit. Cf. Hergenröther,

Dist. min.: Liberius subscripsit loquens ex cathedra, *nego;* errore privato *subdist.:* formulam secundam, *nego;* aliam et significato sensu suo catholico, *transeat.*

Liberium formulae secundae prorsus insontem esse constat. Si Pontifex aliam formulam subscripserit, formula fuit ejusmodi, ut interpretationem catholicam, vel certe neutralem, non excluderet; praesertim cum Pontifex, eorum etiam opinione, qui eum alicui formulae Sirmiensi subscripsisse autumant, aperte declaraverit, quonam sensu subscriberet.[1]) Nulla tamen ratione Liberius haeresi subscripsit definiens de fide seu ex cathedra. Quo factum est, ut S. Hieronymus, quamvis Liberium lapsum esse crederet, in *ep.* 15. ad Damasum de Romano Pontifice ita profiteretur: *cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hunc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit regnante diluvio.*

Praeterea lapsum illum commentitium esse, idoneis argumentis probari videtur. — At testes lapsus adducti sunt. — Testes vero; sed quos rumores deceperint; aut quorum testimonia reperta sunt apocrypha, ut tres istae Liberii epistolae, Arianis faustae, in *Fragmentis* Hilarii. Testes autem plurimi, et qui scripserunt in iis locorum et temporis adjunctis, ut a falsis vera dijudicare admodum potuerint, Pontificem culpa absolvunt.

a) S. Ambrosius, *De virg.* lib. III. 1.; Basilius, *ep.* 263.; Epiphanius, *Adv. haer.* LXXV. et Siricius Papa, *ep. I. ad Himer.* Liberii sanctimoniam et integritatem nulla exceptione celebrant. A Theodoreto, teste perquam idoneo, et ubi hic *de reditu* agit, Pontifex appellatur egregius, omni

---

Kirchengeschichte, B. I. p. 373—378, edit. 3., ubi veterum sententiae, litteratura et solutio quaestionis succincte indicantur. Historia controversiae apparet ex Stilting, *Boll.* t. XLVI. p 572—632.: Nat. Alex. *saec.* IV. diss. XXXII.; Hefele, *Konziliengesch.* B. I. p. 681—697.; edit. 2.

[1]) Videlicet non contra fidem Nicaenam, sed contra Sabellianismum et Photinianismum, qui formula ὁμοούσιος abuti ferebantur. Cf. Hefele, *Konziliengesch.* B. I. p. 685.

laude dignissimus, „admirandus ille Liberius“ et „*victoriosus veritatis athleta*“. H. E. II. 17.

b) Theodoretus l. c. Liberium urbi redditum refert ob mulierum Romanarum postulationem; Socrates, H. E. II. 37., et Sulpitius Severus, *Hist. sacra*, II. 39. „ob seditiones Romanas“: de lapsu nihil. Adde quod a Sozomeno, H. E. IV. 15., „Eudoxius et qui cum illo opinioni Aetii favebant“, falsos rumores de subscriptione Liberii Ariana sparsisse narrantur.

c) Romani, Arianis infesti, Liberium redeuntem, nulla facta retractatione, omni honore coluerunt. Neque haec admiratio plebis tantum fuit, laetitiâ de reditu gestientis, verum etiam summorum virorum atque constans, prout testes citati probant. Haec confirmantur duobus documentis, nuper in lucem prolatis. 1° Exstat *epistola* Anastasii I. Papae (398—402) ad Venerium, episc. Mediol., in qua Dionysio, Eusebio Vercellensi et Hilario, viris eximiis, qui pro fide Nicaena „exilium libenter tulerunt“ et „sancti tunc episcopi sunt probati“, accensetur „sanctae recordationis ecclesiae Romanae Liberius episcopus“. Cf. Card. Pitra, *Anal. novissima*, t. 1. p. 463.[1])

Obj. IV. Honorius Papa, scriptis ad Sergium, patriarcham Cpolitanum, epistolis, quid de Christi voluntatibus credendum sit, ut Papa docuit. Jam vero epistolae Honorii Monothelitarum errorem continent. Honorius ergo, cum haeresin ut Papa docuerit, ex cathedra erravit.

---

[1]) In *Sylloge Centulensi* nobis servatum est *epitaphium* alicujus Romani Pontificis, qui pro fide Nicaena certavit. Quem poeta inter alia his verbis affatur:

> Vox tua certantis fuit haec, sincera salubris:
> Atque nec hoc metuo, neque illud committere opto.
> Haec fuit, haec *semper mentis constantia firma.*
>
> De Rossi, *Inscript. Christ.* t. II. p. 83. et 85.

De Liberio haec dicta esse opinatur De Rossi, *Bullet.* 1883 et 1890; L. de Feis, *Nuove osservazioni sul carme sepolcrale di Liberio papa* (1897); de Felice II. Mommsen et Duchesne; de Martino I. Funk, *Kirchengesch. Abhandl. und Untersuchungen*, B. I, p. 391—420. — Quid falsaris et schismaticus quidam ficto Augustini nomine contra Liberium scripserit, cf. *Kirchengeschichtl. Studien*, B. I. H. II p. 177.

Resp. Dist. maj.: Honorius in suis ad Sergium epistolis docet, quid credendum sit, *nego*; quid agendum esset, *subd.*: utitur suprema auctoritate Pontificia in definiendo, *nego;* utitur sua auctoritate in dirigendo, *conc.* Ad *min.* deinceps responsa dabimus. Prius hanc distinctionem *majoris* declaramus, qua tota jacet objectio.

Sergius, patriarcha Cpolitanus, unicam Christi operationem deivirilem seu theandricam artificiose praedicans, Honorio, Romano Pontifici, persuadere conatus est, ut nec una in Christo nec duae voluntates dicerentur, quod duarum operationum *dictio* 1° „multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium ecclesiae institutorum edita"; 2° quod „consequens ei sit praedicare *duas voluntates contrarietates circa invicem habentes;* tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati, et resistente; et proinde *duo contraria volentes* introducantur, quod impium est".

Honorius a. 634 duabus epistolis ad eam Sergii epistolam respondit. Sed nihil in doctrina definivit. Quod probatur.

a) Epistola prima his verbis concluditur: „Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter praedicamus: *hortantes* vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. J. C. Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, et unitate catholica praedicetis." In altera epistola ait: „*non nos oportet* unam vel duas operationes (*ἐνεργείας*) *definientes* praedicare." Ergo nihil omnino definitur.

b) In prima epistola scriptum est his ipsis verbis: „Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis (*καταλιμπάνομεν ταῦτα τοῖς γραμματικοῖς*)." Quae sane non sunt Pontificis definientis.

c) Sergius nullam fidei definitionem rogavit, sed quaestionem *practicam* de usu vocabulorum *unius* vel *geminae* operationis proposuit. Ita Honorius nihil definit, sed voca-

bula non *respectu doctrinae* et *in se*, sed *respectu prudentiae* et habita ratione *temporum* considerat, et causam, ob quam „unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum“ aufugiendum sit, in epist. prima his declarat: „novae voces noscuntur sanctis Dei ecclesiis scandalum generare, ut parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam operationem Domini Nostri Jesu Christi fatendum esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.“

Hoc unum ergo Honorio propositum fuisse apparet, ut fideles, relictis *de voce* unius vel geminae operationis controversiis, in fide Chalcedonensi conquiescerent. — Ipsi Monothelitae non nisi Honorio et Sergio e vita profectis ad Honorii epistolas provocasse videntur.

Instabis. Ex epistolis tamen Pontificis error agnoscitur, cum ad Sergium scripserit: „unam voluntatem fatemur D. N. Jesu Christi.“

Resp. Dist.: Honorius fatetur unam Christi voluntatem, (ἓν θέλημα) exclusa contraria voluntate carnis, *conc.;* exclusa divina et *naturali* voluntate humana, *nego.* Testes coaevi, Joannes IV., Honorii secundus successor, S. Maximus in *Disputatione cum Pyrrho* et Joannes Abbas, quo juvante Honorius epistolas suas conscripsit, locum illum eodem modo interpretantur. Contextus eam interpretationem veram esse confirmat. Nam Honorius: „Unam — inquit — voluntatem fatemur D. N. J. C., *quia* profecto a divinitate assumpta est natura, *non culpa;* illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata. Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore *vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus.*“ Rem paucis explicare juvat.

a) Monothelitae unicam tantum in Christo voluntatem et unicam operationem esse contenderunt; „posuerunt in Christo — ait S. Thomas — unam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas in Christo secundum hypostasim unitas; quia opinabantur quod humana natura in Christo nunquam movebatur proprio motu, sed solum secundum

quod erat mota a divinitate." III. 18. 1. Ecclesia catholica docet, duas in Christo naturales esse voluntates; divinam scilicet, quae ad naturam divinam pertinet, et humanam, quam Filius Dei cum natura humana, ut potentiam ejusdem naturalem, assumpsit. Itaque in Christo fuit motus voluntatis proprius naturae humanae; ex eo autem quod fuit in hypostasi divina, humana voluntas habuit hunc determinatum volendi modum, ut semper secundum nutum voluntatis divinae moveretur. Ideo catholici 1° *duas* in Christo voluntates et operationes profitentur; 2° duas in Christo voluntates *contrarias* esse negant.

b) Honorius doctrinam catholicam aperte profitetur. Namque in prima epistola Christus ab eo appellatur „plene (τέλειος) Deus et homo": voluntas autem ad humanae naturae plenitudinem et perfectionem omnino pertinet. Hoc etiam ex epistola secunda manifestum est: *utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem.* Deinde affirmat, „duas naturas . . . inconfuse, indivise, et inconvertibiliter propria operari". Ergo Honorius, quemadmodum diximus, sicut profitetur *duas* naturas . . . inconfuse, indivise et inconvertibiliter *propria operantes*, ita voluntatem *humanam* non exclusit, quam natura humana essentialiter includit, sed voluntatem *contrariam*. Similiter Monothelitismus indirecte rejicitur in Honorii carmine, quod recensetur in *Sylloge prima Corporis Laureshamensis*. Nam haec in carmine:

> *Plenus* homo *in nostris* et verus noscitur isdem
> Virginis ex utero *totus* ubique Deus.
>
> De Rossi, *Inscr. Christ.* t. II. p. 145.

Obj. V. Synodus oecumenica VI. sessione tertia decima (die 28. Martii 681) Honorium, Romanum Pontificem his verbis damnavit: „Cum his (Sergio, Pyrrho etc.) vero simul projici a sancta Dei catholica ecclesia simulque anathematizari praevidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquae Romae; eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta

sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit.“ Deinde Honorii epistolae combustae ipsique Pontifici dictum anathema.[1]) Honorius igitur, nisi synodum oecumenicam errori malimus esse obnoxiam, haereticus formalis haberi debet.

Resp. Dist. antec.: patres illius synodi Romanum Pontificem ut haereticum damnarunt sententia Romae non confirmatâ, *transeat;* sententiâ Romae confirmatâ, *nego.*

Argumentum, quod ex synodali de Honorio sententia desumitur, nihil dubii relinquere, permultorum adversariorum est opinio. Triplex autem hujus nodi solvendi modus. Nam Albertus Pighius, *De hierarchia ecclesiastica,* lib. IV. Baronius, *Ann.* ad ann. 680—683, Barruel, Damberger et alii censent concilii Constantinopolitani acta fuisse adulterata, rasis nonnullis verbis, aliis interpolatis. Haec autem hypothesis obsoleta videtur.[2]) — Alii tenent, Honorium ab episcopis concilii sexti haereseos nota inustum esse, quod haereticorum fautor, non haereticus ipse, fuerit. Ita Garnier in *Dissertatione,* quam *Libro diurno Romanorum pontificum* connexuit, et Billuart, *De Incarn.* Digress. histor., sect. IV. — Complures tamen tam veteres quam recentes affirmant, Orientales in synodum congregatos, procul dubio damnasse Honorii haeresin, sed eorundem sententiam ita mitigatam a Leone II. aliisque Pontificibus Maximis, ut cum haereseos fautoribus ob neglectam fidei defensionem connumeraretur Honorius, non ob doctrinam falsam cum haereticis. Eam habent opinionem Anastasius Bibliothecarius († 886), *Collectanea ad Joannem Diaconum;* Turrecremata, *Summa de Ecclesia* II. 93.; Cariophilus, *Confutatio Nili De primatu papae,* cap. V., qui ait: „sexta synodus, quando . . . *absque papa* damnavit Honorium, *nihil peregit*“; — Combefis, *Opera S. Maximi,* t. II., ubi hanc tertiam sententiam his verbis commendat: „Haec antiquis nota defensio, haec pro-

[1]) Patres damnant Honorium ὡς ἐκείνοις (Sergio, Pyrrho etc.) ἐν τούτοις ἀκολουθήσαντα; in edicto Constantini, imperatoris, Pontifex dicitur ὁ τῆς αἱρέσεως βεβαιωτὴς καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ προδμαχόμενος. Cf. praesertim sess. XVIII.

[2]) Baronium refellit Hefele, *Konziliengesch.* B. III. p. 302—313.

bata". Adstipulantur ex hodiernis Schneemann, *Studien über die Honoriusfrage* (1864); Pennachi, *De Honorii causa in concilio VI.* (1870); Hefele, *Konziliengeschichte* (1877), etc. — Atque haec sententia videtur esse verior; nam cum nullo documento vetustatis certat; congruit solidis certissimisque doctrinae capitibus de auctoritate synodorum, quas, seorsum a Summo ecclesiae Pastore, a vero quandoque deflexisse, nemo dubitat, quemadmodum omnes affirmant catholici, hujusmodi synodorum decreta rescindi posse aut mitigari aut determinari auctoritate Pontificia.

Instabis. Concilium Cpolitanum III. a Leone II. confirmatum est, et appellatum „Sancta et universalis et magna sexta synodus"; decretum fidei, quo sessione XVIII. dicitur Honorio anathema Hispaniae antistibus subscribenda mittitur tanquam „definitio venerandi concilii". Nihil ergo Leo II. de rescindendis sextae synodi decretis cogitavit.

Resp. Dist. conseq.: Leo II. nullum illius synodi decretum rescidit totum, *conc.;* nullius decreti sensum restrinxit ex parte, *nego.* Patrum conciliarium sententia *tantum* valet, *quantum* Pontifex Maximus approbat. Jam Leo II. in *ep.* ad Constantinum Pogonatum, imperatorem, sextae synodi decreta confirmans, latam de Honorio sententiam his verbis constituit: „anathematizamus novi erroris inventores . . . nec non et Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem *subverti permisit*[1]) (παρεχώρησε); — idem ad Ervigium, regem Hispaniae, Honorium damnat, qui traditionis regulam „maculari *permisit*"; rursus ad episcopos Hispaniae Sergius, Pyrrhus aliique sextae synodi anathemate perculsi dicuntur „adversum apostolicae traditionis puritatem perduelliones" exstitisse, sed de Honorio haec: „flammam haeretici dogmatis *non*, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed *negligendo* confovit". Quid ergo? Ut Honorio sexta synodus quasi haeretico anathema dixerit, tamen inefficax est illa sen-

[1]) Versio latina: *subvertere conatus est* non reddit sententiam, quae subjecta est textui originali μιανθῆναι παρεχώρησε.

tentia, quippe quam non confirmaverit eodem sensu Romanus Pontifex. Haec videtur esse vera difficultatis propositae solutio, quam solutionem veterem esse constat ex Anastasio Bibliothecario († 886) in *Collect. ad Joannem Diac.*

Obj. VI. Infallibilis Pontifex contradicere non potest alii Pontifici. Jam vero Pontifex, ex cathedra loquens, saepe reperitur alii Pontifici, eodem modo definienti, contrarius. Ita, ut exemplum afferam, bulla *Unam sanctam* Bonifacii VIII. per breve *Meruit* Clementis V. abrogata est pro Gallia, et Leo X. utrumque confirmavit.

Resp. Dist. maj.: Loquens ex cathedra non potest contradicere loquenti eadem suprema auctoritate, *conc.;* idem dici debet de Pontificibus non definientibus, *nego. Dist.* min.: singula, quae hic objiciuntur, censentur dicta ex cathedra, *transeat*; sunt dicta in documentis authenticis, *subdist.:* quae sibi contradicunt, *nego*; quorum alterum altero declaratur; *conc.* Clemens V. minime rejicit decretale *Unam sanctam*, sed motas in Bonifacium mentes componit. Hoc enim in Clementis responsis maximum est, per *Unam sanctam* Galliae regem, regnum, regnicolas non „*amplius*" ecclesiae subjectos esse „quam ante *existebant.*"

Congesta sunt saepe ab adversariis alia plura, quibus falsitas inerrantiae Pontificiae facile pervinci credebatur. Centuriatores Magdeburgenses plus quinquaginta facta coacervarant cum spe delendi Pontificiam auctoritatem. Res multo secus evenit. Ex decretis, quae erronea dicebantur, multa commentitia, aut certe non erronea; nulla ex cathedra.

Articulus VII.

De valore Syllabi.

I. Syllabus quid sit. Hac occasione et tempore, quo S.S. Pius IX. encyclicam *Quanta cura* ad cunctos catholicos sacrorum antistites scribendam censuit, die 8. Dec. 1864 card. Antonelli, cui S.S. Pius IX. hoc in mandatis dederat, omnibus catholicis antistibus misit Syllabum, qui complectitur propositiones notatas octoginta. Titulus hujus do-

cumenti est: „Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisque apostolicis Litteris sanctissimi Domini nostri Pii Papae IX.“

In ipso Syllabo nulli propositioni adjuncta est censura *specialis*, qua damnatur, puta tanquam haeretica, erronea; sed omnes exhibentur ut *notatae*. Singulis autem propositionibus annotatum est, ex quibus actis Pontificiis desumptae sint; atque haec acta seu documenta, a Pio IX. edita, in quibus Syllabi propositiones reprobantur, sunt 32 (9. Nov. 1846—29. Sept. 1864). Eas autem tum litteras encyclicas tum allocutiones „conferri omnino oportet, si qui verum sensum, in quo illae sententiae pontificia auctoritate perstringuntur, elicere velint.“ Cf. *Acta Pii IX. ex quibus excerptus est Syllabus*, in Praefatione, quam Pius IX. approbavit.[1])

II. Ratio duplex valoris Syllabi. *a)* Omnes catholici mente assentiri debent omnibus doctrinis, quae traduntur in Syllabo; nam etiamsi propositiones 80, in eo notatae, proscriptae esse non censerentur infallibili Pontificis judicio, damnatio tamen earundem propositionum in dubium revocari minime posset, cum episcopi totius ecclesiae catholicae Syllabi *doctrinam* solemniter tanquam doctrinam ab omnibus fidelibus tenendam promulgaverint. Igitur etiam sepositа quaestione hac, Syllabi valor, quantum ad *materiam*, practice firmissimus semper erit.

b) Verum Syllabi propositiones censentur damnatae esse *infallibili Romani Pontificis* judicio. Hic animadvertendum est, non dici: propositiones *in Syllabo* damnatae sunt, sed: propositiones *Syllabi*; nimirum Syllabus considerari potest 1° ut elenchus authenticus exhibens errores, *alias* a Pio IX. damnatos; 2° ut documentum, quod ipsum *damnationis actum contineat*. De utroque pauca dicam.

III. Doctrina Syllabi suscipienda est tanquam doctrina a Summo Pontifice notata pro universa

---

[1]) Cf. pro historia Syllabi C. G. Rinaldi, *Il valore del Sillabo* (1888); Hourat, *Le Syllabus* (1904).

ecclesia. Quod probatur 1° ratione extrinseca; 2° intrinseca.

1° *Ratio extrinseca.* Criterium extrinsecum perquam certum, quo noscamus, doctrinam aliquam a Pontifice Maximo censurâ confossam esse pro universa ecclesia, sine dubio est sensus et consensus episcoporum, asserentium, doctrinam dicto modo esse damnatam. Talis autem de propositionibus Syllabi habetur oonsensus. Ergo. *Minor* certa videtur; quare card. Franzelin de hoc consensu ait: „Quod autem maxime nobis demonstrat auctoritatem quae tribuenda, mentis submissionem quae deferenda sit doctrinae in Syllabo declaratae, sine dubio est *sensus et consensus saltem moraliter unanimis totius episcopatus catholici*; ex eo enim plane videtur totus complexus doctrinae in documento susceptus tanquam *doctrina, a supremo magistro authentice Ecclesiae* proposita." *Ep.* 19. Martii 1868, typis mandata in fol. period. *Études religieuses,* Juillet 1889.

2° *Ratio intrinseca.* Etsi Syllabus, si spectetur omnino *seorsum a suis adjunctis,* in se et ipsis verbis non continet eas formulas, quibus sententiae doctrinales suprema Summorum Pontificum auctoritate feruntur, *adjuncta* tamen ostendunt, quod hic quaerimus, videlicet, *propositiones,* in Syllabum collectas, esse *censura* aliqua proscriptas *a Summo Pontifice* pro universa ecclesia, atque adeo damnatas judicio, cui fideles omnes mente et ore adhaerere tenentur. *Adjuncta* autem, quibus id apparet, sunt: *Titulus documenti,* qui est: „Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui *notantur* in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisque apostolicis Litteris Domini nostri Pii Papae IX."; — *epistola card. Antonelli,* quam cum Syllabo episcopis universis catholicis misit; — adjuncta singulis Syllabi thesibus notitia documentorum Pontificiorum, ex quibus desumptae sunt; — *encyclica* „Quanta cura", eadem occasione et tempore ac Syllabus ad cunctos episcopos scripta, in qua haec legimus: „pluribus in vulgus editis Encyclicis, Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus". Haec autem Syllabi titulo satis

respondent. Ex quibus omnibus confirmatur, doctrinam, quae traditur in Syllabo, suscipiendam esse tanquam doctrinam, a Summo Pontifice notatam pro universa ecclesia.

IV. De quaestione, utrum propositiones Syllabi damnatae sint etiam per sententiam, *in* Syllabo latam, duplex sententia. *a)* Prima sententia eorum est, qui judicium infallibile supremi ecclesiae Magistri et Pastoris *in* Syllabo ferri negant. Ita Rinaldi egregie quidem probat, *propositiones*, quas Syllabus complectitur, *damnatas* esse infallibili Pastoris supremi magisterio, ita tamen ut Syllabus ipse sit elenchus authenticus, et auctoritate valens; non ipsa *sententia*, quam censet in iis esse Pii IX. documentis, quae Syllabus indicat.

b) Altera sententia est, in Syllabo non solum esse *propositiones damnatas*, verum etiam *propositionum damnationem*. Nonnulla testimonia, quae huic sententiae favent, afferam. — Mercurelli, Pii IX. secretarius, die 14. Jan. 1865 de Syllabo diei 8. Dec. 1864 scripsit: „errores . . . conjunctim *rursus damnati* fuerunt;“ — synodus Ultrajectensis (1865) propositiones Syllabi dicit, „damnatas a Pio IX., *8. Dec. 1864*“, ergo *in* Syllabo; — synodus Baltimorensis (1866) in epistola ad Pium IX.: „Errores omnes contra fidem hodiernos, haeresesque quaquaversus grassantes in unum quasi fasciculum congregatos, *Syllabo tuo* velut Apostolici gladii mucrone *jugulasti*;“ — card. Mazzella docet, nullum esse dubium, quin „Syllabus haberi debeat tamquam definitio ex cathedra“.[1]) *De Religione et Ecclesia*, p. 822., ed. 3. —

[1]) Perpendenda sunt, quae legimus apud F. Heiner, *Der Syllabus* (1905), S. 14—15: „Es gibt zwar Theologen, welche *ihm* (dem Syllabus) ebenso den Charakter einer *Kathedralentscheidung* beilegen (Riess, Schneemann, Hurter, Schrader, Scheeben etc.), andere dagegen (Newman, Rudigier, Fessler, Tosi, Hergenröther, Biederlack, Frins etc.) bestreiten denselben. Wir brauchen uns auf diese Kontroverse nicht weiter einzulassen, da sie in der Tat für unsern Zweck belanglos ist. Solange Rom selbst sich nicht darüber deutlich ausgesprochen und die Streitfrage definitiv entschieden hat, steht es jedem Katholiken vollkommen frei, einer Ansicht zu folgen, welcher er will.“ Auctor dein docet, Syllabi propositiones auctoritative damnatas esse, atque p. 19 concludit: „Es ist danach

A Leone XIII. *ep.* ad Leop. Dujardin (28. Aug. 1879), propositiones „*in* Syllabo damnatae" dicuntur. At dein idem Pontifex ita scripsit: „Pius IX., ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures *notavit*, easdemque *postea in unum cogi jussit*, ut scilicet in tanta errorum colluvie haberent catholici homines quod sine offensione sequerentur." Encycl. *Imm. Dei.*

Quibus ita expositis, Syllabusne documentum constituat ex cathedra pronunciatum, dicere non ausim. Pius IX. nec in Encyclica *Quanta cura* Syllabum documentum de fide esse declaravit, nec in alia quavis epistola hoc unquam episcopis ecclesiae catholicae affirmavit. Ob eamque rem auctor Commentarii in Constitutionem *Officiorum ac munerum*, in *Actis Sanctae Sedis*, vol. XXX. (1897—1898), p. 307, hanc suam sententiam humillime profert: „haec thesis (utrum Syllabus documentum constituat ex cathedra pronuntiatum) difficillimae probationis nobis semper visa est atque videtur."

V. Quid circa Syllabum practice valeat. Card. Franzelin, *Ep.* paulo ante citata, ait: „Quamvis igitur spectato solum modo quo Encyclica *Quanta cura* et Syllabus primum prodierunt, possit agnosci discrimen inter illam quae immediate ab ipso Pontifice emanavit, et hunc qui comprehendens quidem sententias Pontificis ex aliis documentis sub hac tamen forma solum *jussu* ipsius Pontificis videtur communicatus Episcopis; nihilominus spectatis omnibus adjunctis et spectato maxime modo, quo utrumque documentum in Ecclesia morali consensione habitum est velut ejusdem rationis, practice idem fere valet de Syllabo quod de Encyclica." Cave tamen ex hoc concludas, nihil amplius distinctione opus esse.

---

für den Katholiken gar keine Frage, dass er sich der lehrenden Autorität des Oberhauptes der Kirche mit ganzem Herzen unterwirft und deshalb auch den Syllabus als kirchliches Gesetz, als Norm des Wollens und Handelns in Gehorsam hinnimmt. Die einzelnen Sätze des Syllabus sind für uns Aussprüche des obersten Gesetzgebers der Kirche, denen wir nicht bloss äusserlich, sondern auch des Gewissens wegen Unterwerfung zollen."

a) Et quidem si pro omnibus et singulis Syllabi propositionibus, quonam gradu unaquaeque Pontificis damnata sit judicio, indagare velimus, redeundum ad illa acta videtur, ex quibus Pius IX. propositiones notatas in unum cogi jussit. Haec autem perscrutanti, quid rei sit citius aperietur, si duas sequatur regulas. 1° Quotiescunque constat, propositionem aliquam cum voluntate definitive obligandi universam ecclesiam Summi Pontificis auctoritate proscriptam esse, procul dubio haec infallibili haberi debet damnata judicio. 2° Censuras, in *pontificiis documentis* thesibus singulis affixas, considerari oportet. Propositiones in Syllabo tanquam *notatae* exhibentur omnes. At *notari* etiam illae propositiones dicuntur, quas ecclesia censura quadam inferiori reprobat. Nonnullas tamen theses, v. g. primam, *haereticas* esse, aliunde constat; aliae non sunt haereticae, sed apostolicae Sedi offensivae, falsae etc., velut thesis 38. Ex his intelligitur, Syllabum non esse elenchum propositionum, quae omnes et singulae sententia damnatae sint *dogmatica;* quemadmodum valde errarent et illi, qui nullam sententia dogmatica proscriptam in eum catalogum collectam esse contenderent. Ceterum recolantur, quae p. 379—389 de censuris exposuimus et de fide qua veritates ab ecclesia propositae credi debeant.[1])

b) Si de censuris incurrendis sermo est, haec regula, ex *Actis S. Sedis,* valere videtur: „Qui defendunt errores in Syllabo damnatos quatenus Syllabus est, seu *Elenchus complectens praecipuos errores qui notantur in allocutionibus, consistorialibus, in Encyclicis aliisque Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX.* nullam excommunica-

[1]) Cf. Rinaldi, Hourat, Heiner, operibus jam citatis; Stimmen aus Maria-Laach, 1865; Vacant, *Le magistère ordinaire de l'Église.* — De sententia episcopi Fessler, videsis Mazzella, *De Rel. et Eccl.* p. 823; Newman, suam opinionem declarat in *A letter addressed to his grace the duke of Norfolk* § 7, quae exstat in *Difficulties of Anglicans,* vol. II. (edit. 1896, p. 276—298; A. Ehrhard suam in *Der Katholizismus und das zwanzigste Jahrhundert* (edit. 1902), p. 255—259; pro P. Viollet, *L'infallibilité du pape et le Syllabus* (1904), legi potest period. *Études,* 1905, 20. Janvier et 20. Avril. — Cf. Ph. Kneib, *Wissen und Glauben* (2. Aufl. 1905).

tionem incurrunt cum nulla sanctione aut poena a Pio Papa IX. communitus fuerit." Acta S. Sedis, Vol. XXX. (1897—1898), p. 309, Comment. in Constit. *Officiorum et munerum*. Posset tamen ille, qui aliquem ex his erroribus defenderet, haereticus esse, quod hujusmodi error in alia definitione de fide proscriptus ut haereticus sit.

Articulus VIII.

De auctoritate congregationum Romanarum in doctrina fidei et morum.

I. Congregationes Romanae sunt coetus cardinalium, a Pontifice Romano instituti tanquam tribunalia suprema ad certa ecclesiae negotia dirigenda, discutienda et decernenda. Prima congregatio habetur tribunal inquisitionis, quod a. 1542 a Paulo III. constitutum est; plures postea congregationes a diversis Pontificibus creatae sunt. Unaquaeque congregatio habet *praefectum*, qui est aut ipse Summus Pontifex aut cardinalis aliquis; *secretarium*, qui aliquando cardinalis est, aliquando episcopus aut praelatus inferior; plures *judices* cardinales. Adjunguntur ut *consultores* viri pii et docti. Congregationes autem praecipuae sunt: 1° *Congregatio Consistorialis*, quam Sixtus V. anno 1586 instituit, ut negotia *consistorii*, quod est consessus totius collegii cardinalium, in ea praeparentur. 2° *S. C. Inquisitionis* seu *Sancti Officii* instituta a Paulo III. per bullam *Licet ab initio*, sed denuo instructa et ampliata per Sixti V. bullam *Immensa aeterni;* cujus congregationis in primis est de causis fidei procedere. 3° *S. C. Indicis* librorum prohibitorum, instituta per Pium V. anno 1571; ejus „proprium ac fere unicum officium est in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione vel permissione capienda est deliberatio". Bened. XIV., constitutio *Sollicita*, a. 1753. 4° *S. C. Concilii Tridentini interpretum*, incoepta a Pio IV. et Pio V., per bullam *Immensa* a Sixto V. in hodiernam formam redacta est. 5° *S. C. Rituum*, quam Sixtus V. instituit, duplex est: *ordinaria*, quae negotia liturgica tractat; *extraordinaria*, quae causas beatificationis et canonizationis

dirigit. 6° *S. C. Super negotiis episcoporum et regularium*, a Sixto V. instituta. 7° *S. C. De propaganda fide*, a Gregorio XV. anno 1622 inchoata. 8° *S. C. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis*, instituta a Pio VII. 9° *S. C. Indulgentiarum et sacrarum reliquiarum*, instituta a Clemente IX. anno 1669, quam tamen Pius X. *Motu proprio* 28. Jan. 1904 cum S. Rituum Congregatione conjunxit. 10° *S. C. Studiorum*, a Sixto V. inchoata.[1])

II. De auctoritate doctrinali congregationum Inquisitionis et Indicis. Congregationum Romanarum jurisdictio, quoniam nomine Romani Pontificis exercetur, universalis et *apostolica* est. Eandem *ordinariam* esse patet ex bulla Sixti V. *Immensa*, 1587. Ulterius autem in exponenda congregationum omnium auctoritate non progredimur, sed de Inquisitione et Indice tantum hoc loco agendum est, ad quas praecipue pertinet de doctrina decernere. Porro tota congregationum auctoritas a Summo Pontifice, cujus organa sunt, repetitur. Inquirendum est igitur, quonam sensu sententiae doctrinales *Inquisitionis* et *Indicis* auctoritate Pontificia ferantur. Qua in re tria recolantur.

1° Decreta *Inquisitionis*, habita prius sessione, in qua causa decidenda praeparatur, et altera sessione, in qua cardinales inquisitores votum suum dare consueverunt, in sessione tertia, quae solemnis nuncupatur, ad finem perducuntur. In sessione illa solemni Pontifex Romanus praesidet. Unde semper haec formula: „Sanctissimus decrevit.“ — *Indicis* decreta sine Pontificis assensu non publicantur. Ex hodierno stilo curiae Pontificis approbatio hac formula in fine decreti exprimitur: „Quibus sanctissimo domino nostro N. per me infrascriptum sacrae congregationis a secretis relatis, sanctitas sua decretum probavit et promulgari praecepit.“

2° Approbatio Pontificis aut *communis* est aut *solemnis*. *Communis* approbatio ea est, qua congregationis decretum a Pontifice ita approbatur ut decretum *actus congregationis*

[1]) De Congregationibus Romanis cf. T. Granderath in period. *Zeitschrift für kath. Theol.* 1895; et de Indice Jos. Hilgers, *Der Index der verbotenen Bücher* (1904).

esse non desinat; *solemnis* est, qua ita approbatur decretum, ut Papa *rem totam suam* faciat, quamvis ad examen praevium indicandum congregationis mentio quaedam fiat; qui actus in forma *bullae* fieri solet, uti bulla Pii V. *Ex omnibus afflictionibus*, 1. Octobris 1567 adversus Bajum; Innocentii X. *Cum occasione*, 31. Maji 1653 contra Jansenium. Sola autem formula, qua exprimi solitum est, Sanctitatem suam decretum probasse et promulgari praecepisse, eam vim non habet, ut hujusmodi decretum aliam atque congregationis est propria auctoritatem obtineat.

3° Decreta doctrinalia Inquisitionis et Indicis, quae approbatione *solemni* et ut *actus papales* eduntur, sententiae infallibiles haberi debent. Aliud autem decretorum genus, quae *communi* tantum Pontificis approbatione et ut *actus congregationis* eduntur, gravissimum quidem, non infallibile tamen, theologo praebent argumentum. Hinc Gotti: „ab ea tamen (Congregatione Inquisitionis) controversia aliqua fidei decidi non potest ita, ut transeat in articulum fidei et qui dissentiant immediate sint haeretici ex vi praecise judicii S. Congregationis.“ *De locis theol.* t. I. 3., dub. 9. §. 2. n. 12. Et certe Pontifex *infallibilitatem* suam congregationibus delegare non potest; *curam invigilandi* doctrinae incolumitati demandare potest, *eamque* congregationibus, earum tamen dependentia a Pontifice manente, reapse demandat. Cf. Palmieri, *De Rom. Pont.* p. 632. etc.; Franzelin, *De div. trad. et Script.* p. 133. etc. edit. 3.

III. Quinam assensus debeatur decretis doctrinalibus, communi tantum Pontificis approbatione ab Inquisitione aut ab Indice editis. Non requiritur assensus *fidei proprie et immediate divinae*, qui propter auctoritatem Dei revelantis praestatur, nec assensus *fidei ecclesiasticae*, qui debetur auctoritati, veritatem infallibiliter definienti. Verum assensus *silentii obsequiosi* minime sufficit, sed decretis, de quibus diximus, assensum *et externum et internum religiosum* praestemus necesse est. Assensus autem interni gradus sunt; atque assensum religiosum et internum, quem decretis memoratis debemus, non metaphysicum et summum, sed generis cujusdam moralis esse intelligimus; qui gradus

inferior assensus inferiori gradui auctoritatis respondet. Cf. Gotti, l. c. Exempli causa duos viros nomino, Antonium Rosmini et Vincentium Gioberti, quorum alter damnatis suis operibus *Cinque Piàghe della santa Chiesa* et *Costituzione secondo la Giustizia sociale* laudabiliter se subjecit; alter damnato suo libro *Gesuita moderno* obmutuit. Ob quam subjectionem Kraus, rectissime ille quidem, Vincentii humilitatem et devotum ecclesiae animum laudavit.[1]) Fieri tamen potest, cum de decreto non vere infallibili agatur, ut aliqua oppositi formido permaneat.

IV. Tres rationes praecipuae assensum illum postulant. 1° Congregationes, a quibus hujusmodi decreta eduntur, Romano Pontifici pro doctrina custodienda adscitae, ecclesiae Romanae doctrinam morali certitudine exprimere censentur, et aliquid assistentiae divinae in eas redundare videtur. — 2° Maximi facienda est virorum sapientissimorum sententia, eoque magis in ea catholicos viros aequum est conquiescere, quod facta et tanta decretorum multitudo ostendunt, quam *tuto* congregationum decreta sequamur. — 3° Pius IX. in litteris *Tuas libenter accepimus*, die 21. Dec. 1863 ad archiepiscopum Monachiensem scribit obligationem, „qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur", non coarctari in iis tantum, „quae *ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur*". Et mox subjungitur: „cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus viri agnoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata dogmata *recipiant* ac venerentur, verum etiam opus esse, ut *se subjiciant* tum *decisionibus*, quae *ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus* proferuntur, tum", etc. Cf. Gotti, loc. cit.

V. Objectio ex condemnatione Galilei Galilaei. Doctrina Galilaei de immobilitate solis et mobilitate terrae, die 5. Martii 1616 Romae damnata est. Paulus V. Papa,

[1]) F. A. Kraus, *Essays*, I. p. 215.

relato decreto S. Congregationis Indicis, ordinavit publicari edictum. In decreto, quod die 5. Martii 1616 fuit editum, doctrina memorata S. Scripturis adversari dicitur. Galilaeus, non obstante decreto, systema suum iterum docuit primum in libro, qui inscriptus est *Saggiatore*, deinde in *Dialogo di Galileo Galilei delli due massimi systemi del mondo, Tolemaico e Copernicano,* Florentiae, 1632. Tum die 22. Junii 1633 emanavit sententia a S. Congregatione Inquisitionis, qua decernitur ut per publicum edictum prohibeatur liber *Dialogorum Galilei Galilaei;* et ipse auctor damnatur ad carcerem. Eodem die Galilaeus coram cardinalibus S. Officii Romae in conventu Minervae abjuravit. Galilaeum juratum dixisse: *E pur si muove,* fabella est, cujus prima mentio fit in opere abbatis Irailh, *Querelles littéraires,* 1761. Martyrium celeberrimi viri nullum unquam fuit. Obiit Galilaeus in Domino die 8. Januarii 1642.[1])

Quaeritur, utrum contra Galilaeum editum sit decretum *doctrinale.*

Resp. Cardo hujus quaestionis in eo est, utrum decretum Indicis anni 1616 decretum mere *disciplinare* sit, an *doctrinale.* Duplex est sententia. 1° Nonnulli sentiunt decretum essentialiter esse disciplinare. Scilicet in decreto haec legimus: „*Quia* ad notitiam praefatae S. C. pervenit falsam illam doctrinam pythagoricam divinaeque scripturae omnino adversantem, de mobilitate terrae et immobilitate solis . . . jam divulgari et a multis recipi . . . *Ideo ne* ulterius hujusmodi opinio in perniciem catholicae veritatis serpat, censuit . . . omnes libros pariter idem docentes prohibendos, prout praesenti decreto omnes respective prohibet, damnat atque suspendit." Ex quibus inferunt, doctrinam quidem decreti *motivum* fuisse, sed *rem* decretam non esse nisi librorum aliquorum prohibitionem. Ita

[1]) Cf. H. de l'Épinois, *Les pièces du procès de Galilée* (1877); A. Favaro, *Il processo di Galileo* (1902), de quo videsis *Rev. des quest. scientif.* 1903, Avril, p. 578—598; Funk, *Kirchengesch. Abhandl. und Unters.* B. II. (1899), p. 444—476; A. Müller, *Nik. Copernicus* (1898) et Joh. Keppler (1903); E. Vacandard, *Études de critique et d'hist. religieuse* (1905), p. 295—387; G. Semeria, *Storia di un conflitto* (1905).

Scheeben, *Handbuch der kath. Dogmatik*, B. I.; Jaugey, *Le Procès de Galilée*, p. 73.

2° Alii affirmant decretum dogmaticum esse, aut si primario disciplinare, secundario certe doctrinale. Bouix, *Rev. des sciences eccl.* 1866; Grisar, *Galileistudien*, p. 151. Hujus sententiae praecipuum argumentum esse videtur, quod in aliis documentis ad quaestionem Galilaei pertinentibus falsitas *doctrinae* Copernicanae *declarata* ac *definita* dicatur. Et vero in sententia Inquisitionis 22. Junii 1633 haec: „*ut* prorsus tolleretur tam perniciosa doctrina, neque ulterius serperet in grave detrimentum Catholicae veritatis, emanavit decretum a Sacra Congregatione Indicis, quo fuerunt prohibiti libri, qui tractant de hujusmodi doctrina, *et* ea declarata fuit falsa, et omnino contraria Sacrae ac Divinae Scripturae."

Utcunque res se habet, in causa Galilaei nihil repertum, quod a Pontifice Romano ex cathedra definitum sit; nec quidquam ex condemnatione personarum aut doctrinae potest afferri, dogmati Pontificiae inerrantiae contrarium.

Dices. Ex actis Inquisitionis constat, *relato decreto* Pontificem *ordinasse*, „publicari decretum".

Resp. Ordinavit Pontifex; sed non sibi sumpsit eam rem, ut *ipse loqueretur* ex cathedra, suprema sua usus auctoritate. Jussit igitur Pontifex congregationem agere quae congregationis sunt; ita decretum editum est ut *actus congregationis*. Quo factum est, ut plures viri prudentes sententiam definitivam supremae auctoritatis latam esse non putaverint, velut Riccioli, Marinus Mersenne, Libertus Fromond, Gassendi et alii, de quibus cf. Grisar, o. c. p. 165. etc.; Jaugey, o. c. p. 77—82.; Bourquard, *Galilée, son procès*, cum animadversionibus J. Vinati, in period. *Divus Thomas*, t. III.[1]) —

[1]) Celeberrimus Gassendi, in academia Parisiensi mathematices professor, Galileo amicissimus, ita scripsit: „In eo sum, ut placitum illud reverear, quo Cardinales aliquot approbasse terrae quietem dicuntur. Etenim licet Copernicani tueantur, loca Scripturae quae terrae statum sive quietem et soli motum tribuunt, explicanda esse

Quaestio XVII.

De S. Scriptura.

Tertius locus est *S. Scriptura*, de qua S. Paulus ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* II. Tim. III. 16, 17. Hic locus in se dignissimus est, sed plurimi verbo illo divino abusi sunt. Oportet ergo de vera indole S. Scripturae atque de recto loci hujus usu diligentius disserere. Unde quaeritur:

Primo. *Quid S. Scripturae nomine intelligatur.*

Secundo. *De conceptu et natura inspirationis S. Scripturarum.*

Tertio. *Utrum S. Scriptura sit divinitus inspirata.*

Quarto. *Utrum omnes Libri canonis Tridentini inspirati sint.*

Quinto. *Utrum omnes res et sententiae S. Scripturarum divinitus inspiratae sint.*

Sexto. *Utrum concilium Tridentinum versionem vulgatam merito authenticam declaraverit.*

---

de ipsa, ut loquuntur, apparentia deque accomodatione ad captum moremque loquendi vulgarem . . . nihilominus quod ea loca secus explicentur a viris, quorum, ut constat, tanta est in Ecclesia auctoritas, eapropter ipse ab illis sto, et hac occasione facere intellectum captivum non erubesco. Non quod propterea existimem articulum fidei esse; neque enim, quod sciam quidem, id assertum ab illis est, aut apud universam Ecclesiam promulgatum atque receptum; sed quod illorum judicium habendum praejudicium sit, quod non possit apud fideles non maximi esse momenti.“ De motu impresso a motore translato ep. 2. Opp. t. III. p. 471. ed. Florent. 1727. — Quid saeculo XVII. de condemnatione Galilei senserit Luis de Leon, theologus Hispanus, vide in period. *Études*, 1903, 20. Août, p. 457.

Articulus I.

Quid S. Scripturae nomine intelligatur.

I. S. Scripturae definitio. Sacrae Scripturae, graece: *ἡ γραφή, γραφαί ἅγιαι*, *Rom.* 1. 2., *Joan.* II. 22., sunt *libri, qui Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt.* Cf. Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*, cap. II. 1° Sunt *libri* seu verbum Dei *scriptum*; hoc enim inter Scripturam et Traditionem, quae conveniunt in genere *verbi Dei*, interest, quod haec est a Deo viva voce tradita, illa scripta. 2° Adjicitur: *Spiritu sancto inspirante*, hoc est, non tantum assistente aut approbante aut declarante aut negative dirigente, sed positive movente ad scribendum et inter scribendum, ita ut 3° libri sic conscripti *Deum* habeant *auctorem* principalem, et ut auctores sacri comparate ad Deum sint secundarii. *Comparate ad Deum* eo dixi, quia auctores sacri principalis Scripturae causa haberi debent, respectu amanuensium, quibus illi, dictantes scribenda, in Scripturis conscribendis quandoque usi sunt, velut Paulus Tertio (Rom. XVI. 22.), qui a S. Thoma vocatur „notarius Pauli". *Expos. in Rom.* l. c. 4° Et: *qui ut tales ecclesiae traditi sunt;* agitur enim de libris, qui ad commune *depositum fidei* pertinent, quod ecclesiae custodiendum jure divino traditum est. Quapropter si cui librum Deo inspirante conscribere contigisset, ille tamen liber, si non esset ecclesiae ut depositum fidei communis traditus, sed ad usum potius privatum propositus, *S. Scriptura* sensu pressiori non diceretur.

II. S. Scripturae divisio. 1° Prima divisio 72 librorum, ex quibus tota S. Scriptura constat, est in Libros *V. Testamenti* et Libros *N. Testamenti.*

a) Libri V. Testamenti seu Scripturae ante Christum natum sunt 45, videlicet: Pentateuchus seu quinque Moysis, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae I. et II., qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150 psalmorum, Proverbia,

Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim prophetae minores, id est, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; Machabaeorum I. et II.

b) Libri N. Testamenti seu Scripturae post Christum mortuum exaratae sunt 27, videlicet: quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum; quatuordecim epistolae Pauli apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri apostoli duae, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judae apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. Cf. *Conc. Trid.* Sess. IV. Hic autem ordo non est in omnibus chronologicus; neque in antiquis codicibus non inveniuntur plures ordinis differentiae.

2° Altera divisio est in libros *protocanonicos* et *deuterocanonicos. a) Protocanonici* dicuntur libri, de quorum origine divina et auctoritate nunquam dubitatum est. *b) Deuterocanonici* dicuntur libri, qui *in se* quidem semper ejusdem auctoritatis fuerunt atque protocanonici, sed de quorum auctoritate in quibusdam ecclesiis particularibus per aliquod temporis spatium dubitatum est. Deuterocanonici V. T. sunt: Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch cum epistola Jeremiae, duo libri Machabaeorum, Esther X. 4. — XVI. 24.; Daniel III. 24—90., XIII. et XIV. Ex N. T. epistolae ad Hebraeos, Jacobi, II. Petri, II. et III. Joannis et Judae; Apocalysis; Marcus XVI. 9—20.; Lucas XXII. 43. 44.; Joannes VIII. 3—11.

3° Tertia divisio est *a)* V. Testamenti in *legem, prophetas* et *hagiographa.* Cf. *Luc.* XXIV. 44.; S. Thom. II. II. 174., art. 2. ad 3.; *b)* N. Testamenti in scripta *evangelica* et *apostolica,* quorum primum genus quatuor evangelia, secundum ceteros libros omnes complectitur; *c)* omnium librorum V. et N. Testamenti in *legales:* Pentateuchus et quatuor Evangelia; in *historicos:* Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdrae, Tobias,

Judith, Esther, duo Machabaeorum, Actus Apostolorum; in *sapientiales* vel didacticos et morales, qui sunt Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, epistolae Paulinae et septem catholicae; in *propheticos*, qui sunt Isaias, Jeremias cum Baruch et Threnis, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores et Apocalypsis.

Postremo totum V. T. per synecdochen vocatur *Lex*, totum N. T. *Evangelium;* nam „Evangelium — ait S. Thomas — idem est, quod bona annuntiatio, quae incipit a Christo; unde quidquid pertinet ad Christum vel est de ipso Christo, dicitur Evangelium". *In I. Cor.* I. lect. I. Omnes autem libri sunt *una S. Scriptura*, quia est unicus auctor principalis, Deus.

III. S. Scripturae dignitas. 1° S. Scriptura considerari potest, ut liber *mere humanus*. Sub quo respectu excellit *a)* antiquitate; *b)* genere scribendi et sublimi et tamen simplici; *c)* doctrinae gravitate, ubertate, firmitate. Namque „sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat". S. August. *De Genesi ad litteram*, lib. V. 3. — Nec recens studium, quo libri sacri Orientis et praecipuae religiones antiquae cum Christianorum codicibus sanctis comparabantur, Scripturis nostris aliquid majestatis ademit. Quin imo nunquam magis patuit haec Augustini sententia: „Transeunt praedicatores verbi tui ex hac vita in aliam vitam; Scriptura vero tua usque in finem super populos extenditur." Conf. XIII. 15.[1])

2° Longe praestantior est Scriptura ut *liber divinus*,

[1]) M. J. Lagrange, *La méthode historique* (2 édit. 1904), p. 77—78: „nous maintenons, et toutes les découvertes donnent plus d'éclat à cette vérité, que notre Bible est incomparable, que seule, dans son ensemble, elle est vraiment, pour l'humanité une lumière, une histoire du progrès de l'homme dans le sentiment religieux, que c'est le seul des livres prétendus inspirés qui puisse vraiment nous aider à trouver Dieu, à le servir et à l'aimer. Je suis persuadé qu'ici la méthode historique rendra les plus grands services, qu'il sera toujours possible, sans rien exagérer, de montrer la supériorité de la Bible sur tout ce qui sort des fouilles."

quem S. Paulus vocat *sacras litteras*, *ἱερα γράμματα*. II. Tim. III. 15. „Dicuntur autem *sanctae* — ait S. Thomas — primo quidem quia, ut dicitur II. Petr. I. 21.: *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* II. Timoth. III. 16.: *Omnis Scriptura divinitus inspirata.* Secundo, quia sancta continent: Ps. XCVI. 12.: *Confitemini memoriae sanctificationis ejus.* Tertio, quia sanctificant: unde Joan. XVII. 17.: *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Unde dicitur I. Mach. XII. 9.: *Habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris.*" *In Rom.* cap I. lect. II. Quin imo Scriptura ab Angelico vocatur *cor Christi*, quia „manifestat cor Christi". *In Ps.* XXI. 11. Cf. *In II. Tim.* III. lect. 3.; S. Bonavent. *Breviloquium*, Prooemium et Matthaeum ab Aquasparta, *Tract. de excellentia S. Scripturae.*

3° Praestantia illa Scripturae, ut libri divini, maxime in eo sita est, quod prima veritas, hoc est Deus, in S. Scriptura sese manifestat et instruit intellectum *immediate.* Cf. S. Thom. II. II. 5. 3.; *In II. Tim.* l. c. Quod quidem intelligendum est *non objective*, quasi prima veritas *in se* a fidelibus in terris apprehendatur, sed *causaliter*, quatenus prima veritas, sub velamine tamen signorum, nulla mediante causa secunda et operatione fallibili humani intellectus, *per se* manifestationem sui operatur. Dixi: „nulla mediante *causa* manifestationem sui operatur". Verum ad eam manifestationem actu percipiendam, „duo requiruntur: ut sacra Scriptura rite intellectui proponatur, *magisterio scilicet Ecclesiae*, et quod in ea continetur, fide divina suscipiatur." Schaezler, *Introd. in S. Theol. dogmat.* cap. III. 1. 1. In naturali autem cognitione Deus homines docet *mediate*, hoc est, mediante creato lumine, quod nobis infundit.

4° Libri sacri dicuntur *divini* non solum *a)* ratione materiae, neque *b)* tanquam scripta sub assistentia tantum Dei, errorem praecaventis, sed *c)* quod ipsa scriptio est efficienter a Deo. De hoc statim.[1])

---

[1]) Cf. Sixtum Senensem († 1569), *Bibliotheca sancta;* Van de Laar, *Introd. gener. in S. Script.; Bacuez* et *Vigouroux, Manuel Biblique;*

Articulus II.

De conceptu et natura inspirationis S. Scripturarum.

I. Status quaestionis. Quoniam de S. Scripturis, ut Libri inspirati sunt, disputationem habituri sumus, ante omnia veram inspirationis, quae graece *θεοπνευστία* dicitur, notionem exponere altiusque perscrutari conabimur. Nam in ea rei cardo est. Consuetudo loquendi profana quid de voce *inspirationis* nos edoceat, parum refert; nec rationalistae lucem nobis afferre poterunt, qui inspirationem sic intelligunt ac definiunt, ut eam nihil nisi naturalis rationis opus esse dicant. De inspiratione, non sensu quodam generaliori sed sensu strictiori ac speciali agitur, quae influxum divinum eumque specialem postulat. Ipsa vox, qua influxus ille significatur, apertissime adhibetur a Paulo, cum ad Timotheum scribit: *Omnis Scriptura divinitus inspirata* — *θεόπνευστος* — *utilis est ad docendum*, II. Tim. III. 16. Quam quidem notionem *Dei spirantis* — a *πνέω* — beatus Petrus nomine analogo designare videtur, inquiens: *Spiritu sancto inspirati* — *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* — *locuti sunt sancti Dei homines*. Sed nominis significationem determinare plus difficultatis habet.

II. Unde vera inspirationis S. Scripturarum ratio maxime determinanda sit, ex eo cognosci licet quod de actione Dei libera et supernaturali sermo est, quam nemo unquam *a priori* seu ex causa novit, et quam ille tantum *a posteriori* seu ab effectu posset inferre, cui totus processus psychologicus auctorum sacrorum patesceret. Jam vero qualis hic processus fuerit, ex ipsa Librorum indole sufficienter intelligere nequimus, praesertim cum de influentia divina disseramus, quae ad totum illum complexum, quem Biblia sacra vocamus, usque quaque se extenderit. At supra probavimus in rebus fidei et morum ducem

---

Chauvin, *Leçons d'Introduction générale aux divines Écritures;* H. Höpfl, *Das Buch der Bücher;* R. Cornely, *Introductionis in Libros sacros Comp.* (ed. 5. 1905); J. E. Belser, *Einleitung in das N. T.* (2. Aufl. 1905).

nobis divinitus datam esse ecclesiam. Haec igitur prima veram inspirationis conceptum nos edoceat.

Saepius in antiquis fidei professionibus declaratur, *novi et veteris Testamenti unum esse auctorem Dei.*[1]) Quae formula tanquam incisum decreto Tridentino de libris canonicis insertum est hoc modo: „Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus . . . omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque Deus sit auctor, . . . suscipit ac veneratur. „Sess. IV. — Alia documenta hanc ideam *Dei auctoris* cum inspiratione ita connectunt. 1° In concilii Florentini decreto pro Jacobitis de Romana ecclesia declaratur: „unum atque eundem Deum veteris et novi Testamenti, h. e., Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, *quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante,* utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur.“ 2° In Constitutione *Dei Filius,* cap. II. concilium Vaticanum haec statuit: „Eos vero (veteris et novi Testamenti libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti* Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.“ Tum in *Canonibus* cap. II. 4. inspiratio his verbis inculcatur: „Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.“ Leo XIII. in encycl. *Providentissimus Deus* (18. Nov. 1893) illam doctrinam Vaticanam repetit, de utriusque Testamenti libris inquiens: „appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti*, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.“

Quibus ita positis nonnulla, quae quaestioni nostrae lucem aliquam afferant, colligi juvat. Nam *primo,* satis apparet, „*inspirationem*“ inter et „*Deum auctorem*“ connexio-

[1]) Cf. H. Denziger, *Enchiridion,* edit. 9.

nem intercedere. *Secundo*, conceptus *inspirationis* radix est aut fundamentum conceptus *Dei auctoris;* etenim in decretis et sententiis allatis nusquam Scripturae inspiratae dicuntur, quod Deus earum auctor est, sed Deo auctore confectae esse idcirco dicuntur, quod S. Spiritu inspirante conscriptae sint. *Tertio*, illud de vi et valore S. Scripturarum judicium procul dubio erroneum esset, quod negationem formulae: *Deus auctor est*, in se includeret; sed tamen disputatio de dignitate sacrorum Librorum, si primum et explicitum sui generis principium scrutari velit, ad ipsam *inspirationis* vim, quantum potest, enucleate cognoscendam adigimur.

III. De iis, quae praecipue dicto inspirationis conceptu comprehenduntur. 1° Leo XIII., encycl. *Providentissimus Deus*, operationem Dei in sacros auctores atque virtutem, a divino afflatu Spiritus sancti profectam, in hunc modum exposuit: „supernaturali ipse (Spiritus sanctus) virtute ita eos (scriptores inspiratos) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae." Quod Pontifex his Gregorii Magni verbis ex *Praef. in Job*, no. 2. illustrat: „Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit qui et in illius opere inspirator extitit."

Videmus igitur *inspirationem* a Leone XIII. amplius determinatam formulaeque: *Deus auctor Scripturae universae*, eum sensum affixum, qui vagus et incertus haberi nequeat. Licet enim multa discutienda maneant, quae ad activitatem scriptoris sacri sub inspiratione divina pertineant, constat tamen a Spiritu sancto hagiographum ita assumi tanquam instrumentum, ut hujus auctoris nec concipiendi ratio neque voluntas neque conscribendi modus sensum, quem causa divina velit, unquam corrumpere aut pervertere possit.

2° Inspirationis naturam si quis psychologice seu ut

operantem in hagiographi facultates sectari voluerit, Aquinatem in hac difficultate quaerendi tutiorem, mea quidem sententia, nacti sumus doctorem.

Jam vero Angelicus inspirationem intellexit *motionem*, non illam *communem*, qua Deus ut causa prima et principalis operationem movet quarumcunque causarum secundarum, sed illam *specialem*, qua scriptor inspiratus vere ac proprie instrumentum fit Dei tanquam auctoris primarii. Quare sanctus doctor in Ps. XLIV. 2.: *lingua mea calamus Scribae velociter scribentis:* „principalis — inquit — auctor hujus psalmi est Spiritus Sanctus. Et cujus calamus est? *Scribae velociter scribentis;* Spiritus Sancti, qui velociter scribit in corde hominum." Verum haec motio Dei in scriptorem sacrum non mechanica est mereve extrinseca, velut si sola manus cujuspiam moveretur ad scribendum, sed est influxus divinus a) in *mentem*, b) in *voluntatem* hagiographi.

a) *Motio seu influxus in mentem* efficit, ut auctor inspiratas res omnes litteris consignandas cognoscat per novam aliquam illuminationem. Cujus illuminationis vi auctor sacer tum ea, quae ipsi jam naturaliter *nota* erant, tum ea quae hucusque *incognita* erant, *omnia* cognoscit *judicio* supernaturali; incognita autem insuper *acceptione* supernaturali, juxta lllud Angelici: „Agyographae autem dicuntur qui supernaturaliter solum visiones intellectuales habuerunt sive quantum ad judicium tantum, sive quantum ad judicium et acceptionem simul." Quodsi scriptor sacer simul et propheta est, specialiori modo atque per *imaginarias visiones* etiam divinitus illustrabitur; hoc autem non de ratione inspirationis auctoris sacri, *qua* talis, est, sed indoli convenit prophetarum. Unum omnibus scriptoribus inspiratis commune, nempe quantum ad utraque, hoc est, quantum ad ea, quae incognita et ad ea, quae jam cognita erant, cognitionem habere *cum adjutorio divini luminis.* Hoc idem significat Aquinas, II. II. 174. 2. ad 3.: „Si vero lumen intellectuale alicui divinitus infundatur non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad judicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea quae humana ratione cognosci possunt; sic talis prophetia intellectualis

est infra illam quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem; cujusmodi prophetiam, habuerunt omnes illi qui numerantur in ordine Prophetarum. Qui etiam ex hoc specialiter dicuntur prophetae, quia prophetico officio fungebantur: unde ex persona Domini loquebantur, dicentes ad populum: *Haec dicit Dominus;* quod non faciebant illi qui hagiographa conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adjutorio tamen divini luminis."

Porro hoc inspirationis lumen non est in scriptore sacro per modum formae permanentis seu per modum habitus, sed „per modum cujusdam passionis vel impressionis transeuntis", ut docet S. Thom. II. II. 171. 1.; hoc est, interpretante Zanecchia, non semper a cognoscente possidetur, sed dumtaxat tempore quo Deus illo cognoscente in ratione hagiographi utitur.[1])

b) *Inspiratio ut influxus in voluntatem* scriptoris sacri voluntatem efficaciter impellit, ut ille tanquam instrumentum Dei scribat, quae sub divino lumine, prout exposuimus, judicio supernaturali cognoscit. Qui impulsus voluntatem immediate movet, facultates autem exsecutivas mediate saltem, hoc est, per voluntatem. Hic igitur influxus „est quaedam vis aut impressio a Deo, illuminans et *tangens corda*". S. Thom. *In I. Cor. XIV.* 32, lect. 6. — Cf. II. II. q. 171—174.; *De verit.* XII. 12.

IV. Inspiratio et propria sacri scriptoris seu hagiographi operatio. Aquinas habitudinem scriptoris inspirati ad Deum ita exponit, ut Deum S. Scripturarum *causam principalem* esse dicat, ipsum scriptorem *causam instrumentalem.* Jam vero causa instrumentalis quanquam virtute agit aliena, quemadmodum principalis propria, verissimum tamen videtur hoc Aquinatis principium: „instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam,

[1]) D. Zanecchia, *Scriptor sacer sub divina inspiratione* (1903), p. 60.

quae competit ei secundum propriam formam.“ III. 62. 1. ad 2. Et sane si nihil instrumenti adhiberetur ad causandum, sed motionem tantum causae principalis deferret, aliud non esset ac medium. Quaestio autem quae multorum praestantium ingeniorum diligentiam et acumen exercet, haec est, quidnam scriptor sacer „ex persona propria, cum adjutorio tamen divini luminis“ — ut ait Angelicus II. II. 174. 2. — conscripsisse existimandus sit. Cui quaestioni adaequate solvendae prorsus impar nonnulla tamen, rebus subtilius examinandis non inutilia, pro viribus exponam.

1° *Inspiratio, qua talis revelatio non est.* Veritatum revelatarum partem magnam sacris Libris contineri, nemo catholicus negat; quaedam ipsis scriptoribus sacris, praesertim prophetis esse revelata, pariter constat; sed proprius *inspirationis* conceptus talis est, ut S. Scripturae, etiamsi nulli unquam earum scriptori quidpiam revelatum esset, suam tamen Librorum inspiratorum dignitatem, non amitterent. At revelatio quoniam in *manifestatione veritatis a Deo* consistit, confusione terminorum *revelationis* et *inspirationis* verendum esset, ne quis eo adduceretur, ut proprium scriptoris sacri laborem et industriam in colligenda scribendi materia terminis arctioribus circumscriberet.

2° *Actio propria scriptoris sacri saepe circa fontes versatur, ex quibus hauriat scribenda.* Tales fontes esse possunt *a)* ipsa meditatio mentis aut animus commotus auctoris, quemadmodum auctor libri Job de Deo rerum humanarum Provisore meditatus est atque ille, qui psalmum *Miserere* scripsit, ex corde suo compuncto sonum immortalem contritionis elicuit. *b)* Fons alius sunt auctores tam profani quam sacri. Nominantur enim fontes in Pentateucho; in libris Regum et in libris Paralipomenon. Neminem autem latet, auctorem libri II. Machabaeorum II. 24—27 haec scripsisse: *„Itemque ab Jasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare . . . Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.“* *c)* Postremo nihil obstare videtur, quo-

minus ea notitia, quam videndo, audiendo, quovis denique modo de traditionibus populorum etiam gentilium sibi comparaverat, scriptori sacro scribendi materiam suppeditaverit. Nec mirum, si documenta, v. g. Babyloniensia, Scripturis nostris forte antiquiora, doctrinas aliquas, narrationes aliave continere reperiantur, quae olim, non ob aliquam rationem positivam, sed ob ejusmodi documentorum ignorantiam, originalia sacrorum Bibliorum esse putabantur.

3° *Actio propria scriptoris sacri in stilo etiam cernitur et in genere ac modo scribendi.* Magna pulchritudo S. Scripturarum, sed major inter varios hagiographos sermonis et eloquentiae discrepantia. Nec omnia ad perfectionem perveniunt, sed nonnulla, jure id quidem, parum elegantia censentur. Hic advertenda quae S. Thomas docet, *De pot.* III. 7 ad 15.: „quia causa prima magis influit in effectum quam secunda, ideo quidquid perfectionis est in effectu, principaliter reducitur ad primam causam; quod autem est de defectu, reducendum est in causam secundam, quae non ita efficaciter operatur sicut causa prima."

Hoc loco etiam hoc animadvertendum est, res naturales seu physicas a scriptore sacro non eo modo describi, quasi intimam adspectabilium rerum constitutionem docere homines vellet. Contra Leo XIII. ait: „Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) ea secutus est, quae sensibiliter apparent." [1]) Encycl. *Providentissimus Deus.* Laurentius Janssens in sua *Summa theologica* hujusmodi rationis scribendi radicem theologice et psychologice his explanat: „Imo inspiratio non requirit, ut auctor sacer, etiam dum inspiratur ad scribendum, sit ab errore immunis circa ea quae scribit, in his quae non directe ab inspirante intenduntur. Ita, v. gr., narrans mirabile factum Josue, diei lucem prolongantis ad pleniorem de hoste victoriam, potuit non solum, accommodando se loquendi modo hujus temporis, dicere

[1]) S. Thom. Aqu. I. 70. 1. ad 3.

solem stetisse, sed putasse, dum hoc scriberet, solem re vera circa nostram volvi tellurem." [1])

Eum, quem memoravimus, loquendi modum haud semel in rebus quoque narrandis ab auctore sacro adhibitum esse, S. Hieronymus adeo sibi persuasum habebat, ut eos, qui id negarent, ita compellaverit: „Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat." *In Jerem. Proph.* XXVIII. 10—11.

Haec autem, quae de actione propria auctorum sacrorum quantum ad stilum atque genus modumque loquendi exposita sunt, non dici debent inspirationem Scripturarum aut veritatem coangustare sed explicare.

V. De inspirationis conscientia in scriptore sacro. S. Thomas *prophetiam*, quae in ejus tractatu cum doctrina de inspiratione cohaeret, profundius considerans, inter alia quaerit, utrum prophetae semper cognoscant ea quae prophetant. Respondet primo ponens hoc principium: „in revelatione prophetica movetur mens prophetae a Spiritu Sancto sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis." Deinde duplicem *motionem* S. Spiritus distinguens: „Cum ergo — inquit — aliquis *cognoscit se moveri* a Spiritu Sancto ad aliquid aestimandum, vel significandum verbo vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet. Cum autem movetur, sed *non cognoscit*, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus." Hunc autem alterum casum tanquam *factum* describit his verbis: „cum mens prophetae movetur ad aliquid aestimandum vel apprehendendum, quandoque quidem inducitur ad hoc quod solum apprehendat rem illam: quandoque autem ulterius ad hoc quod cognoscat haec sibi esse divinitus revelata." II. II. 173. 4. — Idem sanctus doctor *l. c.* 171. 5 hanc doctrinam exponens ait: „mens prophetae dupliciter a Deo instruitur: uno modo, per expressam revelationem; alio modo, *per quendam instinctum, quem interdum etiam nescien-*

[1]) L. Janssens, *Summa theol. ad modum commentarii in Aquinatis Summam praesentis aevi studiis aptatam*, t. VI. (1905), p. 296—297.

tes humanae mentes patiuntur, ut Augustinus dicit, II. *super Gen. ad litt.*“ (cap. 17) . . . . ad ea quae cognoscit (propheta) per instinctum, aliquando sic se habet ut non plene discernere possit utrum hoc cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium.“ Ad quae Cajetanus haec in *Commentariis*, No. VI.: „Et si quidem divino instinctu loquitur, quamvis non discernat, se loqui divino instinctu, attamen impossibile est, quod falsum dicat: quoniam divinus instinctus non potest esse principium falsi.“

Denique, de scriptore sacro generatim affirmandum videtur, quod Angelicus de propheta concludit: „Sciendum tamen quod, quia mens prophetae est instrumentum deficiens, sicut dictum est, et veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis et verbis . . . Spiritus Sanctus intendit.“

VI. De aliquibus conceptibus erroneis circa inspirationis naturam. Consideranti quid res non sit, saepe melius clarescit, quid sit. Ita fit, ut veterum errores quandoque erudiant posteros. Hac de re sequentia in memoriam revocentur.

1) *Lessius* et *Hamelius.* Anno 1588 universitates Lovaniensis et Duacensis hanc propositionem reprobarunt: „Liber aliquis, qualis forte est secundus Machabaeorum, humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.“ Thesis ita concepta continet errorem *inspirationis subsequentis*, eumque *positive* quantum ad *possibilitatem* istiusmodi inspirationis, *dubitative* quantum ad *factum* in secundo Machabaeorum. Lessius et Hamelius, quibus illa doctrina tribuebatur, negaverunt eam esse suam. Lessius tamen in antithesi VI., archiepiscopo Mechliniensi oblata, suam esse fatetur propositionem sic emendatam: „Si aliquod opus pium et salutare, humana industria ex divino instinctu compositum, publico testimonio Spiritus Sancti approbaretur tamquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem aeque infallibilem atque Scriptura Sacra, et recte Spirituram Sa-

cram et verbum Dei appellatum iri. Nam ejusdem est auctoritatis epistola a rege dictata, et ab eo subscripta; qui modus, *etsi de facto putem eum non inveniri* in aliquo Scripturae canonicae libro, non tamen est impossibilis.“ Quibus verbis affirmari videtur, *vi conceptus* Scripturae sacrae non repugnare, Scripturam sacram *appellari* aliquam ob solam inspirationem *subsequentem;* Lessius igitur non loquitur nisi *hypothetice* et de *appellatione* Scripturae Sacrae et verbi Dei.[1]) At nomina oportet quadrare cum rebus. Jam Vaticanum concilium libros pro sacris „habet, *non ideo, quod* sola humana industria concinnati, sua *deinde* auctoritate sint approbati . . .; sed propterea quod *Spiritu Sancto inspirante* conscripti Deum habent auctorem.“ Conc. Vatic. Const. dogm. *Dei Filius,* cap. II.

2) Bonfrère seu Bonfrerius anno 1625 edidit *Praeloquia in Scripturam sacram;* in quo opere tres inspirationes distinguit, *antecedentem, concomitantem* et *consequentem. Antecedens* ea est, quam scholae catholicae docent aut fere. Hic modus a S. Spiritu conservatus est in libris propheticis aliisque, in quibus *arcana* litteris consignata sunt. *Concomitans* est, in qua S. Spiritus se habet non ad modum dictantis et inspirantis, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret. Ex hac parte inspiratio concomitans *negativa* est. Ex parte tamen *positiva.* Et *primo* quidem S. Spiritus scribentibus semper adstat, paratus in actu primo illis quae scribenda sunt inspirare, quotiescunque sibi relicti essent aberraturi; *antecedenter* autem in illis non operatur, nisi quando haec operatio sit iisdem, ne fallantur, necessaria. *Secundo,* non deest scriptori initio inspiratio quaedam generalis scribendi talem historiam, vel pulchras gnomas ad vitam moresque bene componendos vel quid aliud. Contendit Bonfrerius, hanc inspirationem admittendam esse in historiis, dictis

[1]) Cf. pro Lessio Liv. de Meyer, *Hist. Congr. de Auxil.* lib. I. cap. IX.; Kleutgen, *Leonardi Lessii de div. inspiratione doctrina;* Coll. Lacens. VII. p. 140.; Kaulen, *Einleitung in die Hl. Schrift* (Dritte Aufl.), I. p. 16.

aliorum factisque referendis, quae vel visu cognita, vel auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerunt, velut in Evangeliis. At obstat doctrina ecclesiae, quae libros V. et N. Testamenti pro sacris „habet, . . . *nec ideo dumtaxat,* quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti* Deum habent *auctorem*". Conc. Vatic. Const. dogm. *Dei Filius,* cap. II.

Quod ad *inspirationem subsequentem* attinet, Bonfrerius hujusce *possibilitatem* admittit; itemque eam *factam* esse affirmat, quantum ad sententias gentilium vel impiorum, quae in S. Scriptura referuntur, uti *Act.* XVII. 28.

De Sixto Senensi tacui. Hic enim, quamvis in *Biblioth. Sancta,* lib. VIII. affirmaverit, libri sacri fidem „non ab auctore, sed ab Ecclesiae catholicae auctoritate" pendere; non tamen nisi de *tali persona* auctoris id intellexisse censetur. Alias enim expressis verbis dicit: „Divini autem et canonici scriptores illi sunt, qui *Spiritu divino dictante* scripturas canonicas . . . scripserunt." *O. c.* lib. I. sed. I. Com. I. p. 1.

3) J. Jahn anno 1814 edidit *Introductionem in libros sacros Veteris Foederis;* quod opus est epitome et versio latina operis majoris, germanice ab ipso conscripti. In utroque opere inspirationem *mere negativam* profitetur. Hic enim: „Ut igitur — inquit — libri sint divinae auctoritatis, necesse est, ut scriptores auxilio (divino) suffulti omnem errorem caverint. Assistentia divina ad praecavendos errores dicitur inspiratio, nomine quidem in scholis recepto, sed non satis congruo: assistentia enim haec *nil inspirat aut docet,* quod est revelationis, sed solummodo errores praecavet et impedit." At obstat conc. Vatic. l. c.

Quaeres, utrum Concilium Vaticanum, *l. c.* proprie egerit de sententia Lessii.

Resp. Synodus expressis verbis eorum reprobasse videtur sententiam, qui tanquam *factum* admitterent, Librum aliquem veteris aut novi Foederis, sola humana industria conscriptum, ob *approbationem ecclesiae* subsecutam pro sacro haberi. Lessius autem, quod ex verbis ejus jam relatis eruitur, suam sententiam *aliter* exposuit et de *possi-*

bilitate tantum egit. Cf. Th. Ganderath, *Const. dogmat. sacrosancti Conc. Vatic.* p. 49—51.[1])

Articulus III.

Utrum S. Scriptura divinitus inspirata sit.

I. Inspirationis definitio et divisio. Inspirationem intelligimus *motionem Dei supernaturalem ad scribendum et inter scribendum, qua scriptor sacer cum adjutorio divini luminis ea omnia eaque sola, quae Deus jubet, conscribat.* Cui definitioni declarandae, post ea quae articulo secundo exposuimus, longius non immorabor.

Divisio praecipua haec est. 1° Inspiratio *activa* seu ipsa actio Dei inspirantis; 2° *passiva* seu actionis hujus effectus in scriptore inspirato; 3° *terminative spectata* seu effectus ejusdem actionis divinae in ipso Libro sacro. — Deinde inspiratio dividi potest in *inspirationem cum revelatione conjunctam* et in *simplicem;* de utraque articulo praecedenti sermo fuit. — Alia est divisio in inspirationem *directam* et *indirectam;* quam tamen divisionem velim ita positam intelligas, ut directa inspiratio finem et objectum primarium afflatus divini respiciat, videlicet ante omnia res fidei morumque: altera autem ea complectitur, quae propter haec principalia inque ordine ad ea, sed aeque tamen Spiritu Sancto dictante, conscripta sunt. Cf. S. Thom. II. II. 1. 6; 2. 5.

II. De natura argumentorum, quibus inspirationis factum probandum est. Hoc loco nondum explicite inquirimus, *pro quibus libris librorumve partibus* inspi-

---

[1]) Cf. pro toto hoc articulo Zigliara, *Propedeutica;* F. Schmid, *De inspirationis Bibliorum vi ac ratione;* Crets, *De divina Bibliorum inspiratione;* Vigouroux et Bacuez, *Manuel biblique;* Lagrange, *Rev. Biblique* 1895 et 1896; Fr. Leitner, *Die prophetische Inspiration;* D. Zanecchia, *Divina inspiratio sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thom. Aquinatis,* 1898, et *Scriptor sacer sub divina inspiratione,* 1903; Chr. Pesch, *Theol. Zeitfragen,* 1902; La Civ. cattolica, 1902; H. Höpfl, *Das Buch der Bücher,* 1904; Fr. v. Hummelauer, *Exegetisches zur Inspirationsfrage,* 1904; P. Schanz, *Apologie des Christentums,* Th. II. 3. Aufl. 1905.

ratio admittenda sit, sed hoc tantum, utrum pro illo majori aut minori librorum complexu, quem S. Scripturam nuncupare solemus, inspirationem, sensu exposito intellectam, tanquam factum certissimum profiteri debeamus. Circa genus autem argumentorum, quae huc valeant, quinque consideranda occurrunt.

1° Argumentum fundamentale erit definitio ecclesiae, quam certissimam veritatis magistram divinitus constitutam esse supra quaest. VIII—X probavimus. Etenim Scripturarum inspiratio, si quid aliud, ad fidem pertinet; veritates autem fidei nobis proponere, fidei magistrae competit. — 2° Adjunximus argumentum ex ipsius S. Scripturae testimonio, non illud quidem tanquam ex libro inspirato, quod esset petitio principii, sed ut grave tamen argumentum, utpote eorum nitens testificatione, quos divinitus missos esse historice certum est. 3° Patres veteres auctoritate sua tertium argumentum suppeditant; quos tamen non ut traditionis *divinae* testes, sed tanquam *historicos* citamus, quandoquidem de traditione divina nondum disseruimus. 4° Valent etiam ad confirmationem rationes ex Librorum sacrorum materia, unctione, efficacia; haec autem ab argumentis extrinsecis minime separanda sunt. 5° Haud dubie profitemur, inspirationis factum a fidelibus, *qua* fideles sunt, suscipiendum esse lumine et auctoritate divina, sed non sequimur Calvini sententiam, ajentis S. Scripturam „esse *αὐτοπιστον*, neque demonstrationi et rationibus subjici eam fas esse: quam tamen meretur apud nos certitudinem, Spiritus testimonio consequi.“ Calv. *Instit.* lib. I. 7. No. 5.[1])

III. *Adversarii.* Inter protestantes, cum jam ante Sociniani et Arminiani divinam Scripturarum inspirationem multum coarctassent, moderni plurimi, postea quam Semler suum *De examine canonis* opus edidit (1771—1773), eousque progressi sunt, ut cujuscunque inspirationis supernaturalis existentiam inficiarentur. Testis est theologia illa rationa-

[1]) De transformatione hujus principii inter protestantes coaevos agit pastor protestans H. Herold, *Der göttliche und der menschliche Faktor im Bestande der Hl. Schrift*, 1904.

listica, quam Holtzmann, Sabatier et alii plures docent, et ad quorum naturalisticam de inspiratione sententiam non pauci quoque ecclesiae Anglicanae doctores liberius accedunt.[1]) Mos jam rationalistarum est, ut vix aut ne vix quidem differre sentiant S. Scripturarum inspirationem ab afflatu illo divino, quem Graeci, Romani, Indi, Persae, Mahometani suis vatibus, oraculis, sacris libris, quibusvis denique viris magnis asserunt. Maxime exaequandis, quantum ad inspirationem, Christianorum paganorumque Libris sacris illi moderni operam dederunt, qui colenda *scientia religionum* syncretismi cujusdam universalis praecones facti sunt, ut Max Müller, Tiele, Kuenen et colloboratores period. *Revue de l'histoire des religions.*

Liquet talem statum mentis longius a religione Christiana positiva distare quam ut rationes nostrae immediate eum attingant. Sed disputationes apologeticae priores supponuntur.

Thesis: *S. Scriptura divinitus inspirata est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex definitione ecclesiae.* Concilium oecumenicum Vaticanum definivit: *Si quis Sacrae Scripturae libros . . . divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.* Sess. III. Atqui hisce verbis indicatur veri nominis inspiratio seu motio Dei in scriptorem sacrum, qua Deus est proprie auctor Libri sacri. Prob. *minor.*

a) Ex sensu obvio vocabulorum: *divinitus inspirati.* *b)* Ex constitutione dogmatica, canoni prolato annexa, in qua legitur: „Eos (Libros V. et N. Test.) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana in-

[1]) Cf. Dausch, *Die Schriftinspiration;* J. A. Howlett in period. *Dublin Review,* 1893, July; Ch. Pesch, *Die Inspiration der Hl. Schrift nach der Lehre der heutigen Protestanten,* in period. *Zeitschr. für kath. Theol.* 1901, et *De inspiratione S. Scripturae* (1906), p. 242—264. — A. Sabatier, *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit* (3. édit. 1904), p. 346—407, manifestat, quomodo ipse et antecessores protestantes ad absolutam inspirationis negationem deciderint.

dustria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*"; quibus verbis vera inspirationis notio tam negative quam positive determinatur. *c)* Ex eo quod formula: *Deus est auctor*, etiam ab aliis conciliis adhibetur tanquam tessera doctrinae catholicae de vera indole S. Scripturae. Cf. conc. Florent. in decreto Eugenii IV. pro Jacobitis et conc. Trident. sess. IV. Hoc enim satis probat, vocem *auctoris* sensu proprio intelligendam esse. *d)* Concilium Tridentinum profitetur, sese traditiones „a Spiritu Sancto *dictatas pari* pietatis affectu ac reverentia suscipere atque S. Scripturam"; ex quo consequens est, etiam S. Scripturas esse a Spiritu Sancto *dictatas*. Cf. conc. Carthag. IV. anno 398.

Arg. II. *Ex S. Scriptura.* S. Scriptura docet, auctores Librorum sacrorum ita moveri a Deo, ut Deus sensu supra exposito Librorum auctor sit. Ergo inspiratio, quam propugnamus, ex S. Scriptura eruitur. Prob. *antec.*

a) Scriptura passim proponitur ut verbum Dei scriptum. 1° Hinc illae formulae: *Scriptum est*, *Scriptura dicit*, etc., quibus identidem Scriptura ut ipsissimum Dei oraculum allegatur. 2° S. Spiritus *per* auctores sacros locutus esse dicitur. Ita *Act.* I. 16.: „oportet impleri *Scripturam*, quam *praedixit Spiritus* sanctus *per os David*". S. Paulus, prolato textu ex ps. XCIV., ait: „*dicit* Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis", etc. Atque iterum Hebr. III. 7. verba Davidis: *Hodie si vocem ejus audieritis*, necnon ib. X. 15. verba Jeremiae attribuuntur *Spiritui sancto*. 3° Quin etiam Liber pro Deo agens inducitur: „*Providens* autem *Scriptura*, quia ex fide justificat gentes Deus, *praenuntiavit* Abrahae: quia benedicentur in te" etc. Gal. III. 8. 4° Ita libri Veteris Foederis *sacri* vocantur. Apostolus enim *Ad Rom.* I. 2. memorat Deum Evangelium promisisse in *Scripturis sanctis*, ἐν γραφαῖς ἁγίαις: idem II. Tim. III. 15. ait, Timotheum ab infantia novisse ἱερὰ γράμματα.

b) S. Paulus II. *Tim.* III. 16. S. Scripturam his verbis commendat: *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est*

ad docendum, etc. Jam in hoc textu quatuor ad thesin nostram probandam includi videntur. 1° S. Paulus verbis expressis de S. Scriptura agit, saltem de Libris V. T., quos Timotheus, filius Eunices, mulieris Judaicae fidelis (II. Tim. I. 5.; Act. XVI. 1.), „ab infantia“ noverat. 2° Vocatur Scriptura *divinitus inspirata*, *θεόπνευστος*, hoc est, sub influxu Dei positivo concinnata. 3° Phraseos structura talis est, ut maxima Scripturae utilitas „ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum“ ab *inspirante* repetatur. — Dixi: *supponitur;* sed in textu Graeco etiam *explicite asseritur* divina, quam diximus, inspiratio. Lectio enim Graeca est: *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος*, hoc est: „Omnis scriptura *est* divinitus inspirata *et* utilis.“[1])

c) S. Petrus scribit: *omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* II. Petr. I. 20—21. Jam vero hoc S. Petri testimonium doctrinam S. Pauli de inspiratione S. Scripturae egregie confirmat. Etenim 1° agitur de S. Scriptura. Nam locutio: *omnis prophetia Scripturae*, satis significat, S. Petrum, etsi prophetiam sensu stricto dictam speciatim spectat, simul respexisse S. Scripturam, per quam *locuti sunt sancti Dei homines.* Textus igitur primario de prophetiis et prophetis, et per consecutionem de aliis Scripturae elementis et scriptoribus valere videtur. 2° Prophetiam ex humana voluntate, *θελήματι ἀνθρώπου*, oriri negat; affirmat, sanctos Dei homines locutos, id est, protulisse suos conceptus sive ore sive scriptis, actos a S. Spiritu; ideo dixit: *Spiritu sancto inspirati, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι.*

Arg. III. *Ex veterum testimoniis. a) S. Clemens Romanus* diversos Scripturae textus affert sub hac formula: *dicit Spiritus sanctus.* Ep. I. ad Cor. 13. et 16. Item l. c. cap. 44.: „Inspexistis diligenter scripturas sacras, quae verae sunt et *datae per Spiritum sanctum;*“ *τὰς ἀληθεῖς, τὰς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου.* Rursus cap. 53.: „probe nostis sacras scripturas, et penitus in divina eloquia — *τὰ λόγια τοῦ θεοῦ*

[1]) Alii: Omnis Scriptura divinitus inspirata *est etiam* utilis.

— introspexistis."[1]) — *S. Justinus*, Apolog. I, 33.: „prophetarum verba . . . non ab his qui afflati fuerunt, sed ab eo, quod illos movebat, verbo divino dicta existimate." — Auctor *Cohortationis ad Graecos*, sive Justino sive alii cuipiam opus illud attribueris, docet scriptores sacros mundos se ipsos exhibuisse „operationi divini Spiritus, ut ipsum divinum plectrum e caelo subiens, ac *veluti instrumentum citharae vel lyrae adhibens viros sanctos, nobis revelaret* cognitionem rerum divinarum et caelestium". Cap. 53. — Item *S. Irenaeus:* „Scripturae quidem *perfectae* sunt, *quippe a Verbo Dei* et Spiritu ejus *dictae*." *Adv. haer.* lib. II. 28. *Clemens Alexandrinus:* „Accipitur ut certa demonstratio vox Dei, qui dedit Scripturas." *Strom.* VIII. 16. — *Theodoretus* dicit nihil sua referre sive unius sive aliquorum psalmi sint, „cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos." Deinceps profert ps. XLIV. 2.: „Lingua mea *calamus scribae* velociter scribentis," quibus verbis veram scriptoris sacri naturam exprimat. *Praef. in Psalmos.* — *S. Ambrosius: „scripserunt* enim, quae *Spiritus sanctus eis loqui dabat*." *Ep.* 8. ad Justum. — *S. Augustinus:* „Quid est S. Scriptura nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam". *In Ps.* XC. serm. II. 1. — *Gregorius M.* Moral. in Job. praefat.: „Quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. *Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit* . . . Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo essent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset, epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. *Cum ergo* rem cognoscimus ejusque rei *Spiritum sanctum auctorem* tenemus, *qui scriptorem quaerimus*, quid aliud agimus, nisi legentes litteras *de calamo percontamur?*"

b) Veterum de inspiratione fides *ex tribus factis* apparet.

[1]) Cf. plura apud F. Leitner, *Die Prophetische Inspiration*, S. 98—114; Th. Calmes, *Qu'est-ce que l'Écriture Sainte?* J. Tixeront, *Hist. des dogmes*, t. I. p. 116—117, etc.; P. Schanz, *Apol. des Christentums* (3. Aufl.), S. 609—626.

1° Ex maxima reverentia S. Scripturarum, quam in veteribus fuisse constat. 2° Ex doctrina de sensu mystico, quem veteres et maxime Origenes docent a S. Spiritu in Libris sacris reconditum. 3° Ex modo, quo veteres negant fieri posse, ut error vel minimus aut aliqua contradictio in S. Scriptura reperiatur. Ita *S. Gregorius* Nazianzenus: „Nos qui perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus esse temere positas." *De fuga sua, CV.* — *S. Hieronymus* scribit, se non fuisse „tam crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverit aut non divinitus inspiratum." *Ep.* 27. — Item *S. Augustinus:* „si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: Auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed, aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis." *C. Faustum,* lib. XI. 5. Cf. S. Justin. l. c. Jam vero sancti patres de approbatione subsequenti ne cogitarunt quidem. Ergo de ipsa libri *indole* loquuntur.

c) Judaei quoque persuasum habebant, S. Scripturam conscriptam esse, Deo re ipsa inspirante. Res palam est ex operibus Philonis *De vita Moysi, De nominum mutatione,* etc.; ex Josepho, *Contra Appionem* et *Antiq. Jud.;* ex Origene, qui ait: „dicemus in confesso esse apud utrosque, libros (V. T.) divino spiritu esse conscriptos." *Contra Celsum,* lib. V. 40.[1])

Objectiones.

Obj. I. Inspirante S. Spiritu, nullo scriptoris sacri labore artificiove opus est. At auctor libri II. Machabaeorum ait, se suscepisse *non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris.* Cap. II. 27. Ergo.

Resp. Dist. maj.:: nullo labore opus esset, si inspiratio esset quoad omnia conscribenda *acceptio* supernaturalis, *transeat; judicium* supernaturale, *nego.* Et *dist.* minorem: et ille labor auctoris excludit motionem Dei ad scribendum

[1]) Cf. W. Bousset, *Die Religion des Judentums im neutestamentlichen Zeitalter,* 1903.

et inter scribendum, *nego;* excludit *acceptionem* supernaturalem hujusmodi scribendorum, *transeat.* De *acceptione* et *judicio* supernaturali cf. quae p. 654 ad mentem Aquinatis explanata sunt. Simili modo solvitur difficultas orta ex Luc. I. 1—3.

Instabis. Si inspiratio fit Spiritu sancto movente, non explicatur illa styli diversitas, quae in variis Libris sacris maxima est et manifesta.

Resp. Distinguo: non erit styli diversitas, si motio Spiritus sancti hac in re tolleret naturam sui instrumenti, *conc.;* si movet secundum naturam instrumenti, *nego.* Et sane Deus, auctor principalis, motionem suam haud dubie ad hunc effectum ordinavit, ut causa Scripturae instrumentalis ea omnia eaque sola, quae ipse juberet, fideliter conscriberet; huic autem motioni divinae consonat, ut scriptor sacer secundum ingenii sui et styli naturam moveatur. Verba Psalm. XLIV. 2.: *Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis,* si ad habitudinem psalmistae cum Spiritu sancto referenda videantur, nullo tamen modo mechanice intelligamus, quasi singula verba ad aurem dictarentur. Cf. S. Thom. *In Psalm. Exposit.* l. c. Verius cum Aquinate de Deo dicamus: „operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.“ I. 83. 1. ad 3.

Obj. II. Suis quisque cultus Libris sacris gloriatur. Ita doctrina de inspiratione Scripturae commentitia videtur. Patet *antec.* ex Vedis Indorum aliorumque gentium Libris.

Resp. Dist. antec.: Libris sacris gloriantur complures cultus eodem jure, *nego;* diverso jure, *conc.* Haec difficultas vulgatior quam solidior est. Increduli scilicet, *a)* nihil distinguunt inter facti similitudinem *materialem* et *formalem.*[1]) *b)* Ex similitudine cujusvis sive facti sive doctrinae, quae et in religione catholica et in religionibus gentilium forte cernuntur, illi concludunt, hujusmodi factum seu doctrinam ab utraque parte pari jure, sive potius a neutra ullo jure proponi. *c)* Postremum eo peccant, quod inspirationem a

[1]) Cf. De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'hist. des religions,* édit. 2. chap. VIII—X.

catholicis haud firmioribus motivis atque a gentilibus probari perhibent. Atqui Scriptura nostra Vedis ceterisque libris *formaliter* comparari non potest, 1° quod illa originis divinae signa extrinseca et intrinseca habet, hi nulla; 2° quod solius Scripturae nostrae inspiratio fulcitur auctoritate ecclesiae catholicae, penes quam demonstratur esse officium infallibiliter docendi.

Instabis. Deus errorum et contradictionum auctor non est. In Scripturis autem errores et contradictiones scatent.

Resp. Dist. maj.: Deus non est auctor contradictionum, quae vere sunt, *conc.;* quae apparenter tantum sunt, *nego.* Errorum autem opinatus non solum ortus ex eo est, quod hypotheses falsae et arbitrariae pro factis certissimis ducebantur, verum etiam, quod textus illi, qui offendebant, legebantur vel intelligebantur minus recte, sive defectu criticae litteralis, scientificae, rationalis, historicae et textualis, sive per tenacitatem nimiam in iis quoque sequendis sanctorum patrum sententiis, quae non ex traditione divina, sed ex scientiis cujusdam aetatis provenerant.

Articulus IV.

Utrum omnes Libri canonis Tridentini inspirati sint.

I. Quid sit canon. Κανών seu *canon* apud Graecos idem valebat atque regula. S. Paulus ea voce utitur ad certam fixamque fidei vitaeque Christianae regulam significandam. *Gal.* VI. 16.; *II. Cor.* X. 13. Exinde veteres verbum illud in scholam Christianam induxerunt, ut significaretur *fidei, veritatis regula,* sicut Hegesippus et Polycrates ap. Eus. E. H. lib. III. 32.; lib. V. 24.; Iren. *Adv. Haer.* lib. I. 9. et alii. Sic verbum accipi coeptum est pro *collectione Scripturarum, quas ecclesia authentice tanquam inspiratas proponit.*[1]) Vocatur *canon,* quia est *regula fidei* remota

[1]) P. Batiffol in period. *Revue Biblique* 1903, p. 11—12 refert: „L'usage du mot *canon* au sens de catalogue des livres inspirés n'apparait pas dans la littérature chrétienne avant le milieu du IVe siècle. Ni Origène, ni Eusèbe ne s'en sont servis avec ce sens.

et inanimata. *Liber canonicus* a voce *canonis* derivatur; γραφαὶ κανονικαὶ, βίβλια κεκανονισμένα, Libri *canonici*, Libri *regulares* dicuntur, quos ecclesia authentice in canonem retulit. Origenes vocem illam, quae omnibus catholicis hodie in usu est, primus usurpavit. Scripsit enim in *Prolog. in Cant. Cantic.*: „Quae in scripturis, quas *canonicas* habemus, nusquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur.“ *Apocryphi* sensu strictiori dicebantur libri, quos non inspiratos esse constabat; sensu latiori, a S. Hieronymo primum introducto, et illi, quorum inspiratio aliquam dubitationem habebat. Alii libros indubitatos ὁμολογουμένους, illos, quibus contradicebatur, ἀντιλεγουμένους appellarunt.

II. Inspiratus, sacer, canonicus, authenticus quid significant. 1° *Inspiratus* quonam sensu Liber aliquis dicatur, denuo declarare nihil opus est. Tantum a sensu exposito ne discedatur. — 2° Nec *sacer* aliquid obscuri habere videtur. Aquinas, *In Ep. ad Rom.* I. lect. 2. vocem illam exponens, de Scripturis ait: „Dicuntur autem sanctae primo quidem quia, ut dicitur 2. Petr. 1. 21.: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines;* 2. Tim. 3. 16.: *Omnis Scriptura divinitus inspirata.* Secundo, quia sancta continent. Psalm. 96. 12.: *Confitemini memoriae sanctificationis ejus.* Tertio, quia sanctificant: unde Joan. 17. 17.: *Santifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Unde dicitur 1. Machab. 12. 9.: *Habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris.*“ — 3° De termino *canonici* quaestio in concilio Vaticano orta est, num vel quomodo liber *canonicus* ab *inspirato* differat. Ipsa Constitutio dogmatica *Dei Filius*, cap. II. 3. discrimen indicare videtur. Legimus enim veteris et novi Testamenti libros integros ab ecclesia „pro sacris et canonicis“ haberi, „propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, *atque ut tales ipsi Eccle-*

Les premières attestations que l'on signale de cet emploi nouveau sont fournies par saint Athanase (De decr. nic. synod. 18.); Eusèbe disait κατάλογος (H. E. III, 25., 6.; VI, 25, 1.). Chez les Latins, Priscillien témoigne le premier de l'emploi de *libri canonici* et surtout de *canon* pour désigner toute la Bible.“

siae traditi sunt." Haec altera ratio, quale inter duos terminos sit discrimen, ostendit. Nempe vi sui conceptus formalis liber canonicus est liber, qui — ut Granderath ait — non solum inspiratus, sed etiam Ecclesiae tanquam inspiratus ac publicus ejus liber traditus est.[1]) — 4° *Authenticus*, ab *αὐθέντης*, liber aliquis generatim ob auctorem vel ob auctoritatem dicitur. Pro S. Scripturis distinctio authenticitatis *divinae* et *literariae* valde necessaria est, cum illa originem Libri divinam includat, haec autem per se non nisi scriptorem humanum et tempus, quo Liber scriptus sit, respiciat. De aliis *authentici* significationibus postea. Illud indicasse satis habeo, solum authentiam divinam cum inspiratione et canonicitate cohaerere.

III. Canon catholicus. *Canon* a voce Graeca *κανών*, ad amussim, normam, mensuram significandam plerumque usurpatum, ad catalogum seu elenchum, qui auctoritatem haberet, designandum postea traductum est. In hac thesi *canonem* generatim catalogum vel collectionem Sacrorum Librorum intelligimus, et speciatim Sacrorum Librorum indicem, quem ecclesiae suprema auctoritas constituit. Opus arduum canones Librorum sacrorum quales et a quibus ab antiquissimis temporibus facti sint, ad normam critices constituere. Hoc autem ad eam scientiam pertinet, quam primus Santes Pagninus *Isagoge* seu *Introductionem* ad S. Litteras (1536) vocavit. Pauca tamen, hujus operis fini congrua, memorabo.

Beatus Petrus, II. *Petr.* III., 16. de Pauli *epistolis* declarat, esse in iis „quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, *sicut et ceteras Scripturas*". Porro quaenam illae *ceterae Scripturae* sint, ac utrum ipsa haec secunda Petri epistola in earum numero haberi debeat, ab ineunte ecclesia magis magisque lucide determinatum est, publico usu ecclesiarum earumque consensu unanimi; uberiori patrum doctrina; conciliorum provincialium decretis; decretis Romanorum Pontificum, inter quae *decretum Gelasianum* (494) canonis solemnis instar habebatur.

[1]) Th. Granderath, *Constit. dogm. Concil. Vatic.* p. 51—53.

Denique Eugenius IV. suo *Decreto unionis cum Jacobitis* (4. Febr. 1441) canonem antiquum confirmavit et sanxit.

Saeculo XVI. Patres Tridentini, Sess. IV., recensitis Libris protocanonicis et deuterocanonicis, quorum indicem p. 648 adscripsimus, solemne *Decretum de canonicis Scripturis* edidit his verbis: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; A. S.* — Concilium Vaticanum, Const. dogm. *Dei Filius*, Cap. III. Can. II. 4. idem, quod Concilium Tridentinum rejecerat, his verbis rejecit: *Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.* Dixi, idem a Vaticano reprobatum atque a Tridentino Concilio. Videlicet ex actis concilii Vaticani constat, ibidem nihil de ambitu S. Scripturae aut de extensione inspirationis fuisse definitioni Tridentinae superadditum.[1]) Quas solemnes conciliorum de canone catholico sententias Leo XIII. in encycl. *Providentissimus Deus*, in memoriam revocans atque urgens, denuo statuit: *libri omnes atque integri, quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt.*[2])

IV. Canon acatholicorum. *a) Ecclesiae schismaticae et sectae Orientales.* Ecclesiae, plurimis abhinc saeculis ab ecclesia Romana separatae, Monophysitae Syri, Aethiopes, Armenae, Coptae eundem nobiscum canonem utriusque Testamenti profitentur, exceptis tamen Nestorianis, qui

---

[1]) Cf. Coll. Lac. VII. 86.; Th. Granderath, *Const. dogm. conc. Vatic.* p. 47; J. B. Nisius, *Die Encycl.* Providentissimus Deus *und die Inspiration*, in period. *Zeitschr. für kath. Theol.* 1894, p. 652—654.

[2]) Cf. praeter auctores, qui p. 650–651 indicantur, R. Cornely, *Hist. et critica Introductio in utriusque Testamenti Libros sacros*, t. I—III. (1893–1897); Fr. Kaulen, *Einleitung in die hl. Schriften des A. und N. Test.* (4. und 5. Aufl.); F. S. Gutjahr, *Einleitung zu den hl. Schriften des N. T.* (1905); Rev. biblique, 1894—1896; 1903; Vigouroux, *Dict. biblique.*

Apocalypsin et quatuor minores epistolas catholicas a canone eximunt. Quin etiam, cum Cyrillus Lucaris deuterocanonicos V. T. „apocryphos“ vocasset, ecclesia Graeca, habita synodo Hierosolymis anno 1672, Cyrillum „insipienter, inscite aut magis malitiose“ egisse declaravit canonemque professa est, qui Libros omnes complectitur canonis Tridentini. At ecclesia Russica, saltem in plurimis suis theologis jam inde a saeculo XVII. atque in *programmate Theologiae Polemicae* hodierno Petropolitanae Synodi, libros deuterocanonicos V. T. tanquam inspiratos non agnoscit; quantum ad canonem Librorum N. T. cum ecclesia catholica consentit.[1])

b) Canon protestantium. 1° Initio protestantes *Libros V. T. deuterocanonicos* a canone quidem excludendos esse censuerunt et ad *dogmata* confirmanda minime proferendos,[2]) sed publicae *confessiones* Gallicana (1559), Anglicana (1562) et Helvetia II. (1564) eos *utiles* esse declararunt. At Calviniani Dordracenses (1618) deuterocanonicos V. T. vehementius impugnare coeperunt; Presbyteriani Angliae in concilio Westmonasteriensi (1648) Dordracenses secuti sunt. Societas biblica Londinensis die 3. Maji 1826 lege statuit, ne ulla Scripturae editio, „apocryphos“, id est, deuterocanonicos V. T. continens, propagaretur. Omnes fere Calviniani et Zwingliani consenserunt; Lutherani vero restiterunt, hodieque editiones societatum biblicarum, quas Lutherani sustentant, deuterocanonicos illos continent.

2° Lutherus in versione Scripturae Germanica epistolas ad Hebraeos, Jacobi, Judae et Apocalypsin e canone rejiciendas esse significavit. Chemnitius cum istis Libris tres epistolas, scilicet II. Petr. ac II. et III. Joan. repudiavit.

[1]) Cf. A. Dombrovski in period. *Rev. biblique* 1901, p. 267—277.

[2]) Inter viros catholicos A. Loisy, *Histoire du Canon de l'Ancien Testament*, 1890, verbis parum propriis mentem patrum aliquorum retulisse videtur, cum diceret: „Comme ils voient surtout dans la canonicité l'aptitude a régler souverainement la foi, ils réservent ce privilège aux livres qui, selon eux, *ont été inspirés* pour être les sources infaillibles du dogme, tandis que les deuterocanoniques *l'ont été pour servir seulement à l'édification.*“ — Cf. Magnier, *Etude sur la Canonicité des Saintes Ecritures*, 1892.

Sed Zwingliani et Calviniani, atque a medio saeculo XVII. etiam Lutherani, N. Testamenti omnes eosdemque nobiscum Libros receperunt et pro canonicis habuerunt. Plures tamen protestantes deuterocanonicos etiamnum rejiciunt.[1]) Posito *liberi examinis* principio, enituntur, ut synodi et confessiones publicae neve a rejiciendis deuterocanonicis neve a protocanonicis respuendis eos impediant.

IV. De criterio canonicitatis. Cum canonicitas non efficiat, ut liber inspiratus *sit*, sed ut libri inspiratio *cognoscatur*, quaerere de criterio canonicitatis idem est ac quaerere de *medio cognoscendi* S. Scripturarum omnium et singularum inspirationem.

1° Catholici profitentur criterium *positivum* idque unice per se sufficiens esse ecclesiae auctoritatem, quae doctrinam suam de singulis libris canoni inserendis ex divina traditione haurit.

2° Alia criteria habentur *sanctitas et harmonia materiae* sacrorum Librorum; *persona auctoris*, inspirationis charismate praediti. Haec autem criteria et similia aut *negativa* sunt, aut *positiva* quidem, sed non ejusmodi, ut per se ad canonem integrum constituendum sufficiant. Cf. quaest. XIX., ubi de divinae traditionis necessitate tractatur.

3° Protestantes negato infallibili ecclesiae magisterio, criteriis internis nimis exclusive uti coguntur; inter quae designantur sanctitas et excelsa dignitas doctrinae; effectus religiosi, morales, quos legentes ex verbo Dei praestantissimos experiuntur; pulchritudo simplicitatis sublimis. Plerique vero profitentur, sese in dijudicanda Librorum canonicitate testificationem internam ducem sequi, quemadmodum synodus Dordracensis decrevit his verbis: „Hos solos libros pro sacris et canonicis recipimus, idque non tam quod

[1]) Cf. The Holy Bible with explanatory and critical commentary. Apocrypha ed. by H. Wace (1888); G. Wildeboer, *De la formation de l'Ancien Testament.* Traduction d'après la 3e édit. hollandaise par L. Perriraz (1901). — Inter protestantes, qui de canone scripsere, scientia eminet Th. Zahn, *Gesch. des neutest. Canons; Einleitung in das N. T.; Grundriss der Gesch. des neutest. Canons* (2. Aufl. 1904).

Ecclesia eos approbet vel recipiat, sed *quod Spiritus Sanctus in cordibus nostris testetur* a Deo profectos esse.“ Sess. VI. art. 5. Illi scilicet spiritui privato tribuunt, quod Servator ecclesiae magisterio concredidit.

V. Status quaestionis hic est, utrum vere admittendus sit canon Tridentinus, hoc est, utrum omnes et singuli Libri sacri, integri cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina synodus recensuit, pro canonicis et inspiratis suscipiendi sint. Thesis igitur Libros tam deuterocanonicos quam protocanonicos complectitur.

Thesis: *Omnes et singuli Libri canonis Tridentini divinitus inspirati sunt.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia est infallibilis in docendo, quinam sint Libri divinitus inspirati. At solemni decreto concilii Tridentini et concilii Vaticani definitum est omnes libros protocanonicos et deuterocanonicos „integros cum omnibus suis partibus“ divinitus inspiratos esse. Omnes igitur et singuli Libri canonis Tridentini divinitus inspirati sunt. *Major* certa est. Etenim ad ecclesiam divino jure pertinet, fidei veritates infallibiliter proponere. Sed proponens Libros tanquam inspiratos non solum aliquam fidei veritatem proponit, verum ipsum fontem, ex quo plurimae fidei veritates hauriuntur. Prob. *minor.*

a) Synodus Tridentina Libros omnes protocanonicos et deuterocanonicos accurate recensuit. *b)* Nullum omnino discrimen inter protocanonicos et deuterocanonicos admittit, sed omnes prorsus aequalis auctoritatis esse docet. Nam 1° sub eadem formula atque protocanonici, deuterocanonici *pro sacris et canonicis* (Trident.) et pro *divinitus inspiratis* (Vatic.) suscipiendi esse dicuntur. 2° Utrique promiscue enumerantur. 3° Finis decreti est, ut omnes intelligant, „quibus potissimum testimoniis ac praesidiis *in confirmandis dogmatibus* et instaurandis in Ecclesia moribus (Ecclesia) sit usura.“ Sess. IV. 4° Patres Tridentini, non obstantibus aliquorum iteratis dubiis, declaraverunt, se *omnes*

Libros „*pari* pietatis affectu ac reverentia“ suscipere et venerari.[1])

Arg. II. Argumentum, ex ecclesiae definitione desumptum, quamvis peremptorium sit, aliis etiam rationibus iisque praeprimis, quae deuterocanonicos attingunt, confirmandum videtur.

Cum tribus primis ecclesiae saeculis nullae de deuterocanonicis V. T. controversiae fuissent, atque jam inde a primis istis temporibus plura de canonicitate deuterocanonicorum N. T. prostarent argumenta vel indicia, saeculo tamen IV. ecclesiae nonnullae, praesertim inter Orientales, quantum ad aliquos deuterocanonicos veterum tramitem reliquerunt. Omnes et singulas veterum sententias proferre, quoniam *Introductionem ad S. Scripturas* non scribimus, hujus loci non est.[1]) Tria tamen facta publica, quibus antiqua ecclesiae fides cernitur, non praetermittam.

a) Romani Pontifices et antiquitas conciliorum veterum fidem in deuterocanonicis admittendis testantur. 1° *S. Innocentius I.*, anno 405 ab Exuperio, Tolosano episcopo, rogatus Scripturarum canonem, catalogum nostrum completum recipiendum ostendit, neque ullum V. T. aut N. T. librum expunxit. Similiter decretalis de recipiendis et non recipiendis libris, quae vulgo *Gelasiana* dicitur, omnes Libros canonis Tridentini exhibet; partem autem priorem et canonem decretalis Gelasianae *Damasus* saeculo IV. concinnasse videtur. Secuti sunt *Hormisdas* et alii.

2° Concilium *Hipponense* (393), can. XXXVI. et concilia *Carthaginiensia* anni 397, can. XLVII. et anni 419, can. XLVI. totum canonem Tridentinum proponunt ac sanciunt. His conciliis interfuerunt episcopi non pauci, nominatim S. Augustinus; Hippone aderat Africa tota,

---

[1]) H. Schell, *Apologie des Christentums*, B. II. (1905), p. 219 ait: „vom christlichen Standpunkt aus ist es nicht verständlich, wie der Protestantismus die deuterokanonischen Bücher verwerfen konnte. Sie bilden durch die bestimmte Ausgestaltung wesentlicher Glaubensgeheimnisse über Gottes inneres Wesen und Leben, über Unsterblichkeit und Auferstehung eine unentbehrliche Brücke vom Alten zum Neuen Testament.“

Carthagine anno 419 episcopi 218 et legati Romani Pontificis. Nicaena synodus utrum canonem decreto suo stabiliverit, non constat. Cf. S. Thom. *In Hebr.* Prolog. Concilium Trullanum (692), quod Graecis oecumenicum est, catalogum Carthaginiensem recepit, et catalogum incompletum concilii Laodiceni, mediante saeculo IV. (360—364?) ab aliquibus Phrygiae episcopis habiti, complendum ostendit.

b) Versiones, codices, monumenta. 1° *Versiones.* Omnes deuterocanonicos V. T. continet versio Graeca, quae dicitur *Alexandrina*[1]) vel septuagintaviralis; versio Latina vetus seu *Itala*, cujus origo, si non ad saeculum I., at certe ad primam partem saeculi II. referenda est; *Syriaca*, vulgo dicta peschito seu *simplex*, quae non a principio quidem — cum esset ex fonte Hebraico facta — sed haud dubie aetate S. Ephraemi († post annum 379) eosdem deuterocanonicos complectebatur; *Aethiopica*, saeculi IV.; *Armeniaca* ineuntis saeculi V.; *Aegyptiaca* seu *Coptica* in tribus dialectis scilicet Thebanica, Memphitica et Bashmurica, quarum unam saltem et forte duas, Memphiticam et Thebanicam, saeculo III. adfuisse, exploratum est. — Item versiones antiquae, *Latina, Aethiopica, Coptica, Syriaca*, quae saeculo III. aut IV., adjectis II. Petr., II. et III. Joan., ep. Judae et Apoc., completa est, et *Armeniaca* deuterocanonicos omnes N. T., habent, excepta tamen in *Armeniaca* Apocalypsi.

2° *Codices.* Antiquissimi codices habentur ex saeculo IV. Vaticanus et Sinaiticus Petropolitanus, ex saeculo V. Parisiensis seu Ephraemi rescriptus et Alexandrinus Musei Britannici. Atqui codices illi Graeci, tametsi Vaticanus, rescriptus et Alexandrinus in aliquibus partibus aut hiant aut deficiunt, Libros deuterocanonicos nostros cum aliis Libris inspiratis ita referunt, ut nullum inter eos auctoritatis discrimen factum esse reperiatur. Jam vero, quoniam

[1]) Ex 350 circiter V. T. locis, qui in N. T. occurrunt, plus trecenti ad versionem Alexandrinam referendi sunt. Praeterea textus non pauci N. T. ostendunt, apostolos non modo ad eam versionem, quae canonem V. T. completum exhibet, sed expresse ad ipsos deuterocanonicos respexisse.

istiusmodi codices antiqui ex manuscriptis etiam antiquioribus transcripti sunt, minime dubium est, quid vetustissimae ecclesiae de canone professae sint.

3° *Monumenta.* In antiquis Catacumbarum picturis, in primitivis vasis vitreis et in sarcophagis personae et eventus depicti aut exsculpti cernuntur, quos ad partes Scripturae deuterocanonicas pertinere perspicuum est. Exhibentur enim *Tobias junior* cum angelo deambulans, in pictura quadam, ad saeculum II. relata; alias modo cum pisce, modo cum cane; *Daniel* in fossa leonum, in pictura (fresco) saeculi I. in coemeterio Domitillae; alibi *Daniel* cum Habacuc; *Susanna.* Cf. Kraus, *Real-Encyklopädie,* sub verbis indicatis. S. Paulinus, basilicam S. Felicis describens, *Judithae* imaginem depictam commemorat. *Poem. de S. Felicis Nat.*[1])

c) Accedit quod antiquae ecclesiae schismaticae sectaeque Orientales eundem nobiscum utriusque Testamenti canonem admiserunt. De quo facto pauca praediximus. Vide p. 673.

Quibus ita positis falsitas in quaestionem vocari non potest sententiae, quam Jahn in *Introd. in V. T.* lib. I. proposuit, scilicet etiam post decretum Tridentinum deuterocanonicorum minorem esse auctoritatem quam protocanonicorum. Nam sententia illa decreto contradicit. Deinde illud etiam ex eo patet, quod Scripturarum auctoritas ex inspiratione divina oritur. Jam vero concilium Vaticanum expressis verbis definivit, omnes Libros canonis Tridentini esse *divinitus inspiratos* omniumque *Deum* esse *auctorem.* Itaque Scripturae aliquot deuterocanonicae vocantur, non ad designandum aliquod *discrimen auctoritatis,* sed ad indicandam *historiam veritatis.*

Quaeres, *utrum aliquis liber inspiratus deperdi possit et revera deperditus sit.*

Resp. a) S. Thomas aperte significat, aliquem Librum inspiratum interire posse atque id bis saltem factum esse docet. Nempe *In I. Cor.* V. 9.: *Scripsi vobis in epistola,*

---

[1]) L. de San, *Tractatus de divina traditione et scriptura* (1903), p. 331—506 egregiam hujus secundi argumenti atque eruditam scripsit expositionem.

verba Pauli sic exponit: „Dixi *vobis in Epistola* quadam alia, quae in canone non habetur.“ Et rursum *In Coloss.* IV. 16.: *eam* (epistolam), *quae Laodicensium est, vos legatis*, haec scribit: „Ex quo habetur, quod scripsit alias Epistolas: quia istam, de qua fit mentio hic, scilicet *Laodicensium*, et unam *aliam ad Corinthios* praeter primam et secundam.“ Demum ostendit, cur epistolae illae in canone desiderentur. „Sed ratio est duplex — inquit — quare non sunt in canone: quia non constabat de earum auctoritate, quia forte erant depravatae, et *perierant* in Ecclesiis: vel quia non continebant aliud quam ista.“ [1])

b) Similiter in V. T. aliquot commemorantur Libri, qui perierunt, velut *Liber Bellorum Domini*, Num. XXI. 14.; *Liber Samuelis Videntis*, I. Paral. XXIX. 29.; *Liber Nathan Prophetae*, l. c. Libros autem ob eam solam causam, quod ab auctore inspirato laudantur, *in se* inspiratos non haberi, exploratum est.

c) Nihil est, quod censeamus, primam Pauli ad Corinthios epistolam, quae deperdita est, Deum non habuisse auctorem, secundam et tertiam, quae jam exstant, Deum auctorem habuisse. Quod idem de *inspiratione* nonnullorum Librorum, qui interierint et V. T. *prophetis* adscribuntur, magis minusve valere videtur.

d) Assistentia divina, quae Ecclesiae Christi ad *fidei depositum* custodiendum promissa est, omnium Scripturarum sanctarum conservationem per se non includit, siquidem singulis Libris inspiratis per se non opus est, ut *fidei depositum* custodiatur; hauritur nempe *fides* integra ex aliis fontibus, hoc est, ex Libris inspiratis, qui exstant, et ex divina Traditione. [2])

Objectiones.

Obj. I. Ecclesia non potest constituere supernaturale factum inspirationis. Canonicitas autem nihil aliud est quam supernaturale factum inspirationis. Ergo.

---

[1]) Cf. Rev. bibl. 1895, p. 116—119; 1899, p. 283—289.
[2]) Cf. Franzelin, *De Deo Trino* (ed. 2.), p. 42.

Resp. Dist. maj.: ecclesia non potest constituere illud factum, *conc.;* non potest illud declarare, *nego.* Et *dist.* min.: canonicitas est ipsum factum inspirationis, *ut* infallibiliter ab ecclesia declaratum, *conc.;* in se duntaxat, *nego.* Liber est *sacer* et *inspiratus*, quod divinitus inspiratus Deum auctorem habet; *canonicus*, quod ab ecclesia pro sacro et canonico suscipiendus proponitur. At spectatis vocibus, non quantum ad etymologiam, sed ad significationem in concreto, *canonicus* idem valet atque *sacer* et *inspiratus*, non quod ecclesiae judicium inspirationem facit, sed quia manifestat, Spiritu sancto assistente, Libros sacros, quales sibi ab initio traditi sunt. Cf. *Coll. Lacensem*, t. VII. p. 225 et 239.

Obj. II. Nemini licet canoni clauso novos Libros inserere. Porro canon V. T. sub Esdra conclusus est. Ergo praeter Esdrinum canonem Liber nullus admittatur.

Resp. Dist. maj.: Nemini licet novos Libros inserere canoni clauso divinitus et omnino perfecto, *conc.;* canoni perficiendo, *nego.* Et *dist.* min : canon V. T. sub Esdra conclusus est, nulla humana auctoritate perficiendus, *conc.;* nulla divina, *nego.* Et certe nullo prorsus argumento probatur, Esdram ita canonem absolvisse, ut, Deo jubente, quodvis in posterum complementum excluserit. Ipse Flavius Josephus hoc tantum affirmat, libros ab imperio Artaxerxis exaratos, non ejusdem auctoritatis ac priores haberi, „quia non adfuit indubitata prophetarum successio.“ *Contra Appion.* lib. I. n. 8.

Instabis. Non oportet admittere canonem, qui sanctis patribus non probatur. Porro neque deuterocanonici N. T. neque istiusmodi Libri V. T. omnibus patribus probantur. Prob. *minor. a)* S. Hieronymus in *Prologo galeato* et in *Praefationibus* in Esdram, in libros Salomonis, deuterocanonicos V. T. inter apocryphos ponere videtur. *b)* S. Dionysius Alexandrinus († 265) Apocalypseos authentiam non admisit; ejusdem Libri inspiratio ecclesiis aliquibus Orientalibus aliquandiu non probata est.

Resp. Dist. maj.: non oportet admittere canonem, qui ab omnibus patribus reprobatur, *conc.;* qui uni nonnullisve

non probatur, *subdist.:* non oportet eum canonem admittere, definiente ecclesia, *nego;* secus, *transeat.* Et *dist.* min.: neque N. T. neque V. T. deuterocanonici patribus omnibus probantur generatim, *nego*; non omnibus patribus alicujus temporis, *subd.:* ob rationes validas, *nego*; theoretice et ex suppositione quadam falsa, *conc.* Nunc ad probationes singulas.

a) S. Hieronymus deuterocanonicos V. T. ponit inter apocryphos, pressius appellatos, *nego;* latiori sensu dictos, *subdist.:* theoretice ex judicio privato, *transeat;* practice ex sensu ecclesiae, *nego.* Sanctus Hieronymus etsi modo generali de apocryphis disserens asperis interdum verbis utitur, in specie tamen discrimen indicat apocryphorum, qui strictius eo nomine vocantur et eorum, qui, quamvis non habeantur *in canone,* tamen usurpantur *ab ecclesiasticis viris.* Quamvis autem negare vix possimus, etiam hac ratione loquendi Libris deuterocanonicis V. T. auctoritatem divinam theoretice recusari, sanctus doctor in praxi plurimos textus ex deuterocanonicis cum iisdem formulis, quibus protocanonicos, affert; v. g. *Sapientiam* duodecies, *Ecclesiasticum* plus quam vicies sub formulis: *scriptum est; dicit scriptura;* aliquando: *divina scriptura loquitur; dicente scriptura sancta.* Cf. In Isaiam II. 3. v. 3.; ep. 118. ad Julian. n. 1. Praeterea idem sanctus doctor indirecte significat, ecclesias generatim alio canone usas esse quam Judaeos, qui deuterocanonicos a canone suo Hebraeo eximebant. Ita de sua versione Tobiae scribens, ait: „imputant nobis (Hebraei) contra *suum* canonem latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans Pharisaeorum displicere judicio et episcoporum jussionibus deservire, institi ut potui". *Praef. in Tob.*[1])

b) S. Dionysius Apocalypsin Joanni apostolo abjudicavit, motus antiquitatis monumentis, *nego;* adductus chiliastarum abusu, *conc.* Deinceps ecclesiae aliquae Orientales Dionysii auctoritate impulsi sunt, ut Apocalypsin in inspi-

---

[1]) Cf. L. Sanders, *Études sur saint Jérôme;* L. de San, *Tract. de div. trad. et script.* p. 373—381; 434—435.

ratorum numero non haberent. At ipse Dionysius dixit: „Fateor enim sancti cujusdam et divino Spiritu afflati viri id opus esse.“ Eus. E. H. lib. VII. 24—25. Affirmans autem se haud facile concessurum, Zebedaei filium Apocalypseos auctorem esse, *nullum veterum testimonium*, sed formam loquendi ab Evangelio Joannis discrepantem, proponit.

Urgebis. Veteres nonnullos apocryphos et libros certo non canonicos catalogis suis inseruerunt. Ergo parva fides habenda veteribus.

Resp. Dist. antec.: libri certo non canonici veterum catalogis inserti sunt, *unus alterve* liber, *non universaliter* et *non constanter, conc.;* secus, *nego.* Diligens rerum inquisitio atque ea, quae est ab apostolis traditio, effecerunt, ut deuterocanonicorum dignitas et inspiratio solemni ecclesiae catholicae judicio a quovis libro non inspirato discernerentur.

Obj. III. S. Antoninus, *Summa theol.* III. tit. XVIII. 6. et card. Cajetanus, *In omnes libros authent. Script. comment.* II. docent, V. T. deuterocanonicos non esse canonicos ad firmandum ea, quae sunt fidei.

Resp. S. Antoninus et Cajetanus hac in re expresserunt sententiam privatam, *conc.;* sensum communem ecclesiae, *nego.* Isti doctores, suam sententiam apud Hieronymum scriptam esse putantes, tanti viri doctrinam secuti sunt. Hinc Cajetanus asserit, omnia, quae ad deuterocanonicorum illorum canonicitatem pertinent, „ad Hieronymi limam reducenda“ esse. At concilium Tridentinum omnem dubitationem catholicis sustulit.

Instabis. S. Thomas *In Dionysium, De div. nomin.* c. IV. lect. 9. de canonicitate Libri *Sapientiae* et *S. Theol.* I. 89., 8. ad 2. de canonicitate *Ecclesiastici* addubitare videtur.

Resp. Dist. antec.: S. Thomas his locis ex propria sententia loquitur, *nego;* referendo aliquorum veterum sententiam, *conc.* Revera sanctus doctor in *Summa theologica* Librum *Sapientiae* plus ducenties, *Ecclesiasticum* circiter trecenties ut Scripturam canonicam et verbum Dei allegat.

Articulus V.

Utrum omnes res et sententiae Sanctarum Scripturarum divinitus inspiratae sint.

I. Status quaestionis ex iis, quae sequuntur, facile apparebit. 1° In ipsa thesi directe non quaeritur de inspiratione *verbali*, hoc est, eorum sententia, qui Libros sacros de verbo ad verbum inspiratos esse opinantur. Quorum doctrina quomodo intelligenda sit, posthac exponam. Nunc agendum de omnibus *rebus* et *sententiis*, seu de inspiratione, quam vocant *realem*. 2° Res et sententias intelligimus non tantum ea, quae directe ad fidem et mores pertinent, sed omnes res et sententias, quotquot in S. Scriptura traduntur. Nec tamen asserimus, ut perspicitur, omnes sententias, quae in sacris Libris proferuntur, puta maledicta in Deum conjecta, Deum habuisse auctorem, quasi ex persona Dei primum dicta essent, sed quod auctor inspiratus Deo dictante scripsit, impium ita locutum fuisse. 3° Auctores sacri in iis tradendis, quae humana ratione cognosci possunt, *non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria* loquuntur, *cum adjutorio tamen divini luminis:* hoc auctore Aquinate II. II. 174. 2. supra p. 654 exposuimus. Atque eo sensu, omnes res et sententias, in quacunque materia, etiam in historicis et naturalibus, seu singula quaeque sanctarum Scripturarum Deo inspirante conscripta esse putamus.

II. S. Thomae sententia de extensione S. Scripturarum. Aquinas *Quaest. disp. De potentia* IV. 2 suam doctrinam de re, quâm tractamus, his complexus est: „Scripturae enim divinae *a Spiritu sancto traditae* non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur.“ En principium, firmiter positum in ipsissima disceptatione „de sensu litterae, qua Moyses divinitus inspiratus principium nobis exponit“; in qua disceptatione quam larga sancti doctoris interpretatio fuerit, neminem latet. Sed de interpretatione Scripturarum postea. Hoc interea tanquam rem perspicuam indicasse satis est, Angelicum eam

inspirationem pro certo habuisse, quae ad omnes res et sententias ita sese extendat, ut *in Scriptura sacra secundum veritatem nihil sit contrarium* (In Tit. III. lect. 2); ut animus debeat *paratus esse credere quidquid divina Scriptura continet* (II. II. 2. 5). Rem duobus textibus illustrabo. Inquirens, quot modis aliquid ad fidem pertineat, respondet duobus: *directe* et *indirecte*, atque primo modo veritates, ut Deum esse trinum et unum, Filium Dei esse incarnatum, ad fidem pertinere asseverat. Dein haec: „Indirecte vero ad fidem pertinent ea ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Elcanae; ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam.“ I. 32. 4; idem *I. Sent.* XXXIII. art. 5 et II. II. 6 ad 1. — Eandem in sententiam II. II. 5 dixit: „Per accidens autem vel secundario se habent ad objectum fidei omnia quae in *Scriptura divinitus tradita* continentur: sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai, et alia hujusmodi.“ Rursus Thomas, cum tempore coenae Domini, et de explicandis quantum ad illud evangelistis dissereret, prolato aliquorum responso, dicentium, „alios Evangelistas non vere narrasse hoc factum“, et ideo Joannem, qui ultimum Evangelium scripsit, eos correxisse; mox ita pergit: „Sed haereticum est dicere, quod aliquid falsum, non solum in Evangeliis, sed etiam in quacumque canonica Scriptura inveniatur: et ideo necessarium est dicere, quod omnes Evangelistae dicunt idem, et in nullo discordant.“ *In Joan. XIII.* lect. 1. — Ex quibus unum illud, quod pro hac thesi caput est, sua sponte apparet, scilicet Aquinati veritatem totius S. Scripturae ea de causa constitisse, quod Deus Librorum sacrorum omnes res et sententias inspiraverit.

III. Connexio inspirationis et veritatis in systematibus inspirationis non restrictae et restrictae. Leo XIII. hanc connexionem ita affirmat, ut veritatem et inspirationem aeque late patere expressis verbis doceat. Gravissima enim haec est Pontificis sententia: „tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem,

sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.“ Deinde: „Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.“ Denique adhortans viros doctiores, ut pro sacris laborent: „Tales autem — inquit — labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet.“ Encycl. *Providentissimus Deus.*

Aquinatem audivimus et alios doctores in ipsa theseos probatione audiemus, qui connexionem inspirationis et veritatis, et hanc ob illam, non aliter ac Leo XIII. diserte defendunt. Sed fit, ut doctores effectum magis quam causam, hoc est veritatem potius quam inspirationem divinam intueantur. Eaque de causa opus est recordari, qui S. Libros nulli errori obnoxios esse affirmant, eosdem inspirationem similiter ad omnia extendere. Illi contra qui aliquarum rerum aut sententiarum in S. Scripturis veritatem rejiciunt, solent et inspirationem harum partium aut particularum negare. Quod sane in dijudicandis testimoniis utrinque perpendendum est.

Quaestione sequenti mihi quaedam dicenda sunt de modis, quibus S. Scripturarum veritas salvari possit.

IV. De iis, qui opinionem inspirationis restrictae sequuntur. De catholicis tantum loquar iisque recentioribus. Ex antiquioribus solum Henricum Holden († 1655) nomino, cujus haec inspirationis coarctatio: „Auxilium speciale divinitus praestitum auctori cujuslibet scripti, quod pro verbo Dei recipit Ecclesia, ad ea solummodo se porrigit vel quae sunt pure doctrinalia, vel proximum aliquem aut necessarium habent ad doctrinalia respectum. In iis vero quae non sunt de instituto scriptoris, vel ad alia

referuntur, eo tantum auxilio Deum illi adfuisse judicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune est." *Div. Fidei Analysi*, lib. I. 5. — Nostra aetate Rohling effectam divinitus Scripturarum inerrantiam ad eas restrinxit partes, quae continent veritates religiosas vel facta historica tanquam fundamentum, sine quo ipsa veritas religiosa concideret. Reliqua omnia scripta esse arbitrabatur mere humanitus; ob eamque causam posse a priori vera dici negabat. Veruntamen eodem quo haec scripserat anno (1872), lecta formula, quam Clemens VI. de S. Scripturarum veritate subscribendam miserat, auctor retractavit sententiam viroque catholico Librorum sacrorum inerrantiam etiam „in rebus profanis" admittendam esse agnovit.[1]) F. Lenormant annis 1880—1884 edidit opus, quod inscribitur: *Les Origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux.* Sicut in hoc opere maxime ita et in aliis operibus nonnulla scripsit, quibus inspiratio saltem implicite negari videtur. Libros enim sacros erroribus non vacare, aliquos locos ex mythis constare asseverat: addit tamen horum locorum inspirationem novo, quo res proponuntur modo, spiritu spectari.[2]) Opus: *Les Origines* etc., in indicem librorum prohibitorum relatum est *Decreto* 19. Dec. 1887; auctor 1891 in obedientia ecclesiae quievit. — Mense Februario anni 1884 card. Newman in period. *The Nineteenth Century*, deinceps in opusculo: *De iis, quae viro catholico de Scripturarum canonicarum inspiratione credenda sunt*,[3]) inspirationem divinam haud dubie

---

[1]) Rohling, *Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung für die freie Forschung*, in period. *Natur und Offenbarung*, 1872, p. 97 etc. Cf. ibid. p. 433.

[2]) Fr. Lenormant, *Les Origines* etc. Préf. p VIII.: „Les décisions de l'Eglise n'étendent l'inspiration qu'à ce qui intéresse la religion, touche à la foi et aux moeurs, c'est à dire seulement aux enseignements surnaturels contenus dans les Ecritures. Pour les autres choses le caractère humain des écrivains de la Bible se retrouve tout entier."

[3]) J. H. Newman, *What is of obligation for a catholic to believe concerning the inspiration of the canonical Scriptures* (1884). Opusculum

ad historicas etiam partes extendit, sed ad *obiter dicta* eam extendi negat. Intelligere videtur phrases et membra phraseon, quae cum rebus fidei et morum nihil connectuntur, uti hoc ex libro *Judith*, quod Nabuchodonosor rex Ninivitarum fuerit, aut illud Pauli: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* — Anno 1888 Salvatore di Bartolo in suo libro: *I criteri teologici*, opinionem propugnat, in S. Scripturis extra materiam, quae ad religionem pertinet, inspirationem et auxilium supernaturale non dari.[1]) At opus in indicem relatum est *Decret.* 14. Maji 1891. De aliis quibusdam sententiis, quae magis minusve inspirationis amplitudinem coarctant, haud absque assensu scripsit d'Hulst.[2]) Auctor eodem anno Leonem XIII. cum hic per encyclicam *Providentissimus Deus* S. Scripturarum studiosis viam tutam ostenderet, statim et publice secutus est.[3])

Thesis: *Omnes res et sententiae Scripturarum divinitus inspiratae sunt.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* S. Paulus ait: *Omnis Scriptura (πᾶσα γραφή) divinitus inspirata, utilis est ad docendum*, etc. II. Tim. III. 16. Et iterum: *Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. XV. 4. Textus autem illi, quamvis vocabula: *omnis* et *quaecunque*, non semper absolute significent, sensu tamen obvio apo-

---

scriptum est adversus Healy, qui Cardinalem refellere conatus erat in period. *The Irish ecclesiastical Record*, 1884, Mart.

[1]) Auctor ait: „Non vi ha inspirazione e intervento sovranaturale nelle materie estranee all' ordine religioso."

[2]) d'Hulst, *La question biblique* in period. *Correspondant*, 1893.

[3]) Plura de modernis systematibus quantum ad inspirationis extensionem apud P. Dausch, *Die Schriftinspiration*, 1891; Brandi, *La questione biblica e l'Enciclica* Providentissimus Deus, 1904; Funck, *Der Kampf um die Wahrheit der Hl. Schrift seit 25 Jahren*, 1905, quocum conferatur Rev. Bibl. 1906, Janv. p. 148—160; Chr. Pesch, *De inspir. S. Scripturae*, 1906. Cf. supra p. 662; 664.

stoli mentem ostendunt, de distinctione inter partes *inspiratas* et *profanas* minime cogitantem.

Arg. II. *Ex judiciis ecclesiae.* Concilium Vaticanum sess. III. cap. II. De revel. ita de S. Scripturis decrevit: „Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet . . . propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt." Inter *Canones* autem II. 4. haec: „Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit. Jam vero vocabula: *libri integri; — cum omnibus suis partibus; conscripti sunt,* praesertim si conjunctim sumantur, inspirationem indicare videntur, quae ad singulas res et sententias se porrigit.

Duo tamen vim hujus argumenti debilitare dicebantur, saltem in eo, quod ex inciso: *cum omnibus suis partibus,* eruitur. Dicebant enim nomine *partium* a Tridentino, intellectas fuisse aliquas pericopas, v. g. Luc. XXII. 43—44., quas protestantes ex S. Scripturis expungebant. Dein allegabantur haec verba ipsius cardinalis Franzelin: „Quod vero ad extensionem inspirationis spectat, diserta appellatione ad Concilium Tridentinum significatur, eas partes credendas esse inspiratas, quas Tridentinum definivit esse sacras et canonicas. Quaestiones vero hactenus inter catholicos controversae de sensu, quo partes librorum in Tridentino decreto intelligendae sint, nec definiuntur nec attinguntur. Quoad extensionem ergo inspirationis nihil omnino definitioni Tridentinae superadditur."[1]) Quae cum in sessione ipsius *Deputationis de fide* (die 11. Jan. 1870)

[1]) Cf. Coll. Lac. t. VII., 1621; idem quod in declaratione card. Franzelin ex aliis Conc. Vatic. documentis probari videtur. O. c. 79 et 86.

de scopo decreti supra prolati dicta esse constaret, nonnulli vocem *partis* nimis urgendam non esse censuerunt. At doctrinam inspirationis non restrictae directe attingit Leo XIII., qui suam de inspiratione doctrinam, quam supra p. 653 exscripsimus, in hunc modum urget: „Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo *absolute* edictum: *Veteris et novi Testamenti libri integri*", etc. ut supra. Paulo post: „Consequitur (ex eo quod Deus inspirator et auctor sit), ut qui in *locis authenticis* Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem." [1])

Arg. III. *Ex traditione. a) Ex doctrina veterum.* Huc pertinent ea veterum testimonia, quae art. 3. argumento tertio protulimus; nihil enim excipitur, cum in iis textibus inter religiosas et profanas Scripturarum partes nihil omnino distinguatur. Quibus annectendae sunt veterum aliquot de re nostra disertae sententiae.

S. Justinus: „Id enim (Scripturas inter se pugnare) nunquam audebo nec cogitare, nec dicere; sed si qua proponatur Scriptura, quae ejusmodi esse videatur, et praetextum, quasi alteri esset contraria, praebeat, cum persuasum habeam, nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere quae dicuntur". *Dial. cum Tryphone,* n. 65. Quid est autem quod Justinum, ut omnes ἐναντολογίας excluderet, tam firmiter permoverit nisi comperta totius Scripturae inspiratio? — Clemens

---

[1]) Anno 1351 Clemens VI. Armenorum Patriarchae hanc quaestionem affirmandam proposuit: „Si credidisti et credis novum et vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam *per omnia* contineri?" Decem annis ante Benedictus XII. inter Armenorum errores, in synodo notandos, errorem recensuerat, quo innuebatur *Gen.* IV, 24. non contineri verum, sed falsum. Cf. Zeitschr. für kathol. Theol. 1894, p. 676–677.

Alexandrinus, „os Domini et Spiritum sanctum omnia locutum esse“ affirmat, „quae sacrae Litterae dicunt. *Paedag.* — S. Gregorius Nazianzenus: „Nos, qui perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus vel res minimas a scriptoribus esse temere positas.“ *Orat. de fuga sua*, n. 105. — *S. Chrysostomus:* „ne syllabae quidem praetereundae, nam omnia sunt a Spiritu sancto.“ *In Gen.* Hom. XV. S. Hieronymus eorum, qui Pauli ad Philemonem epistolam ob simplicitatem despiciebant, imperitiam arguit, quod non intelligerent, „quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae latebat. Quae, — inquit — operantibus vobis, ipso nobis *spiritu* suggerente *quo scripta sunt*, suis locis explanare conabimur.“ *In Ep. ad Philem.* Prolog. — S. Augustinus beato Hieronymo scribens: „Ergo enim fateor Charitati tuae, solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.“ Ep. 82. 3. Cf. ibid. n. 24; Ep. 28; *De utilitate credendi*, n. 13. Quare firmissime hoc credit Augustinus? Utique, quoniam Deus, quod variis modis repetit, Libros illos inspiravit. Ita *Conf.* XIII. 29. exclamat: „O Domine, nonne ista Scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam?“

b) Ex praxi veterum. 1° Loci Scripturae historici et scientifici eodem modo ac partes doctrinales et religiosae proferuntur a patribus tanquam *S. Scriptura* et *eloquia divina*, sub formula: *scriptum est*, similive; prout ex commentariis, homiliis sexcentisque aliis apparet. 2° Patres maxima pietate partes etiam historicas et scientificas Scripturarum exposuerunt; Basilius enim, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus de Genesi scribentes, ne verbulo quidem significarunt esse, ubi in Libro illo sacro inspiratio desideretur. *Chrysostomus* autem, exordiens enarrationem in Genesin: „*has litteras* — inquit — quasi longe absentibus *Deus misit*, attulit autem Moyses,“ *Hom.* I. in Gen. Atque *S. Theophilus* de genealogia Caini ac Seth et de artibus inventis, quae in Genesi traduntur: „Haec autem omnia docuit nos

Spiritus sanctus, qui per Moysen et ceteros prophetas locutus est." *Ad Autol.* lib. II. 30. — *S. Hieronymus* affirmat, „*eloquia divina* aut de natura disputare, ut in Genesi et in Ecclesiaste, aut de moribus, ut in Proverbiis." *Ep. ad Paulam de Alphabeto Hebraico.* 3° Patres quidquid habuerunt eruditionis, id in explicandas antilogias apparentes contulerunt, quibus haeretici et increduli partes nonnullas historicas aut scientificas Librorum sacrorum impugnabant. Neque ad minimam unquam objectionem solvendam veteres asseverarunt, unam alteramve Scripturarum rem aut sententiam inspiratam non esse, 4° sed inconcussa habebatur haec Augustini regula: „si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel codicem mendosum esse, vel interpretem non assecutum, quod dictum est, vel me non intellexisse, non ambigam." *Ep.* ad Hier. 82.

Objectiones.

Obj. I. Inspirationis extensio ex fine inspirationis cognoscitur. Jam Deum auctores sacros inspiravit, ut veritatem religiosam hominibus traderent. Ex quo consequens est, ut inspiratio ultra res et sententias religiosae veritatis non extendatur.

Resp. Dist. maj.: inspirationis extensio dijudicanda est ex fine inspirationis, *a priori* constituendo, *nego; divinitus* manifestando, *conc. Dist.* min.: traditio veritatis religiosae est finis inspirationis unicus, *transeat*; principalis, *subdist.;* veritatis religiosae traditae in *Libris* divinis, *conc.;* in *partibus* tantum divinis, *nego.* Hujus loci non est determinare, utrum Deus per se veritates etiam aliquas de rerum natura aliaque id genus per auctores inspiratos nos docere voluerit; S. Scripturam autem principaliter non esse codicem scientiae profanae, inter omnes convenit. Sed quonam modo Deus scientiam religiosam per auctores sacros nobis tradere voluerit, *a priori,* cum illud ex libera Dei voluntate pendeat, determinari non potest. Quamobrem S. Scripturas, ecclesiae definitiones, doctrinam veterum interrogavimus, quibus Deo placuisse cognovimus homines donare Libris

quantum ad omnes et singulas res inspiratis. Porro si constat, S. Scripturas isto modo inspiratas *esse*, nihil attinet amplius inquirere, *quare* Deus eam actionis suae amplitudinem voluerit.

Instabis. Indignum Deo esse videtur, minutiora quaeque inspirare. Ergo inspiratio restricta admittenda est.

Resp. Dist. antec.: id Deo videtur indignum, si minutiora illa considerentur singula seorsum et in se, *transeat;* si considerentur respectu libri totius, *nego.* Nemo de opere Dei adaequate dijudicaverit, partibus minutioribus a toto avulsis; sed *totum* opus, et in casu Scripturam universam spectari necesse est, quoniam partes libri natura sua *toti* subordinantur. Denique et in rerum natura ejusdem Dei parva sunt, cujus et magna. „Quod si non putant — ait Hieronymus — eorum esse parva, quorum et magna sunt, alterum mihi conditorem, juxta Valentinum, Marcionem et Apellen, formicae, vermium, culicum, locustarum, alterum caeli, terrae, maris et Angelorum debent introducere." *Prol. ad Ep. Philem.*

Obj. II. Concilium Vaticanum definiens, „libros integros cum omnibus suis *partibus*" inspiratos esse, subjungit: „*prout* in concilii Tridentini decreto recensentur." At patres Tridentini nomine *partium* intellexerunt partes deuterocanonicas Libri Esther et Danielis et aliquas Evangeliorum pericopas, de quibus controversia habebatur cum protestantibus. Ita lis de inspiratione singularum partium non finita est.

Resp. Dist. min.: ista cum protestantibus controversia fuit decreti *occasio, transeat;* terminavit *totum objectum* decreti, *nego.* Ex *Actis* et *historia* concilii Tridentini constat, hoc patrum consilium fuisse, novatorum errores de S. Scripturis damnare eamque *cum omnibus suis partibus* tueri. Si concedimus vocem *partis* decreto non insertam esse ad omnes et singulas indiscriminatim partes designandas, tamen apparet eam patrum mentem fuisse, ut integram Scripturam divinitus conscriptam assererent, etiam partem parvam ambitu, ut Luc. XXII. 43—44., et partes integras, quas materiae causa rebus mere historicis seu profanis annume-

rares, ut nonnulla in vindicatis a Tridentino capitibus Esther X—XVI. Quamobrem definitio Tridentina saltem indirecte thesin inspirationis non coarctatae probare videtur.

Instabis. Patres Tridentini pro canonicis suscipiendos esse decernunt libros, „prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in *veteri Vulgata latina editione* habentur"; concilium autem Vaticanum formulam: *prout in veteri vulgata latina editione habentur* retinuit et servavit. Jam nemo dubitat, quin in editione illa sint chronologiae aliarumque rerum minutiorum mendae aliquot. Concilium ergo non intendit, partium etiam minimarum inspirationem definire.

Resp. Dist. maj.: illud incisum de *Vulgata* indicat concilium intendisse, originalium inspirationem restringere, *nego;* originalia in versione certa designare, *conc.* Et *dist.* minorem: et concilium non exclusit ejusmodi mendas ab editione Vulgatae, *conc.;* ab originalibus, *nego. a)* Revera duo in decreto Tridentino conspicua videntur: 1° eam fuisse mentem patrum, ut definiretur, S. Scripturam totam et cum omnibus suis partibus esse inspiratam; 2° indicem, a patribus prius adscriptum, magis etiam in concreto designari per judicium implicitum de authentia conformitatis Vulgatae. Cf. art. sequentem. Primum autem per secundum nec immutatur nec restringitur, ut opinor. *b)* In canone Vaticani concilii de S. Scripturarum cum omnibus suis partibus inspiratione, incisum illud de Vulgata non habetur, sed hoc solummodo: „prout illos (libros) sancta Tridentina synodus recensuit.".

Obj. III. Quod inspiratum est, fidei objectum est. Atqui res profanae et minimae, de rerum natura v. g. aut de historicis factis, ad veritatem religiosam non pertinentibus, fidei objectum dici nequeunt. Objectum igitur inspirationis coarctandum est.

Resp. Dist. maj.: Quod inspiratum est, fidei objectum est aut per se aut per accidens, *conc.;* semper per se, *nego.* Res profanae et minimae non sunt fidei objectum per se, hoc est, non credendae sunt ex genere suae veritatis et materiae, sed per accidens et indirecte, hoc est, quia scriptae sunt in Libro, cujus Deus quia illum inspiravit, auctor est. Eo sensu Thomae utar sententia: „haereticum

est dicere, quod aliquid falsum, non solum in Evangeliis, sed etiam in quacumque Canonica Scriptura inveniatur." In Joan. XIII. lect. 1. — Cf. supra p. 684—686.

Quaeres I, *quonam gradu doctrina de inspirationis extensione ad omnes res et sententias certa sit.*

Resp. Auctores hac de re non omnino idem sentiunt. Bellarminus, *De verbo Dei* I. 6 ait: „Haeretici sunt, qui in b. Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce." Melchior Canus, *De loc. theol.* II. 17 docet dictam doctrinam esse veritatem, quam *retinere debemus,* sed contrariam non vocat haereticam. Scheeben affirmat eos, qui inspirationem ad res fidei et morum restringunt, nec eandem ad totam substantiam rerum in Scripturis contentarum, ob eamque causam etiam ad partes historicas extendunt, directe contra dogma peccare.[1]) L. de San statuit: „Propositio defenditur tamquam conclusio dogmatica omnino certa proindeque vi ipsius sententia ei opposita habenda est non modo ut periculosa, sed ut falsa et erronea." *Tract. de divina Traditione et Scriptura,* p. 280.

Quod in Constitutione apostolica *Officiorum ac munerum,* de prohibitione et censura Librorum de inspirationis extensione agitur, id hoc loco praetereundum non est. Haec Leonis XIII. *Constit.* edita est die 25. Jan. 1897; ergo plus tres annos post encycl. *Provid. Deus* (18. Nov. 1893), ex qua gravissimam Pontificis de quaestione nostra sententiam supra adduximus. Jam vero cap. V. hujus *Constitutionis* damnantur „opera in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus *pervertitur,* aut ejus extensio *nimis* coarctatur." Commentator autem *Constitutionis,* in *Actis S. Sedis* (1897—1898), p. 213 scripsit: „Exinde vero nemo inferat, sub ejusmodi paragrapho illos etiam comprehendi, qui negarent omnes prorsus et singulas Sacrarum Scripturarum res atque sententias sub divina inspiratione scriptas esse. „Addebat id" difficillimae probationi subjacere, quod declarabat ex-

[1]) Scheeben, *Handbuch der kath. Dogmatik* I. p. 112.

emplo Act. VII. 14 et Deuter. X. 22., in quorum locorum primo septuaginta quinque, in altero septuaginta animae in Aegyptum descendisse narrantur. Ex quo commentator concludebat: „Impossibile autem est ut Spiritus Sanctus utrumque numerum inspiraverit.“ Auctor — Pennachi — deinceps ea, quae hoc modo addiderat revocavit. Repetitis autem verbis: *Exinde* ad *scriptas esse*, statim ita pergit: „Et quidem recte et vere quantum ad expositionem legis attinet; qui enim unam vel aliam Divinarum Scripturarum sententiam inspiratam esse negarent, dici non possent inspirationis Sacrae Scripturae extensionem nimis coarctare, neque Legislator horum damnare libros. Quod ex facto constat: sunt enim etiam inter catholicos qui id affirmaverint, quin idcirco eorum libri ab Romanis Pontificibus damnati fuerint.“

Quaeres II, *utrum* aliqua *verbalis quoque inspiratio admittenda sit.*

Resp. a) Cum omnes res et sententiae Librorum sacrorum divinitus inspiratae sint, consequens est, ad inspirationem pertinere assistentiam, ne scriptor adhibeat verba inepta ad sensa divinitus inspirata exprimenda.

b) Deus ipsa *verba* determinasse dicendus est, 1° in quibusdam locis, ubi rerum adjuncta hanc determinationem divinitus factam ostendunt, v. g. ubi sacer auctor inter scribendum vocem Dei inspirantis audiit. 2° In nonnullis vocabulis, dogmatis vim continentibus, velut vox *Verbi*, quod Joannes usurpat, de Incarnatione scribens: *verbum* (ὁ λόγος) *caro factum est.* Joan. I. 14. Sic Beda Venerabilis intellexit verbum *factum* (γενόμενον) in Gal. IV. 4.: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* „Neque audiendi sunt — inquit — qui legendum putant: *natum* ex muliere, factum sub lege; sed: *factum* ex muliere, quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne.“ *In Luc.* XI. 3° In iis locis, qui praeter sensum litteralem, habent sensum spiritualem seu mysticum, nonnunquam vel in unico verbo latentem, puta in voce *Jerusalem*, quae simul et terrenam civitatem et ecclesiam et caelum significat. Huc facit hoc

S. Thomae: „Auctor principalis sacrae Scripturae est Spiritus sanctus, qui *in uno verbo* sacrae Scripturae intellexit multo plura, quam per expositores sacrae Scripturae exponantur vel discernantur.“ *Quodl.* VII. art. 14. ad 5.

Quaeres III, *quid de eorum sententia judicandum sit, qui inspirationem* etiam ad omnia et singula verba *extendi sentiunt.*

Resp. Eorum, qui illam sententiam sequuntur, duplex est genus. Primum est nonnullorum veterum protestantium, quos orthodoxia severior ad conceptum inspirationis mechanicum impulit, quasi scriptor sacer esset instrumentum mortuum atque cythara, quam Spiritus sanctus plectro pulsaverit. Hujusmodi autem comparationes, quibus patres quandoque usi sunt, minime urgendas esse patet. Quare S. Augustinus, de „Evangelistarum quatuor concordi quadam diversitate“ mentionem faciens, hoc sapienter nos admonuit: „ne putemus quasi consecratis sonis, ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba quae propter illam sunt dicenda, commendet.“ *De consensu Evangel.* III. 128 (66).

Non desunt, qui talem inspirationis verbalis doctrinam inspirationi cuilibet negandae ansam fuisse existiment.[1]) At longe aliter cum veteribus plurimis catholici recentiores non pauci inspirationem verbalem intelligunt. Nam si, quae de causa principali et instrumentali ab iis exponuntur, diligenter consideramus, facile apparet, in hoc altero systemate inspirationis verbalis activitatem scriptoris sacri non exstingui aut imminui sed secundum metaphysicam causarum sincere explicari. Hoc unum dixi, ne juniores, audito termino inspirationis *verbalis*, doctrinam nescio quam mechanicam suspicentur, puta qualem liber apogryphus IV. Esdras, XIV. exhibet aut qualem jam mille ante annis Agobardus, episcopus Lugdunensis in suo *Libro adversus Fredegisum* rejecit. Res ipsa cum quaestionibus disputatis de activitate cau-

[1]) Ad hoc illustrandum citatur Delitzsch, *2. Vortrag über Babel und Bibel*, Anmerk. S. 44: „Mit der Preisgabe der Verbalinspiration ist das A. T. seines Charakters als *Wortes Gottes* unwiederbringlich entkleidet.“

sarum secundarum connectitur; nec spe ducor, fore ut his de rebus dissentientes propediem consentiant.[1])

Articulus VI.

Utrum concilium Tridentinum versionem vulgatam merito authenticam declaraverit.

I. De textibus primigeniis. 1° Libri V. T. lingua Hebraica scripti sunt, hoc est, ea lingua, quae filiis Jacob seu Israelitis ante reditum ex Babylonico exsilio vernacula fuit. Excipiuntur tamen *Daniel* II. 4.—VII. 28. et *I. Esdras* IV. 8.—VI. 18.; VII. 12—26., chaldaice conscripti, et *Sapientia* ac *Machab.* lib. I., quorum textus primigenius Graecus est. 2° Libri N. T. graece scripti sunt, sed *Matthaeus* hebraicis litteris verbisque evangelium composuit; cujus tamen Hebraeus sermo probabilius fuit lingua *Syro-chaldaica,* qua Judaei illius aetatis in loquendo utebantur, non vetus illa Hebraica, qua etiam post exsilii tempora Aggaeus, Zacharias et alii Libros suos sacros conscripserunt. Non desunt, qui epistolam *ad Hebraeos* hebraice scriptam fuisse censeant. S. Thomas de S. Paulo: „melius — inquit — sciebat Hebraeam (linguam) tamquam sibi magis connaturalem, in qua scripsit Epistolam istam. Et ideo magis ornate potuit loqui in idiomate suo quam in aliquo alio. Unde dicit II. Cor. XI. 6.: *etsi imperitus sermone, sed non scientia.* Lucas autem qui fuit optimus prolocutor, istum ornatum transtulit de Hebraeo in Graecum.“ *Expos. in ep.*

---

[1]) Cf. de inspiratione verbali Lagrange, *Rev. biblique* 1895—1896. In eodem period. 1898, p. 626 P. Th. Calmes affirmat: „La théorie de l'inspiration verbale gagne du terrain de jour en jour.“ Sed multi hanc sententiam minime sequuntur. Ita P. Schanz: „Wenn Lagrange und andere Dominikaner trotz der freien historischen Methode dennoch an der Verbalinspiration festhalten wollen, so erklärt es sich aus ihrer allgemeinen Vorstellung vom Verhältnis Gottes zur Welt. Es dürfte aber dadurch ebensowenig Licht in die Lehre von der Inspiration gebracht werden als durch die praemotio physica in die Gnadenlehre.“ In period. *Biblische Zeitschrift,* 1905, p. 71; idem, *Apol. des Christentums,* Bd. II. (1905), p. 628—631.

ad Hebr. Prolog. 3° Nonnulli textus primigenii perierunt. Ad nos pervenit hebraice concinnatus textus majoris partis V. T.; chaldaice *I. Esdras* IV. 8.—VI. 18.; VII. 12—26; *Daniel* II. 4.—VII. 28.; graece libri *Tobiae, Judith, Esther*, X. 4.—XVI. 24; *Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Daniel* III. 24—90.; XIII. 1—XIV. 42. et duo *Machabaeorum.*

II. Versiones. 1° *Versiones Graecae. a)* Antiquissima est versio, quae vocatur *septuaginta* virorum, *οἱ ὁ*, LXX., et a loco suae originis *Alexandrina.* Judaei scilicet aliquot — septuaginta duos fuisse fertur — quos Philadelphus (286—247), hortante Demetrio Phalereo, ad opus illud impulerat, a. 286 Pentateuchum graece reddere aggressi sunt. Utrum eodem fere tempore et ante annum 200 reliqui etiam V. T. Libri deuterocanonici in Graecum translati sint, in dubio est; non est dubium, quin ejusmodi versio anno 130 usitata fuerit. Haec autem versio, quanquam inspirata non videtur, magnae tamen auctoritatis est, tum ob usum apostolorum et universalis ecclesiae usque ad saeculum VI., tum ob declarationem Sixti V., qui in brevibus, editioni versionis Alexandrinae anno 1587 praemissis, statuit, „ut Vetus graecum Testamentum juxta Septuaginta ita recognitum et expolitum ab omnibus recipiatur et retineatur, quo potissimum ad latinae Vulgatae et veterum sanctorum Patrum intelligentiam uterentur, prohibens ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum vel addendo vel demendo quidquam immutare.“ *b)* Aliae versiones Graecae sunt *versio Aquilae* (*Ἀκύλας*), Pontici, professione Judaei, qui Hadriani tempore (117—138) vixit; *versio Theodotionis*, quem judaizantem haereticum seu Ebionitam fuisse atque Commodi tempore (180—193) scripsisse, probabilis est sententia; *versio Symmachi,* qui Ebionitis favisse creditur. Primo saeculi III. decennio scripsisse videtur. Tres isti interpretes magis minusve accusantur, quod, celatis subdola interpretatione mysteriis Christi, Judaice transtulerint. Reliquas versiones Graecas mitto.

2° *Versiones Latinae. a)* Antiquissima est illa versio *vetus Latina* seu *Itala*, quae mediante saeculo II. omnes utriusque Testamenti Libros, canoni Occidentalis ecclesiae

tunc temporis insertos, haud dubie continuit. Utrum saeculo I. attribuenda sit, in doctorum disceptationem venit. Neque omnino constat, Africane versionis origo sit, an Italia, quin etiam Roma. Disputatur quoque, utrum antiquitus versiones Latinae plures fuerint, inter se independentes, an plures ejusdem versionis recensiones. S. Augustinus ait: „Qui enim Scripturas ex hebraica lingua in graecam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari." *Doctr. Christ.* II. 11. S. Hieronymus: „Tot enim (apud Latinos) sunt exemplaria, quot codices, et unusquisque pro arbitrio suo vel addidit vel subtraxit, quod ei visum est." *Praef. in Josue.* Censet autem Augustinus, „in ipsis interpretationibus" Italam ceteris praeferendam, „quia est *verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.*" L. c. 15. Versio Itala quantum ad libros V. T. ex Alexandrina derivata est; quare antiquitus vocari solebat *Septuaginta in Latina.*

b) Itala emendata S. Hieronymi, qui jussu Damasi, Romani Pontificis, Latinam versionem emendandam suscepit, atque anno 383 Psalterium juxta septuaginta interpretes licet cursim, magna tamen ex parte correxit; et Evangelia ad fidem Graecam revocavit. Atque „ne multum a lectionis latinae consuetudine discreparet, ita calamo temperavit, ut his tantum quae sensum videbantur mutare correctis reliqua manere pateretur, ut fuerant". *Praef. ad Damasum.* Similiter reliquos N. T. Libros correxisse videtur. Deinceps Psalterium ad hexaplarem Origenis iterum correxit; item Librum Job, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum, Chronica et reliquos V. T. Libros ad hexaplarem textum emendavit. Hoc erat *novum opus facere ex veteri.*

c) Vulgata, de qua infra.

2° *De aliis quibusdam versionibus. a) Versiones, ex Alexandrina derivatae*, sunt praeter Italam *Aegyptiaca*, *Aethiopica*, *Gothica* et aliae. *b) Versiones immediatae* sunt *Chaldaicae versiones* seu Paraphrases, chaldaice Thargumim, quae sunt

Hebraici textus V. T. translationes quaedam explicatrices. Hujusmodi paraphrases aliae sunt *Pentateuchi*, aliae *Prophetarum* et *Hagiographorum*. Praecipua *Pentateuchi* paraphrasis utrum Onkeloso et saeculo I. tribuenda sit, non constat; videtur nempe haec saeculo I. ex orali traditione scribi coepta esse atque privato potius quam publico usui inserviisse, donec saeculo IV. exeunte, a rabbinis Babylonicis ad hodiernam suam formam redigebatur. Pentateuchi paraphrases *Pseudo-Jonathanis* et *Hierosolymitana* duae ejusdem recensiones habentur; utriusque recens origo, auctoritas nulla. — *Prophetarum* paraphrasis a Judaeis Jonathani, filio Uziel, adscribitur. Verum nec auctor certus nec aetas. Saeculo I. Hierosolymis scribi coepta videtur, in hodiernam formam a Babylonicis redacta saeculo IV. — *Hagiographorum* paraphrases recentis originis sunt earumque amplificationes vel expositiones futiles. *c) Versio Pentateuchi Samaritana* est versio Pentateuchi Samaritani, id est, Hebraici textus, Samaritanis litteris exarati, quem Samaritani jam ante Esdrae aetatem possederunt. Versionem illam saeculo I. scriptam esse, Samaritanorum est traditio; neque aliquid contra eam traditionem proferri videtur. *b)* Immediata quoque est utriusque Testamenti *versio Syriaca*, quae appellatur *Simplex* seu *Peschito*, simplici et claro modo sensum primigenii textus exprimens; quae versio, cum antiquissima sit et plerumque accurata, per se magnae utilitatis est. At cum pura et sincera ad nos non pervenerit, magna sane adhibenda est cautio, ut primitivae lectiones discernantur. Alias versiones immediatas, Arabicas et Persicas, silentio praetereo. Atque haec quidem pauca de versionibus. Tractatus magis completus *Introductioni in S. Scripturas* relinquendus est.[1])

III. Vulgata dicitur illa S. Scripturarum versio, quae continet 1° Libros protocanonicos V. T., excepto Psalterio, et ex deuterocanonicis V. T. Libros Tobiae et Judith, a beato Hieronymo ex Hebraico sive ex Chaldaico in Lati-

[1]) Cf. Cornely, *Introd. gener.* t. I. et *Introductionis Compendium*, edit. 5.; Kaulen, *Einleitung in die Hl. Schrift*, 5. Aufl.

num conversos; 2° Psalterium Gallicanum, hoc est, Psalterium Italae, ab Hieronymo ad hexaplarem textum Origenis emendatum; 3° reliquos V. T. Libros deuterocanonicos et fragmenta Estheris et Danielis Italae; 4° omnes N. T. Libros, ab Hieronymo emendatos Graecaeque fidei redditos. Praecipui *Vulgatae* codices habentur *Amiatinus* et *Fuldensis*. *Amiatinus*, hodie Florentiae in bibliotheca Laurentiana repositus, in Amiatae monasterio circa annum 541 a Servando, S. Benedicti discipulo, conscriptus esse perhibetur; omnes utriusque Testamenti Libros, Baruch excepto, continet. *Fuldensis*, Fuldae asservatus, ejusdem fere aetatis est ac codex prior; omnes et solos N. T. Libros complectitur.

Primis ecclesiae temporibus versio *Itala*, de qua supra, tam ubique adhibebatur, ut eam saepius *Vulgatae* seu *communis* nomine indicarent. S. Columbanus († 615) ultimus inter scriptores ecclesiasticos Itala exclusive usus esse creditur. *Psalterium vetus* est Psalterium Italae, quod emendatum *prima vice* ab Hieronymo *Psalterium Romanum* vocatur. Hoc autem in officio basilicae Vaticanae; in Introitu, Gradualibus, Offertoriis, Communionibus missalis Romani; in Invitatorio, Antiphonis et Responsoriis breviarii Romani permansit. *Altera* emendatio, ad hexaplarem facta, *Psalterium Gallicorum* est, quod in hodierna Vulgata reperitur.[1])

Saeculo VII. *Vulgata*, quae nunc dicitur, in toto Occidente vigere ob eumque usum communem hoc nomine appellari coepit. Textus ad normam editionis Romanae, quam Clemens VIII., 1592, praescripserat, indicatur: *Biblia Sacra Vulgatae Editionis Sixti V. et Clementiis VIII. Pontt. Maxx. jussu recognita atque edita.*

IV. Decretum Tridentinum de Vulgatae authenticitate. Patres Tridentini Sess. IV. cum decretum de canonicis Scripturis edidissent, quo *vetus Vulgata latina editio* implicite sancitur, eadem Sessione haec statuerunt: „Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum

---

[1]) Cf. Fr. Kaulen, *Gesch. der Vulgata;* S. Berger, *Hist. de la Vulgate pendant les premiers siècles du moyen âge* (1893).

utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur, S.S. Librorum, quaenam pro authentica sit habenda, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum cursu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam rejicere quovis praetextu audeat et praesumat."

Hoc decretum ex sua materia et terminis cum factum, haud dubie dogmati nexum, statuat et declaret, authenticitas Vulgatae factum dogmaticum haberi debet; nec iis assentiendum, qui uti Hermes et Hug decretum illud non nisi statutum disciplinare esse contendunt, synodi temporibus coaptatum.

De natura autem hujus *authencititatis* animadvertendum est, in decreto Tridentino per se non agi de authenticitate *historico-critica*, hoc est, de proprio scriptore sacro aut de tempore scriptionis alicujus Libri ejusve partis, sed de authenticitate *dogmatica et theologica*, hoc est, de auctoritate Vulgatae ad fidem faciendam, quam habet versio, S. Scripturarum orginali quantum ad substantiam conformis. Jam vero hujusmodi auctoritas quaenam sit, paucis describendum videtur.

Et vero 1° quidquid auctoritatis versioni Vulgatae tribuitur, id omne, ut patet, prius est in originali incorrupto. 2° Decretum Tridentinum valorem Vulgatae spectat *intrinsecum*, in eo consistentem, quod nihil ecclesiae catholicae doctrinis contrarium habet et quod ad eas doctrinas probandas et confirmandas auctoritate valet. 3° Valor Vulgatae intrinsecus a concilio, ut conspicitur, non effectus est, sed solemniter declarata est, utpote *longo saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata.* 4° At minime dici potest, Vulgatae interpretem inspiratum fuisse. 5° Neque decretum Tridentinum *perfectissimam* cum originali conformitatem Vulgatae subaudit, qua credi oporteat, omnia, quantumvis minima, recte conversa esse. 6° Sed tenendum est, verbum Dei scriptum in Vulgata *substantialiter* contineri. 7° Non ita est probata Vulgata, ut per eam approbatio-

nem vel Graeca vel Hebraica volumina rejecta esse intelligantur, de qua re infra breviter sermo redibit.

Quod vero authenticitatem auctoris et temporis per se a decreto non intentam asseruimus, id eo non pertinet, ut quaestiones authenticitatis theologicas nunquam esse putemus. Imo vero quando scriptor sacer tanquam sententiam certam et suam affirmat, v. g. talem esse alicujus Libri sacri auctorem, nullam jam hac de re litem credimus admittendam esse.

VI. Quam late vox *substantialiter* in thesi pateat. 1° Vulgatae auctoritatem extenuant, qui asserunt, Libros sacros, prout in Vulgata habentur, cum Scriptura primitiva *generatim* esse substantialiter identicos, nihil tamen de authentia *singulorum* locorum, etiam per se *dogmaticorum*, fuisse definitum.

2° *Substantialiter* intelligimus in Vulgata contineri *omnes et singulos textus dogmaticos.* Nullo igitur Vulgata deformata est errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit. Hinc *a)* quantum ad textus dogmaticos nulla admitti potest *diversitas contradictionis* inter textum primitus inspiratum et Vulgatam, scilicet ut haec asserat, ille neget, vel vicissim. *b)* Admitti nequit *diversitas negativa discrepantiae,* videlicet, *dogma,* quod expressum exstat in Vulgata, non deerat in originali. Nec tamen authentiae ratio — ut Cornely inquit — tollitur alicujus *textus dogmatici omissione.*[1]) *c)* Omnes et singulos *textus* Vulgatae *dogmaticos* in orginalibus incorruptis reapse exstitisse, non absolute affirmandum est, nec rejicienda videtur sententia, quam tradit Vercellone in dissertatione, Romae edita 1866, *Sulla autenticità delle singole parti della Biblia Volgata.* Perhibet enim doctissimus ille Barnabita posse, salvo decreto Tridentino, asseri, quosdam textus, etiam dogmaticos, Vulgatae non exstare in originali, dummodo dogma, quod ejusmodi Vulgatae textus continerent, aliis in locis Scripturae primitivae expressum reperiatur.

[1]) R. Cornely, *Introd. in U. T. Libros sacros Compendium* (1905), p. 116.

Quare Janssens, disserens de I. Joan. V. 7.: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*; *et hi tres unum sunt*, prudenter haec scripsit: „Si ex v. 7., uti in Vulgata latina jacet, argumentum traditionale deducitur invictum ad dogma S.S. Trinitatis vindicandum, argumentum scripturisticum cautius adhibendum videtur, praesertim ubi res est cum adversariis, qui, ob rationes abunde allatas, putant authentiam hujus commatis scientifice demonstrari non posse.“ [1]) *d)* Non excludi videtur a Vulgata discrepantia quaedam *modalis*, ut scilicet *dogma idem* sed *non eodem modo* in textu primitivo et in loco correspondente Vulgatae exprimatur, sicut hoc Vulgatae: „*Ipsa* conteret caput tuum“, *Gen.* III. 15., quod in textu originali sic expressum est: „*Ipse* conteret caput tuum“, ubi *Ipsa* Redemptoris matrem, *Ipse* Redemptorem immediatius significat, neutrum tamen exclusive.

3° Extra materiam fidei ac morum et credibilia secundum se, patres Tridentini Vulgatam ab omni prorsus mendo et errore liberam esse non declararunt. Revera non solum vulnera, at ajunt, in Vulgata cernuntur, i. e. *typographorum* menda et alia hujusmodi, verum etiam quaedam menda *versionis* extra dictam materiam, et salva semper rei summa, in Vulgatam irrepsisse potuerunt. Eam autem patrum mentem fuisse, ostendunt *a)* testimonia eorum, qui concilio Tridentino interfuerunt. Namque Andreas Vega, theologus consiliarius, refert, concilium eatenus voluisse Vulgatam authenticam haberi, „ut certum omnibus esset, *nullo eam*

[1]) L. Janssens, *Summa theologica*, t. III., p. 168. — Cf. K. Künstle, *Das Komma Joanneum*, 1905. Interrogatus de mente S. Inquisitionis, post ejusdem resolutionem diei 13. Jan. 1897 quantum ad I. Joan. V. 7., card. Vaughan, Roma, ubi morabatur, haec respondit: „I have ascertained from an excellent source, that the decree of the Holy Office in the passage in the „Three Witnesses“, which you refer to, is not intended to close the discussion on the authenticity of that text. The field of Biblical criticism is not touched by this decree.“ Cardinalis addit decreto spectari valorem theologicum (theological value) illius textus. Haec, card. Vaughan annuente divulgata sunt in period. protest. *The Guardian*, subscripta die 4. Junii, 1897 a Wilfrid Ward, viro docto catholico.

foedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset;" „neque quidquam amplius statuere voluisse" synodum; nec quemquam „propter hanc vulgatae editionis approbationem" impediri, „quominus ubi haesitaverit ad fontes recurrat et in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo juventur et locupletentur Latini, et *Vulgatam editionem ab erroribus repurgent.*"[1]) Vega porro testem allegat cardinalem S. Crucis, Cervinum, qui postea Marcellus II. Idem affirmarunt Lainez et Salmeron. *b)* Reapse ecclesia in Martyrologio Romano, etiam post correctionem a Benedicto XIV. factam, chronologiam septuagintaviralem, in aetate patriarcharum a Vulgata diversam, retinuit. *c)* Cum ab iis, qui strictissimam Vulgatae authentiam defenderunt, allegatum esset decretum, editum a. 1576 die 12. Januarii a S. Congregatione concilii Tridentini interpretum, quo statutum dicebatur, nihil posse asseverari Vulgatae repugnans, „etiam quod esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, vel dictio sola, vel syllaba, iotave unum"; Sedes Apostolica, cum de decreto illo interrogata fuisset, significavit istud documentum, si vere aliquando prodiit,[2]) intelligendum esse prohibere, ne quid

---

[1]) A. Vega, *De justificatione*, XV. 9.; cf. Pallavicino, *Istoria del Concilio di Trento*, t. I. De testimonio Marianae, Bellarmini, Lainez, videsis G. Bonaccorsi, *Questioni Bibliche* (1904), p. 53—58.

[2]) Decretum illud *Congregationis*, in Archivis Romanis ultimis his annis diligenter quaesitum, nuspiam repertum est. Franzelin, l. c. — Neque documentum illud innotuit nisi a. 1608 ab haereticis Francofurti editum. Serarius, *Prolegom.* XIX 11. — Branca, *De Vulgata*, I. p. 31 censet, documentum aut commentitium esse aut expers auctoritatis, „quod — inquit — ex alicujus e Cardinalibus eorumque anagnostis vel theologis parata scripto sententia, quale ego in rem hanc ipsam nonnihil olim in Ms. quodam vidi, fortasse excerptum, neque vel totius Concilii vel, ut opus est, Summi Pontificis auctoritate firmatum" — Cf. Batiffol, *La Vaticane de Paul III. à Paul V., d'après des documents nouveaux* (1890), p. 73, ubi *Commentario de canonibus Tridentinis*, quem card. Carafa († 1591) manuscriptum reliquit, haec disciplinaris profertur de verbis „cum omnibus suis partibus" sententia. „Propter hujusmodi verba S. C. C. censuit incurri in poenas vel si sola periodus, clausula, membrum, dictio, syllaba jotave unum, quod repugnat vulgatae editioni, immutatur, acriter-

asseratur repugnans editioni vulgatae *in rebus fidei et morum.* „Quod quidem responsum — ait Franzelin — ante paucos annos (1859) summo Pontifice per vivae vocis oraculum approbante datum esse, b. m. P. Perrone mihi attestatus est.“ *De div. trad. et Script.* p. 568., edit. 3. Ergo minime tenemur sententiam accipere Poncii († 1626), cancellarii universitatis Salmanticensis, et aliorum dicentium, in Vulgata „omnia, quantumvis minima, recte conversa“.

4° Lectio alicujus loci Vulgatae dubia et inter ipsos ecclesiae doctores varia decreto Tridentino non est facta ejusmodi, ut alterutram ex lectionibus ut certam et exploratam amplecti cogamur. Qua quidem regula Canus usus est in explicando I. Cor. XV. 51., cujus duplicem lectionem commemorat, scilicet: *omnes quidem resurgemus*, et: *omnes quidem non dormiemus.* „Neutram igitur lectionem — ait — recipere cogimur, quia neutram partem Doctores Ecclesiae tanquam exploratam et catholicam asseruere. Quod quidem in alia particula qualibet Latinae editionis fieret, si idem penitus contigisset. At ubi doctores catholici unam et eandem lectionem sine varietate tenuerunt; nec ancipitem assertionis libravere sententiam, nobis non licet Latinam editionem in quaestionem vertere.“ *De loc. theol.* lib. II. 15. ad 5.

5° Recurrere ad textus primigenios minime nefas. Atque Bellarminus sincerus patrum Tridentinorum interpres, haec statuens: „Mendacium (Calvini) est, decrevisse Tridentinos Patres, minime esse audiendos eos qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt . . . Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejusmodi in decreto Concilii legatur . . . Respondeo quatuor temporibus licere nobis recurrere ad fontes Hebraeos et Graecos: 1° Quando in nostris codicibus videtur esse error librariorum . . . 2° Quando latini codices variant, ut non possit certo statui quae sit vera vulgata lectio . . . 3° Quando verba aut sententia in latino est anceps, possumus recurrere ad fontes, si forte ibi non sit ambigui-

---

que reprehendendum Vegam, lib. IV. c. 9. de justificatione audacter hac de re loquutum.“

tas . . . 4° Licet recurrere ad fontes, ad energiam et proprietatem vocabulorum intelligendam.“ Bellarminus, *De Verbo Dei*, II.

VII. Adversarii. Novatores decretum Tridentinum saepissime aggressi sunt, modo quod textus primitivo decreto illo spernerentur, modo quod ipsa Vulgatae versio aut editio maxime vitiosa esset. Inter alios Thomas James anno 1600 infallibilitatem Pontificiam ex Vulgata Sixtina et Clementina redarguere conatus est in opere, quod inscribitur: *Bellum papale, sive concordia discors Sixti V. et Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem;* quem egregie confutavit Henricus de Bukentop, edito opere: *Lux de luce.*

Thesis: *Concilium Tridentinum versionem vulgatam merito authenticam declaravit.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex usu ecclesiae.* Admitti non potest, ecclesiam, cui S. Spiritus promissus est, per multa saecula usam esse falsa Scripturarum editione. Jam Vulgata „longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est“. Ergo. Prob. *min. a)* In ecclesia Romana Pontifices mediante circiter saeculo VI. Vulgatam usu probarunt; etenim Joannes III., Benedictus I. et Pelagius II. eam solam laudant, atque S. Gregorius M., etsi ad Leandrum, episcopum Hispalensem, scribens, Sedem apostolicam *utraque* (Itala et nova Hieronymi) uti declarat, novam tamen „verius“ translatam affirmat et in suis commentariis in librum Job Vulgatam saepissime Italae praefert. *Moral.* Prol. — Exinde Vulgata in ecclesia Romana praevaluit. *b)* Ex usu Vincentii Lerinensis, Cassiodori, Caesarii Arelatensis, Vulgatam per alias quoque ecclesias divulgatam esse conspicitur. Quin etiam S. Isidorus Hispalensis *De div. et eccles. officiis,* lib. I. 12. circa annum 620 de Hieronymi Vulgata testatur: „cujus editione generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur.“ *c)* Deinde a saeculo VII. in conciliis, sive episcoporum Occidentis sive simul unitis Occidentalibus et Orientalibus, in decretis Pontificum, in proponenda, explicanda et defendenda fidei

morumque doctrina, ecclesia Occidentalis vel unice vel potissimum S. Scripturam adhibuit, ut exstat in versione Hieronymi. *d)* „Hic porro usus — prosequitur Franzelin — saltem mediate ex ratione capitis Ecclesiae et ex principalitate ac supremo magisterio in Ecclesia Romana, ac denique ex communione, consensu et approbatione omnium Ecclesiarum, pertinebat ad Ecclesiam universam.“ *De div. trad. et Script.*, p. 522., edit. 3.

Arg. II. *Ex auctoritate humana. a)* Vulgatae auctor S. Hieronymus est. Atqui ex ingenio, laboribus, itineribus, consultationibus, magistris, eruditione totaque sancti hujus vita patet, illum maximam opportunitatem habuisse et ad adhibendum primigenium textum puriorem et ad ipsum reddendum fide maxima. *c)* Protestantes non pauci Vulgatae fidem judiciumque admirati sunt, Beza, Grotius, Walton, uterque Buxtorf, Millius, J. Dav. Michaelis et alii. Ita Grotius ait: „Latinam versionem, pridem acceptam, semper feci plurimi, non modo quod nulla dogmata insalubria contineat, verum etiam quod multum in se habeat eruditionis.“ *Praef. in Annot. ad V. T.* t. I. Atque Michaelis: (Vulgata) „versionum una omnium praestantissima“. *Suppl. ad lex. Hebr.* p. III.

Quaeres I. *Utrum decretum Tridentinum de Vulgata opportunum fuerit.*

Resp. Opportunum. Namque *a)* ab anno 1515—1550 editiones plus 180 variarum versionum prodierunt sive omnium Librorum sacrorum sive unius aut aliquorum, inter quas Erasmi versio N. T. plurimas editiones habuit. Consulendum igitur erat unitati. *b)* Quassabatur Scripturarum certitudo licentia sectarum; decreto igitur auctoritatis supremae fideles confirmari oportuit, ut ea mala quoque vitarentur, quae S. Hieronymus in editione Graeca septuaginta interpretum, S. Augustinus in Latina evenisse memorant.

Quaeres II. *Utrum textus primigenios, prout jam supersunt, et versiones antiquas authenticas non esse, decreto Tridentino de Vulgata declaratum sit.*

Resp. a) Nihil a concilio Tridentino de illa authentia directe declaratum est. Hoc patet 1° ex ipsis terminis

decreti, quod agit de una „ex *latinis* versionibus"; 2° ex testimonio vulgato eorum, qui concilio interfuerunt, Salmeronis, Andreae Vega, Jacobi Lainez.

b) Cum de textu Hebraico, prout illum modo habemus, nullum afferri possit publicum et formale ecclesiae testimonium, eadem ac Vulgatae auctoritas publica et extrinseca ipsi non competit.

c) Textus Graecus utriusque Testamenti, quo utitur ecclesia Graeca, Romano Pontifici conjuncta, sua ex hoc usu exorta auctoritate publica non caret. Verum authentia Vulgatae solemniori modo, formali scilicet decreto, firmata est. — De linguarum Hebraicae et Graecae utilitate cf. Can. *De loc. theol.* II. 15.; de praecipuis Bibliis polyglottis, *Complutensibus* (1522), *Antverpiensibus* seu *Regiis* (1569—1572), *Parisiensibus* (1629—1645), *Londinensibus* seu *Waltonianis* (1657) Cornely.[1]) Nostra memoria Leo XIII. de expendenda Vulgatae lectione haec: „Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, „inspectio praecedentis linguae", suasore Augustino, proficiet."[2]) Encycl. *Provid. Deus.*

Quaeres III. *Quonam modo adimpleta sint concilii Tridentini verba, quibus „decernit et statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur."*

Resp. a) Verba allata non ad menda versionis, de quibus supra annotatione VI., n. 3. dictum est, sed ad amanuensium et typographorum menda pertinere videntur.

b) Promulgato decreto de Vulgata emendanda theologi Lovanienses elegerunt Joannem Hentenium, qui novam editionem pararet. Hentenius, adhibitis editione Roberti Stephani et triginta aliis codicibus, *Biblia Lovaniensia*

[1]) Cf. R. Cornely, *Introd. in U. T. Libros sacros Compendium*, p. 58—127.

[2]) *De doctr. christ.* III. 4.

edidit, cujus plurimae editiones factae sunt. Hentenio e vita egresso, F. Lucas Brugensis, a facultate Lovaniensi electus et a J. Molano aliisque theologis adjutus, opus Hentenianum sexaginta fere codicum varietatibus auxit. *Biblia Lovaniensia* a Luca Brugensi anno 1585 edita, correctoribus Romanis magno fuit auxilio.[1])

c) Terminato concilio Tridentino, Pius IV. opus emendandae Vulgatae suscipiendum curavit. Post varios casus a Sixto V. exemplar Vulgatae correctae Aldo Manutio, typographo Vaticano, traditum est et anno 1590 terminata exemplaris editio cum hoc titulo: *Biblia sacra Vulgatae editionis tribus tomis distincta;* atque in altero folio: *Biblia sacra Vulgatae editionis ad Concilii Tridentini praescriptum emendata et a Sixto V. P. M. recognita et approbata.* Editioni praecedit Sixti V. constitutio apostolica *Aeternus ille,* quam Cornely, o. c. p. 465., cum in Bullarium non recepta sit, ex exemplari Sixtinae editionis, quod in Museo Barberiniano asservatur, transcripsit. Ex qua quidem constitutione quatuor colligenda sunt. 1° Pontifex ait: „illud sane omnibus certum ac exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias nunquam eo spectasse, ut nova Editio in lucem exeat, sed ut Vulgata Vetus *ex Tridentinae Synodi praescripto* emendatissima pristinaeque suae puritati, *qualis primum ab ipsius interpretis manu,* styloque prodierat, *quoad ejus fieri potest,* restituta imprimatur." 2° „In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicue inter omnes constat, nullum argumentum esse certius, ac firmius, quam antiquorum, probatorumque codicum Latinorum fidem, quos tam impressos, quam manuscriptos, ex bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetustiores atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo tamquam primigenii textus verba, aut his maxime finitima, retinenda decrevimus." 3° „Id vero ad germanam editionem constabiliendam praesidium sicubi desideratum est, tunc sanctorum Patrum, veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca,

[1]) Cornely, *l. c.;* Quétif et Échard, *Script. Ord. praed.* t. II. p. 195.

et libros illustrarunt, subsidio fuere." 4° „In iis tandem, quae neque codicum, neque Doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebraeorum, Graecorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quae cum apud Latinos ambigua sint, potuissent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid et indubitatum sufficeretur, sive ut, quod apud nos variantibus codicibus inconstans, diversum, ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi ipsorum fontium veritate perspecta sanciretur."

d) Sixtus V. emendationes a congregatione, ad Vulgatam corrigendam instituta, partim rejecerat textumque emendaverat magis ad Lovaniensem editionem quam ad fidem codicum antiquissimorum. Praeterea in nonnullis editionis Sixtinae exemplaribus errata typographica, aut schedulis agglutinatis aut litteris quibusdam abrasis aut adscriptis calamo litteris, correcta erant, in aliis relicta, ita ut clare appareret, ultimam manum operi nondum esse appositam. Quare Gregorius XIV. Sixtinam editionem corrigendam statuit, instituta nova septem cardinalium et duodecim theologorum congregatione, ex cujus membris postea cardinales duos et octo theologos elegit, qui extra Urbem in oppido Zagarolo huic uni negotio vacarent. Gregorius XIV. correctoribus quinque canones constituit, quorum hic praecipuus: „deliberatum fuit, ut haec regula in emendandis Bibliis observaretur, hoc est, ne fieret mutatio, nisi cogeret necessitas et praesertim (ne fieret), quum variae voces idem significant, ut v. gr. *ergo* pro *igitur* et id genus alia. Quum vero variant sensum, ut *fortem* pro *fontem* et e converso et alia id genus permulta, tunc ad manuscripta antiquiora, ad codices sc. latinos et graecos atque hebraicos juxta regulas, ab Augustino et ab aliis traditas, nec non ad s. Doctores et Patres confugiendum est." Tandem Clemente VIII., Romano Pontifice, ante finem a. 1592 prima Clementina Vulgatae editio emendata in lucem prodiit, altera a. 1593, tertia a. 1598. Tertiae editioni adjunctum triplex correctorium mendorum typographicorum. Tres has

editiones una cum triplici correctorio novarum editionum oportet esse archetypum. Titulus editionis erat: *Biblia sacra Vulgatae editionis Sixti V. Pont. Max. jussu recognita atque edita.* Ab anno 1641 nomen Clementis VIII. titulo addi coeptum est; hodie *Clementina* vocari solet.[1])

Objectiones.

Obj. I. Vulgatae authenticitas vertitur in auctoritate Hieronymi. At Hieronymi auctoritas tanti non fit, nulla ut aliorum interpretum doctrina superetur.

Resp. Dist. maj.: authenticitas illa vertitur in auctoritate Hieronymi accidentaliter, *conc.*; essentialiter, *nego.* Catholici maximam Vulgatae auctoritatem tribuunt ob ecclesiae definitionem.

Instabis. Nulla est proportio inter judicium de authenticitate talis versionis omnium Scripturarum sanctarum et labor ac tempus, quae patres Tridentini in opus illud impenderunt. Eorum igitur decretum jure non factum est.

Resp. Dist. antec.: Nulla esset proportio, si decretum procederet ex patrum labore critico, *conc.;* ex aliis fontibus, ex quibus ecclesia doctrinam suam desumit, *nego.* Ecclesiae judicia de rebus ad fidem pertinentibus cum ex eo veritatis deposito sumantur, quod ipsi sub infallibili S. Spiritus assistentia custodiendum traditum est, patres in decreto suo hoc motivum allegant: „quae (vulgata editio) longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.“ Nunquam ad motivum intrinsecum criticum provocarunt.

Urgebis. Versionem Hieronymi beato Augustino, luci ecclesiae, minime acceptam fuisse, hujus ad illum epistolae declarant. Ergo Vulgata usu vere probata esse non videtur.

Resp. Dist. antec.: Vulgata S. Augustino accepta non

[1]) Cf. Czuppon, *Vindiciae Vulgatae latinae editionis;* C. Vercellone, *Variae lectiones Vulgatae latinae Bibliorum editionis;* Kaulen, *Geschichte der Vulgata;* Bacuez et Vigouroux, *Manuel biblique;* J. Wordsworth et H. J. White, *Novum Testamentum D. N. Jesu Christi latine secundum editionem S. Hieronymi ad codicum manuscriptorum fidem* (Matth., Marc., Luc., Joan.), 1889—1895.

fuit ob rationes intrinsecas, *nego;* ob rationes extrinsecas, *subdist.:* re nondum plene considerata, *conc.;* re melius perpensa, *nego.* S. Augustinus verebatur, ne „plebes Christi, quarum aures et corda illam (antiquam) interpretationem audire consueverunt", Hieronymi versione perturbarentur. Cf. *Ep.* 82, 35.; *De civit. Dei*, lib. XVIII. 43. Postea tamen non pugnavit, quominus Vulgata uterentur, quippe quam in ultimis suis operibus frequenter adhibuerit. *De doctr. Christ.* lib. IV. 15.

Obj. II. Pluribus in locis conformitas Vulgatae cum archetypis Hebraicis et Graecis desideratur. Ergo in publicis actibus adhiberi non debet.

Dist. antec.: haec conformitas desideratur substantialiter, *nego;* in aliis quibusdam, *conc.* Substantiae ad limites quod spectat, id supra p. 704 exposuimus. De dissensione vero in accidentalibus prudens ut feratur sententia, hoc profecto minime dissimulari potest, Hebraica praesertim exemplaria, quae nunc habentur in manibus, iis longe recentiora esse, quibus S. Hieronymus usus est. Proinde sicubi discrepantia inter Vulgatam et codices Hebraicos Graecosve occurrat, ex hoc solo capite non concluditur, codices istos Vulgata esse emendatiores.

Instabis. Editionis Sixti V. et Clementis VIII. comparatione instituta, ingens numerus differentiarum textuum repertus est. Ergo Vulgatae textus, quoniam tam incertus est, doctis disputationibus magnae utilitati non erit.

Resp. Dist. antec.: istae differentiae attingunt fidem et mores, *nego;* res minoris momenti, *conc.* De correctionibus autem et variis lectionibus Vulgatae tractant Lucas Brugensis, *Romanae correctionis* etc. *loca insigniora observata;* H. de Bukentop, *Lux de luce;* C. Vercellone, *Variae lectiones Vulgatae.* Perfectionem autem absolutam Vulgatae non attribuendam, ostendit ipsius editionis Clementinae *Praefatio ad lectorem,* in qua legimus: „quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuscriptis, Hebraeis Graecisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit: in hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata,

ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt: tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, sanctus Hieronymus non semel admonuit: tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebraeis et Graecis Latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt; qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt: tum denique, quia sacrae Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare, sed ipsam veterem ac vulgatam Editionem Latinam, a mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, suae pristinae integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere."

Quaestio XVIII.

De S. Scripturarum interpretatione.

Dominus post resurrectionem duobus in Emmaus euntibus in omnibus Scripturis, quae de ipso erant, verbis divinis ita interpretabatur, ut cor discipulorum ardens esset in illis, dum loqueretur in via, et aperiret illis Scripturas. Verbum Dei usque in finem mundi hominum intellectum illuminat, affectum inflammat. Sed beatus Petrus nos docuit: *omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit,* II. Petr. I. 20. Quaerendum igitur est, quanam via mentes et corda verum Scripturarum sensum reperiant. Ob haec inquirendum erit:

Primo. *De sensibus S. Scripturae.*

Secundo. *Utrum ecclesiae sit judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum.*

Tertio. *De interpretatione privata.*
Quarto. *De lectione S. Scripturae.*

Articulus I.

De sensibus S. Scripturae.

I. Quid sit sensus S. Scripturae. S. Scripturae sensus est *illud, quod S. Spiritus per verba et res Scripturarum exprimit et manifestat.* 1° Dixi: *exprimit et manifestat;* etenim non agitur de *significatione* vocabuli in se spectati, sed de conceptu, quem Librorum auctor hic et nunc intenderit. 2° Dicitur: *per verba et res;* nam „expressio alicujus veritatis — ait S. Thomas — potest fieri de aliquo rebus et verbis, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius; et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundum quod res significantur per verba: et in hoc consistit sensus litteralis. Alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum; et in hoc consistit sensus spiritualis". *Quodl.* VII. 6. 14.

II. Quotuplex sit sensus S. Scripturae. Ille sensus est 1° *litteralis* seu *historicus;* 2° *spiritualis* seu *mysticus.* „Nam illa significatio qua voces significant aliquid, pertinet ad sensum litteralem, seu historicum. Illa vero significatio qua res, significatae per voces, iterum res alias significant, pertinet ad sensum mysticum." S. Thom. *Ad Gal.* cap. IV. lect. 7. A nonnullis enumerantur 3° sensus *accommodatitius* et 4° sensus *consequens.* At non nisi improprie Scripturae *sensus* dicuntur, cum *accommodatitius* ab accommodante textum sacrum, non ab ipso auctore sacro intendatur, *consequens* autem textus consectaria spectet, non illud, quod ipse textus directe vel indirecte *exprimit.* Quandoque tamen consectaria textui ita connexa sunt, ut Spiritui sancto, tanquam ab ipso praevisa et intenta, attribuantur. Cf. I. Cor. I. 31.; IX. 10—11. Sed imprudentiae attribuendae sunt accommodationes quorundam scriptorum, uti qui S. S. Cordi

Jesu accommodant Ps. LXIII. 7.: *Accedit homo ad cor altum et exaltabitur Deus.*

1° *Sensus litteralis* est *a) proprius*, si verba proprie sumuntur, *b) metaphoricus* seu *parabolicus*, si improprie. „Sensus parabolicus sub litterali continetur; nam per voces significatur aliquid proprie et aliquid figurative. Nec est litteralis sensus ipsa figura, sed id, quod est figuratum. Non enim, cum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale, sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa.“ S. Thom. I. 1. 10 ad 3.

2° *Sensus spiritualis* est *a) moralis* seu *tropologicus*, *b) allegoricus* vel *typicus*, *c) anagogicus*. „Veritas autem — ait S. Thomas — quam sacra Scriptura *per figuras rerum* tradit, ad duo ordinatur: scilicet ad recte credendum et ad recte operandum. Si ad recte operandum, sic est sensus *moralis*, qui alio nomine *tropologicus* dicitur. Si autem ad recte credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium; ut enim Dionysius dicit, 4. cap. cael. Hierar., status Ecclesiae medius est inter statum Synagogae et statum Ecclesiae triumphantis. Vetus ergo testamentum figura fuit novi: vetus simul et novum figura sunt caelestium. Sensus ergo spiritualis, ordinatus ad recte credendum, potest fundari in illo modo figurationis quo *vetus testamentum figurat novum:* et sic est *allegoricus* sensus vel *typicus*, secundum quod ea quae in veteri testamento contigerunt, exponuntur de Christo et Ecclesia; vel potest fundari in illo modo figurationis quo *novum simul et vetus significant Ecclesiam triumphantem;* et sic est sensus *anagogicus.*“ *Quodl.* VII. 6. 15. Cf. *Expos.* in epist. ad Gal. l. c.: *S. Theol.* I. I. 10.

Hinc vetus illud:

> Litera gesta docet, quid credas allegoria,
> Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Ita *Jerusalem* litteraliter est urbs; spiritualiter: *allegorice* ecclesia militans, *moraliter* anima justi, *anagogice* ecclesia

triumphans. At versus sic intelligantur, ut non *quatuor* species sensus exprimant, sed primam speciem et subdivisiones tres speciei alterius, hoc est, sensus spiritualis, qui ex rerum figuris accipitur. Patres autem, uti S. Hieronymus *Ad Hedib.* ep. 120., quamvis terminis aliis de multiplici Scripturarum sensu disserant, re divisionem *duplicis* Scripturarum sensus, modo expositam, admittunt.

III. De sensu litterali haec statuenda videntur. 1° Contra ac Origenes, qui *De principiis,* lib. IV. textus aliquos Scripturae sensu *litterali* carere autumat, S. Thomas, patres secutus, hanc regulam admittit: „sensus spiritualis *semper fundatur super litteralem,* et procedit ex eo." *Quodl.* VII. 6. 14; *S. Theol.* I. 1. 10.

2° Historia, aetiologia et analogia non tres species sensus litteralis sunt, sed tres modi significandi in sensu litterali. Quod exponitur a S. Thoma his verbis: „historia, aetiologia, analogia ad unum litteralem sensum pertinent. Nam historia est, ut ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur: aetiologia vero, cum causa dicti assignatur, sicut cum Dominus assignavit causam quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum, Matth. XIX.: analogia vero est, cum veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare." I. 1. 10. ad 2.

IV. Utrum incredibile sit, sub una serie litterae quandoque esse multiplicem sensum. Fatendum est, id jam plurimis videri absonum, quorum equidem sententiae non assentior, cum Thomae et Augustini gravis obstet auctoritas et ratio. Hic lubet duas Angelici proferre sententias, easque satis explicatas, quamvis Satolli, *In Summam Theologicam Divi Thomae Aquinatis Praelectiones,* p. 89, putet, S. Thomam hac in re incertum esse.

1° Quaest. disp. *De potentia,* IV. 1. docet: (Vitandum est), „ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus qui in se veritatem continent, et possunt, salva circumstantia litterae, Scripturae aptari, penitus excludantur; hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic

et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus. Unde non est credibile, Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae."

2° Summae theologicae p. I. q. I. art. 10.: „Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit:[1]) auctor autem sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconveniens, ut dicit Augustinus XII. *Confessionum* (cap. XXXI.), si *etiam* secundum litteralem sensum in una littera, Scripturae plures sint sensus." — Exemplo sit illud *Is.* LIII. 8. *generationem ejus quis enarrabit,* quod et de aeterna generatione Christi ex Patre, et de temporali ex beata Virgine accipitur. Cf. S. Aug. *Conf.* XII. 18—31; Billuart, *De regulis fidei,* diss. I. art. 8. pet. 3 et 6.

A nonnullis objicitur, multiplicitate *litteralis* sensus S. Scripturarum textus reddi ambiguos et plane incertos.

Cum Cajetano, *Comm. in S. Thomam,* I. q. 1. 10. et Joanne a S. Thoma, *Curs. theol.* I. q. 1. 12. responderi potest, 1° sensus illos litterales saepe inter se habere similitudinem aliquam, seu ordinem; 2° nullam esse occasionem deceptionis, quandoquidem uterque sensus litteralis, ut a Deo dictus, verus est; 3° in obscuris collationem ad sanctae ecclesiae auctoritatem nunquam deesse. Ex quo intelligitur, expressam iis textibus, de quibus hic agitur, sen-

[1]) Billuart ait S. Thomam hoc intelligere „de prima et proxima ac certiori intentione". Cf. Thom. II. *Sent.* 12. 1. 2.; *Quodl.* VII. 6. 1—3.

tentiam non idcirco veram haberi, quod homo veram eam esse jam ante judicaverit. Etenim regulis recensitis cognoscitur, quid Deus dixerit; dicta dein divina credimus, quod Deus illa dixit.[1])

V. De sensu spirituali seu typico, qui et *mysticus, allegoricus* vocatur.

1° Sensus spiritualis, stricto sensu dictus, non significatur vocibus, sed *rebus,* per voces significatis. *Res* autem intelligimus personas, res gestas, instituta etc., de quibus dici potest illud S. Thomae: „Spiritualis sensu sacrae Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur *res in curso suo,* ut ex eis talis sensus possit accipi, quod ejus solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est. Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces, vel aliquas similitudines fictas; ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suae providentiae subjectarum." *Quodl.* VII. 6. 16. Ita hoc: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera* (Gen. XVI. 15.; XXI. 2.), *duo testamenta* (Gal. IV. 24.), significat.

2° Res, ad alia hujusmodi significanda divinitus ordinatae, a S. Paulo vocantur *typi, exemplaria et umbrae, allegoriae, parabolae.* Ita *Rom.* V. 14. Adam appellatur *forma futuri,* seu Christi, *τύπος τοῦ μέλλοντος*, atque I. *Cor.* X. 6.: *Haec autem in figura (τύποι) facta sunt nostri.* Cfr. *Hebr.* VIII. 5.; *Gal.* IV. 24.; *Hebr.* IX. 9. Res autem significatae *antitypi* vocari consueverunt, prout jam I. *Petr.* III. 21. baptisma antitypus („similis formae") aquae diluvii nuncupatur, *ὅ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σῴζει βάπτισμα.*

3° Res *symbolicae,* quae in rei veritate non contigerunt, aut tota sua ratione essendi in praefigurando consistunt, non ad sensum spiritualem seu typicum, sed ad litteralem

[1]) Cf. J. Knabenbauer, *In Isaiam* XI, XXIV, XV; V. Zapletal, *Hermeneutica biblica*, 1897; G. Gietmann, *Zeitschr. für kathol. Theol.* 1903, p. 381—390; H. Höpfl, *Das Buch der Bücher*, 1904.

pertinent. Hinc S. Thomas: „hircus,[1]) vel alia hujusmodi, per quae aliae personae a Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquae, sed similitudines imaginariae, ad hoc solum ostensae, ut illae personae significarentur; unde illa significatio qua per illas similitudines personae illae, aut regna designantur, non pertinet nisi ad historicum sensum; sed ad Christum designandum etiam illa quae in rei veritate contigerunt, ordinantur sicut umbra ad veritatem; et ideo talis significatio, qua per hujusmodi res Christus aut ejus membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, scilicet allegoricum (h. e. spiritualem). Si alicubi vero inveniatur quod Christus significatur per hujusmodi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum litteralem; sicut Christus significatur per lapidem, qui excisus est de monte sine manibus, Dan. 2." *Quodl.* VII. 6. 15.

4° Sensum spiritualem in S. Scripturis admittendum esse constat *a)* ex ipsa S. Scriptura. Etenim S. Joannes XIX. 36. docet, in Christo impleta esse, quae *Exod.* XII. 46. et *Num.* IX. 12. litterali sensu de agno paschali dicta sunt, et similia in aliis Scripturae locis leguntur. *b)* Idem ex patrum consensu certum est.

5° Sensus spiritualis super litteralem fundatur. Cf. S. Thom. I. 10. art. 10.

6° E solo sensu spirituali certum et efficax argumentum ad fidem probandam non desumitur. Quamvis enim sensus ille, tanquam a Deo intentus, *secundum se* insufficiens haberi nequeat, *a nobis* tamen sensus spiritualis non nisi ex aliis Scripturae locis, ubi eadem fidei veritas per litteralem sensum manifesto traditur, aut infallibili ecclesiae judicio citra errandi periculum cognoscitur. Accedente tamen alterutro, hoc est, *loci* cujusdam *litteralis* aut *ecclesiae* testimonio, sensus spiritualis seu typicus certum theologis praebet argumentum.

7° Non quaelibet S. Scripturae pars quatuor sensus, id est, litteralem et tres spirituales habet. Quare S. Thomas:

[1]) Dan. VIII.

„quatuor isti sensus non attribuuntur sacrae Scripturae, ut in qualibet ejus parte sit in istis quatuor sensibus exponenda; sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum." *Quodl.* 6. 15. Generatim S. Scripturarum sensus eo ditatur, quod S. Augustinus ita complexus est: „Novum Testamentum in Vetere latet, Vetus in Novo patet." *De catechiz. rudibus,* IV.

VI. Mira S. Scripturae fecunditas ab Angelico his verbis explicatur: „Auctoritati Scripturae in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen fide: quia majori veritate eam Spiritus sanctus fecundavit quam aliquis homo adinvenire possit." *Sent.* II. 12. q. 1. art. 2. ad 7. Atque S. Bonaventura: „Ideo sub cortice litterae apertae occultatur mystica et profunda intelligentia ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate litterae latente et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudulenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinae istius non est unius generis, sed cujuslibet, omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire, ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat et omni intellectui condescendat, omnem intellectum superexcedat et omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae illuminet pariter et accendat." *Breviloquium,* Prooem. §. 5.

Articulus II.

Utrum ecclesiae sit judicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturae.

I. Interpretatio duplex est, scilicet *authentica* et *privata,* seu, ut aliorum terminis utar, *dogmatica* et *scientifica,* aut *catholica* et *exegetica.* 1° *Authentica* est ea, quam praebet ecclesiae magisterium sive ordinarium sive solemne, sicuti concilium Tridentinum sess. XIV. can. III. decrevit verba *Joan.* XX. 22, 23.: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata,* etc. intelligenda esse de potestate remittendi, et retinendi peccata in sacramento poenitentiae.

Plus singula vice unus Scripturae locus in alio explicatur; ita II. *Thess.* II. 1. a S. Paulo determinantur ea, quae I. *Thess.* IV. 12. et sqq. de adventu Domini instante docuerat. Cf. S. Thom. *In II. Thess.* II. lect. I. Quod explicationum genus, ut patet, cuique sanctum esse debet. 2° *Privatam* seu *scientificam* eam vocant, quae habetur adhibitis hermeneuticae et exegeticae regulis et ad quam plurimum adjumentum afferunt omnes bonae artes et disciplinae, linguarum Hebraicae ac Graecae, historiae, archaeologiae peritia. Illa vero interpretatio *traditionalis*, quam a patribus, prout testes sunt fidei ecclesiae, catholici accipiunt, ad interpretationem authenticam referri debet. Hoc loco de interpretatione authentica agendum est, nonnullis tamen, quae directe ad controversias de patrum auctoritate pertinent, ad quaestionem XX. rejectis. Diximus autem: „de *interpretatione*", quoniam ecclesia *non facit* Scripturae sensum, sed *declarat.*

II. Decretum Tridentinum et Vaticanum de S. Scripturarum interpretatione hoc est: „Praeterea (sacrosancta synodus) ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent." Sess. IV. Cujus quidem decreti mens quae sit, patres Vaticani declarant his verbis: „Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum innovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et inter-

pretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari." Sess. III. cap. II.

III. Interpretatio decreti Tridentino-Vaticani. 1° Decretum istud *dogmaticum* est, non mere disciplinare. Huic rei indicio est, *a)* quod patres Tridentini decreti sui rationem ad potestatem magisterii referre videntur, dicentes: „cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum." *b)* Illud decretum dogmaticum est, quo praecipit ecclesia, quis Scripturae sensus pro *vero* habendus sit in *rebus fidei et morum.* At istam decreti Trident. mentem esse, textus supra prolatus conc. Vaticani demonstrat. *c)* Quod idem historia concilii Vaticani confirmatur. Nam quare Vaticanum decretum Tridentinum renovaverit mentemque hujus decreti accuratius definierit, Gasser, episcopus Brixinensis ad duos prescribendos errores factum esse declaravit. Ait autem: „Primus error est eorum, qui contendunt decretum hoc concilii Tridentini de interpretatione Scripturarum Sanctarum esse solummodo disciplinare. Hinc renovatur hoc decretum, et quidem in constitutione dogmatica." [1]) Ergo decretum de S. Scripturarum interpretatione est dogmaticum.

2° Decretum *non* est *mere negativum,* sed *re* procul dubio *positivum.* Quod probatur *a)* ex ipso *sensu* decreti Tridentini, quod, adhibita formula: *nemo . . . contra,* veram intelligendi verbum Dei rationem manifesto praecepit. Cf. Pallavic. *Hist. conc. Trid.* lib. 18. VI. *b)* Ideo in professione fidei Tridentina Pii IV. forma positiva habetur: „S. Scripturam *juxta* eum sensum, quem tenuit sancta mater Ecclesia, . . . admitto", etc. *c)* Denique patres Vaticani declarant, hanc decreti Tridentini „mentem" esse, „ut . . . *is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit,* quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia." Ergo, errarunt Jahn, *Enchiridion Hermeneut. gen.* et alii quidam, cum decretum Tridentinum mere *negativum* esse contenderent. Sequitur

[1]) Coll. Lac. t. VII., 143.

ut non solum nefas sit interpretationem excludere contradictoriam sensus, quem ecclesia alicui Scripturae loco subesse doceat, sed ut etiam necesse sit, ipsum illum sensum ab ecclesia retentum ut verum Scripturae sensum admittere.

3° Decreto suo patres Tridentini et Vaticani declarant, ecclesiae sensum amplectendum esse etiam in *determinatis* locis. Quod est contra nonnullos, qui asseverarunt, decreto illo non excludi et prohiberi negationem sensus ab ecclesia *de tali loco* declarati, dummodo Scripturas interpretando dogma aliquod fidei ac ecclesia definitum non excludatur aut negetur; qua quidem interpretandi licentia posita, cuivis integrum esset asserere, e. g. verba *Joan.* XX. 22. contra ac patres Tridentini sess. XIV. definiverunt, de potestate remittendi peccata minime interpretanda esse, dummodo ipsum *dogma* hujusmodi potestatis, ecclesiae divinitus concessae, non rejiciatur.

4° Decretum valet pro *quovis tempore;* occasio tamen illud ferendi fuit necessitas coercendi petulantia ingenia, quae concilii Tridentini temporibus S. Scripturam ad suos sensus contorquebant.[1])

IV. Quaenam in decreto Tridentino-Vaticano sit vis verborum: „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium". In concilio Vaticano unus ex Patribus ea verba tolli volebat, atque ita fere sententia ab eo exposita est: „Ecclesiam esse infallibilem interpretem revelationis totius, tum in Scripturis sacris tum in Traditione contentae; proinde eam jus habere judicandi de vero sensu Sacrae Scripturae non solum in rebus ad fidem et mores spectantibus, sed etiam in aliis, e. gr. historicis; secus liberam cuique dari ansam sanctissimum Dei verbum pro effreni lubitu explicandi, hac praesertim tempestate, in qua mythici, rationalistae, aliique totam ferme Scripturam ad fabulas amandant." Cui exceptioni V. Gasser, ex *Deputatione de fide*, coram omnibus

[1]) Cf. Th. Granderath, *Constit. dogm. S. O. C. Vaticani*, p. 51—54; id. *Gesch. des Vatik. Konzils*, B. II. (1903), p. 438—440.

Patribus congregatis reposuit: „Concedo quod Ecclesia jus habet non solummodo judicandi de vero sensu in rebus fidei, id est in dogmatibus, ut ita dicam, speculativis, et in rebus quae ad mores spectant; sed etiam in rebus quae ad historicam veritatem etc. pertinent. Inde vero non sequitur quod juxta auctorem reverendissimum hujus exceptionis sequi deberet; nam quod attinet istas interpretationes circa veritates historicas, dico, hujusmodi interpretationes aut non sunt contra dogma inspirationis sacrae Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, jam utique spectat ad res fidei, et proinde certe Ecclesia hac de re judicandi jus habet.“ [1]) Ita restrictio Tridentina: *in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium,* in decretum Vaticanum immutata transiit. De rebus autem extra hanc restrictionem Synodus tacuit. Patet autem *res fidei morum* et *res, quae narrantur,* per se non opponi, atque facta, velut Christi in cruce mortem, quod historica sint, formulae Vaticanae subtrahi non posse.

V. Adversariorum sententiae. 1° Novatores saeculi XVI., spreta interpretatione magisterii ecclesiastici, suum statuerunt principium: *sola et sufficiens Scriptura;* quae tamen methodus, invecta subjectivismi et individualismi licentia, ipsa se damnabat. 2° Hinc in praxi magisterium quoddam restituendum videbatur; visumque Calvino, „nullum esse nec melius nec certius remedium, quam si verorum episcoporum synodus conveniat, ubi controversum dogma excutiatur“. *Instit.* lib. IV. 9. 13. Verum interpretatio authentica et dogmatica a protestanticis synodis exspectanda non erat. 3° Saeculo XVIII. Semler, rationalismi biblici parens, interpretationem rationalisticam fundavit, quam Kant *moralem,* Paulus autem *psychologicam,* Strauss *mythicam* esse voluit. 4° Günther asserit textus

[1]) Coll. Lac. VII., 226, 240; Th. Granderath, *Constit. dogm. S. O. C. Vatic.* p. 56—58.

sensum, ab ecclesia definitum, non esse simpliciter verum, sed oportere illum ope philosophiae perfici. In nulla sententia *spiritus privatus* vere excutitur.

Thesis: *Ecclesiae est judicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturae.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex auctoritate eaque infallibili ecclesiae.* Authentica et dogmatica S. Scripturarum interpretatio non nisi ad illum pertinet, penes quem docendi infallibilis est auctoritas. Auctoritatem autem infallibilem non nisi in ecclesia Romana residere, alias vidimus. Ergo ecclesiae est, judicare de vero sensu S. Scripturarum.

Arg. II. *Ex indole S. Scripturae.* Liber, qui nobis obscurus est, auctoritatem aliquam postulat, quae ipsum interpretetur. Jam S. Scriptura hominibus multoties est obscura. Igitur authentico interpretatore opus est, quem praeter ecclesiam frustra quaeres. Prob. *min. a)* Ex verbis S. Scripturae. S. Petrus scribit, in Pauli epistolis esse *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* II. Petr. III. 16. Apostoli non nisi Christo interpretatore Scripturas intellexerunt, sicut scriptum est: *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Luc. XXIV. 45. Et vir Aethiops Philippo interroganti de Isaia propheta: *Putasne intelligis quae legis?* respondit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Act. VIII. 30—31.

b) Ex sublimitate doctrinae et profunditate mysteriorum, quae S. Scriptura continet. Namque in eo genere veritatum homines etiam sapientissimi sunt ad errorem procliviores.

c) Ex factis. Interpretatio enim S. Scripturarum, ecclesiae auctoritate exclusa, sectas haeresesque genuit quam plurimas, et ipsas Scripturas inter acatholicos ruina involvit.[1]) Verum illud Petri Werenfels, haeretici, de haereticis:

[1]) Id fatentur inter protestantes William Mallock, *Is life worth living*, ch. XII., cujus verba gallice reddita proferimus. „Voici, dans

Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua.

Plura videsis quaest. X. art. 3, ubi de judice controversiarum disputavimus.

Arg. III. *Ex traditione. a) S. Irenaeus* ait: „Hi enim — apud quos est ab Apostolis ecclesiae successio — Scripturas sine periculo nobis exponunt." *Adv. haer.* lib. IV. 26. *Origenes:* „Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione." *De princip.* praef. in libr. I. Itidem *Comm. in Matth.* cap. XLVI., ubi regulam eam privatis S. Scripturarum interpretationibus opponit. *S. Augustinus:* „Neque natae sunt haereses, . . . nisi dum Scripturae bonae intelligantur non bene . . . Itaque carissimi . . . hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod *secundum fidem*, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus,

---

ce livre," nous dit le protestantisme, „la parole de Dieu; voici le guide qui ne peut errer. Je n'entends nul autre que lui. Toutes les églises particulières ont varié et erré par là même, mais j'ai pour premier axiome que ce livre n'a jamais erré. C'est sur ce livre et sur ce livre seulement que je me repose, et c'est sur sa parole que vous me jugerez." Et pendant longtemps il y eut beaucoup de force dans ce langage, car cette maxime protestante était admise universellement. Il est vrai pourtant, comme nous l'avons déjà vu, qu'à défaut d'une interprétation faisant autorité, un testament dont le sens est souvent douteux ne saurait avoir beaucoup de force. Mais il a fallu du temps pour qu'on s'en aperçût; et tout le monde en attendant convenait qu'on avait bien là le testament et qu'en tout cas il signifiait quelque chose. A présent tout a changé. Le grand axiome protestant n'est plus reçu par le monde. Beaucoup y voient une absurdité au lieu d'un axiome, tout au plus le considère-t-on comme un fait très-douteux; et si l'on s'en rapporte à l'évidence extérieure, on exige plus de preuves pour se convaincre que la Bible est la parole de Dieu, que pour admettre que le protestantisme est la religion de la Bible." Item M. Müller, de Religionum conventu, habito in Chicago, sermonem instituens: „Man mag also noch so oft erklären, dass die Bibel die höchste Autorität für die Christen, der Veda für die Brahmanen, das Tripitaka für die Buddhisten, der Koran für die Mohammedaner sei, es bleibt immer die Schwierigkeit, nachdem das Orakel gesprochen, das Orakel auch zu interpretieren." In perid. *Deutsche Rundschau,* 1895, März, S. 423. — Alia *protestantium testimonia* apud Brouwer, *De fide divina,* p. 43.

tanquam de cibo gaudeamus." *In Joan.* tract. XVIII. 1. *Fidem* autem ecclesiae auctoritate definiri, firma est Augustini sententia. *Vincentius Lerinensis:* „multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea, secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur." *Common.* cap. II. Sed quoniam hoc, de quo agitur, cum doctrina catholica de ecclesiae magisterio ejusque in controversiis dirimendis auctoritate intime connexum est, nobis hic satis erit, ad quaest. X. remittere.

b) Idem ex ecclesiae praxi apparet. Quoties scilicet damnatae sunt haereses, privatae quoque Scripturarum interpretationes damnatae sunt, quibus haereses illae innitebantur.

Confirmatio. Protestantes complures docuerunt, S. Scripturam non humano spiritu, sed Spiritu sancto interpretandam esse; quae doctrina consonat S. Petro, ajenti: *omnis prophetia Scripturae propria interpretatione (ἰδίας ἐπιλύσεως) non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* II. Petr. I. 20—21. Porro S. Spiritum non nisi per ecclesiam authentice docere, ex eo clarum est, quod Christus *ecclesiae,* non privatis, *S. Spiritum* promisit *in aeternum.*

Quaeres, *quaenam regulae viro catholico observandae sint, ne a sensu, quem tenuit ac tenet ecclesia, deflectat.*

Resp. Quatuor regulae. *a)* Sensus, ab ecclesia sive directe sive indirecte, sive explicite sive implicite, authentice determinatus et declaratus, tenendus est. Ita post definitionem concilii Tridentini sess. XIV. nefas est negare verba Jac. V. 14—15.: „*Infirmatur quis in vobis,* etc. ad sacramentum extremae unctionis pertinere.

b) Sensus ecclesiae innotescit tum ex solemnibus definitionibus conciliorum oecumenicorum et Romanorum Pontificum, tum ex quotidiano ordinarioque ecclesiae, per orbem dispersae, magisterio et praxi. Qua de re Leo XIII.: „praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus

est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis novi Testamenti, aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio*, eâdem ipse ratione interpretetur." Encycl. *Provid. Deus.*

c) Juxta analogiam fidei catholicae Scripturas interpretari tenemur, etiamsi sensus loci alicujus ab ecclesia non explicite definitus sit. Juxta hanc autem analogiam, id est, ob carentiam cujusvis realis contradictionis in S. Scripturis, loci alicujus sensus cognoscitur 1° *negative*, 2° *positive. Negative*, quia nulla interpretatio potest esse vera, quae sit dogmati et generatim ecclesiae doctrinae contraria. Sic ex dogmate perpetuae virginitatis B. Mariae Virginis compertum habemus, voce *fratris* aut *sororis* in S. Scriptura non designari Christi fratres aut sorores proprie dictos. — *Positive*, quia doctrina ecclesiae Scripturae locos, ad hujusmodi doctrinam referendos, valde illustrat, uti doctrina de potestate concedendi indulgentias sensum apertiorem efficit Dominicae sententiae: *quodcumque ligaveris super terram*, etc. Matth. XVI. 19. Cave tamen regulam istam ita extendas, ut in nonnullis locis doctrina quaeratur, in Scripturis quidem, sed non in tali loco, aut certe non quantum ad omnes suas partes in tali loco proposita.

De hac regula Leo XIII.: „In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda: nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam rejiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur." *Provid. Deus.*

d) Consensus patrum unanimis quam firma Scripturas interpretandi regula sit, et quare, Leo XIII. in eadem de studiis Scripturae sacrae encyclica his exponit: „Ss. Patrum, quibus „post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit", summa

auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes; nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet."

Objectiones.

Obj. I. Verbum Dei sole splendidius est, non obscurum. Jam vero S. Scriptura verbum Dei est. Igitur interpretationis ecclesiasticae nulla necessitas.

Resp. Dist.: maj.: Verbum Dei sole splendidius est in se, *conc.;* quantum ad nos, *nego.* Cum Deus sit ipsa veritas et lux, Dei verbum in se solis instar splendescit. At S. Scriptura *hominibus* in locis non paucis obscura est; quam obscuritatem probat divisio sectarum maxima. Jure optimo S. Hieronymus: „Scripturae intelligentiam sine Dei gratia et doctrina majorum imperitissimi vel maxime sibi vindicant." *In Dan.* XI. 45. Item Augustinus haereses exortas docet, quod „Scripturae *bonae* intelligantur *non bene*". L. c. Unde S. Thomas: „Omnibus articulis fidei inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam *Ecclesiae intelligentis sane.*" II. II. 5. 3. ad 2.

Instabis. Cum Deus S. Scripturae auctor sit, Libros sacros, suo fini, qui est veritatis doctrina, respondere necesse est. At si Libri interpretatione indigeant, huic fini non respondent. Ergo supervacanea ecclesiae interpretatio.

Resp. Dist. maj.: Libri sacri fini suo respondent, modo divinitus statuto, *conc.;* quocunque modo, *nego.* Protestantes hac in re falluntur, quod ajunt: „Scriptura hominibus ad erudiendum data est." Ergo *sola* data est. Catholici vero ex insufficientia Scripturae *quoad spiritum privatum* inferunt, Christum cum Scriptura reliquisse nobis Scripturae interpretatricem ecclesiam. Quam deinde potestatem interpretandi illae quoque probationes egregie confirmant, quae plurimae afferri solent pro ecclesiae magisterio atque pro fundata in magisterio regula fidei proxima.

Obj. II. S. Augustinus docet, certo S. Scripturae loco

incertum aperiri posse. *De doctrina Christ.* lib. III. Ergo ecclesiae interpretatio superflua est.

Resp. Dist. antec.: S. Augustinus exponit regulam interpretationis exegeticae, *conc.;* excludit interpretationem authenticam, *nego.* Ecclesia regulas exegeticae prudentis non excludit, sed eas, cum Libros sacros authentice declarat, quodammodo supponit. Neque vero unquam Augustinus aut alius pater sua Scripturarum studia ab ecclesiae auctoritate sejunxit.

Instabis. Libros sacros legentibus saepenumero nullae ecclesiastici magisterii definitiones suppetunt. Igitur ecclesiastica interpretatio in praxi parum prodest.

Resp. Dist. antec: in plurimis Scripturae locis non suppetunt ecclesiasticae definitiones solemnes, *conc.*; ordinariae, *nego.* Responsio ex idea catholica ecclesiae nullo negotio intelligitur. Operatur enim S. Spiritus tum in conciliis Romanisque Pontificibus solemniter definientibus, tum in vita quotidiana totius ecclesiae, atque verus Scripturarum intellectus in rebus fidei ac morum ex fide illa dirigitur, quam in praedicatione quotidiana, in Sacramentorum administratione, in cultu, in doctrina sanctorum doctorum, in tota denique vita sua supernaturali ecclesia profiteri non desinit. Supremi magisterii auctoritas omnia moderatur: errores exsurgentes, si opus sit, decretis solemnibus compescit.

Obj. III. Admissa pro Scripturis intelligendis interpretatione ecclesiae, studia biblica jacent. Ergo regula catholica interpretandi noxia est.

Resp. Nego antec. Etenim catholicorum omnium maxime interest, florere exegetica studia. *a)* Nam illi loci, quos ecclesia exposuit, possunt scientifice illustrari; *b)* exponenda sunt, quae nondum fuerunt authentice exposita; *c)* verus Scripturarum sensus adversus errores defendere necesse est. Quapropter Tridentini patres, sess. V. de promovendis in ecclesiis, monasteriis et gymnasiis Scripturarum studiis decretum ediderunt. Neque Pallavicinus inepte dixit, interpreti „amplissimum patere campum ad ingenium exercendum in Scripturae commentationibus, tametsi in fidei

morumque quaestionibus nefas sit, eas deserere interpretationes, quas universa Patrum cohors complexa est". *Hist. conc. Trid. lib.* VI. 18. Verum, si alterutro carere opus esset, mallemus *studiis* biblicis quam biblica *veritate* carere.

Articulus III.

De interpretatione privata.

I. Status quaestionis. Comperto, quaenam tuta interpretationis authenticae haberi debeat regula, nunc illa interpretatio, quae non spiritu privato, sed a privato doctore fiat, qualis vera sit, videamus. Interpretationis enim lex illa Tridentino-Vaticana pervestigationem scientiae biblicae non retardat, sed eam plurimum ad veram adjuvat progressionem. „Nam privato — ait Leo XIII. — cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, judicium Ecclesiae maturetur; in locis vero jam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis." *Prov. Deus.* Est igitur studio *privatorum* locus; quod multum differt ab interpretatione, quam *principium spiritus privati* regit, dicam principium dissidiorum in ipsa fide, a quo recedendum esse idem Pontifex in encycl. *De unitate Ecclesiae* commonuit. Quare hoc semper in tuto collocandum: Deum non privato doctorum judicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse.

II. Regulae generales aliquae de interpretatione privata. Quibus praesidiis ad defensionem S. Scripturarum nituntur, eadem et ad interpretandum plurimum valent, uti studium linguarum veterum Orientalium et ars critica. Verum specialia praecepta ex *Actis* Leonis XIII. hic colligere habeo.

1° Sanctorum Patrum tunc etiam interpres vestigia

reverenter persequatur et laboribus fruatur intelligenti delectu, quum in explicando testimonium aliquod biblicum, de re fidei morumve doctrina munere doctorum quasi privatim funguntur.

2° Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi justa caussa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere.

3° Caveat interpres ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti.

4° Nimium dedecet, egregiis operibus, quae catholici abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptare.

5° Licet heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, juvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri. Cf. Encycl. *Provid. Deus* et *Litt. apost.* 30. Oct. 1902.

III. De interpretatione Scripturae sacrae in rebus ad scientias physicas seu naturales pertinentibus. Multos diu occlusit opinio, sacrorum Librorum veracitatem periclitari, si quis textum aliquem de rerum natura largius interpretaretur, quasi Spiritus Dei intimam adspectabilium rerum constitutionem homines his locis docere noluisset. Reverentia fidei fuerit; fuerit cogitandi consuetudo, prout Aquinas docet: „Ea quae sunt consueta libenter audiuntur, et facilius recipiuntur, *Metaph.* II. 5.; causas non quaero. Unum constat, S. Augustinum et S. Thomam serio monuisse, ne fideles in hos scopulos inciderent. Leo XIII. eadem de re principia sapientiae Christianae declaravit.

1° Considerandum est „scriptores sacros, seu verius „Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura“;[1]) quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) „ea secutus est, quae sensibiliter apparent“,[2]) seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more.“ Leo XIII., *Prov. Deus.*

2° „Non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper judicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque „in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis“, ut est S. Thomae sententia.“[3]) *Prov. Deus.*

3° Aquinas Joanni de Vercellis, magistro generalis Ordinis Praedicatorum, cum hic plura etiam ad philosophiam naturalem pertinentia Thomae exponenda misisset, initio hanc exponendi legem esse respondit. Primo S. Augustini profert sententiam, ajentis: „Turpe est nimis et perniciosum, ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum christianas litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens risum tenere vix possit. Et non

[1]) S. Aug. *De Gen. ad litt.* II. 9. 20.
[2]) Summa theol. I. 70. 1. ad 3.
[3]) In II. Sent. 2. q. 1. art. 3.

tam molestum est quod errans homo videatur; sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur; et cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur, atque respuuntur.“ [1]) — Tum Aquinas: „Unde mihi videtur tutius esse ut haec quae philosophi communius senserunt, et nostrae fidei non repugnant, neque sic esse asserenda ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine philosophorum introducantur; neque sic esse neganda tamquam fidei contraria; ne sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei, occasio praebeatur.“ [2])

4° Leo XIII. sapientissimam quoque patientiae legem commendans: „Neque ideo — inquit — cessandum, si qua in contrarium species etiam tum (post labores multos) resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse: neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia.“ *Prov. Deus.*

IV. De interpretatione in rebus historicis. In encyclica *Providentissimus Deus* Pontifex traditis quibusdam regulis de Scripturarum interpretatione quantum ad res physicas, mox subdit: „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, juvabit transferri.“ De vero horum verborum sensu disputatur, atque inter alia de hoc, utrum, servata proportione de historicis etiam Pontifex adhiberi sententiam voluerit, quam ex Aquinate de physicis protulit, videlicet scriptorem sacrum ea secutum esse, „quae sensibiliter apparent“. P. Mannens statum controversiae ita describit: „Quod omnes admittunt pro rebus scientificis, quidam etiam applicant rebus *historicis*, in quibus dicunt S. Scripturam saepe adhibere modum narrandi tunc temporis usurpatum. Huc referunt verba S. Hieronymi (in Jeremiam XXVIII., 10.): „Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur *juxta opinionem illius temporis*

[1]) Super Gen. ad litt. I. 19.
[2]) S. Thom. Opusc. IX (X).

quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas habebat. Cum igitur, ajunt, Dei scopus in Scripturis non semper sit tradere historiam secundum exigentiam scientiae criticae, exspectari non potest, ut narratio biblica complete respondeat exigentiis scientiae severe historicae, adeoque in his non est quaerenda veritas absoluta sed tantum relativa. Ita e. g. *de Smedt*, principes de la critique historique, p. 56."[1])

Nostrum non est sententiam ferre. Tantummodo regulas aliquas de interpretatione rerum historicarum in S. Scripturis exponam.

1° Duo constant: Scriptura tota divino afflatu conscripta est; nihil in ea continetur falsi.

2° Qui scire desiderat, quid pro certo sacer scriptor affirmare voluerit, ante omnia Libri aut loci, de quo agitur, indolem litterariam consideret. Nam Hebraeorum, ut aliarum gentium, litteraria genera varia. Sua autem cuique generi veritas propria, nec aliam quam illam propriam in locis quibuslibet postulamus. Alia veritas in libris, strictiori sensu historicis, alia in historia poetice amplificata, e. g. in libro Job.[2]) Quamobrem quotiescunque aliqua S. Scripturarum narratio non tanquam vere historica habetur, non statim falsum in S. Scripturis admitti dicendum

---

[1]) P. Mannens, *Theol. fundam.* (1901), p. 201—202. — Inter eos, qui regulam Encyclicae de scientificis a Pontifice ad historiam, servatis servandis, translatam esse credunt, habentur Fr. v. Hummelauer, *Exegetisches zur Inspirationsfrage* (1904), S. 50—55; N. Peters, *Die grundsätzliche Stellung der kath. Kirche zur Bibelforschung* (1905), S. 48—50; P. Schanz, *Bibl. Zeitschrift*, 1905, S. 71 et *Apol. des Christentums* (1905), p. 656; Sydney F. Smith in period. *The Month*, 1905, Jan. p. 58—60; M. J. Lagrange et alii. — Cf. R. Cornely, Introd. in U. T. L. Sacros, t. I. (1885), p. 582—583. — Contra scripserunt A. J. Delattre, *Autour de la Question biblique*, 1904; J. Göttsberger, *Bibl. Zeitschrift*, 1905, p. 245; L. Murillo, L. Fonck, Chr. Pesch et alii.

[2]) Jos. Brucker in period. *Etudes*, 1906, 5. Janv. p. 112 de hac regula ait: „aucun exégète sérieux ne l'a ignoré, et, de tout temps, on a indiqué, parmi les circonstances dont il fallait tenir compte pour mesurer la portée d'une affirmation de la Bible, le genre littéraire du livre et du morceau où elle se présente."

est. Zanecchia summam hujus rei, quae in magna varietate casuum particularium sine magno labore non perficitur, his complexus est: „Ut igitur concludamus, narrationes biblicae neque omnes historicam veritatem habent, neque omnes historica veritate destitutae sunt, et quamplures ex eis inveniuntur in quibus fundamentum designat veridicum atque historicum factum, forma vero et circumstantiae quibus traditur ex poetica arte proveniunt. Similiter omnes biblicae assertiones veritatem continent, haec tamen neque semper absoluta est, neque ubique relativa manet, sed in aliquibus absoluta est et in aliis relativa. Vera itaque intelligentia Scripturae maximam eruditionem requirit, ubi vero haec non sufficit exspectandum est judicium Ecclesiae, cujus est judicare de vero sensu ac interpretatione Scripturarum.“ [1])

2° In casibus particularibus ex ipso textu et contextu aut ex adjunctis eruendum est, quaenam in narratione sive ad sensum sive secundum mysterium allegoriae, parabolae aut metaphorice intelligenda videantur. Ita Marc. VI. 8.: *Et praecepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*, et Luc. IX. 3.: *Nihil tuleritis in via, neque virgam*, creduntur dicta magis secundum sensum. De successione factorum, v. g. tentationum Domini apud Mattheum et Lucam, simile quid valere putatur.

S. Thomas *Genesin* de creatione exponens duo distinguit: *substantiam fidei*, „scilicet mundum incepisse creatum;“ *modum et ordinem, quo mundus factus est*, et hoc „non pertinet ad fidem nisi per accidens, inquantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt. Una sententia eorum est, qui ponunt *ordinem temporis* in distinctione rerum servatum. Augustini autem sententia haec est: *Moyses* rudem populum de creatione mundi instruens *per partes divisit* quae simul facta sunt.“ Aquinas fatetur, priorem sententiam communiorem esse viderique magis consonam litterae quantum

[1]) D. Zanecchia, *Scriptor sacer sub divina inspiratione* (1903), p. 90—91.

ad superficiem. Veruntamen Augustini positionem pluris facit, inquiens: „est rationabilior, et magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendens: quod valde observandum docet Augustinus super Gen. ad litt., libro I. cap. 19., ut sic Scripturae exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur; et haec opinio plus mihi placet.“ *II. Sent.* 12. q. 1. art. 2. Cf. *De potentia* IV. 2. et de creatione hominis S. Aug. *De gen. ad litt.* VI. 11—12.

In *Summa theol.* II. II. 164. 2. ad 5. textus *Gen.* III. 31.: *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium,* ita explicatur, ut *flammeus gladius* significet „vehementiam aestus in locis intermediis ex propinquitate solis“; *Cherubim* adjungi dicuntur, „quia motus corporalis creaturae disponitur ministerio angelorum.“

3° De narrationibus specietenus tantum historicis in S. Scripturae Libris, qui pro historicis habentur, *Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis,* proposito sequenti dubio die 23. Junii 1905 respondendum censuit prout sequitur. *Dubium.* Utrum admitti possit tanquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae Libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae pro se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?

Resp.: Negative, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante, ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.“ [1])

V. De iis, quae dicuntur citationes tacitae vel implicitae. Omnium judicio scriptores sacri documenta quoque ab auctore sacro non conscripta citant, velut illud relatum *II. Machab.* I.; nec tamen sic relata semper pro-

[1]) Cf. Rev. Bibl. 1905, Juillet.

bant aut sua faciunt, uti patet *I. Mach.* XII. ex illa, quam Jonathas Spartiatis scripsit epistola. Ecce citationes explicitae. At de tacitis et *implicitis* disceptatur, seu de iis casibus, in quibus scriptor sacer auctoris non sacri sententiam refert, sed eam a se referri, affirmari, addubitari aut negari verbis non exprimit.[1]) Exemplum omnibus cognitum est illud II. *Paralip.* V. 9.: *Fuit itaque arca ibi usque in praesentem diem.* Nam tempore ipsius Esdrae arca non erat in templo. Sed ibi erat eo die, quo haec *scripsit ille qui Diaria seu Chronica Regum Juda conscripsit,* ex quibus hos Libros Paralipomenon conscripsit et concinnavit Esdras.[2]) Ita hanc enantiophaniam tanquam citationem implicitam cum Corn. a Lapide plerique solvunt commentatores catholici.

De citatione implicita *Commissio Pontificia de re biblica* die 13. Febr. 1905 sequentem quaestionem et responsum publici juris fecit.

„Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae Catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cujus adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?"

Praedicta Commissio respondendum censuit:

„Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac judicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1° Hagiographum

[1]) Cf. F. Prat, *La Bible et l'Histoire* (1904). Contra Prat et alios S. Schiffini, *Divinitas Scripturarum adv. hodiernas novitates asserta et vindicata* (1905), de quo J. Brucker, qui nec ipse scholam largiorem exegeticam sequitur, haec: „Je dois dire que le P. Schiffini appelle implicites les citations dont rien ne nous avertirait dans le texte sacré. Il y avait ici quelques distinctions à faire. En réalité, ce n'est pas une citation implicite, que celle qui n'est indiquée d'aucune façon; la citation implicite est celle qui se décèle par quelque indice, non explicite, mais impliqué, enveloppé logiquement dans les indications explicites du texte et du contexte. . . . Et notre collaborateur M. F. Prat, pris à partie pour ce sujet, n'a entendu sous le nom de citations implicites que des citations de ce dernier genre." *Études,* 1906, 5. Janv. p. 105.

[2]) Haec apud Corn. a Lapide, *In II. Paral.* V. 9.

alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem non probare nec sua facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui.“ [1])

VI. De progressu scientiae interpretationis. Concursus multorum, qui S. Scripturas reverentur, ad floridum statum hujus scientiae plurimum efficit. Praesertim quoniam catholicorum studium iis, quae authentice ab ecclesia tam generatim quam de textibus determinatis declarata sunt aut declaranda, quasi stellis tutissimis valde adjuvatur. Veterum autem laboribus nihil addere atque socordia mentes torpescere nefas. Tres rationes affero. Nam primo amplius investigare cogit exemplum majorum, maxime S. Augustini et doctoris Angelici, qui inter magnos labores cursus ingeniorum secuti disciplinarum, quae ad interpretandum Dei verbum pertinent, magistri coaevis suis fuerunt. Deinde non quiescunt humana ingenia oboriunturque quavis aetate quaestiones novae; cujus rei testis est multitudo inventorum tam in rebus physicis tum in historicis, unde saepe hac aetate nostra orditur adversus Libros sacros concertatio. Denique ut multi in Scripturarum studiis progressus faciant, Leo XIII. pluries stimulos viris doctissimis admovit. Ita in *Litt. apost.* diei 30. Oct. 1902 viros, ex quibus Consilium studiis S. Scripturae provehendis constituitur, haec hortatur: „Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria invenerit novi: quin imo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent.“ De Seminariis autem atque Academiis: „Integre feliciterque vigeant (studia Scripturae), moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum laudatamque majorum consuetudinem; atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quae vere sint in

[1]) Cf. Rev. Bibl. 1905, Avril.

praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem." Encycl. *Prov. Deus.*[1])

Articulus IV.

De lectione S. Scripturae.

I. Prudens lectio Librorum sacrorum per se utilissima est. Ex ipso conceptu Libri divini consensuque omnium sanctorum patrum apparet, legere verbum Dei scriptum meditarique per se confirmandae vitae Christianae peraptum esse. Maxima lectionis istius bona S. Augustinus, *De util. credendi* XIII. exponit his verbis: „Quidquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum et divinum est: inest omnino veritas, et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina; et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat." Atque Angelicus: „Effectus hujus Scripturae est duplex: scilicet quia docet cognoscere veritatem, et suadet operari justitiam . . . Est enim ratio speculativa, et est etiam ratio practica. Et in utroque sunt duo necessaria: scilicet quod veritatem cognoscat, et errorem refellat . . . Sic ergo quadruplex est effectus sacrae Scripturae: scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculativam; eripere a malo, et inducere ad bonum, quantum ad practicam. Ultimus ejus effectus est, ut perducat homines ad perfectum." *In II. Tim.* III. lect. 3. Et hoc est illud Pauli, supra adscriptum; *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

II. Ecclesia catholica merito negat, Librorum sacrorum lectionem omnibus indiscriminatim fidelibus necessariam esse. Quod sane plurima probant. Etenim 1° S. Scripturae lectio nulla Christi lege, praecepto

[1]) De intellectu vero nonnullorum textuum cf. Bainvel, *Les contresens bibliques*, 1895, et C. van Ongeval, *Over Schriftuuraanhaling*, 1903.

nullo patrum fidelibus omnibus praescribitur. 2° Nusquam patet, Libros sacros esse natura sua ejusmodi, uti omnes eos legere teneantur. Quin imo tum codices ante inventam artem typographicam, hoc est, quatuordecim saeculis, tum scientia sufficiens sive legendi sive intelligendi plurimis quovis tempore defuerunt. 3° S. Scripturarum doctrina plurimis aliis modis, v. g. ecclesiae magisterio et praedicatione populis proponitur. Neque minima ratiuncula probatur, Scripturam esse unicam aut proximam regulam fidei. 4° Veteres, etsi Scripturas non minus laudarunt ac venerati sunt quam hodierna ecclesia, necessitatem illam rejiciunt. „Fides tua — ait Tertullianus — te salvum fecit: non exercitatio Scripturarum. Fides in regula (= in Symbolo) posita est.“ *De praescr.* cap. XIV.; cf. cap. XIII. S. Augustinus: „Homo fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.“ *De doctr. Christ.* lib. I. 29. 5° Promiscua illa lectio S. Scripturarum a Novatoribus non propugnata est nisi ob errorem fundamentalem, quem saepius confutavimus, videlicet: *Sola Scriptura;* quem quidem errorem Lutherus exaggeravit, cum diceret: „Sacra Scriptura per se certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans et illuminans est.“ *Assert. artic. a Leone X. damn.* Praef.

Quae cum ita sint, apparet, quam jure meritoque a Clemente XI. damnatae sint prop. 79—85. Quesnellii, inter quas prop. 81.: „Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione;“ et prop. 85.: „Interdicere christianis lectionem S. Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.“ Bulla *Unigenitus,* 8. Sept. 1713. Item prop. 67. Pistojensium, qua perhibetur „a lectione Sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare“, a Pio VI. proscripta est tanquam falsa, temeraria. *Auctorem fidei.*

III. Penes ecclesiam potestas est lectionem Scripturae promiscuam pro temporum locorum-

que adjunctis restringere. Hoc assertum non est de abolenda prorsus Scripturarum sanctarum lectione, sed de restringenda. Et 1° negari certe non potest, quin Deus res spirituales, salvis Christi praeceptis, ecclesiae moderandas commiserit; quod quidem alibi fusius explanatum est. Atqui lectio S. Scripturarum res spiritualis est, cujus usus nullo Christi praecepto fidelibus indiscriminatim praescribitur. Ita penes ecclesiam potestas est lectionem illam moderandi ac restringendi. — 2° Ad ecclesiam pertinet, sanctarum rerum usum tueri, abusum tollere. Atqui incidunt tempora, cum homines non pauci lectione Scripturarum abutuntur. Ergo ecclesia lectionem commemoratam optimo jure potest restringere. Prob. *minor*. Saeculo XVI. *spiritus privatus* non aliquot Scripturae locos, prout in primordiis ecclesiae Arius textus de Christi divinitate corruperat, sed *totam* Scripturam invasit. Praeterea furore disputandi grassante, Libri sacri non tam fidei et caritatis materies erant quam jurgiorum et divisionis. — 3° Ecclesia sua hac in re potestate usa est. A concilio Tolosano (1229) can. XIV. statuitur: „Prohibemus etiam, ne libros V. T. aut N. laici permittantur habere, nisi forte Psalterium vel Breviarium . . . Sed, ne praemissos libros habeant in vulgari translatos, omnino prohibemus.“ Cf. et synodum Tarragonensem anni 1233 ac Oxoniensem anni 1408. Pius IV. per bullam *Dominici gregis*, datam die 24. Martii 1564, appobavit regulam IV. indicis librorum prohibitorum, his verbis concinnatam: „Quum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi, vel confessarii, bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse“, etc. Clemens VIII. facultatem hujusmodi lectionis concedendae ad Indicis congregationem revocavit. S. Congregatio Indicis die 13. Junii 1757 decrevit: „Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab

Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur." In *Monito* ejusdem Congregationis 7. Januarii 1836 haec habentur: „Censuit eadem Sacra Congregatio, revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt, vernaculas nimirum Bibliorum versiones non esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris: iis praeterea omnino insistendum, quae per regulam quartam Indicis, et deinceps ex mandato S. M. Clementis VIII., in eam causam praestituta sunt." — 4° Non unus de acatholicis catholicam illam legendi temperationem approbavit et laudavit. Nominentur ex schismaticis concilium Hierosolymitanum, anno 1672 praeside Dositheo, patriarcha Hieros., habitum; ex protestantibus Millner, O'Callaghan, Delbrück, Leo et implicite saltem omnes quotquot abusum lectionis Scripturarum in suis sectis conqueruntur. Ita celeber Walton: „Aristarchus olim vix septem sapientes in Graecia inveniri potuit, et apud nos (ut verbis utar viri docti) vix totidem idiotas est reperire; omnes enim sunt doctores, omnes coelitus instructi. Nullus est ex vilissima faece plebis fanaticus aut agyrta, qui non somnia sua pro verbo Dei venditet. Apertus enim videtur puteus abyssi, ex quo ascendit fumus, qui coelum et stellas obscuravit." Praef. *in Polyglotta.* Quam licentiam cavit ecclesia, Dominicae sententiae non immemor: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Matth. VII. 6.

IV. Ecclesia societates biblicas optimo jure damnavit. 1° Exeunte saeculo XVII. in Anglia societates biblicae institui coeptae sunt, quae sibi proposuerunt Biblia disseminare ubique et inter omnes. Biblia copiosissime sparsit societas, quae vocatur *The British and Foreign Bible society*, seu Societas biblica pro Britannis et exteris, instituta Londini die 7. Martii 1804. Subsecuta est ejusmodi societatum multitudo ingens. Bibliorum editionibus, versionibus, missionibus ardenter curatum est, ut sua omnes gentes

Biblia haberent. Plus 150,000,000 exemplaria Bibliorum totorum aut partialium hoc saeculo XIX. per utrumque hemisphaerium sparsa; societatum autem biblicarum amplius decem millia esse, arbitrantur.

2° Initio unus alterve catholicus, velut Wittmann († 1833), a societatibus biblicis non abhorrebat. Verum Roma locuta est, atque Pontifices Romani societates illas saepe gravissimisque verborum formulis reprobarunt: Pius VII. die 29. Junii 1816 et die 3. Septembris ejusdem anni; Leo XII., Encycl. *Ubi primum,* 5. Maji 1824; Pius VIII., Encycl. *Traditi humilitati,* 24. Maji 1829; Gregorius XVI., Encycl. *Inter praecipuas machinationes,* die 8. Maji 1844; Pius IX., cf. Syll. § IV.

3° Societates biblicae Christi institutis adversantur *a)* in suo principio; *b)* in suis mediis; *c)* in suo fine; *d)* in suis effectibus. Ergo ecclesia optimo jure eas reprobavit. Prob. *antec.*

a) Principium fundamentale societatum biblicarum est: *sola et sufficiens Scriptura;* hinc enim est, ut societates Anglicae vellent editiones sine notis ac commentariis; hinc etiam illud: *Sola Scriptura, Scriptura tota; The Bible alone, the entire Bible.* Istud autem principium magisterio, divinitus in ecclesia constituto, penitus adversatur.

b) Medium est distributio exemplarium S. Librorum absque ulla prudentia et cautela. Conficiuntur enim versiones a membris omnium sectarum, cum maximo periculo corruptionis textus; in omnibus linguis, cum maximo periculo absurditatis, quandoquidem saepe peritia sufficiens linguarum et generatim auctoritatis cujuslibet directio et vigilantia desiderantur; denique Biblia cuique hominum generi inepte distribuuntur.

c) Finis societatum biblicarum, saltem partialis, est, ut Scripturarum lectio magisterio ecclesiae catholicae opponatur; quin imo ut ipsum nomen catholicum, quoad ejus fieri potest, deleatur.

d) Effectus sunt textus corruptio, crescens hominum in fide divisio, S. Scripturarum profanatio, infidelium a verbo praedicationis aversio. Cf. Marshall, *Les missions chrétiennes;*

Wiseman, *Lectures on the principal doctrines and practices of the cath. church*, lect. VI.; Malou, *La lecture de la Sainte Bible en langue vulgaire.*

V. Ecclesia lectionem Scripturarum bene ordinatam commendat. Nimirum 1° lectio in linguis Latina, Graeca, Hebraica nusquam prohibetur. 2° Lectio in lingua vulgari sub debitis conditionibus conceditur. 3° Partes selectae S. Sripturarum in omnibus ecclesiis diebus dominicis et festivis leguntur. 4° Historiis biblicis aliisque id genus mediis datur opera, ut fideles S. Scripturarum summam doceantur. 5° Scientia Scripturarum in mente doctorum, quos ecclesia etiam media aetate maximopere coluit, tam altas fixit radices, nullo ut tempore Librorum sacrorum eruditione doctores illi, sicut S. Thomas Aquinas, superati sint. 6° Ab inventione typographiae usque in hodiernum diem plurimae prodierunt Scripturarum sanctarum editiones in plurimis linguis vernaculis; ex quibus editionibus complures, sive totales sive partiales, Lutheri defectione sunt antiquiores. 7° Pius VI. anno 1775 ad ill. dom. Martini, archiepiscopum Florentinum, qui Biblia italice reddiderat, litteras dedit tenoris sequentis: „In tanta librorum colluvie qui catholicam religionem teterrime oppugnant et tanta cum animarum pernicie per manus etiam imperitorum circumferuntur, optime sentis si Christi fideles ad lectionem divinarum litterarum magnopere excitandos existimas. Illi enim sunt fontes uberrimi qui cuique patere debent ad hauriendam et morum et doctrinae sanctitatem, depulsis erroribus qui his corruptis temporibus late disseminantur. Quod a te opportune factum affirmo, cum easdem divinas litteras ad captum cujusque vernaculo sermone redditas in lucem emisisti, praesertim cum profitearis et prae te feras eas addidisse animadversiones, quae a sanctissimis Patribus repetitae quodvis abusus periculum amoveant.“ Cf. Conc. Trid. sess. V. *Decr. de reform.* I—II.; Leon. XIII. encycl. *Prov. Deus.*[1])

[1]) Plura apud J. L. Colmar, *Predigten über das Lesen der Hl. Schrift* (ed. J. Selbst, 1902); H. Höpfl, *Das Buch der Bücher* (1904),

Quaestio XIX.

De Traditione.

Ad finem suum supernaturalem, qui est visio Dei supernaturalis, „homo pertingere non potest nisi *per modum addiscentis a Deo doctore*, secundum illud Joan. 6. 45.: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.*“ S. Thom. II. II. 2. 3. Deus autem, cujus gratia nos intus movet, in fidei veritate proponenda ecclesiae magisterium adhibet; de qua quidem re saepius diximus. Hinc conclusum est, ecclesiam esse fidei regulam proximam. Haurit tamen ecclesia doctrinam suam ex *duplici fonte, S. Scriptura* et *Traditione divina*, duabus *fidei regulis* quantum ad nos *remotis*. — De Traditione, quae est locus theologicus quintus, hic agemus. Ita quaeritur:

Primo. *Utrum traditiones divinae exsistant. Ex S. Scriptura.*

Secundo. *Utrum exsistentia traditionum divinarum veterum testimonio comprobetur.*

Tertio. *Utrum traditiones divinae infallibiliter ad nos usque pervenire potuerint.*

Quarto. *De regulis discernendi traditiones.*

Quinto. *De traditione et evolutione doctrinae Christianae.*

Articulus I.

Utrum traditiones divinae exsistant. Ex S. Scriptura.

I. Definitio traditionis. Omissis aliis vocabuli significationibus, traditionem hic intelligimus transmissionem veritatum, ad fidem et mores pertinentium, factam a Deo extra S. Scripturam. Haec transmissio considerari potest

---

p. 204—254; H. v. Noit, *Über Bibelkenntnis und Bibellesen* (1896); F. Falk, *Die Bibel am Ausgange des Mittelalters.*

1° in primo transmittente, qui est Christus aut Spiritus sanctus; quare Angelicus: „Apostoli, — inquit — familiari instinctu Spiritus Sancti, quaedam ecclesiis tradiderunt servanda quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium sunt ordinata.“ III. 25. 3. ad 4. 2° In modo transmittendi, qui est *non* per Scripturam aliquam inspiratam, sed *sola* viva voce. 3° In ipsa re transmissa seu in materia objectoque traditionis, quemadmodum beatus Paulus fideles exhortatur his verbis: *„Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.“* II. Thess. II. 14. 4° In ipsa re transmissa complexe, hoc est, conjuncta cum primo transmittente ac transmittendi modo. In praesentiarum traditio sub quarto illo respectu consideranda est, eique competit definitio: *traditio est doctrina revelata, S. Scripturis non consignata, sed a Christo oretenus ecclesiae transmissa.*

II. Explicatur definitio. Traditio vocatur 1° *doctrina revelata,* hoc est, res ad fidem aut mores pertinens et ab ipso Deo hominibus manifestata, v. g. talem Librum sacrum esse divinitus inspiratum; ex quo colligitur, hujusmodi traditionibus eandem fidem deberi ac veritatibus, quae in verbo Dei scripto continentur. 2° Additur: *S. Scripturis non consignata;* quibus verbis ipsamet res, de qua agitur, adversus protestantes determinatur. Protestantes enim bene multi traditionem *inhaesivam* et *declarativam* profitentur, sed *distinctam* rejiciunt. Traditionem scilicet *inhaesivam* vocant, quae dogmata, in Libris sanctis perspicue expressa, continet; *declarativam,* quae dogmata eadem, sed modo magis perspicuo quam in Scriptura sunt, complectitur. Nos traditionem quoque *distinctam* tuemur, id est, doctrinam divinam, S. Scripturis non consignatam, quae *in se* et independenter a S. Litteris *pari pietatis affectu ac reverentia* suscipienda est atque dogmata illa, de quibus verbum Dei scriptum mentionem habet. 3° Diximus: *„sacris* Scripturis non consignata“; doctrinam enim, a Christo oretenus traditam, scriptione aliqua, *a S. Scripturis diversa,* puta sanctorum patrum operibus, conservari et propagari, nihil vetat. 4° Sequitur: *„a Christo oretenus* ecclesiae transmissa“; — *a Christo,* sive

traditiones immediate „ipsius *Christi ore* ab apostolis acceptae", sive „ab apostolis, *Spiritu sancto dictante*, quasi per manus traditae" sunt. *Conc. Trid.* sess. IV. 5° Denique: „*ecclesiae* transmissa", hoc est, apostolis, ut Evangelii *praeconibus;* agitur enim de iis traditionibus, quas apostoli divinitus acceptas, tanquam res ad fidei morumve depositum pertinentes, universali ecclesiae reliquerunt.

III. Divisio traditionis tum generice tum sensu restricto acceptae. 1° Traditio generice sumpta dividitur *a)* in *distinctam* seu *constitutivam*; *declarativam* seu *hermeneuticam*, et *inhaesivam;* quorum terminorum significatio ex modo dictis apparet. *b)* Traditio est *scripta*, *oralis* et *practica*, prout translatio scriptis, viva voce, praxi fit. *c) Divina*, *mere apostolica*, *ecclesiastica*, prout res tradita a Deo est, aut ab apostolis, sua, non divina, praecepta tradentibus, aut ab apostolorum successoribus. *d) Dogmatica* et *disciplinaris*. Aliae divisiones sunt: *praeceptiva* et *consiliaria; perpetua* et *temporalis*; *universalis* et *particularis*.

2° Traditio, strictius accepta, in *divinam* et *divino-apostolicam* distribuitur; *divinam* vocamus, quae ipsius Christi ore tradita est; *divino-apostolica* dicitur, quam apostoli, S. Spiritu dictante, ut veritatis Christianae praecones tradiderunt. Hoc loco animadvertendum est, traditiones divinas seu divino-apostolicas ab aliquibus *apostolicas* appellari (cf. Can. *De loc. theol.* lib. III.); ab aliis vero illae traditiones apostolicae vocantur, quas apostoli non ut doctores et praecones *veritatis Christianae*, sed sua usi potestate *legislativa* constituerunt. Nobis disserendum est de traditione *divina*, quo vocabulo et traditiones divino-apostolicas complectimur.

IV. Decretum Tridentinum. Synodus Tridentina, perspiciens salutarem veritatem et morum disciplinam „contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris, quam Novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam

vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, et veneratur . . . Si quis autem . . . traditiones praedictas sciens, et prudens contempserit; anathema sit". Sess. IV; cf. Conc. Vatic. *Constit. de fide*, cap. II.

V. Adversarii. Traditionis speciem aliquam admitti posse, non negatur ab acatholis.[1]) Quin imo ipsa duce aliquatenus uti, inter moderniores etiam protestantes nonnulli doctores permittunt, Kant, Pfleiderer, Harnack. Sed traditio divina, quae *distincta* aut saltem *independenter*, a verbo scripto credi debeat, ab haereticis respui consuevit. Tessera erat: „quod non legimus, nefas credamus". Ita de Pelagianis, S. Aug. *De nat. et gratia*, cap. XXXIX.; de Arianis, S. Athan. *De syn.* § 13. et de Eutych., conc. Chalc. *Act. I.* testantur. Luthero autem ac Calvino nihil majori curae fuit, quam adversus auctoritatem Summi Pontificis asserere: *sola et sufficiens Scriptura;* principium, ex erroribus multis genitum atque plures etiam gignens errores. Ita solum verbum Dei scriptum *conderet articulos fidei.* Cf. Art. Smalcald. Recentiores protestantes, uti Palmer et Hase hac in re antecessoribus plerumque non sunt dispares; Biblia tanquam *scutum et gladium* a Luthero protestantibus data pro certo affirmant.[2]) Traditionis tamen cujusdam divinae praxin talem servarunt, ut moderni, v. g. Harnack, *Dogmengesch.* III. et A. Sabatier, *Les religions d'autorité*, fideliores reformatorum sequaces traditioni huic nimis inhaerere querantur.

Primo loco ex ipsis Scripturis monstrandum est, veritates nonnullas a doctrina, S. Litteris consignata, *distinctas* fide divina esse credendas.

Thesis: *S. Scriptura docet exsistentiam traditionum divinarum.*

---

[1]) Valde ad traditionem catholicam accedit A. C. Headlem, *The sources and authority of dogmatic theology*, 1903.

[2]) Cf. Hase, *Enchir.* lib. I. 5.

Argumenta.

Arg. I. *Ex textibus S. Scripturae. a)* S. Paulus ad Timotheum scribit: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu: et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* II. Tim. II. 1—2. Atqui verbis istis indicatur 1° doctrina, non scriptis, sed viva voce tradita; 2° viva voce servanda. Ergo. Prob. *min.* 1° ex verbis: „quae *audisti* a me *per* multos *testes*"; 2° ex verbis: „haec *commenda* fidelibus hominibus, qui idonei erunt et *alios docere*." Ergo hoc saltem ex textu prolato eruitur, doctrinam oretenus traditam in ecclesia valuisse *independenter* a verbo Dei scripto; quae quidem conclusio militat contra protestanticum illud: „*Sola Scriptura* fidei articulos tradit." Cf. I. Cor. XI. 2.; I. Tim. VI. 20.; II. Joan. 12.; III. Joan. 13.

b) II. Thess. II. 15. legimus: *tenete traditiones* (τὰς παραδόσεις), *quas didicistis, sive* (εἴτε) *per sermonem, sive* (εἴτε) *per epistolam nostram.* Haec autem probant, reapse fuisse veritates divinas oretenus tantum traditas. Ergo. Prob. *min.* 1° Agitur de *veritatibus divinis,* ut patet tum ex contextu dogmatico epistolae tum ex analogia aliarum epistolarum, ubi apostolus monet „depositum" custodire, quod est fides. Cf. I. Tim. VI. 20. 2° Designantur veritates *oretenus* traditae his verbis: *sive per sermonem.* 3° Veritates autem illae traditae sunt oretenus *tantum*; nam verba *sive — sive.* εἴτε — εἴτε, disjunctive adhiberi, vi vocis et ex contextu videtur esse perspicuum. Quare S. Thomas in hunc locum: „Unde — inquit — patet quod multa in Ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis docta et ideo servanda." Cf. III. 25. 3. ad 4.

Analogias aliquas V. T. videsis Gen. XVIII. 19.; Deut. XXXII. 7.

Arg. II. *Ex indole S. Scripturarum.* Exsistere traditiones divinas seu doctrinas non scriptas, prudenter asseritur, si S. Scriptura haberi nequit credendorum codex completus. Etenim si dogmata quaedam scriptis tradita

non sunt, oportuit ecclesiam partem illam doctrinae Christianae alio modo accepisse. Jam vero S. Scripturam credendorum codicem completum non esse, plura probant.

a) Et sane *principale* munus apostolorum in tradenda doctrina Christiana a Domino proponitur his verbis: *Euntes . . . praedicate.* Marc. XVI. 15. Scriptio praedicationi *accessit.*

b) Libri N. T. *occasionaliter* scripti sunt. Profecto singulorum Librorum historia et materies ostendunt, auctori sacro propositum non fuisse, credendorum summam ad usum omnium contexere, sed unam alteramve doctrinam explicare.

c) Apostoli generatim de scribenda doctrina Christiana parum cogitarunt. „Duas — inquit Canus — Petri epistolas habemus, et credimus mutum annis septem Antiochiae sedisse, elinguem Romae annis viginti quinque? Num nihil aliud verbo docuit, quam quod epistolis duabus scriptum reliquit? Quid? Andreas, Thomas, Bartholomaeus, Philippus, nonne sine scriptura, solo intercurrente verbo, Ecclesias sibi destinatas et fundarunt in fide, et in religione continuerunt? Consentiamus igitur, quod negari non potest, fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab Apostolis esse traditam.“ *De loc. theol.* lib. III. 3. in fine.

Arg. III. *Ex dogmate inspirationis S. Scripturarum.* Protestantes orthodoxi dogmata ex fonte *divino* haurienda esse profitentur. At dogma inspirationis S. Scripturarum ex fonte *verbi* Dei *scripti* non hauritur. Alius ergo fons divinus admittendus est, qui est *verbum* Dei *traditum. Major* constat; fides enim revelata ex fonte divino profluit. *Min.* patet; namque *nusquam* in Bibliis legimus, *tales* Libros eosque *solos* et *omnes* esse inspiratos; quod si in aliqua Scriptura legeremus, statim de inspiratione hujusmodi Scripturae, in qua ceterarum inspiratio proponeretur, quaestio rediret. *Conclusio* a fortiori valet, cum inspiratio commemorata non solum sit dogma, verum etiam juxta protestantium systema, dogmatum *omnium unicum* fundamentum.

Confirmatio. a) Dogma fundamentale protestantium est: *sola Scriptura.* Hoc autem dogma ne verbulo quidem

in Scriptura proponitur, sed contrarium loco superiore expendimus. Ergo traditiones divinae a protestantibus immerito spernuntur. *b)* Rursum plerique protestantium nobiscum parvulos baptizandos esse credunt; hoc autem ex sola Scriptura sufficienter non probatur. Ergo protestantes argumento etiam ad hominem traditionum divinarum exsistentiam profiteri coguntur. *c)* Gratis asserueris, Deum revelantem membranis terminari. *d)* Verbum non scriptum, quod scripto chronologice et psychologice antecessit, cum scripto haud dubie permanere potuit.

Objectiones.

Obj. I. In Deuteronomio, IV. 2. praecipitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Similiter S. Joannes *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Apoc. XXII. 18. Ergo veritatibus scriptis traditas adjicere vetamur.

Resp. Dist. antec.: nihil addendum omnino alienum, *conc.;* nihil ad complendum, *nego.* Reipsa Deus doctrinam Deuteronomii in Evangelio complevit; ipse beatus Joannes in Evangelio suo nonnulla tradidit, quae in Apocalypsi non scripsit. Neque enim recte dixeris, Moysen aut Joannem ea mente scripsisse, ut *Christi* verbum, oretenus acceptum, excluderent. Sed in ipso textu sacro additamenta humana et generatim doctrinae omnino alienae seu contrariae prohibentur. Cf. S. Thom. III. 60. 8. ad 1.; *Expos.* in Gal. cap. I. lect. II. Atque ut totam rem paucis definiamus, *adulteratio* verbi scripti prohibetur.

Instabis. Christus dixit Pharisaeis: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Matth. XV. 6.; cf. Marc. VII. 8. Ergo puri verbi contrariae sunt traditiones.

Resp. Dist. antec.: Christus reprobat traditionem divinam, *nego;* traditionem humanam, *subdist.:* quae est in praejudicium mandatorum Dei, *conc.;* quae est bona nec non bene adhibita, *nego.* Responsio patet ex contextu, ubi agitur de laesione quadam parentum. Neque non manifesta est haec antithesis: „transgredimini mandatum *Dei* propter traditionem *vestram*“; v. 3. „Ex hoc habemus —

ait S. Thomas — quod homo magis debeat sibi conscientiam facere de transgressione mandati, quam de transgressione ecclesiasticae constitutionis.“ *Comm. in Matth.* in l. c. Traditiones autem divinas mandata Christi Domini esse liquet.

Obj. II. Scriptura sacra est monumentum doctrinae revelatae. Jam vero, positis extra Scripturam traditionibus, consequitur, monumentum istud incompletum esse.

Resp. Dist. maj.: S. Scriptura est monumentum unum, *conc.;* unicum, *nego. Dist.* min.: positis traditionibus, Scriptura est monumentum incompletum in se, *nego;* respectu *totius* doctrinae Christianae, *subdist.:* simpliciter, *nego;* secundum quid, *conc.* Protestantes Scripturam monumentum fidei unicum simpliciterque completum esse solent asserere; neque illud probant. Verum non omnia specialiter in Scripturis suppeditari ostendimus; instruit tamen de iis etiam, quae scripta non sunt, siquidem verbum Domini orale et vivam ecclesiae vocem commonstrat. Est igitur, habita ratione sui finis, simpliciter completa.

Instabis. Si doctrina Christiana non nisi ex parte in S. Scripturis contineretur, jam exstinctis sanctis apostolis, firmum *totius* doctrinae Christianae fundamentum non haberemus, Atqui hoc asserere perinde est ac Christi curam de ecclesia negare. Ergo tota doctrina Christiana in S. Scripturis continetur.

Resp. Dist. maj.: hoc sequeretur ex falso principio protestantico: „*Sola Scriptura*“, *conc.;* in vero rerum statu, *nego.* Protestantes S. Scripturam vivae vocis doctrina posteriorem esse non diffitentur, atque traditionem apostolis superstitibus in ecclesia exstitisse nobiscum sentiunt: sed *vivum* ecclesiae magisterium abdicantes, gratis asserunt, unicam fidei regulam ab obitu apostolorum factam esse S. Scripturam. At in regula *unica* contineatur oportet doctrina revelata *tota; totam* autem in S. Scripturis non contineri, alias docuimus. Cf. quaest. X. art. 1—3.

Urgebis. S. Scriptura idonea est, qua homo Dei ad perfectionem instruatur, quemadmodum apud Paulum legimus: *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

II. Tim. III. 17. At quod perfectos facit, id saltem omnia ad salutem necessaria continet. Ergo traditiones divinae, etiamsi exsistant, fidei articuli non habentur.

Resp. Dist. maj.: hoc de S. Scripturae recto usu dicitur, *conc.;* de abusu, *nego.* Et *dist.* min.: id continet omnia ad salutem necessaria, quod perfectos facit *ex iis solis,* quae in se continet, *conc.;* ex iis etiam, quae *aliunde petenda* docet, *nego.* Scriptura docet, verum sacramentorum usum veramque doctrinam ab ecclesia Dei vivi expetenda. Itaque omnia continere, idcirco dicitur, quod multa continet, et de aliis indicat, ubi contineantur. Quod idem S. Augustinus docet. „Quamvis — inquit — hujus rei (valoris baptismi ab haereticis debito modo administrati) certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc *facimus, quod universae jam placuit ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas,* ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, eandem ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat.“ *Contra Cresconium,* lib. I. 33.

Dices. Providentia divina nullis utitur mediis superfluis. Atqui completo verbo scripto, traditio superflua facta est. Ergo textus S. Pauli pro temporibus posterioribus nihil probant.

Resp. Nego min. Nam *a)* nihil indicat, ex *duobus* fontibus *partialibus* fidei, quos S. Paulus ostendit, *alterum* post completas per Joannis evangelium Scripturas evacuandum fuisse. *b)* Ex arg. II. hujus theseos et ex probatione sequentis intelligitur, *non omnia* scripta esse. *c)* Etiamsi scripta essent omnia, traditio non esset superflua; exorta enim lite de S. Scripturarum aut auctoritate aut sensu, valeret ad fidem *independenter* a Scripturis praedicandam quam plurimum.

Articulus II.

Utrum exsistentia traditionum divinarum veterum testimoniis comprobetur.

I. Status quaestionis. 1° Intendere animum oportet ad illud, quod articulo primo de voce *traditionis* diximus. Haec enim iterum usurpatur ad significandas ipsas *veritates traditas* seu, ut auctores aliqui loquuntur, ad significandam traditionem *materialem*, quae est tradita materies. 2° Quapropter e testimoniis, in hoc articulo secundo proferendis, nondum eruimus, quid *de actu transmittendi* doceant et *quonam modo* doctrina divina non scripta ad nos usque pervenerit, sed inquirimus, *utrum* veteres cum catholicis hodiernis concordent in admittenda exsistentia veritatum fidei, quas S. Scriptura non contineat. 3° Nec erit abs re monere, veteres, sicuti in ceteris disputationibus sic in hac quaestione de traditione divina non citari nisi ut testes *historicos*.

II. Sententia adversariorum. Protestantes non pauci viderunt, traditionis usum in antiquis negare idem esse atque hallucinari: sed *modum*, quo veteres ea usi sunt, falso exponunt. Asseverant scilicet, ex usu traditionis perantiquo non ostendi nisi traditionis apostolicae cum Scriptura consensum, „ita ut eadem sit doctrina, quam Scriptura tradit, et quam primitiva Ecclesia ex Apostolorum traditione acceperat.“ Chemnitz, *Examen conc. Trid.* p. I. Argumenta vero, quae ex veterum sententiis desumuntur, labefactari arbitrantur, quod veteres adversus Gnosticos traditionem in hunc tantum finem adhibuerint, ut doctrinam scriptam tuerentur, non ut doctrinam non scriptam defenderent. Quisquis igitur traditiones divinas adversus protestantes ex eo propugnat, quod illae magnam penes primos fideles auctoritatem haberent, id potissimum consideret, a veteribus traditiones divinas *independenter a verbo scripto* creditas esse.

Thesis: *Exsistentia traditionum divinarum veterum testimoniis comprobatur.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex patribus apostolicis. a) S. Ignatius Antiochenus.* Legimus apud Eusebium: „monebat (Ignatius) inprimis ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent, quae tunc primum emergere cum coepissent, copiosius pullulabant. Hortatusque est ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent: quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit.“ E. H. lib. III. 36. Jam 1° his verbis indicatur doctrina *divina*, quippe cui „tenaciter“ inhaerendum esse Ignatius docuerit, ut fideles „sibi *a pravis haereticorum opinionibus* caverent“; 2° ea doctrina in S. Scriptura non continebatur, cum Ignatius „traditiones“ illas *scriptis mandare* necessarium duxerit „ad *certiorem* posteritatis *notitiam*“; 3° nec ea doctrina res privata erat sed publica, quoniam beatus martyr „ecclesias“ (Eus. ibidem) in illa confirmasse legitur. Quibus simul sumptis exsistentia traditionum divinarum affirmari videtur.

b) S. Polycarpus ait: „relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur.“ *Ad Philipp.* cap. VII. Et cap. III. de S. Paulo loquitur, „qui cum esset apud vos, *coram* hominibus tunc viventibus perfecte ac firmiter verbum veritatis *docuit*, qui et *absens* vobis *scripsit* epistolas, in quas si intueamini, aedificari poteritis in fide, quae vobis est data; *quae est mater omnium nostrum.*“ Atqui ista verba mentem Pauli referre videntur, qui II. ad Thess. II. 15, scripsit: *tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quod aliud non est quam traditiones divinas agnoscere.

c) In epistola ad Diognetum: „apostolorum factus discipulus fio doctor gentium: quae mihi tradita sunt, digne subministro iis, qui discipuli fiunt veritatis . . . et evangeliorum fides stabilitur, et apostolorum traditio custoditur.“ Cap. XI. — *Papias* et *Hegesippus* maxima diligentia, etsi

infirmiori quandoque judicio doctrinam apostolorum, *oretenus traditam*, collegerunt. Eus. E. H. lib. III. 39.; lib. IV. 8.

Huic argumento lucem afferunt subsequentium testimonia, qui rem expressius tractarunt.

Arg. II. *Ex S. Irenaeo.* Sanctus ille planum facit, doctrinam traditam admittendam esse etiam *independenter* a S. Scriptura. Nam *a)* haereticos reprehendit his verbis: „Evenit itaque *neque* Scripturis jam *neque* traditioni consentire eos.“ *Adv. haer.* lib. III. 2. *b)* Subjungit, cap. 3., quoscunque confundi haereticos per eam, „quam (vel sola Romana ecclesia) habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos.“ *c)* Tota doctrina tradita est ecclesiae: „non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, cum apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in ea contulerint omnia, quae sunt veritatis, uti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae.“ *d)* Hinc „oportet . . . apprehendere veritatis traditionem . . . Quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, *sine charactere vel atramento* scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterum *traditionem* diligenter custodientes.“ Cap. 3.[1])

Arg. III. *Clemens* Alexandrinus ait magistros suos „veram quidem beatae doctrinae“ servasse „traditionem, statim a Petro, et Jacobo, et Joanne et Paulo“, atque deposuisse in posteris „illa a majoribus data et Apostolica semina“. *Strom.* lib. I. 1. Idem *o. c.* VII. 16: „Homo Dei esse, et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum haereseon desiliit opiniones.“ Cf. Originem, *In Luc. Hom. I. Origenes:* „Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam

[1]) Cf. A. Camerlynck, *S. Irénée et le canon du N. T.* (1897), p. 87—92; A. Dufourcq, *S. Irénée* (1905), p. 123—131.

parvulis Baptismum dare." *In Ep. ad Rom.* lib. V. 9. — *S. Basilius:* „Ex asservatis in ecclesia *dogmatibus* et *praedicationibus, alia* quidem habemus e doctrina scripto prodita, *alia* vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum, quorum *utraque vim eandem* habent ad pietatem." *De Spiritu sancto,* cap. XXVII. Posthac apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhaerere", probat ex verbis beati Pauli, II. Thess. II. 14. L. c. cap. XXIX. — *S. Epiphanius:* „*alia* scripto, traditione *alia* sanctissimi apostoli reliquerunt". *Haer.* LXI. — *S. Chrysostomus* illud Pauli: *sive per sermonem sive per epistolam* exponens: „Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt (apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: et ea quoque sunt fide digna." *In II. Thess.* Hom. IV *Tertullianus* sibi protestantium objectionem proponit: „Ergo quaeramus, an et traditio, *nisi scripta,* non debeat recipi?" Deinceps nonnulla enumerat, et inter illa „oblationes pro defunctis", quae res haud dubie ad doctrinam pertinet. Denique catholice concludit: „Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies: *traditio tibi praetenditur auctrix,* consuetudo confirmatrix, fides observatrix." *De corona,* cap. III—IV. Alibi principium traditionis apertissimis his verbis tuetur: „constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum et Christi et Dei." *De praescr.* cap. XXI.[1]) *S. Augustinus* tum alibi multoties (De bapt. contra Donat. lib. IV. 24. Ep. 118. etc.) traditiones docet, tum illa, quam nemo ignorat, sententia: „Evangelio non crederem, nisi me commoveret ecclesiae auctoritas." *Contra epist. fund.* cap, V.[2])

[1]) Adhémar d'Alès, *La théol. de Tert.* (1905), p. 254—261.

[2]) Cf. M. Winkler, *Des Traditionsbegriffs des Urchristentums bis Tertullian,* 1897; L. de San, *Tractatus de div. trad. et script.* (1903), p. 5—87.

Arg. IV. *Ex factis. a)* Patres haereticos de traditione rejecta castigant, ut Irenaeus, *Adv. haer.* lib. III. 2; August. *Contra Maxim.* lib. I. 27. *De nat. et gratia,* c. XXXIX.; Conc. Chalc. *act.* I. *b)* Patres et concilia oecumenica, Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense traditionem tanquam argumentum *ex se* invictum haereticis objecerunt. *c)* Indicari possunt doctrinae traditionesque divinae, quas ecclesia, quamvis non scriptas, admisit, uti canon S. Scripturarum, valor baptismi certis conditionibus ab haereticis collati, diei Dominicae in locum sabbati restitutio, baptismus parvulorum, quem urgens baptismum S. Augustinus hanc firmam statuit regulam: „Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate apostolica traditum rectissime creditur.“ *De bapt. contra Donat.* lib. IV. 24. *d)* Protestantes nonnulli, Pearson, Grotius, plura membra universitatis Oxoniensis traditionum divinarum exsistentiam catholicis largiri maluerunt, quam committere, ut veritas revelata in illo principio: *Sola et sufficiens Scriptura,* includeretur.[1])

Objectiones.

Obj. I. Ex Origene, *In Levit.* Hom. V.; Basil. *De fide,* cap. I.; August. *De doctrina Christiana,* lib. II. 9. et aliis apparet, Christi doctrinam ex una Scriptura hauriendam esse. Quare S. Chrysostomus: „Qui enim Scriptura non utitur, sed aliunde adscendit, id est, qui sibi aliam et non statutam viam aperit, hic fur est.“ *In Joan.* Hom. LIX.

Resp. Dist.: patres docent, Christi doctrinam haurien-

---

[1]) A. C. Headlam, protestans et prof. theol. dogm. in Univ. Londin., ait: „But it is impossible to limit our authority for Christianity to the Bible and the New Testament. The controversy between the authority of Christian tradition and that of Scripture is one which is exceedingly unprofitable, for the antithesis is a false one. The Scriptures are simply a part of the Church tradition . . . the whole of modern German theology has suffered because it has taken as its starting point the teaching of Luther, rather than the teaching of Christ as represented by the Apostles.“ *The sources of authority and dogm. theology* (1903), p. 42—44.

dam esse ex sola Scriptura, exclusis aliis fontibus *humanis, conc.;* exclusis traditionibus *divinis, subdist.:* interdum hypothetice, *transeat;* absolute, *nego.* Patres traditionibus non refragari constat. Namque communi patrum consensu traditiones divinas admitti vidimus. Omnes quotquot sententiae huic patrum doctrinae videntur obsistere, *unam* Scripturam tuentur *aut* contra scripturas spurias, *aut* contra falsas haereticorum traditiones, *aut* interdum hypothetice, hoc est, propter perversam aliquam adversariorum dispositionem abusumve traditionum, quemadmodum et Tertullianus ob contrarium obloquentium abusum dixit: „non ad Scripturas provocandum est." *De Praescr.* cap. XIX. S. Augustinus autem suam ipsius aliorumque patrum mentem optime declaravit, cum in controversia de baptismo haereticorum diceret: „Quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae jam *placuit ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.*" *Contra Cresc.* lib. I. 33.

Instabis. Veteres traditionem eo duntaxat allegasse videntur, ut pateret Scripturae cum traditione consensio. Hoc autem traditionis inhaesivae limites non excedit. Ergo non videt nemo, traditionem distinctam ac independentem testimoniis illis parum corroborari.

Resp. Dist. maj.: illius consensionis manifestatio propositum veterum fuit saepe, *conc.;* semper, *nego.* Et sane consideranti cuique testimonia, in argumentis prolata, tria patescunt. *a)* Patres affirmant, doctrinam Christianam admittendam esse, etiam *independenter* a S. Scriptura; „si neque apostoli quidem — ait S. Irenaeus — Scripturas reliquissent nobis; nonne oportebat ordinem sequi traditionis?" Quod est idem atque fundamentale principium traditionis profiteri. *b)* Verbum scriptum et verbum non scriptum tanquam fontes *distinctos* veritatis revelatae ostendunt, v. g. S. Irenaeus declarans, haereticos „*neque* Scripturis jam *neque* traditioni consentire". *c)* Fontes commemorati sunt fontes *distinctarum* etiam veritatum; quae res manifesta est,

tam ex interpretatione II. Thess. II. 14.: *sive per sermonem sive per epistolam* (Basil., Chrysost.), quam ex veritatibus distinctis, quas a veteribus creditas esse monstravimus.

Urgebis. Aliud est disciplina apostolica aliud doctrina divina. At patrum de traditione testimonia sic intelligi possunt, ut ea non nisi ad res disciplinares porrigantur. Ergo traditio catholica patrum auctoritate non fulcitur.

Resp. Dist. min.: sic intelligi possunt patrum testimonia quaedam et partialiter, *conc.;* omnia et tota, *nego.* Tam veterum *principia* de traditione, quam *traditiones,* ab ipsis admissas, ad res fidei et morum utque doctrinam Christi porrigi, ex argumentis apparet.

Obj. II. Patres, nominatim Irenaeus, *Adv. haer.* lib. III. 2. traditionem occultam Gnosticorum reprobant. Porro catholica doctrina de traditione occultam illam traditionem instaurat.

Resp. Dist. maj.: patres reprobant traditionem occultam, hoc est, *spiritum privatum* in traditione, *conc.;* verbum non scriptum, *nego.* Et *nego* minorem. Occulta Gnosticorum traditio erat ea, quae electis *privatis,* non ecclesiae, transmitteretur. Qua de re S. Irenaeus: „hanc — inquit — sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam *a semetipso* adinvenit fictionem." *Adv. haer.* lib. III. 2. Cui quidem mystagogiae beatus antistes *ecclesiae* traditionem objicit (cf. art. sequentem). Quare Aquinas: „Apostoli — inquit — familiari instinctu Spiritus sancti, quaedam Ecclesiis tradiderunt servanda, quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium: unde ipse Apostolus dicit II. Thess. II. 14.: *State, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem,* scilicet ore prolatum, *sive per epistolam,* scilicet scripto transmissam." III. 25. art. 3. ad 4. Alibi sanctus doctor pro vocabulo *oretenus* voce *occulte* utitur. Cf. III. 72. 4. ad 1.

Instabis. Si demus, doctrinas a veteribus admissas esse, quas illi a patribus per manum acceperint, non idcirco censentur *jus* traditionum universim affirmasse; sed *factum* duntaxat hujus aut illius doctrinae traditae professi sunt. At non est quaestio de facto quodam, sed de jure.

Resp. Dist. maj.: veteres non affirmant *jus* traditionum in plurimis locis, *nego;* in nonnullis, *subd.:* non explicite, *conc.;* non implicite, *nego.* Textus plerique, in argumentatione prolati, expressis verbis jus traditionum universim tuentur; alii hanc aut illam traditionem a veteribus creditam explicite ostendunt. Sed enim ex iisdem textibus intelligimus, patres illas traditiones credidisse, non quod essent *illae,* sed quod essent *traditae.* Hoc autem idem esse videtur atque traditionis *jus* implicite asserere.

Articulus III.

Utrum traditiones divinae infallibiliter ad nos usque pervenire potuerint.

I. Status quaestionis. Traditio activa. Traditio considerari potest ut *objectiva,* hoc est, in materia tradita, et ut *activa,* hoc est, in principio et causa agente traditionis. Exsistere veritates divinas oretenus traditas, probavimus; ipsa igitur *causa principiumque agens* traditionis contemplandum est.

Causa porro traditionis sive traditio activa sumpta spectari debet tam in *origine* quam in *conservatione* veritatum traditarum. Origo divina traditionum illarum, quarum exsistentiam duobus articulis probavimus, cuique aperta esse videtur, propterea quod argumenta monstrarunt traditiones *divinas,* hoc est, doctrinas divinae originis. Restat ut causam inquiramus, qua doctrinae divinae, ab apostolis viva voce traditae, custodiantur et infallibiliter ad nostram usque aetatem permeare potuerint.

II. Sententia catholica de causa, traditiones divinas conservante. In conservandis traditionibus divinis quatuor conspiciuntur: 1° agens principalis; 2° agens instrumentalis; 3° monumenta publica, in quibus ecclesia doctrinam transmissam deponit; 4° testes doctrinae traditae.

1° *Agens principalis* est S. Spiritus, qui cum ecclesia manet *in aeternum* (Joan. XIV. 16.) et cujus assistentia ecclesia fidei depositum omni procul errore custodit atque tuetur.

2° *Agens instrumentalis* est ecclesiae sive solemne sive ordinarium et universale magisterium, quod penes pastores est. Illi nempe doctrinas, primitus a Deo per apostolos acceptas, S. Spiritu assistente, alii aliis velut per manus *usque ad consummationem saeculi*, Matth. XXVIII. 20., transmittunt eorumque perpetua ab apostolis successio est organum conservationis traditionum.

3° *Monumenta publica*, in quibus ecclesia, tanquam in *mediis transmissivis*, doctrinas primitus oretenus traditas deponit, sunt decreta Romanorum Pontificum et conciliorum oecumenicorum, symbola fidei, liturgia sacra[1]) et varia aliorum mediorum copia. Pauca de mediis *transmissivis* ad quaestionem XXIV. rejicimus.

4° *Testes* doctrinae traditae sunt scripta sanctorum patrum, scriptorum ecclesiasticorum, theologorum; inscriptiones, picturae.

III. Conservatio et continuatio traditionum divinarum cum doctrina catholica de infallibili ecclesiae magisterio cohaeret. Quippe transmissio veritatum, oretenus acceptarum, fieri potest aut per *media mere historica* aut *per media divina*. Catholici media historica non negligunt, quin etiam ex iis solis doctrinarum suarum antiquitatem veritatemque ostendunt in controversiis, quae cum adversariis magisterii infallibilis habentur. Sed ad *infallibilem* transmissionem media divina data esse, profitentur; quae quidem divina media in infallibili magisterio nituntur. Hoc nimirum magisterium et doctrinas scriptas et non scriptas ut *unum totale* fidei depositum custodit. Quisquis autem traditionum custodiam et conservationem ab infallibili ecclesiae magisterio abjungit, traditionum *infallibilem* certitudinem *quantum ad homines* tollit. — Traditio, quae in infallibilitate ecclesiae nititur, *dogmatica* vocatur; traditio per testes mere humanos *historica*.

IV. Errores. Tres errores doctrinae explicatae adversantur. 1° Generatim a protestantibus extra Scripturas

---

[1]) De Collectionibus liturgicis vide period. *Hist. Jahrb.* XI. p. 44–76.

ea tantum doctrinae Christianae transmissio conceditur, quam *historicam* vocamus, rejecta *divina*. De aliis eorum erroribus, quantum ad ipsas doctrinas transmissas, cf. art. 1. et 2. 2° Non pauci nullam vim transmissivam nisi *conscientiam Christianam* profitentur; eamque intelligunt vagam quandam speciem, quam v. g. Lutherus Lutheranismo impressit, ita sane, ut istiusmodi conscientia vaga in doctrinis determinatis transmittendis nihil possit, quod fidem postulet. 3° Gnosticorum conceptus de transmissione traditionum a catholicis in eo discrepat, quod Gnostici traditionem *occultam paucisque electis commissam* profitebantur, catholici *publico* certoque *ecclesiae* magisterio eam concreditam esse docent.

Thesis: *Traditiones divinae infallibiliter ad nos usque pervenire potuerunt.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia est infallibilis custos veritatum divinarum. Jam exsistunt traditiones divinae, quae haud secus ac res in Scripturis enuntiatae, ad divinas veritates pertinent. Traditiones igitur divinae, custode ecclesia, infallibiliter ad nos usque pervenire potuerunt. *Major* alibi probata est. Cf. quaest. VIII—X. *Minor* ex articulis primo et secundo hujusce quaestionis manifesta est. Conclusio sua sponte sequitur; etenim, cum custos infallibilis sit, res custodiendae infallibiliter conserventur necesse est.

Arg. II. *Ex patribus.* *a)* Patres docent, veram Christi doctrinam certo cognosci ex non interrupta pastorum ab apostolis successione. Cf. quaest. V. art. 5. et quaest. IX. 1.

b) Patres docent, ecclesiam esse universalem tutissimamque fidei regulam. Manifestum autem est, traditiones divinas partem esse fidei. Huc igitur pertinent veterum testimonia, quae quaest. X. art. 2. prolata sunt.

c) Idipsum *S. Ignatius* Ephesios docet his verbis: „Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Jesu Christi sunt. *Unde* decet vos in episcopi sententiam concurrere.“ Cap. III. IV. — *S. Polycarpus* id stabilivit, cum

Philippenses aedificari cuperet in fide *data* (δοθεῖσαν), „quae est mater omnium nostrum." Cap. III. — *Auctor epistolae ad Diognetum* eos laudat, „quibus *jura fidei* non perfringuntur neque *limites patrum* transiliuntur". Cap. XI. — *S. Irenaeus* haereticos perstringit, qui dicunt, se etiam apostolis sapientiores, nec non ob suas privatas traditiones, negligunt „traditionem, quae est ab apostolis, quae *per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur*". *Adv. haer.* lib. III. 2. Mox subjungit: „non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est *ab ecclesia* sumere, cum apostoli quasi in depositorium dives, *plenissime in ea contulerint omnia*, quae sint veritatis." Cap. IV. — Similiter Origenes: „Cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur *ecclesiastica* praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens *in ecclesia* permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab *ecclesiastica* et apostolica discordat traditione." *De princ.* Praef. n. 2. — *Tertullianus* postquam statuit, *ante* Scripturas videndum esse „cujus sint Scripturae, a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani", hanc regulam proponit: „*Ubi* enim apparuerit esse veritatem disciplinae, et fidei Christianae, *illic* erit *veritas* Scripturarum, et expositionum, et *omnium traditionum Christianarum*." *Praescr.* cap. XIX. Rursus cap. XXXIX. veritatem adjudicat incedentibus in ea regula, „quam *ecclesia ab Apostolis*, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit." Patres posteriores citare, inspectis articulis primo et secundo, supervacaneum videtur.

d) Christus denique Scripturam interpretandam fideique controversias dirimendas ecclesiae tradidit. Cf. quaest. X. art. 3.; quaest. XVIII. art. 2. Ergo non est difficile intellectu, traditionum quoque divinarum conservatricem habitam esse a veteribus ecclesiam.

Arg. III. *Confirmatio ex certitudine historica.* Doctrinae et facta primitus non scripta omnimoda certitudine ab antiquioribus ad posteros transmitti possunt, *a)* si testes immediati et intermedii sunt fide digni, *b)* si sunt multi, *c)* si

jam a remotioribus relatio scribi coepit. At tres illae conditiones traditionis historicae cum dogmatica traditione conspirant. Etenim *a)* testes immediati sunt patres apostolici, testes intermedii presbyteri, antistites, doctores, quos inter jam ab initio floruerunt Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Clemens Alexandrinus. Illi autem, et post illos episcopi, doctores usque ad nos, traditas veritates et ab antecessoribus scire potuerunt et posteris transmittere voluerunt; quae res ex intima ecclesiarum *communicatione* per itinera, epistolas, synodos magis etiam patescit. *b)* Deinde valde liquet, comperto, nunquam non fuisse *plurimas* ecclesias easque veritatis traditae *tenacissimas,* prout testantur a primis ecclesiae temporibus S. Ignat. Antioch. *Trall.* VI. VII.; *Smyrn.* IV.; *Ephes.* VII.; S. Polycarp. *Ad Philipp.* VII.; Orig. *Comm.* in Matth., Luc., Joan.; Tert. *Praescr.* S. Iren. *Adv. haer.* et subsequentes. *c)* Ab ecclesiae prima aetate traditiones scriptis consignari aliisque documentis conservari coeperunt; exempla sunt opera patrum apostolicorum: inscriptiones et picturae catacumbarum; praxis ecclesiae et antiquissimae liturgiae; nominatim S. Ign. Ant., qui apostolicas traditiones „ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit." Eus. E. H. lib. III. 36.

Objectiones.

Obj. I. Traditiones seu doctrinae, S. Scripturis non proditae, per scriptores ecclesiasticos, monumenta similiaque media ad posteros transmittuntur. At isti testes intermedii falli possunt. Ergo traditionis auctoritas firma esse potest.

Resp. Dist. maj.: et haec sunt media materialia traditionis, *conc.;* media formalia, *subdist.:* in quantum exprimunt sensum ecclesiae, *conc.;* separatim sumpta, *nego.* Et sic *distincta* minori, *nego* conclusionem. Si de traditione mere *historica* ageretur, vis *probativa* traditionis in auctoritate qualicunque humana scriptorum et monumentorum resideret; nos autem traditionem propugnamus *dogmaticam,* quae in successione magisterii authentici cum infallibilitatis

charismate nititur; atque monumenta quaelibet seu media *transmissiva* vim suam *probativam* dogmaticam ab expressione sensus istius infallibilis magisterii tenent.

Instabis. Patres ante concilium Nicaenum traditionem historicam cognoscunt, ignorant dogmaticam. Ergo. Prob. *antec.* Patres haereticos ex eo confundunt, quod isti edere nequeunt originem ecclesiarum suarum, nec evolvere ordinem episcoporum suorum, per successiones ab apostolis vel apostolicis viris decurrentem. Cf. Tert. *Praescr.* cap. XXXII. At argumentatio, ex episcoporum ordine sumpta, est mere *historica.*

Resp. Concessa majoris prima parte et altera *negata* probationem antecedentis *dist.:* patres isto modo haereticos confundunt, supposita assistentia S. Spiritus, *conc.;* ea exclusa, *nego.* Circa usum traditionis *historicae* ante Nicaenam synodum tria advertenda sunt. *a)* Patres illius aetatis assistentiam Spiritus veritatis, ecclesiae promissam, hoc est, ipsissimum fundamentum traditionis *dogmaticae,* expressis verbis docuerunt. Ita Irenaeus ostendit in episcopis „cum episcopatus successione *charisma veritatis* certum secundum placitum Patris", *Adv. haer.* lib. IV. 26. Tertullianus haereticorum insipientiam perstringit, quasi „neglexerit officium *Dei villicus,* Christi vicarius (id est, S. Spiritus), sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat." *Praescr.* cap. XXVIII. Cf. supra, quaest. VIII. art. 3—4. *b)* Ex altera parte etiam ab iis patribus, qui post Nicaena tempora scripserunt, cum charismate infallibilitatis episcopatus successio vindicatur. Quamobrem S. Augustinus: „tenet me in ecclesia ab ipsa Sede Petri usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum." *Contra epist. fundam.* n. 5. Cf. plura quaest. V. art. 5.; et VII. 5. *c)* Cum traditio dogmatica successioque magisterii sub assistentia Spiritus veritatis a multis haereticis despiceretur, patres *contra tales* adversarios argumentum traditionis saltem *historicae* urgebant, praesertim primis ecclesiae saeculis, cum vel inviti apostolicam ecclesiarum originem propemodum coram cernerent.

Obj. II. Fieri non potest, ut traditiones plurimae viva voce conserventur. Atqui ecclesia Romana non unam alteramve doctrinam traditam credit, sed traditiones plurimas. Ita fit, ut traditiones integrae ad nos usque pervenire nequeant.

Resp. Dist. maj.: id fieri non potest, solum inspecta infirmitate humana, *transeat;* assistente Spiritu sancto, *nego.* Et *transeat* minor. Utrum plurimae veritates ab initio viva voce transmissae sint, an paucae, hic nihil ad rem. Sed enim Christus, qui Spiritus sancti assistentiam ecclesiae nunquam defuturam spopondit, non minus multas veritates, quam pauciores conservare potest. Quod autem plurimas traditiones esse dicunt, tria explicationis gratia adversa sunto. *a)* Aliud sunt traditiones divinae, de quibus a nobis agitur, aliud leges ecclesiasticae, quas, ob gubernandum orbem catholicorum, pro diversis officiis et statibus *conjunctim*, non pro omnibus et *singulis* fidelibus, oportet esse non paucas. *b)* Neque omnes leges ecclesiasticae apostolorum ore sunt proditae, sed utitur etiam ecclesia per decursum temporum potestate legislativa sibi divinitus concessa. *c)* Apostoli veritatem quidem revelatam totam praedicarunt, sed multae *explicationes* et *applicationes* temporibus procedentibus ab ecclesia S. Spiritu assistente factae sunt, quas sane, cum Spiritus sanctus illius explicationis sit *principium efficiens*, quolibet dubio seposito credere debemus. Cf. quant. X. 4.

Instabis. Locus theologicus traditionis non est idem atque loci auctoritatis ecclesiae catholicae, conciliorum oecumenicorum et Romanorum Pontificum. At si traditiones ecclesiae magisterio infallibiliter ad nos perveniant, locus traditionis resolvitur in auctoritatem ecclesiae. Et vero argumentum ex traditione propositum aut per se rem probat aut ex auctoritate ecclesiae talem doctrinam traditam conservantis. Si primum, certitudo traditionum in ecclesiae magisterio non collocatur; si alterum traditio, cum per se argumentorum fons non sit, locis theologicis falso adnumeratur.

Resp. Dist.: locus traditionis resolvitur in auctoritatem

ecclesiae tanquam in locum identicum, *nego*; tanquam in proximam regulam fidei, *conc.* Proinde probatio objectionis in majore corruit; quippe tertium relinquitur, videlicet: traditionis argumentum probare quidem *per se*, non tamen quasi proximam regulam fidei, sed ut locum proprium. Quae responsio ex ipso conceptu traditionis *dogmaticae* — de *historica* enim istic non habetur quaestio — videtur esse obvia. Traditio nempe, cum sit *verbum Dei non scriptum*, aeque et S. Scriptura est fons revelatae veritatis, remota regula fidei. *Per se* igitur argumenta certa theologo praebet; sed quoniam dubia oriri possunt, utrum traditiones sint authenticae, aut quis sit verus illarum sensus, auctoritate ecclesiae opus est, per quam, uti per regulam *proximam quantum ad nos*, liqueat traditionum transmissio integra verusque sensus.

Articulus IV.

De regulis discernendi traditiones.

I. Regula suprema est sensus ecclesiae. 1° Cum ecclesia *quantum ad nos* sit *proxima fidei regula* eademque *custos* et *interpres* totius fidei, sequitur ut traditionum quoque auctoritas et sensus juxta proximam illam regulam, quae est ecclesia catholica, discernenda sint. Similes enim sunt rationes, quibus Scripturae et traditionum explicationem ad ecclesiam pertinere demonstratur.

2° Jansenistae et adversarii definitionis Vaticanae de infallibilitate Pontificia supremam hanc regulam discernendi traditiones neglexerunt, quae ab Augustino vocatur *catholicus sensus*, De verbis Apost. serm. XIV. 20.; a Vinc. Lerin. *ecclesiasticae intelligentiae auctoritas*, Common. c. II. Verum posito infallibili ecclesiae magisterio, nihil prius aut antiquius ducere debemus, quam ut fundamentalis regula traditionis dogmaticae teneatur; quod quo jure fiat, Leo XIII. docet his verbis: „Ipsi (ecclesiae) uni tamquam in deposito esse (Deus) jussit *res omnes* afflatu suo hominibus enuntiatas; eam denique unam statuit interpretem, vindicem, magistram veritatis et sapientissimam et

certissimam, cujus praecepta aeque singuli aeque civitates debeant audire et sequi.“ Encycl. *Officio sanctissimo*, 22. Dec. 1887. Cf. *Sapientiae christianae*, 11. Jan. 1890.

3° Sensus ecclesiae non primis duntaxat saeculis tantam auctoritatem habuit, verum et hodierna ecclesia eam habet, et habebit eam ecclesia *usque ad consummationem saeculi;* S. Spiritus ecclesiam vivificat *in aeternum;* neque unquam non erit cum ea divinus ille Auctor, de quo apostolus: *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula.* Hebr. XIII. 8. Hac de causa S. Augustinus praeclare dixit: „Non accipio quod de baptizandis haereticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.“ *Contra Crescon.* lib. II. 32.

4° Sensus ecclesiae non unice consistit in consensu omnium fidelium. Re quidem vera, ubi cunctorum fidelium, inclusa docenti ecclesia, de dogmate tradito consensus, ibi tutissimum signum traditionis; sed regula fidei non collocatur praecise in consensu *omnium fidelium;* nititur in sensu ecclesiae, quem illi exprimunt, quorum munus est docere cum auctoritate.

II. Quatuor regulae Cani, quibus theologo constare possit, hoc aut illud dogma ab apostolis, docente Christo aut S. Spiritu dictante, esse traditum, in suprema regula commemorata nituntur. Istae vero regulae sunt:

1° Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. Cf. S. Aug. *Contra Donatist.* lib. IV. 34.

2° Si quod fidei dogma patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, hujusque contrarium ut haereticum refutarunt, quod tamen e sacris litteris non habetur, id nimirum per apostolicam traditionem habet ecclesia. Exempla sunt perpetua B. Mariae virginitas, certus evangeliorum numerus.

3° Si quicquam est nunc in ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex apostolorum traditione necessario derivatum est.

4° Si viri ecclesiastici aliquod dogma, vel unam quamlibet consuetudinem uno ore testentur nos ab apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, ut ita esse credamus. *De loc. theol.* lib. III. 3. Cf. inter alios S. Iren. *Adv. haer.* lib. 3—4; Tert. *De praescr.* cap. XXI.

III. De regula Lerinensi: „quod ubique, quod semper, quod ab omnibus." 1° Vincentius Lerinensis, *Common.* cap. II. exquirens, quonam modo possimus „certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere", hanc regulam docet: „magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem." 2° Haec regula intelligi potest aut in sensu affirmante, hoc esse dogma fidei, quod ubique, semper et ab omnibus creditur; aut in sensu negativo, quasi nihil posset esse credendum, nisi quod dicto modo creditur: primus sensus verissimus est; alter falsus, si de fide *explicita* interpreteris, sicut nonnulli quandoque interpretati sunt. 3° Verum Vincentius fidei explicationem in ecclesia egregie declarans: „forsitan — inquit — dicit aliquis: Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur? Habeatur plane, et maximus . . . Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia . . . Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si

qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam expressa et enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata et definita, custodiat." L. c. cap. XXIII. Cf. Berthier, *Tract. de locis theol.* P. I. lib. I. 1.; Schrader, *De theologico testium fonte deque edito fidei testimonio seu traditione commentarius;* Franzelin, *De divina Traditione et Script.*

Articulus V.

De continuitate et evolutione doctrinae Christianae.

I. Status quaestionis. Inquirentes, utrum credendorum numerus per ecclesiae magisterium augeri possit, triplicem credendorum determinationem et propositionem explicatiorem defendimus, atque progressum 1° ab universalibus et complexis ad singularia et elementa constituentia; 2° ab intellectis obscurius aut simplicius enuntiatis ad distinctius intelligenda et strictius declaranda; 3° a propositione, quae magis usu practico et consuetudine ecclesiarum constabat ad praedicationem disertam vel solemnem definitionem. Negavimus autem ea, quae Christus ecclesiae suae credenda tradidit, mutari in se, quemadmodum et eos refellere conati sumus, qui ecclesiam a Christo constitutam in meliorem statum mutandam esse arbitrantur. Cf. p. 278—282 et 372—379. Haec dein ipsa de traditione disputatio firmitatem doctrinae Christianae ejusdemque continuitatem, ab ecclesiae primordiis ad mundi finem decurrentem, magis atque ex intima ecclesiae vita declaravit. Cf. supra Quaest. VIII—IX. Proximum est, ut hujusmodi continuitatis indolem cum aliquibus evolutionis systematibus conferamus.

II. Conceptus de doctrinae Christianae evolutione acatholici. Vetus protestantium orthodoxia cum revelatione in Christo data ipsoque Dei Verbo meliorem doctrinam tutioremque nullam esse firmissime crederet, ex hoc principio verissimo duo falsa eruit. Namque primo Dei verbum quod Libris sacris mandatum est, id solum docuerunt esse tenendum; deinde nulla omnino doctrinae

sacrae semina sub influxu Spiritus sancti evolvenda admiserunt, sed quidquid evolutionis a catholicis sanctum habebatur, tanquam opus mere humanum rejecerunt. Nimis saepe quod crevit, id corruptum esse conqueruntur.

Novis subinde modis moderni de evolutione religionis judicarunt; quam evolutionem Hegel explicanti sese divinae ideae subordinavit, Marx postea motui ideologico colligavit, qui juxta placita materialismi historici oeconomicae structurae se transformat. Alias evolutionis doctrinae Christianae causas Paulus, Strauss, Harnack et Sabatier excogitaverunt, sed id nihil ab eis mutatum, quod rationalistae antiquiores, uti G. Lessing et H. Reimarus jam praeceperant, scilicet dogmata et alia quaecunque Christiana religio profitetur *supernaturalia*, sacramenta, hierarchicam potestatem, aliud non esse quam additamenta mere humana et corruptionem aliquam simplicissimae religionis Christi. Granum purum evangelicum hoc solum: *Poenitemini, appropinquavit enim regnum Dei;* aut juxta alios: *pietas filialis erga Deum.* Duplex tamen hujus rationalismi forma: *intellectualis* et *mystica*; illa evolutionem intellectui tribuit, haec affectui religioso. Utrique constat, ut cogitationes hominum, ita cuncta dogmata fluere.[1])

Rationalismo denique imbutus erat Güntherianismus ab Antonio Günther, sacerdote catholico (1783—1863). Hic enim evolutionis conceptum ita dilatavit, ut fidei mysteria philosophiae progredienti adaequarentur, tanquam veritates, quae quantum ad *quod* sunt, argumentis *intrinsecis* intelligi possunt et esse visa in se. Quae evolutionis opinio quorsum mentes abducat, concilium Vaticanum monet, statuens: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda". Rursus: „Hinc sacrorum quoque dogmatum is

[1]) Incredulorum de evolutione doctrinae Christianae systema inter alios propugnant Harnack, *Dogmengeschichte;* A. Sabatier, *Esquisse d'une philosophie de la Religion,* et M. Hébert, *L'évolution de la foi catholique* (1905).

sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum." *Constit. dogm.* Sess. III. cap. IV. Denique inter Canones IV. 3. haec: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, anathema sit." Et sane evolutio, vi cujus mysteria supernaturalia in naturalia cognoscibilia transmutarentur, aliud non esset ac ipsius fidei destructio.

III. Evolutio doctrinae Christianae admittenda est. Ante omnia aliquas doctorum virorumque praestantium audiamus sententias.

S. Augustinus, *In psalm. LIV.* 22. ait: „Multa enim latebant in Scripturis; et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei: aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei." Idem, *De civ. Dei*, XVIII. 51.: „Inimici enim omnes Ecclesiae, quolibet errore caecentur vel malitia depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam, si tantummodo male sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam." — Leo M. *Ep.* 102.: „Catholica fides nulla sui parte est mutabilis . . . per ipsas adversantium exercitationes et validior semper efficitur et clarior." — Vincentius Lerinensis, in *Commonitorio*, ex quo p. 773 sententias aliquas protulimus, capite XXIII. evolutionem in hunc modum describit: „Imitetur animarum religio rationem corporum, quae, licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen, quae erant, permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem, sed iidem ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes . . . Quodsi humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quidpiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est, ut totum corpus vel intercidat vel prodigiosum fiat vel certe debilitetur. Ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen

illibatumque permaneat et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem . . . Quodcunque igitur in hac ecclesiae Dei agricultura fide patrum doctum est, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur." — S. Thom. I. II. 1. 9. ad 2.: „in omnibus symbolis eadem fidei veritas docetur. Sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per haereticos corrumpatur. Et haec fuit causa quare necesse fuit edere plura symbola. Quae in nullo differunt nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia." — Atque ut aliarum, quibus idem exponitur, sententiarum summam faciam, doctrinam affero Vaticanam: „Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia." Const. *Dei Filius*, cap. IV.

Etiam ipsa indoles ecclesiae continuitatem et evolutionem, stabilitatem et motum postulat. Nam uti *depositum fidei* custodiendum commissum ecclesiae Christi est, ita ex eo deposito saeculorum omnium hominibus providere debet. Igitur societas viva est; viva infallibilitas; vivum magisterium; peregrinatur in hoc saeculo, ut magnae necessitatum varietati mentium et cordium respondeat.

Recentiores apologetae et theologi hunc vitae catholicae adspectum dignissimum habuerunt, cui perscrutandae operam tribuerent. Cum enim multi saepe doctores inconstantiae et substantiali multarum haereseon mutationi stabilitatem doctrinae catholicae ejusque identitatem opponerent, nostrates non pauci sapienter existimaverunt, fore ut veritas catholica luce majori splendesceret, si non tantum in immobilitate sua, seu *statice*, ut ajunt, verum etiam in progressu suo, seu secundum conceptum *dynamicum*,

ipsam uberius demonstrarent. Cujus conceptus evolvendi auctores habentur J. S. Drey (1777—1853), professor Tubingensis; J. A. Moehler (1796—1838), auctor operis celeberrimi, quod inscribitur *Symbolik*, et J. H. Newman, qui sibi nondum catholico, dum opus *De Evolutione doctrinae Christianae* componeret, ultimas contra religionem catholicam praejudicatas opiniones ademit.[1]) Nullam inter primaevam ecclesiam et hodiernam reperiri contradictionem. haud dubie sub luce evolutionis magis apparet. Quod in religione catholica mutatum esse dicebatur, nihil aliud esse conspiciebatur quam continuata Christi vita in ecclesia; vita, inquam, Christi, qui per apostolos suos veritatum sparsit semina, decursu saeculorum aperienda.[2])

IV. De processu evolutionis. In doctrinis religionis catholicae tria considerari possunt, videlicet veritas positiva, quam continet; valor negativus, quatenus errores contrarios excludit; valor moralis, prout vitam religiosam dirigit et movet. Jam tria haec, si rerum origines et fontem manantem quaerimus, a Christo profluunt, per quem Deus mundo locutus est fideique thesaurum apostolis commisit. Christus in ecclesia animisque singulorum operari non desinit, hominum intellectum per fidei gratiam illuminans et cordium penetralia movens, ut eam veritatem, in qua praedicanda atque proponenda ecclesiae suae usque ad consummationem saeculi assistit, sincere amplectantur, devote meditentur, caritatis operibus compleant. Exordium igitur evolutionis doctrinalis ipseque fons clauditur, si doctrinam ac veritates Christianas, quas Christus explicite docuerit et quarum apostoli conscientiam habuerint, v. g. quantum

[1]) Cf. Newman, *An Essay on the development of Christian Doctrine*, pagina ultima, ubi auctor opus suum, nondum completum, affectuosissime concludit (6. Oct. 1845). — Jam antea in festo *Purificationis* 1843 Newman suum de evolutione conceptum exposuerat in Sermone, cujus titulus: *The Theory of developments in religious Doctrine.* Postea in period. *The contemporary Review*, Oct. 1885 scripsit: *The Development of religious error.*

[2]) Newman, *Development of Christian Doctrine* (ed. 1890), p. 31—32; J. v. Görres, *Die Triarier*, p. 100 in Christo miratur Ejus „zentrale, wurzelhafte, genetische Worte".

ad fidem S.S. Trinitatis, Redemptionis, Sacramentorum et quantum ad ecclesiae institutionem tantopere restrinxeris, ut evolutionem in *eodem* dogmate et *eadem* sententia aut revelationi novae adjudicare cogamur aut eam viribus mere humanis et certaminis necessitatibus tanquam causae tribuere. Et vero revelationem, quantum ad fidem ecclesiae in Christo adimpletam fuisse ante ostendimus; certamen autem pro vita Christiana servanda, quamvis doctrinae magis explicitae novarumque applicationum possit esse occasio, vim tamen ad mysteria manifestanda supernaturalem non habet. Si quis ergo contenderet, doctrinae catholicae evolutionem ab hac unica primaevae ecclesiae procedere idea: *appropinquavit regnum Dei*, nulla ratione intelligitur, mysteria S.S. Trinitatis aliaque fidei catholicae mysteria a quo fonte supernaturali manaverint. Ob eamque rem Loisy in operibus, quae inscribuntur *L'Evangile et l'Eglise* et *Autour d'un petit livre*, doctrinae Christianae evolutionem explanare non potuit.

Evolutionis promovendae plures variaeque causae, sive directae sive indirectae assignantur; omnes tamen uni causae principali subordinantur, Christo, qui S. Spiritum suae promisit ecclesiae. Christi pia gratia intimus hominum animus attingitur; neque doctorum tantum labores et studia, verum etiam sanctorum preces et suspiria simplicium ad veritatem evolvendam cooperantur. Veritas enim, quam ecclesia exterius proponit, interius per fidei gratiam suscipitur et tanquam semen vivum in meditationibus excrescit. Ita ex commoto animo S. Francisci, coram cruce ingemiscentis, expressiorem evangelicae paupertatis notitiam progenitam novimus. Cooperatur indirecte philosophia, cujus usus est multiplex, „ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque inducat". Leo XIII. Encycl. *Aeterni Patris*. Sub influxu denique temporum ambitusque scientifici et socialis atque etiam errorum et haereseon evolutio veritatis procedit, in quantum novarum quaestionum multitudo et eorum, qui contradicunt et negant, aggressio vivam in ecclesia veritatem ad novam sui manifestationem et acti-

vitatem impellit. Nulla tamen unquam vera habetur evolutio nisi cum principio suo homogenea. De hoc autem principio Conc. Tridentinum, Sess. IV. haec: „Quod (Evangelium) Dominus Noster J. C. proprio ore promulgavit, deinde per suos apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari jussit."

Hactenus de evolutionis *initio* et *progressu*. Restat, ut de *termino* pauca dicam.

Fieri potest, ut doctrinae alicujus sese evolventis aut non satis certa videatur veritas, aut non omnino fixa firmitas, aut non omnibus manifesta auctoritas. Re quidem vera non desunt regulae, quibus evolutio genuina a corruptione secernatur, sed mentes fidelium absolutum quoddam diligunt criterium.[1]) Praeterea formulae, quibus doctores et fideles explicatiorem alicujus veritatis conceptum exprimunt, differre inter se poterunt, atque confusae ita diffluere, ut fixa norma atque unitatis vinculum desideretur. Postremo doctrinae, si qua jam praxi dignificatur, sanctionem majorem addet magisterii ecclesiastici declaratio.[2]) Ita dogma Immaculatae Conceptionis B. M. V., dum antea in ecclesia aderat ut viva realitas, tempore suo solemni judicio definitum est.

Porro terminari doctrinae alicujus evolutionem dicimus, quando ipsam definit ecclesia. Tunc enim processus persolvitur 1° in ordine *intellectuali* positive, in quantum stabilitur veritas, et negative seu prohibitive, in quantum error damnatur; 2° in ordine *morali*, quoniam praxis jam habet, quod constanter firmissimeque sequatur et quod in via vitae ut novam lucem indefectibilem respiciat. Neque

---

[1]) Newman, *Development of Christian doctrine*, ch. V. has septem genuinarum evolutionum notas indicat: 1° Preservation of its Type; 2° Continuity of its Principles; 3° Its Power of Assimilation; 4° Its Logical Sequence; 5° Anticipation of its Future; 6° Conservative Action upon its Past: 7° Its Chronic Vigour. — Auctor per totam secundam operis Partem, p. 169—444, in his notis exponendis versatur.

[2]) H. Hurter, *Theol. dogm. Comp.* I. p. 171—178.

audiendi sunt, qui censent, formulis dogmaticis valorem dumtaxat moralem tribuendum esse, nullum theoreticum.[1]) Dogmata verba vitae sunt, ita tamen, ut sanctificent in veritate.[2])

Ab altera parte considerandum est, quid absoluti in dogmate profiteamur. Quis non fateatur, veritatem revelatam nullis formulis adaequate exprimi posse? Et vero per fidem non apprehendimus veritatem primam sicut in se est. Quare Aquinas: „impossibile est nobis aliter super-

---

[1]) Ita Ed. Le Roy, qui suam opinionem inter alia his illustrat: „Dieu est personnel“ veut dire: „comportez-vous dans vos relations avec Dieu comme dans vos relations avec une personne humaine. Pareillement: „Jésus est ressuscité“ veut dire: Soyez par rapport à lui comme vous auriez été avant sa mort, comme vous êtes vis-à-vis d'un contemporain. — In period. *La Quinzaine,* 1905, 16. Avril.

[2]) B. Allo verissime ait: „Pour nous enfin, en son double élément, intellectuel et moral, le dogme est immuable en substance: et, en son double élément aussi, le dogme est sujet à une évolution accidentelle. Tantôt c'est l'évolution morale qui précède l'autre, tantôt c'est l'évolution spéculative. Mais, en tout cas, ce dogme est une vérité de l'ordre intellectuel avant d'être de l'ordre affectif, et c'est précisément sa consistance spéculative qui le rend si divinement sûr pour la direction de la vie.“ *Rev. Thom.* 1905, Juillet-Août, p. 276. — Videsis in eodem period. 1905 A. Gardeil, *La Crédibilité.* — Newman similiter: „Knowledge must ever precede the exercise of the affections. We feel gratitude and love, we feel indignation and dislike, when we have the informations actually put before us which are to kindle those several emotions. We love our parents, as our parents, when we know them to be our parents; we must know concerning God, before we can feel love, fear, hope, or trust towards Him . . . It seems a truism to say, yet it is all that I have been saying, that in religion the imagination and affections should always be under the control of reason. Theology may stand as a substantive science, though it be without the life of religion, but religion cannot maintain its ground at all without theology. Sentiment, whether imaginative of emotional, falls back upon the intellect for its stay, when sense cannot be called into exercise; and it is inthis way that devotion falls back upon dogma.“ *An Essay in aid of a Grammar of Assent* (edit. 1892), p. 120—121. — Idem, *Development of Christian Doctrine* (7. edit.), p. 325—354, seu apud H. Bremond, Newman, *Le développement du dogme Chrétien,* p. 232—235; *Idea of a University* (ed. 1898), p. 19—71.

lucere divinum radium, nisi circumvelatum varietate sacrorum velaminum. Itaque iis, qui nomina et formulas adaequatas quaerunt, respondemus mysteria, quae credimus, esse ineffabilia. Cf. S. Thom. I. q. 12—13., II. II. q. 1. Neque Romanorum Pontificum et Conciliorum definitiones eo sensu cujuscunque evolutionis terminum esse asseruimus, ut reflexionis labor, sub Christo capite atque dirigente Spiritu Sancto, qui est cor ecclesiae, doctrinam definitam *sub alio respectu* attingere nequeat. Hoc unum affirmamus, dogmata et veritates infallibili ecclesiae magisterio definitas, sub eo respectu, quo definitae sunt, mutari non posse.[1])

Haec est illa evolutio et vita veritatis, haec illa traditionis et progressus sacrata unio, quae vigere non potest, nisi in ea ecclesia, cui fidei depositum cum infallibilitatis charismate divinitus concessum esse vidimus.

Quaestio XX.

De sanctis Patribus.

Sextus locus theologicus patrum auctoritate continetur. Gravissima haec quidem; docent enim ipsimet patres veram Codicum sacrorum expositionem et traditam ecclesiae fidem divinam, sed ita docent, ut eorum in docendo auctoritas a Christo et ecclesia avelli omnino nequeat. Nam de doctrina fidei agitur. „Spiritualis autem doctrinae et fidei primus et principalis doctor est Christus . . . Unde manifestum est quod in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae, sicut in primo et principali fidei doctore.“ S. Thom. III. 7. Porro Christi magisterium ab

[1]) Newman, *Development of Christian Doctrine*, p. 325 memorat: The principle of *dogma*, that is, supernatural truths irrevocably committed to human language, imperfect because it is human, but definitive and necessary because given from above.“

ecclesia continuatur; praestantes fidei ecclesiae testes sancti patres habentur. Itaque quaerendum est:

Primo. *Utrum consensus omnium patrum de doctrina fidei theologo certum praestet argumentum.*

Secundo. *De auctoritate patrum, si singillatim spectentur, in doctrina fidei.*

Tertio. *De regulis veri usus sanctorum patrum.*

Articulus I.

Utrum consensus omnium patrum de doctrina fidei theologo certum praestet argumentum.

I. De titulo sancti patris. Patres sensu proprio dicuntur *scriptores illi ecclesiastici, qui doctrina orthodoxa, sanctimonia, antiquitate notabiles ab ecclesia approbati sunt.* Qui istas qualitates 1° doctrinam orthodoxam, 2° sanctitatem vitae, 3° antiquitatem, 4° ecclesiae approbationem habent, illi vere *patres* ecclesiae sunt; doctrina enim et exemplis ecclesiam, adjuvante Christo, primo genuisse et enutrivisse censentur. Cf. S. Thom. *Expos.* in I. Cor. cap. IV. 15. Titulus autem „patris *fidei*“ S. Thomae, quia „solius Christi est“, displicet. *Contra errores Graecorum*, in fine.

Ob defectum doctrinae orthodoxae vel sanctitatis Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Eusebius Caesariensis, Theodoretus Cyrensis patres non habentur, sed *scriptores ecclesiastici.*

Patres in tres aetates distribuuntur, quarum *prima* priorum trium saeculorum (70—325) patres complectitur. Inter eos apostolorum discipuli eminent, qui nomine *patrum apostolicorum* decorantur, S. Clemens Romanus; auctor epistolae, qui dicitur S. Barnabae; S. Ignatius Antiochenus; S. Polycarpus; auctor Martyrii Polycarpi; auctor epistolae ad Diognetum; Papias; Hermas. *Altera* aetas ad obitum S. Leonis M. († 461) pertingit; *tertia* in ecclesia Latina clauditur a S. Gregorio M. († 604), in ecclesia Graeca a S. Joanne Damasceno († 754). Ab aliis tamen secunda aetas ad Gregorium M. et Joannem Damascenum, tertia ad S. Bernardum extenditur, qui *novissimus patrum* appellatur.

II. De titulo doctoris ecclesiae. 1° Doctores ecclesiae sunt *scriptores ecclesiastici, doctrina ovthodoxa, eruditione, sanctimonia praestantes, qui ab ecclesia doctores ecclesiae declarati sunt.* Ex quo perspicuum est, in *doctore* eruditionem eminentem vicem antiquitatis praestare; *patris* vero nomine, etiamsi tantae eruditionis non videatur, illum tamen insigniri, qui ceteris qualitatibus doctrinae canitiem adjungit, quam Aegyptius ille Graecis abjudicat. „Juvenes — inquit — estis omnes quod ad animas spectat. Nam nullam in his habetis ex antiqua auditione veterem opinionem, neque doctrinam, quae temporis diuturnitate canitiem contraxerit.“ Plato, *Tim.* Cf. Petav. *Dogm. theol.* Proleg. cap. II.; Fessler, *Institutiones patrologiae*, quas denuo recensuit Jungmann, 1890.

2° In numerum igitur doctorum viri sancti doctique omnium aetatum ab ecclesia adscisci possunt. *a)* Patres et *doctores per eminentiam* habentur quatuor Latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius M., nec non quatuor Graeci, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Chrysostomus. *b)* Patres et doctores sunt et Leo M., Hilarius Pictavinus, Petrus Chrysologus, Joannes Damascenus etc. *c)* Ex sanctis aetatis recentioris declarati sunt doctores Thomas Aquinas a Pio V. (1567), Bonaventura a Sixto V. (1588), Alphonsus M. de Liguori a Pio IX. (1871), Franciscus Salesius ab eodem Pontifice (1877). — Cf. Bened. XIV., *De servorum Dei beatif.* lib. IV. p. II. 11.

Semel ad totam hanc quaestionem dicamus, sanctorum patrum numero in his controversiis etiam illos scriptores ecclesiasticos conjungi, qui, uti ecclesiae doctores, ad patres propius accedunt.

III. De variis modis, quibus sancti patres considerari possunt. 1° Patres considerari possunt ut *testes doctrinae ecclesiae* vel ut *doctores privati.* 2° In patribus citandis adduci potest *a)* patris unius aut alterius proprium placitum, *b)* plurium consensus, *c)* omnium concors sententia. 3° Inter patres sunt duo disputationum genera, alterum earum rerum, quae vere ad fidem spectant, alterum earum, quae nec fidei dogmata sunt, neque ex illis deri-

vantur. 4° In eadem disputatione patres alia argumenta ex penu fidei, alia ex philosophia proferunt. Cf. Canum, *De loc. theol.* VII. 2. In hac thesi auctoritas patrum defenditur, in quantum sunt *a)* testes doctrinae ecclesiae, *b)* per omnium concordem sententiam, *c)* in rebus fidei et morum.

IV. Adversarii. Plurimi protestantes auctoritatem patrum, etsi tot ac talium virorum praestantissimorum scripta non plane et omnino contempserint, pro eo ac debuerunt, non prorsus venerati sunt. Namque 1° principia illa *spiritus privati* et *solius sufficientisque Scripturae* sicut ecclesiae ita et patrum quamlibet auctoritatem *decisivam* stirpitus auferunt. 2° Luther et Calvinus arbitrantur fieri posse, ut unanimis patrum doctrina cum Christo discordet. Ille nimirum affirmat: „Mille Cyprianos, mille Augustinos nihil valere, nisi aeterno Dei verbo concordent," *Contra regem Angliae;* hic autem: „Sic tamen in eorum (patrum) scriptis versamur, ut semper meminerimus, omnia nostra esse, quae nobis serviant, non dominentur; nos autem unius Christi, cui per omnia, sine exceptione, parendum est." *Instit.* Praef. — Dein Dallaeus, J. Clericus et Basnage vim consensus communis patrum debilitare conati sunt, atque ex nuperrimis Pédezert, *Le Témoignage des Pères,* 1892.

V. Decretum Tridentinum: „ad coercenda petulantia ingenia, (S. Synodus) decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat." Sess. IV.; cf. prof. fidei Pii IV.

Thesis: *Unanimis patrum consensus de doctrina fidei theologo certum argumentum praestat.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura. a)* Ad ecclesiae patres optimo jure creduntur spectare Christi verba: *Vos estis sal terrae. — Vos estis lux mundi.* Matth. V. 13, 14. Porro si patres omnes in doctrina fidei, hoc est, in rebus fidei et morum deficerent, *sal terrae* et *lux mundi* non essent. Repugnat igitur, patres simul omnes in rebus fidei et morum errare. Explicatur *major.* Etsi verba Christi proxime ad apostolos pertinent, ad patres tamen, quos Providentia divina prae ceteris doctores et institutores ecclesiae delegit, eadem verba extendi videntur. Unde S. Thomas: „*sal,* id est praedicator, vel praelatus, vel doctor." *Comm. in Matth.* l. c.

b) Quod divinitus datur *in aedificationem corporis Christi,* seu ecclesiae, penitus non corruet. Patres autem divinitus dantur ad aedificationem ecclesiae. Itaque penitus corruere, hoc est, omnes simul in fide errare, non possunt. Prob. *min.* ex Ephes. IV. 11—12.: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Apostolus iterum: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* I. Cor. XII. 28. Et explico. S. Scriptura in primo textu duo munia: *pastores et doctores,* conjungens, explicite praelatos, hoc est, doctores fidei authenticos designat. Cf. S. Thom. *In Ephes.* IV. lect. 4.; Franzelin, *De div. trad.* thes. 25. *Doctores* alterius textus, etiamsi hoc vocabulo hic episcopos designari non censeas, sub episcopis tamen suis, cum essent presbyteri, scripserunt. In utroque casu patres, quoniam ad ecclesiae aedificationem dati sunt, omnes simul in fide errare non potuerunt.

Arg. II. Doctrina ecclesiae praestat certissimum et infallibile argumentum. Atqui unanimis patrum consensus ecclesiae, quam in fide et moribus nunquam errare suo loco ostendimus, doctrinam exprimit. Quo in genere tria pensanda sunt.

a) Patres sancti simul omnes ecclesiae doctrinam scire potuerunt, cum essent docti et tenaces fidei investigatores, eamque exprimere voluerunt, cum essent sancti. Ergo fieri non potest, ut in testando ecclesiae doctrinam omnes decepti sint.

b) Fieri non potest, ut illi testes ecclesiae doctrinam perverse exprimant, quos ipsa ecclesia approbat. Atqui patres, in doctrina qualibet fidei consentientes, ab ecclesia approbantur. Et vero approbantur tum implicite, quia eorum doctrina *publica* nusquam et nunquam ab ecclesia improbatur; tum expresse, quia ecclesia universalis nunquam non professa est, se sequi unanimem consensum patrum.

c) Patres, cum essent Spiritu divino repleti et mundo corde, tanto ad veram doctrinam exprimendam lumine collustrati videntur, ut eorum omnium consensu nihil censeatur esse certius.

Arg. III. *Ex veterum testimoniis. a)* S. Irenaeus, *Adv. haer.* et Tertullianus, *De praescr.* manifesto docent, eorum omnino tenendam esse doctrinam, qui praedicatae in ecclesia fidei sunt testes authentici. *S. Hieronymus ait:* „Doctores ecclesiae non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus, rector et habitator illorum, qui sibi eos utilia vasa formavit et sancta templa construxit." *In Ep. ad Gal.* cap. I. 11—12. *S. Augustinus:* „Qui vero ab unanimi patrum consensu discedit, ab universa ecclesia discedit." — „Qui sanctos patres rejicit, fatetur, se universam ecclesiam rejicere." *Contra Julian. Pelag.* lib. II. 38. *S. Athanasius* de fide Nicaena: „nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam a patribus ad patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis. Cuncti vos aversantur." *De decr. Nic. syn.* cap. XXVII. *S. Basilius:* „Patrum vestigiis non insistere nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est, reprehensione digna, ut plena arrogantiae." *Ep.* 52. n. 1. Cf. Cyrill. Alex.

Ad anathem. VIII.; Zosim. *ep.* 5.; Vinc. Lerin. *Common.* cap. XXXIX. etc.

b) Ex conciliis. Concilia oecumenica, *Nicaenum* (cf. S. Athan. *ep.* ad Afros, n. 6.), *Cpolitanum* I. (cf. Socrat. H. E. ad a 381), *Ephesinum*, omnia denique oecumenica concilia passim fidem ex patribus probant; patrum fidem tenendam docent; ut quis iis obloquatur, non patiuntur. Quare patres *Ephesini* id credendum affirmant, „quod sacra sibi consentiens patrum tenuisset antiquitas". Act. I. Patres *Chalcedonenses* decreta sua firmissima esse his verbis significant: „Docuerunt enim patres, et in scriptis custodiuntur, quae ab eis sunt exposita, et citra ea dicere non possumus." Act. II. Cf. Conc. Nicaen. II. *Act.* IV.; Cpolitanum IV. *Act.* X. can. I. etc.; Fratres a Walenburch, *Tractatus V. De perpetua probatione fidei per testes.*

Quaeres I. *Quando communis patrum consensus adesse censeatur.*

Resp. a) Unanimis patrum consensus, ut verbis utar card. Perronii, cumulate probatus aestimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus orthodoxis semper adhaesit, dissentiat. *b)* Unanimis patrum consensus constat, si patres citati sunt tales, ut illos non aliud vere sensisse quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitet. Cf. Vinc. Lerin. *Common.* cap. XXX. *c)* S. Augustinus ex Occidentalium patrum communi mente idem sentientibus hunc in modum argumentatur: „Puto tibi eam orbis partem sufficere debere, in qua primum apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare . . . Non est ergo cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique Christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est, quia et fides ista Christiana est." *Contra Julian. Pelag.* lib. I. 4.

Quaeres II. *Quaenam sint regulae judicandi, utrum patres loquantur veluti traditionis et fidei testes.*

Resp. Patres ut testes traditionis fideique ecclesiae loqui censentur, *a)* si id vel expresse vel aequivalenter affirmant, puta hac formula: *credimus cum ecclesia catholica;*

b) si doctrinam aliquam ut ab omnibus credendam inculcant; *c)* si doctrinam contrariam tanquam haereticam aut receptae in ecclesia doctrinae repugnantem explodunt; *d)* si nunquam quemquam aliter sentire patiuntur.

Quaeres III. *Quid statuendum sit de certitudine argumenti, si patres ad unum omnes qua de re consentiunt.*

Resp. a) Si patres aliquod doctrinae caput formula quadam, ad regulas modo enumeratas referenda, proponunt, eorum consensus unanimis argumentum *infallibiliter* certum suppeditat. *b)* Si vero doctrina quaepiam ratione quidem suae materiae ad fidem et mores pertinet, sed ut ab omnibus tenenda non proponitur, omnium patrum in eo genere auctoritas argumentum *theologice certum* praebere videtur. Cf. quaest. IX. art. 6.

Quaeres IV. *Quaenam sit patrum auctoritas, si doctrinam fidei ut doctores privati exponunt.*

Resp. Patres ut *doctores privati* auctoritatem habent suorum argumentorum. Patres autem ut doctores privati loquuntur, quando non ex traditione et doctrina ecclesiae, sed e ratione propria aliquid asserunt. Verum si patres consensu unanimi doctrinae caput aliquod ad fidem Christianam pertinere pro certo affirmant, hoc ipso eorum effata non a doctoribus privatis prodiise constat.

Objectiones.

Obj. I. Errare in fide potest, qui non est infallibilis. Nullus autem pater est infallibilis. Ergo omnes simul patres in fide errare possunt.

Resp. Dist. minorem: nullus pater est infallibilis seorsum, *conc.;* patres simul omnes non sunt infallibiles, *subdist.:* ut doctores privati, *conc.;* ut testes fidei ecclesiae, *nego.* Patrum omnium auctoritas in eo maxime nititur, quod eorum consensus fidem exprimit ecclesiae, cui infallibilitatis charisma datum est divinitus. Quare S. Thomas: „Ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia catholica auctoritatem habet.“ II. II. 10. 12.

Instabis. Probare per patres ecclesiam, per ecclesiam

patres, est petitio principii. Atqui catholici per patres probant ecclesiam, quae patres approbatione sua facit.

Resp. Dist. maj.: est petitio principii, si hoc fiat sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso, *nego.* Et *dist.* minorem: catholici probant ecclesiam per patres, ut sunt testes historici, *conc.;* ut sunt patres, ab ecclesia approbati, *nego.* Similiter alteram minoris partem *dist.:* ecclesia patres approbatione sua facit praecise testes historicos, *nego;* testes suae fidei authenticos, *subdist.:* perspectis in eo genere meritis approbati, *conc.;* temere, *nego.* Captiosa nobis objici, satis apparet. Probantes enim religionis catholicae veritatem et ecclesiae auctoritatem, catholici patres tanquam testes historicos adversus acatholicos citant; inter eos autem, qui ecclesiae auctoritatem admittunt, patres adducuntur ut testes fidei, quam profitetur ecclesia.

Obj. II. Usu venit, ut patres in doctrina fidei ab invicem dissentiant. Ergo locus ex patrum auctoritate nullum argumentum certum theologo subministrat.

Resp. Dist. antec.: patres in doctrina fidei ab invicem dissentiunt, *dist.:* in fide definita, *nego;* in fide nondum definita, *subdist.:* quandoque et in aliquibus, *conc.*; semper et in omnibus, *nego.* Nemo sane dixerit, ob discordem patrum in aliquibus sententiam, argumentum ex eorundem concordi de aliis rebus doctrina quidpiam infirmari.

Instabis. Patres omnes simul ante concilium Nicaenum in fide errarunt. Patrum igitur unanimis consensus parum valet ad fidem comprobandam. Prob. *antec.* ex falsa opinione de regno Christi millenario, quam patres ante saeculum IV. secuti sunt.

Resp. Nego antec. Probationem antecedentis *dist.:* patres secuti sunt opinionem millenarii regni crassam, *nego*; moderatiorem, *subdist.:* eam opinionem patres aliqui secuti sunt et ex judicio privato, *conc.;* omnes simul et ex doctrina ecclesiae universalis, *nego.* Hic ob oculos habete, quae sequuntur.

a) Doctrina millenaria seu chiliasmus duplex est. 1° Chiliasmus crassus „Cerinthianorum, qui in ultima felicitate post resurrectionem mille annos in regno Christi secun-

dum carnales ventris voluptates fabulantur futuros", prout error ille ab Aquinate, *C. Gent.* lib. III. 27. describitur; cui errori admixta est restituendi Judaicarum caeremoniarum exspectatio. 2° Chiliasmus moderatior, cujus propugnatores, rejectis formis carnali et caeremoniali, doctrinae substantiam retinuerunt, asserentes, „primam resurrectionem futuram esse mortuorum, ut cum Christo mille annis in terra regnarent". S. Thom. *Sent.* IV. dist. 43. q. 1. art. 3. sol. 1. ad 4.; cf. *Supplem.* quaest. LXXVII. 1. ad 4.

b) Opinio millenariorum *substantialiter,* etiam amota fabula carnalium cupiditatum cultusque Judaici, jam dudum in ecclesia catholica explosa est tanquam error manifestus et abusus verborum *Apoc.* XX. 4.[1]) Utrum vero doctrina illa non tantum *erronea,* verum etiam *haeretica* dicenda sit, dubitatur; at regnum mille annorum, quod in terris post generale judicium fore perhibent, contrarium videtur concilio Florentino, quod decrevit, animas immaculatas aut purgatas „in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum".

c) Doctrina Papiae, Justini, Irenaei, Tertulliani, Methodii, Nepotis, episcopi Aegyptii, Victorini Petaviensis, Commodiani, Lactantii, qui ante tempora Nicaena chiliasmum docuisse censentur, auctoritatem consensus communis in testificanda ecclesiae fide non babent. Etenim 1° ipse S. Justinus Tryphoni scribit: „multos vero etiam qui purae piaeque sunt Christianorum sententiae, hoc non agnoscere tibi significavit", *Dial. cum Tryphone,* cap. LXXX.; atque Tatianus, Athenagoras, Theophilus, aetati huic suppares, chiliasmi immunes sunt. 2° Posthac Cajus, presbyter Romanus, millenarios confutavit (Eus. E. H. lib. III. 28); similiter Origenes, *De princip.* lib. II. 11; Dionysius Alexandrinus, *De promissionibus adv. Nepotem,* apud Eus. E. H. lib. II. 24.; quin imo nonnulli eo progressi sunt, ut Apocalypseos, quod ipsis videretur chiliasmo favere, non Joan-

[1]) Cf. S. Thom. locis cit.; Natal. Alex. *In saec. I.* diss. XXVIII. art. 2.; Franzelin, *De div. trad.* thes. XVI.; Muzarelli, *Diss. III.* De regno Millenario.

nem apostolum sed alium Joannem, virum apostolorum coaevum, auctorem esse contenderent. Eus. l. c. 25. 3° Patres chiliastae sunt a ceteris sejuncti, quippe quibus ex antecessoribus, Clemente Romano, Ignatio, Polycarpo, Herma, auctore epistolae ad Diognetum, faveat nemo; ex coaevis adversentur viri gravissimi, ex successoribus jam inde a saeculo IV. patres simul omnes. 4° Chiliasmus saeculo II. in Asia minori Papiam, episcopum Hierapolitanum, auctorem habuit. „Haec quidem — ait Eusebius — existimo ipsum apostolicis narrationibus praepostere intellectis supposuisse, cum quae in symbolis mystice ab eis dicta erant, non perspexisset.“ O. c. lib. III. 39. S. Augustinus omnes erroris illius stirpes ejecit.[1])

Urgebis. Patres antenicaeni fere omnes Arianismo praelusisse videntur.

Resp. Dist. antec.: patres antenicaeni in hoc ipso dogmate errarunt, *nego;* in aliquo modo enuntiandi dogma, *subdist.:* aliqui in quibusdam effatis, seorsum consideratis, *transeat;* si contextum et adjuncta respicias, *nego.* Cujus quidem responsionis ut veritas comprehendatur, tria in patribus antenicaenis observanda sunt:

a) Patres, qui Nicaeni concilii tempus antecesserunt, Christi divinitatem tam aperte et egregie docuerunt, ut 1° patres Nicaeni non nisi doctrinam, ab ipsis traditam, solemniter definiendam censuerint, et 2° ut populus Christianus, utique ab iis patribus per saecula duo edoctus, Arium horruerit. Cf. S. Athan. *De decret. Nic. syn.* cap. III.; S. Aug. *De Trin.* lib. I. 7.

b) Si patres aliquot, ipsam dogmatis substantiam tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil a regula deflexerint, vel alii, *re* prorsus consentientes, enuntiandi tantum modo peccaverint, optimo tamen jure Petavius judicat, eos „tametsi quaedam in usu cavenda de mysterio hoc nostro suis in libris adsperserint, alia quoque sana, et consentanea catholicae regulae iisdem in scriptis edidisse; tum in illis

[1]) Cf. J. Tixeront, *Hist. des dogm.* I: *La théologie anténicéenne,* et L. Gry, *Le Millénarisme dans son origine et son développement* (1904).

ipsis, quae abhorrentia videntur, elucere nihilominus communis, et integrae professionis summam.“ Enimvero haec, si diligentius exquiras, distincte consideranda sunt, lustratis patrum illorum effatis singulis; ideo remittitur res ad viros eruditos, qui de quaestione plene cumulateque disputarunt.[1])

c) Quod ad verborum delectum attinet, ex S. Thoma facile perspicitur, cur patres saeculi IV. et V. hac in re limatiores fuisse oporteret illis antiquioribus: „errores — inquit — circa fidem exorti occasionem dederunt sanctis Ecclesiae Doctoribus ut ea quae sunt fidei, majori circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos; sicut patet quod sancti Doctores qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expresse locuti sunt de unitate divinae essentiae, sicut Doctores sequentes: et simile de aliis contingit erroribus: quod non solum in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctorum Augustino expresse apparet. Nam in suis libris quos post exortam Pelagianorum haeresim edidit, cautius locutus est de potestate liberi arbitrii quam in libris quos edidit ante praedictae haeresis ortum . . . Et ideo non est mirum, si moderni fidei Doctores post varios errores exortos, cautius et quasi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei, ad omnem haeresim evitandam.“ *Contra errores Graec.*, prooem.

Obj. III. Uni Christo parendum est. Christus autem per Scripturas nos docet. Patrum ergo nulla est auctoritas.

Resp. Dist. maj.: Christo parendum est et ecclesiae rectoribus, a Christo constitutis, *conc.;* illis seclusis, *nego.* Et *dist.* min.: Christus per Scripturas fidem nos edocet, *et* per ecclesiam Scripturarum interpretatricem, *conc.;* ecclesia exclusa, *nego.* Fidei principalem primumque doctorem Christum agnoscimus; Christus autem ecclesiae ministerio utitur, ut fidem hominibus *proponat;* unanimis vero patrum consensus doctrinam ecclesiae, hoc est Christi, per ecclesiam loquentis, exprimit.

---

[1]) Cf. Petav. *De Trin.* praef.; Nat. Alex. *Saec.* II. et III. passim; Schwane, *Dogmengeschichte der vornicänischen Zeit;* Ginoulhiac, *Hist. du dogme catholique;* Th. de Regnon, *Etude de théologie positive sur la Sainte Trinité;* J. Tixeront, *Hist. des dogmes* I.

Instabis. Illos patres audire oportet, quorum fides magis pura et sincera fuit. Tales autem sunt patres saeculi I—IV., tanquam melioris adhuc aetatis. Illos igitur limites primordiales ne transgrediamur, prudentia admonet. Prob. *min.* Ut plurimum res, prout a sua origine recedunt, in pejus ruunt; patres ergo, prout ad Christum, originem suam, accedunt, fide digniores habentur.

Resp. *Nego* min. Probationem *dist.:* illa corruptio locum habet in rebus mere humanis, *transeat;* in ecclesia, *nego.* Et *dist.* conseq.: patres quo antiquiores eo fide digniores sunt, polemice, *conc.;* theologice, *nego.* Ecclesiam Christi in fide errare non posse, ex quaest. VIII. certo nobis persuasimus. Ergo *columna* illa et *firmamentum veritatis,* I. Tim. III. 15. non corruit. Patres igitur et antiquioris et posterioris aevi, quando doctrinae alicujus ecclesiae sunt testes unanimes, parem fidem faciunt. Exprimunt enim sensum ecclesiae, ecclesia doctrinam Christi. Polemice tamen, id est, in controversiis cum iis, qui ecclesiae infallibilitatem non credunt, patrum antiquiorum auctoritas, ut in historicis fit, ceteris paribus, habetur gravior. Plura apud Nat. Alex. *Saec.* II. diss. XVI.

Articulus II.

De auctoritate patrum, si singillatim spectentur, in doctrina fidei.

I. De patrum, si singillatim spectentur, in rebus fidei et morum auctoritate conclusiones quatuor. *a)* Generatim unius aut duorum sanctorum auctoritas, etiam in his, quae ad sacras Litteras et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. Ita Canus, *De loc. theol.* lib. VII. 3. Atque S. Augustinus: „Solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc deferre honorem, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam; alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate et doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos,

vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt." *Ep.* 19. ad Hieron. Nullus enim pater est auctor inspiratus aut infallibilitatis charismate donatus, ut fidei revelatae et ab ecclesia traditae testis infallibiliter certus per se habeatur. Qua de causa S. Thomas: „Auctoritatibus autem canonicae Scripturae (theologia) utitur proprie, ex necessitate argumentando. Auctoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt: non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta." I. 1. 8. ad 2.

b) Altera conclusio Cani haec est. Plurium sanctorum auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus, firma argumenta theologo sufficere et praestare non valet. In qua conclusione de illis paucis agitur, quorum opinatio non fuerit ab ecclesia rejecta. Si patres, qui dissentiant, paucissimi sunt et auctoritate relative inferiores, concinentium tamen patrum sententia plurimum valere poterit. Ceteroqui haec conclusio ex eodem argumento atque prima probatur. Fidei scilicet articulis inhaerendum est „propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis *secundum doctrinam Ecclesiae intelligentis sane*". S. Thom. II. II. 5. 3. ad 2. Atqui *intellectus ille ecclesiasticus* ex patribus dissentientibus per se certo non cognoscitur.

c) Interdum fit, ut plures patres, aliquam ecclesiae doctrinam testificantes, irrefragabile argumentum suppeditent. Id aliunde non gignitur nisi ex eo quod isti patres, etsi pauciores, omnium mentem expressisse censeantur. Qui casus incidit, quando patres pauciores diversis aetatibus et in regionibus pluribus in gravissima fidei causa doctrinam aliquam ut traditam et universalem proponunt, reclamante nemine; aut quando doctrinam aliquam fidei in publicis adversus haereticos disputationibus tuentur cum plausu omnium. Quamobrem S. Augustinus de S. Gregorio Nazianzeno: „Est tanta persona, ut neque ille hoc nisi ea fide Christiana omnibus notissima diceret." *Contra Julian.* lib. I. 16.

d) Non est aequalis omnium patrum auctoritas, sed ex singulorum indole, scientia, laboribus et praesertim *ex gradu approbationis* ecclesiae, quo loco quisque sit, dijudicari oportet. *Stella a stella differt in claritate*, I. Cor. XV. 42. Hoc de patribus etiam dici potest.

II. De diverso gradu approbationis patrum et doctorum in ecclesia. *a)* Primus gradus est approbatio, qua generali modo, ut cujuspiam opera divulgentur, permittitur. Vulgo negativam vocant. *b)* Secundus gradus est approbatio positiva sed tacita, quae longo usu fit, si cujus testimonium in scholis et universitatibus frequenter adducitur, suaque gloria Christianum orbem implevit. *c)* Tertius gradus est approbatio expressa et generalis, quae in eo consistit, quod alicujus scripta decreto Sedis apostolicae fidelibus commendentur; quae approbatio hujusmodi est, ut approbati doctrinae, seclusis etiam aliis rationibus, probabilitatem quandam conferat, donec contrarium probetur. „Probetur" — inquam — per evidentem rationem, non apparenti argumento cujusque minus periti; etenim „aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur". S Thom. II. II. 4. 8. ad 2. *d)* Quartus gradus est approbatio specialis, quae locum habet, quoties patris aut alius scriptoris ecclesiastici opera, sive omnia sive in determinata materia, tanquam catholica fidemque absque errore exprimentia commendantur, ut Augustini opera de gratia et libero arbitrio adversus Pelagianos et Semipelagianos. Alii plures gradus approbationis distinguunt, v. g. Contenson, *Theol. mentis et cordis*, lib. I. 2. specul. 3. septem; Joan. a S. Thoma, *Tract. de approb. S. Thomae*, disp. I. art. I. sex.

III. De auctoritate S. Augustini. *a)* S. Augustini doctrina de gratia praeclaris Romanorum Pontificum testimoniis speciali modo approbata est. „De arbitrio tamen libero, — ait Hormisdas — et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica, sequatur et servet ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, abunde possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa

capitula continentur, quae si ibi desunt et necessaria creditis, destinabimus." Joannes II.: „S. Augustinus, cujus doctrinam secundum praedecessorum meorum statuta Romana sequitur et probat ecclesia." *Ep.* ad senat. *b)* Leo XIII. quanti doctoris illius auctoritas generatim habenda sit, hunc in modum significat: „*contra omnes suae aetatis errores* acerrime dimicavit *fide summa, doctrina pari.* Quem ille philosophiae locum non attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive etc. Quanta de angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit?" Encycl. *Aet. Patris.* *c)* S. Thomas, cujus doctrinae praeconium a Romanis Pontificibus plurimis tributum est, S. Augustinum omnium patrum praestantissimum habet: „in uno — ait — egregio doctorum Augustino." *Contra errores Graec.* prooem.

Articulus III.

Regulae de usu sanctorum patrum.

I. Patres, quotiescunque extra res fidei et morum loquuntur, eam auctoritatem habent, quam Canus ita describit: „Sanctorum auctoritas, sive paucorum, sive plurium, cum ad eas facultates affertur, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuaserit." *De loc. theol.* VII. 3. Cujus conclusionis duae rationes proponuntur, videlicet 1° quod sancti auctores non essent adeo solliciti in philosophiae dogmatibus perscrutandis. Id autem de iis philosophiae partibus dictum existimes, quae veritatem religiosam parum attingunt; nec in iis quidem conclusio ad omnes patres, sed ad aliquos pertinet. 2° Nonnulli patres, cum in philosophiae quaestiones incidunt, Platonis aut aliorum philosophorum opinionibus utuntur. Quare S. Thomas de natura firmamenti disputans et exposita sibi adversa sententia: „alii

sancti — inquit — hoc tradiderunt, non quasi asserentes, sed sicut utentes his quae in philosophia didicerant: unde non sunt majoris auctoritatis quam dicta philosophorum quos sequuntur, nisi in hoc quod sunt ab omni infidelitatis suspicione separati." *In Sent.* II. 1. 2. ad 1. Sed patrum tamen et sanctorum ecclesiae doctorum auctoritas etiam in genere quaestionum mere philosophicarum quandoque argumenta praebet, non primario ut patres sunt, sed *ut philosophi* aut viri in arte quadam periti spectantur. Quod si cui regulae positae parum respondere videatur, ubi patrum in ejusmodi disputationibus auctoritas tantum pollere dicitur, „quantum ratio naturae consentanea persuaserit," considerari necesse est, regulam primam generatim esse positam, nulla ratione habita *auctoritatis philosophicae*, quam sancti non pauci artium studiis sibi compararunt, velut S. Augustinus et S. Thomas Aquinas. Et sane viri praestantissimi ingenii plurimas quaestiones philosophicas, quibus examussim disputandis neque experimentis repetitis neque perfectissimis instrumentis opus est, accuratissime exponere potuere, non tantum ut aetate illa, sed absolute. Atqui tales in patrum doctorumque coetu fuerunt Augustinus et Angelicus. Huc retulerim, quod dixit Leo XIII.: „primi Ecclesiae Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinae voluntatis consilio, restitutorem humanae etiam scientiae esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia[1]) et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi,*[2]) veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere: prudentique delectu quae in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, ceteris omnibus vel emendatis, vel rejectis. Nam providentissimus Deus, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos, magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos objecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur." Encycl. *Aeterni Patris.*

[1]) I. Cor. I. 24.
[2]) Coloss. II. 3.

II. Patres, cum res physicas, astronomicas et alia hujusmodi, quae in Codicibus sacris occurrunt, coaevis suis exponunt, generatim non ex mente ecclesiae loquuntur, neque saepius ex mente propria sed philosophorum sententias ad suas interpretationes assumunt. Patrum igitur in talibus adjunctis auctoritas major non est quam illa philosophica. Aquinas quid ea de re senserit, plura probant. *In Sent.* II. 14. 1. art. 2., patrum de firmamento opiniones expediens ait: „expositores sacrae Scripturae in hoc diversificati sunt, secundum quod diversorum philosophorum sectatores fuerunt, a quibus in philosophicis eruditi sunt.“ De patribus autem nonnullis sibi hac in re adversis: „alii sancti hoc tradiderunt, non quasi asserentes, sed sicut utentes his quae in philosophia didicerant; unde non sunt majoris auctoritatis quam dicta philosophorum quos sequuntur, nisi in hoc quod sunt ab omni infidelitatis suspicione separati. Alias de luce disserens, argumentum ex Augustini auctoritate confutat his verbis: „Augustinus non intendit hoc asserere, quasi fidei conveniens, sed sicut utens his quae philosophiam addiscens audierat. Et ideo illae auctoritates parum cogunt.“ *Sent.* II. 13. 1. art. 3. ad 1. Praeterea vidimus, quantum ad modum quo S. Scriptura de hisce rebus loquitur, hanc Angelici esse sententiam: „loquitur enim secundum existimationem vulgarium hominum, prout est mos in sacra Scriptura.“ In Job XXVI. 7.; cf. I. II. 98. 3. ad 2.; *Quaest. disp. De potentia* IV. 2. ad 30. et 31.; *In Sent.* II. 1. 2. et ad 7.; 14. 1. 5. ad 1. Unde Augustini et Aquinatis notum illud praeceptum, in hujusmodi quaestionibus duo esse observanda, videlicet ut veritas Scripturae inconcusse teneatur et ne infidelibus via credendi praecludatur. S. August. *In Gen.* I. 18.; II. 9.; S. Thom. I. 78. 1.; *Quaest. disp. De pot.* IV. 2.; *In Sent.* II. 12. 1. art. 2.; *Resp. ad Joan. de Vercellis,* praef.[1])

III. Ratio habenda est modi loquendi sanctorum

[1]) Cf. A. Schöpfer, *Bibel und Wissenschaft* (1897); G. Boffito, *Cosmografia primitiva, classica e patristica* (1903).

patrum. Patres diversis modis locuti sunt, videlicet *dubitative*, nihil pro certo affirmando; *recitative*, aliorum sententiam referendo, nihil tamen tanquam propriam statuendo; *assertive*, aperte declarando doctrinam, quam approbent aut a qua discordent. Et quoniam concionatores a formulis paulisper exaggeratis interdum non refugiunt, ideo considerare usus est, utrum patres rem aliquam scientifice an concionatorie asserant; neque, si quae videantur hyperbolice dicta, haec nimis urgeas.

IV. Rerum adjuncta, in quibus patres scripsere, consideranda sunt. Jam tria ponderanda sunt. *a) Quis* sit pater, cujus adducatur testimonium. Omnes enim non eodem gradu esse scimus, et plus esse tribuendum illis, qui aut universim aut in quadam doctrina exponenda excelluerint, quam aliorum judicio. *b) Quando* pater scripserit. Interest enim plurimum, utrum pater aliquis ante haeresin exortam de quopiam fidei capite scripserit an postea; siquidem facta docent, hunc saepe fuisse fructum haereseos, ut fidei modo magis scientifico tractandae fuerit occasio. S. Thom. *Contra error. Graecorum*, prooem. Praeterea scriptores ecclesiastici nonnulli, modo perturbatione quadam animi abducti, modo ecclesiae fidem deserentes, sua se auctoritate aut ex parte aut totaliter exuerunt. Ex primo genere fuit S. Cyprianus in lite de baptismo, ab haereticis collato; ex altero lugubris Tertullianus, ad Montanistarum errorem delapsus. *c) Quibus* pater proxime scripserit; patres enim cum ea scriberent, quae a catechumenis et ab ipsis paganis legerentur, mysteriorum doctrinam interdum minus explicite declararunt. Cf. Tert. *Apol.* VII. etc.; Schelstrate, *Antiquitas illustrata* et *De disciplina arcani contra disput. Ern. Fenzelii dissert. apolog.*; P. Batiffol, *Études d'histoire* (3. édit. 1905), p. 28—41.

V. Nullus pater tantae auctoritatis est, ut ad ecclesiae definitiones non respiciendum sit. Egregie S. Augustinus: „Non accipio quod de baptizandis haereticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.“ *De bapt.* II. 3. Hoc idem S. Thomas significat: „magis standum est aucto-

ritati Ecclesiae quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris." II. II. 10. 12. Atque Alexander VIII. die 7. Dec. 1690 hanc propositionem prohibuit: „Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam."

VI. Maxima semper patribus debetur reverentia. Hujus reverentiae signa sunt, *a)* patres nusquam despicere neque ob rationes leves doctrinam eorum pro nihilo habere: „noli — ait S. Augustinus — meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione colligere." *De Trin.* lib. III. prooem. *b)* Alterum reverentiae signum est, dicta patrum ambigua non ad errores suos trahere, sed ex contextu aliisque doctrinae sanae indiciis in sensum catholicum explicare. Janseniani igitur errarunt, cum Baji et Quesnelli propositiones ex eo defenderent, quod earum quaedam paene verbis S. Augustini conceptae sint. Cf. Franz. *De div. trad.* thes. XV. *c)* Quod completur illa S. Thomae regula: „si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quae cum tanta cautela non dicantur, quanta a modernis servatur, non sunt contemnenda aut abjicienda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter." *Contra errores Graec.* prooem. *d)* Depravare autem patrumque dicta detorquere in perversam sententiam, cogere sanctos, ut sese adjungere videantur viris haereticis aut incredulis, res indigna est; quod ecclesiae hostes saepe nimis non viderunt, veluti Courdaveaux, patrum adulterator in opere, quod inscripsit: *Comment se sont formés les dogmes. Conférences faites dans les loges de France et de Belgique.* 1889.

VII. In alligandis patrum sententiis judicio et eruditione opus est. Aqua sapientiae si ex ipsis fontibus hauriatur, purior erit. Multa per plures generationes ex aliis enchyridiis in alia transferuntur, tanquam massa quaedam, vita carens, omnino muta. Vivit mens sanctorum patrum in originalibus, ubi et idearum connexio et ipsae conceptuum radices cernuntur. Et, si recentiorum

labores non praetermittuntur, facilius quid rejiciendum ut falsum sit, quid ulterius investigandum ut dubium, quid assumendum ut novum, etiam in rebus gravioris momenti reperiemus. Patrologiae criticae subsidiis veterum monumenta quasi renovata novam vitam spirabunt.[1])

Quaestio XXI.

De auctoritate theologorum.

Sicut in omnibus causis auctoritas digna potest et debet valere plurimum (Cic. *De Tusc. quaest.* lib. I.), ita et in theologicis disputationibus. Eo magis in his, quod theologia procedit ex principiis, ab ipso Deo revelatis: videlicet revelata principia propter auctoritatem Dei revelantis creduntur. S. Thom. I. 1. art. 2. Itaque comperto, patrum omnium consensionem in theologia esse firmissimum argumentum, expendere oportet, utrum et theologorum auctoritas nata atque apta sit ad doctrinae cujusquam divinam originem designandam probandamque. Hic est locus septimus, de quo duo inquirenda sunt:

Primo. *Utrum concors omnium theologorum sententia in rebus fidei et morum certum praebeat argumentum.*

Secundo. *De auctoritate S. Thomae Aquinatis.*

[1]) A. Ehrhard, *Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung seit 1880* (1894); et: *von 1884—1900* (1900). — Omisimus nonnulla alias formulas apud auctorem suum habere atque vulgatum est, v. g. hoc S. Augustini: „grandes passus extra viam“ pro: „magnae vires et cursus celerrimus praeter viam,“ *Enarr. in Ps. XXXI.* 2. 4. Cf. de sententia: „*In necessariis unitas*“, et de quibusdam aliis id genus *Hist. Jahrb.* 1902, p. 4.

Articulus I.

Utrum concors omnium theologorum sententia in rebus fidei et morum certum praebeat argumentum.

I. Theologi positivi et scholastici. Theologos hic eos intelligimus viros doctos, qui, elapsa patrum sanctorum aetate, doctrinam sacram in ecclesia scientifice docuerunt. Theologi in *positivos* et *scholasticos* dividuntur; neque tamen illa nominis diversitas doctrinae diversitatem indicat, sed variam rationem defendendae unius fidei et revelatae veritatis. Theologia autem *positiva* dicitur, quae ex S. Scripturis, traditione, conciliis oecumenicis aliisque documentis positivis veritates fidei probat et ex veritatibus revelatis alias deducit, minus tamen adhibitis philosophiae adjumentis. *Theologia scholastica* probationem positivam ac philosophicam et systematicam totius doctrinae Christianae dispositionem atque tractationem conjungit: „cum illud sit — ait Leo XIII. — scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint." Enc. *Aeterni Patris.* Nec id dictum, excluso inter optimos scholasticos usu sanctorum patrum. Multum enim valuit theologia positiva apud Petrum Lombardum, Alexandrum Halesium, Aquinatem; multumque semper valebit quamdiu scholastica non pro schola sed pro vita laborabit.[1])

Auctoritatem etiam *juris Pontificii* seu *canonici* prudentium, in quantum jus doctrinae fidei et morum connexum est, ad usus theologicos plurimum valere opinamur. De collectionibus decretalium cf. Laurin, *Introductio in corpus juris canonici;* J. Laurentius, *Institutiones juris Ecclesiastici* (1903) et alios, qui de Jure scripserunt. De auctoritate juris canonici doctorum tractant Canus, *De loc. theolog.*

---

[1]) Cf. A. Lemonnyer, *Rev. du Clergé français,* 1903; J. Turmel, *Hist. de la Théologie positive* (1904); Gardeil, *La documentation de S. Thomas,* in period. *Rev. Thom.* 1904 et 1905; Douais, *L'État des études théologiques* (1904).

lib. VIII. 7.; Gotti, *De loc. theol.* q. III. dub. IX.; Berthier, *Tract. de loc. theol.* lib. II. sect. II. 2.; alii.

II. De magna theologiae scholasticae praestantia. Scholasticam inter scholas nulla inferiorem esse eamque ad argumentandum theologo plurimum conferre, multa probant.

1° *Indoles ipsa scholasticae.* Insitum erat scholae illi a S. Scripturis et traditione, ab ecclesia sane intellectis, non digitum transversum discedere pariterque fidei profunda, quoad fieri potest, indagare; quibus studiis quam penitus prisci scholastici doctrinam ecclesiae cognoverint, facile licet intelligi. Testes igitur *intellectus ecclesiae* sunt perquam idonei. Cf. S. Thom. I. 1. 5—8.; *Quodl.* IV. 18.

2° *Diuturnus usus scholae in ecclesia.* Praetermitto patrum aetatem, cum scholasticae *substantia*, hoc est, fidei et philosophiae conjunctio, exsisteret quidem, sed systematica totius theologiae tractatio nondum coepisset in usu esse tanquam regula. S. Joannes Damascenus († 787?) edito opere, quod inscribitur *Expositio accurata fidei orthodoxae,* systematicam totius theologiae dispositionem reliquit; in libro, qui inscribitur *Capita philosophica, dialectica,* theologum ad *philosophicam* doctrinae Christianae probationem *positivae* conjungendam praeparavit. Eodem fere tempore a Beda Venerabili, Alcuino aliisque scholastica fundari coepit. S. Anselmus Cantuariensis (1033—1109) scholam maximopere promovit, quae saeculo XIII. sub S. Thoma Aquinate et S. Bonaventura maxime floruit. Saeculis sequentibus in ecclesia magnus fuit scholae usus et auctoritas eamque impugnatam ab erroribus, quibus populus Christianus saeculi XV. et XVI. afflictus est, strenue vindicarunt Cajetanus, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses, Suarez, magistralibus operibus. Ne longus sim, scholastica communis fuit media aetate; modernis etiam temporibus generatim plurimum inter viros ecclesiasticos valuit; nec ulla temporum iniquitate sic deleta est, ut funditus interiret. Cf. infra Pii IX. *lit. ad archiep. Monoc.* 21. Dec. 1863.

3° *Ecclesiae judicia. a)* Leo XIII. scholasticam his laudibus ornavit: „mediae aetatis Doctores, quos Scholasticos

vocant magnae molis opus agressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. — Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, juvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris Nostri, Sixti V., fusius aperire: „Divino Illius munere qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a majoribus nostris sapientissimis viris Theologia scholastica quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, clarissimi hujus facultatis professores . . . excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est.“ Enc. *Aet. Patris.*

b) Pius IX. in Syllabo notavit hanc prop. 13.: „Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.“

c) Pius VI. eos, qui propter aliquorum scholasticorum vitia scholasticam ipsam exagitarunt, in hunc modum damnat: „Insectatio, qua Synodus (Pistoriensis) scholasticam exagitat velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis*

et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum; quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt; falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis." Const. *Auctorem fidei;* prop. 70.

III. Status quaestionis. 1° Theologi considerari possunt ut *testes fidei* ecclesiae et ut *doctores privati:* habentur *testes fidei*, si doctrinam aliquam proponentes, sese fidem revelatam, aut rem ad fidem ac mores pertinentem, aut intellectum ecclesiasticum exprimere significant; *doctores privati* sunt, quando opinionem privatam aut argumentationes ex mera philosophia proponunt. 2° Theologi docent aut ut *pastores et doctores*, qui ad organum ecclesiae authenticum divinitusque institutum pertineant, aut tanquam *doctores,* quibus docendi charismate utcunque praeclaris, pastoris tamen principisque ecclesiae munus non competit: sub primo respectu non considerantur, nisi sint episcopi. 3° Theologi aut *consensione communi* et *definitive,* aut *inter se dissentientes* et *probabiliter* ac *dubitative* doctrinam aliquam defendunt, uti Angelicus, qui, inquirens, utrum animae in purgatorio pro viventibus orent, ita respondet: „Illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad poenas quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis". II. II. 83. 11 ad 3. Hic quaeritur de theologorum auctoritate, si tanquam fidei testes, non *ut* praelati sed *ut* theologi, consensione communi et definitive dogma aliquod asserunt. De praelatis enim et ecclesia docente pridem, quaest. VIII., egimus.

IV. Errores. Mirum non est, si homines ecclesiae infensi theologorum auctoritatem contemnunt. Error duplex erroneam illam theologorum contemptionem aut gignit aut praeparat. 1° Adversarii theologos ab infallibili ecclesiae magisterio disjungunt; quo fit, ut a theologorum consensione illud tollatur, quod firmam certamque auctoritatem conferat, connexio scilicet theologorum universorum cum ecclesia.

2° Wicleff, humanistae juniores Erasmo instigante, novatores saeculi XVI., Lutherus et Calvinus, scholasticam valde detestati sunt; cujus odii *praetextus* nonnullorum scholasticorum vitia fuere, *causa* conceptus adulteratus de ipsa ecclesia. At oportet ea, quae theologi ex mente ecclesiae proponunt, ab iis secerni, quae in privatis aliquorum disputationibus vitiosa sunt.

Thesis: *Concors omnium theologorum sententia in rebus fidei et morum certum praebet argumentum.*

Argumenta.

Arg. I. Ecclesia in fide et moribus errare non potest. Atqui consensio omnium theologorum, asserentium, talem doctrinam ad ecclesiae fidem pertinere, fidem ecclesiae vere exprimit. Ergo concordem theologorum illam sententiam erroneam esse, falso dixeris. Prob. *min.* Revera theologi, nisi stupidos prorsus et hebetes dixeris esse omnes, scire possunt, quid ecclesia credat et doceat; „nec ipsi — ait Joannes a S. Thoma — sic concordant, nisi quia ecclesia virtualiter ita approbat, vel definivit, vel ex Scriptura deducitur.“ *Cursus theol.* q. I. disp. II. 12. n. 9.

Arg. II. In ecclesia non potest esse error damnabilis. Jam vero erronea omnium simul theologorum sententia ipsius ecclesiae infallibilem auctoritatem in discrimen adduceret. Ac vero Aquinas, Augustini verbis usus, theologiae illud attribuendum esse docet, „quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.“ I. 1. 2. Errantibus ergo theologis universis, fidelium fides periclitatur. Et sane sive qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, quin imo judicium ecclesiasticum in definiendo et reprobando, concordem et constantem omnium scholarum sententiam tenere consueverunt. Cf. Can. *De loc. theol.* lib. VIII. 4. — Quid superest? Ecclesia errorem communem, cui non resisteret, approbare putaretur. Igitur si universi theologi, nemine in ecclesia repugnante, de doctrina quapiam inter se concinunt, non est error sed veritas. Ita Pius IX. nonnullorum falsam arguit opinio-

nem „adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit". *Lit. ad archiep. Monac.* 21. Dec. 1863.

Objectiones.

Obj. I. Nullum est argumentum, cur theologos credamus erroris esse nescios. Ergo ex loco septimo argumenta satis firma non eruuntur.

Resp. Dist. antec.: theologi non creduntur erroris nescii in se, *conc.;* connexi cum ecclesia, *subd.:* ecclesiae mentem exprimere creduntur theologi universi, *conc.;* singuli, *nego.* Theologorum auctoritas in eorundem connexione cum ecclesia fundatur; quae connexio, utrum in quaestione aliqua reipsa exsistat, ex consentiente theologorum omnium doctrina dignoscendum est.

Instabis. Nullus scrupulus animum habere debet, si dogmatibus, ab ecclesia expresse definitis, fides et obsequium adhibeatur. Atqui perspicuum est, non omnia, quae theologi universi docent, esse dogmata expresse definita.

Resp. Dist. maj.: nullus scrupulus animum habere debet, si dogmatibus istis obsequium adhibeatur, exclusis quibuscunque aliis veritatibus, *nego;* aliis plurimis non exclusis, *conc. Concessa* minore, *nego* conclusionem. Tantum abest, ut fidelium subjectio ad dogmata expresse definita limitetur, ut omnes veritates revelatas, etiam magisterio ecclesiae ordinario propositas, necnon conclusiones theologicas admittere necesse sit. Rursus in thesis probatione vi-

dere est, theologorum concordi sententia manifestari, quid ecclesia sive ordinario magisterio sive solemni confiteatur. Neque Pius IX. theologos ecclesiae non conjunxit, cum decerneret fidelium subjectionem esse „ad ea quoque extendenda quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, *ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur*“. *Ep. ad episc. Monac.*

Obj. II. Veritas immutabilis est. Atqui non repugnat, sententiam theologorum aliquando communem postmodum unanimi consensu deseri. Unanimis igitur theologorum consensus non praebet argumentum certum veritatis.

Resp. Dist. min.: ista mutatio fieri potest, si theologi sententiam de re aliqua ferunt ut doctores privati aut opinionis instar, *conc.;* si rem ut testes fidei ecclesiae decreto certo affirmant, *subd.:* in ea sententia, quae sit communis sensu latiori, *conc.;* sensu strictiori, *nego.* „Non enim — ait Canus — si quidquam in schola bonis etiam temporibus inveteravit, mox fidei dogma existimandum est.“ *De loc. theol.* lib. VIII. 5. Videlicet theologorum sententia et ecclesiae doctrina non connexae sunt: *a)* si res ipsa ad fidem non pertinet; *b)* si theologi suas opiniones, dubia, non firmas certasque persuasiones et sententias, exprimunt; *c)* si sententia communis est tantum plurium theologorum, aut omnium, sed unius scholae, puta Thomistarum aut Scotistarum; *d)* si sententia non est tam constans, ut theologis universis vere admissa fuisse videatur. Poterit igitur, progrediente cognitione veritatis, aliquando theologorum mutari sententia. „Quod enim — ait Bannez — in uno tempore occultatur, postea per diligentiam et studium advenientium multoties innotescit. Quare semper juniorum sententia requirenda est, antiquis tamen proprius honor deferendus.“ In I. q. 1. 8.

Instabis. Si fieri potest hujusmodi commutatio, juniori cuique integrum est, ut, relicta theologorum veterum sententia, novam introducat. Ergo theologorum auctoritas practice imbellis est.

Resp. Dist.: id juniori cuique integrum est, si qua de

quaestione fidei et morum sententia reperitur communis proprie dicta, *nego;* extra casum istius communis sententiae, *subd.:* si rationes proferuntur graves pro nova sententia ac veteri contrariae, *transeat,* secus, *nego.* In rebus fidei ac morum leviter agere nunquam licet. Atque Alexander VII. die 24. Sept. 1665 hanc propositionem damnavit: „Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem."

Urgebis. Vix aut ne vix quidem erit sententia, cui non reperiatur contraria.

Resp. Dist. antec.: et hoc militaret contra auctoritatem universorum theologorum, si ad auctoritatem illam opus esset concordia metaphysica, *transeat;* moralis, *nego.*

Obj. III. Theologia, nimium ad sophisticas argutias delapsa, jure merito negligitur. Atqui theologi scholastici ad sophisticas argutias delapsi sunt. Ergo saltem scholasticis auctoritas nulla tribuenda est.

Resp. Dist. maj.: theologia negligi potest, in quantum est sophistica, *conc.;* in quantum intellectum ecclesiasticum testatur, *nego. Dist.* etiam minorem: ad sophisticas argutias delapsi sunt scholastici quidam, *conc.;* omnes, *nego.* Hic tria notanda sunt.

a) Catholici non diffitentur, aliquoties in theologiam hominum vitia irrepsisse. Neque Canus id texit. „Intelligo autem fuisse in schola — inquit — quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quaestiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere a puerilibus disciplinis; scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur: nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum faeces in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum." *De loc. theol.* lib. VIII. 1.

b) Illa vitia aliquorum sunt; nec ex ipsa indole scholasticae orta. „Minime vero — ait Canus — assentior iis, qui ex circulorum scholasticorum disputationibus ortam esse pertinaciam volunt, irritationemque scalpendi omnia. Quin istiusmodi malorum existimo in moribus esse culpam, non in schola. Moderati enim, nec contentiosi homines, nec pertinaces, quascunque res sobrie, ad temperantiamque definient. Quod cum omnibus est faciendum, qui disciplinam quamlibet profitentur, tum nemini potius quam Theologo. Fuere autem sine dubio in schola multi, qui his vitiis declinatis, rem Theologicam graviter sane ac modeste tractarunt. Nam quos isti pertinaces vocant, omniaque scalpentes Theologos, paucos, si vere loqui volunt, significare possunt.“ Loc. cit. Nonnulli autem scholasticae intelligentiam non nisi ex adversariorum sententia exprimunt, ut Liebermann cum diceret: „Quando vero artificiose magis, quam theologice de divinis disserit (theologia), et nimia curiositate quaestiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit, cujus non velit rationem reddere, tunc *scholasticae* nomen obtinet.“ *Instit. theol.* Proleg. cap. I. § 4.

c) Si qua in disputando theologus scholasticus nimia subtilitate usus est, non illico habeatur inhabilis testificando, quid illa aetate docuerit ecclesia.

Instabis. Theologorum auctoritas minus valet, si theologi, neglectis sanctorum patrum tractatibus, non nisi ex philosophia disputent. At scholastici patrum opera, non pro eo ac debuerant, legisse feruntur.

Resp. Dist. maj.: ejusmodi theologorum auctoritas minus valet in iis, quae ex sola philosophia disputant, *conc.*; in iis, quae ex fide ecclesiae docent, *nego.* Et *dist.* min.: sanctos patres non satis legerunt scholastici universim, *nego*; aliqui, *subdist.:* neglectis omnino fontibus revelationis, *nego*; minus investigatis patrum codicibus, *conc.* Scholastici universim tantum abfuit ut patrum tractatus negligerent, ut nonnullorum opera patrum compendia habueris. Praeclarum quidem Leonis XIII. in eam rem testimonium: „mediae aetatis doctores, — ait — quos *Scholasticos* vocant,

magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem.“ Enc. *Aet. Patris.* Habent tamen hoc scholastici aliqui, qui post S. Thomam et S. Bonaventuram scripserunt, ut inventos patrum thesauros conservarint potius quam auxerint; ut generatim scholastici doctrinae suae substantiam e puris fontibus S. Scripturarum, ex textibus patrum, sive propria industria inventis sive pridem divulgatis, atque ex vivo ecclesiae magisterio derivarunt.

Quaeres. *Quanta sit certitudo argumentorum, quae ex omnium theologorum communi de re quadam fidei aut morum sententia sumuntur.*

Resp. a) Si theologi omnes non ex opinione, sed certo et firmo decreto docent, non solum doctrinam aliquam esse certam, verum etiam per aliquam formulam manifestam, uti: *haereticum est, erroneum, de fide*, certo, non ex opinione, affirmant, illam a fidelibus firmiter esse credendam, argumentum, ex hujusmodi auctoritate sumptum, *infallibiliter certum* est. Cf. Can. *De loc. theol.* lib. VIII. 4—5; XII. 6; Joan. a S. Thoma, quaest. I. disp. II. 12. n. 9.

b) Si theologi omnes inter se concinentes doctrinam quamlibet tanquam certam tradunt, quae ratione suae materiae ad fidem ac mores pertinet, sed sub nulla formula proponitur, qua theologi doctrinam aliquam ab omnibus amplectendam esse significant, argumentum, ex hujusmodi auctoritate petitum, *theologice certum* habetur.

c) Cujus quidem distinctionis, scilicet *infallibiliter certi* et *theologice certi*, quae et in patrum auctoritate locum habet, haec est ratio, quod theologorum auctoritas firmitudinem accipit ab infallibilitate ecclesiae. Jam vero in primo casu concors omnium sententia de veritate, ab omnibus fidelibus tenenda, manifestissime ostendit, eam veritatem ab ipsa ecclesia proponi tanquam tenendam ab omnibus; in altero casu talis ecclesiae propositio non exprimitur.

Articulus II.

De auctoritate S. Thomae Aquinatis.

I. Status quaestionis. De Thomae auctoritate disserentes spectare possumus, *aut* ejus auctoritatem mere philosophicam, id est, in rebus, quae non nisi ad philosophiam pertinent, *aut* methodum et rationem disputandi, *aut* quanti ponderis esse debeat apud omnes illius de rebus fidei ac morum sententia: et in isto genere tertio Thomae auctoritatem considerabimus. At haec ipsa auctoritas, quoniam plures sunt gradus, accuratius determinanda est. Recensita sunt p. 796 quatuor gradus approbationis ecclesiasticae, ex quibus totidem gradus auctoritatis doctorum exsistunt. Auctoritas, quae ex primo, secundo et tertio approbationis gradu nascitur, communi catholicorum consensu Thomae tribuitur. Reliquum est, ut inquiratur, utrum Thomae competat auctoritas illa praecipua, quam approbatio ecclesiae *specialis* scriptoribus ecclesiasticis in gradu quarto largiatur.

II. De gradu auctoritatis Angelici. Supra gradum approbationis quartum diximus esse *approbationem specialem*, quae locum habet, quoties alicujus scriptoris ecclesiastici opera, sive omnia sive in determinata materia, tanquam catholica fidemque sine errore exprimentia, commendantur. Specialis illa approbatio intelligi potest 1° ut *definitiva*, quae habetur in hoc Gelasii I. judicio de epistola Leonis M. ad Flavianum, Cpolitanum episcopum: „cujus textum quispiam si usque ad unum ista disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter susceperit, anathema sit;“ 2° ut *electiva* modo quodam speciali, antelato tali doctore reliquis omnibus; 3° utraque approbatio aut doctoris sententias *omnes et singulas* attingit aut doctrinam *generatim*. Jam vero S. Thomae vindicatur ea auctoritas, quam approbatio *electiva specialis* eaque *doctrinae generatim* tribuit. Quamvis enim nonnulla doctrinae capita ex Aquinatis operibus in conciliis oecumenicis definita sint, et *Officium de festo Corporis Christi* ex usu solemnissimo et univer-

salissimo in liturgia sacra *definitive* approbatum esse censeatur, ecclesia tamen Thomae doctrinam non approbavit „discutiendo singulos articulos, propositiones, et earum probabilitatem, vel veritatem augendo suo examine et judicio, multo minus definiendo singula definitiva approbatione, quae est fidei". J. a S. Thoma, *De approb. doctrinae S. Thomae,* disp. I. art. 3.

Auctoritas igitur, quae posthac in thesi *specialis* vocatur, duo complectitur: „1° in operibus S. Thomae nobis exhibetur corpus doctrinae, in quo, si substantialia ejus spectes, nihil reperiatur, quod defendi non possit; 2° corpus illud doctrinae, si cum aliorum doctorum placitis comparaveris, tale est, ut Thomae doctrina haberi debeat magis veridica et sincerior, et conformior veritati." Cf. Schaezler, *Introd. in S. Theol. dogm.* sect. II. art. 3.; Joan. a S. Thoma, l. c.; Serafino Piccinardi, *De approbatione Doctrinae S. Thomae Aquinatis,* apud card. Zigliara, *Il dimittatur.*

III. Adversarii. Durandus a Sancto Porciano († 1332), dictus doctor resolutissimus, Thomae auctoritatis primo defensor, postea vero impugnator acerrimus exstitit. Jam Lamaraeus, doctor Oxoniensis, anno circiter 1284 contra Thomae doctrinam librum in lucem protulit, qui inscribitur *Correctorium Thomae.* Inter protestantes S. Thomas acres habuit adversarios; vocatur enim a Luthero *phiala irae Dei.* Hinc illud, Novatoribus saeculi XVI. adscriptum: „tolle Thomam et dissipabo ecclesiam." [1]) Famosus inter alios Thomae contemptor fuit Cas. Oudin, Calvinista. Petrus Zornius Hamburgensis contra Thomam scripsit opus *De varia fortuna sancti Thomae Aquinatis in scholis Pontificiorum, praesertim Gallorum,* prima vice Rostochii anno 1706 editum; eodem fere tempore Tribbechovius Saxo-Gothanus librum *De doctoribus scholasticis* adversus Angelicum vulgavit. Alii non pauci, quos inter moderni complures, Thomae philoso-

[1]) Sybel, *Hist. Zeitschrift,* 1875 haec scripsit: „das halten wir für gewiss; mit der Herrschaft des Thomas von Aquin wird die der römischen Kurie zerschmettert werden;" quod est fere idem ac illud: *tolle Thomam et dissipabo ecclesiam.*

phiam aversantur; de quibus quaest. XXIII. mentionem inferam.

Thesis: *S. Thomae competit auctoritas specialis.*

Argumenta.

Arg. I. S. Thomae auctoritas specialis est, si Romani Pontifices corpus doctrinae Thomisticae prae ceteris doctrinis ut viam tutam directionemque ad veritatem assequendam commendant. Jam haec commendatio ex factis certissimis patet. Nam enumerare possumus multorum Pontificum antiqua judicia. Joannes XXII. (bulla *Redemptorem*), Clemens VI. (bulla *In ordine*), Nicolaus V. (breve ad F. F. Ord. Praed. 1451.), Pius V. (bulla *Mirabilis*), Innocentius XII. (litt. in forma brevis, die 6. Febr. 1694), Clemens XII. (bulla *Verbo Dei*), Benedictus XIV. (litt. in forma brevis, die 21. Aug. 1752) affirmant, admirabili Thomae doctrina universam ecclesiam illustrari, haereses dissipari, academias tuto dirigi. Urbani V. haec ad academiam Tolosanam verba: „Volumus et tenore praesentium vobis injungimus, ut b. Thomae doctrinam *tamquam veridicam et catholicam sectemini.*“ Const. 5. dat. die 3. Aug. 1368 ad Cancell. Univ. Tolos. Atque Innocentius VI.: *Hujus* (Thomae) *doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.* Serm. de S. Thoma. A Clemente VIII. in litteris *Sicut Angeli* ad Neapolitanos celebratur „*ingens librorum numerus, quos* ille (Thomas) brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere singulari ordine ac mira perspicuitate *sine ullo prorsus errore conscripsit*“. Cf. Sylvium, *Apologetica pro S. Thom. Aquin.;* Goudin, *Philos.* t. I. diss. praelim. II. et Bullarium ordinis Praedicatorum.

Nostra memoria Leo XIII. tum in encyclica *Aeterni Patris* tum alibi saepe doctrinam S. Thomae efficacissime inculcavit. 1° Laudatur Thomas Aquinas, „qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres *doctores sacros, quia summe vene-*

ratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est". 2° Vocatur Thomas „catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus"; „Soli comparatus, orbem terrarum . . . doctrinae splendore complevit." 3° Thomas „illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit". 4° Thomae sapientia ab universis episcopis catholici orbis propaganda. „Vos omnes — inquit — Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis . . . doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; ejusque prae caeteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant." Encycl. *Aet. Patris.* Atque iterum: „Ejus (Thomae) igitur in schola adolescat et exerceatur clerus ad philosophiam, ad theologiam: exsistet enimvero ductus et ad sacra praelia valens quam qui maxime." Litt. *Officio sanctissimo* ad archiep. et episc. Bavariae.

Arg. II. Doctrina catholicorum doctorum ab ecclesia auctoritatem habet, uti docet S. Thomas, II. II. 10. 12. Atqui ecclesia Thomae doctrinam etiam practice speciali modo approbavit. Ergo S. Thomas auctoritatem habet specialem.

Prob. *min.* ex quatuor factis, quae in encycl. *Aet. Patris* commemorantur.

a) Praxis doctorum hominum: „doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae ejus sese *non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt.*" Exstant autem in Aquinatis opera magnorum ingeniorum commentarii prope innumeri, venerationis indices; etenim jam ineunte saeculo XVIII. commentati in Thomam erant 700 auctores plerumque doctissimi.

b) Ordines religiosi. „Omnes prope conditores et legi-

feros Ordinum religiosorum jussisse constat sodales suos, doctrinis s. Thomae studere et religiosius haerere, cauto, *ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere.* Ut Dominicianam familiam praetereamus, quae summo hoc magistro jure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Jesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur."

c) Academiae. Olim in Europa floruerunt academiae et scholae, Parisiensis, Salmantina, Complutensis, Duacena, Tolosana, Lovaniensis, Patavina, Bononiensis, Neapolitana, Conimbricensis etc. „Jam vero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque *omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse.*"

d) Concilia oecumenica. „Concilia Oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. — Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur." — Concilia provincialia et episcopi Thomae doctrinam tuendam instaurandamque susceperunt, ut conc. prov. Burdigalense et Urbinatense. Cf. *Coll. Lacens.* t. IV. et VI.

Arg. III. *Ex indole S. Thomae.* S. Thomas excellit rectitudine judicii. Specialis ergo ipsi tribuenda est auctoritas. Prob. *antec.* Rectitudo judicii oritur ex perfecto usu rationis et ex connaturalitate quadam ad res judicandas, velut si vir castus de castitate judicet. Cf. S. Thom. II. II.

44. 2. Jam in Thoma fuerunt modo speciali rectum judicium circa res divinas et quaedam ad eas res connaturalitas, quae profecto ex ingenio; studiis; castissimo animo et divinis charismatibus praeclara fuerunt in Angelico. Et certe tum auctores, Ptolomaeus Lucensis et De Tocco, tum ipsa sancti doctoris volumina hoc Leonis XIII. de Angelico testimonium amplissimum confirmant: „Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit." *Aet. Patris.* Eximia sunt et signa Spiritus sancti, Thomam illustrantis; necnon illa Crucifixi vox: *Thoma bene scripsisti de me.* De Tocco, VI. 35.; cf. Clementis VIII. bullam primam ad Neapolitanos. Ita Christus Simoni dixit: *Recte judicasti,* Luc. VII. 43., et Samaritanae: *Bene dixisti,* Joan. IV. 17.

Objectiones.

Obj. I. Complures doctores sunt, quorum doctrinam ecclesia comprobavit. Specialem igitur auctoritatem esse S. Thomae, rationibus expositis nequaquam evincitur.

Resp. Dist. antec.: plures doctores ab ecclesia approbati sunt modo tam speciali quam S. Thomas, *nego*; aliis gradibus approbationis, *conc.* Responsum ex argumentis sequitur. Hoc unum dixisse satis habeo: Angelicus inclita encyclicâ *Aeterni Patris* orbi catholico tanquam magister datur, nullus doctor decoratus est paris ponderis sententia.

Instabis. Admissa Thomae auctoritate tam speciali, prope est, ut ejus doctrina tota habeatur veritas de fide, illud autem, quod cum doctrina Thomae repugnet, haereticum. Haec autem conclusio absurda est.

Resp. Dist. antec.: si specialis illa auctoritas oriretur ex approbatione vere definitiva, *transeat;* si procedit ex approbatione electiva, *nego.* Approbatio doctrinae S. Thomae non est sensu stricto definitiva, sed specialis quidam gradus approbationis electivae, quae efficit, ut doctrina sic approbata generatim tuta habeatur, non ut omnia et singula tanquam fidei dogmata credenda sint. De approbatione

definitiva dixi: *transeat;* nimirum haec approbatio, etiamsi data fuisset, objectum suum tale attingeret, quale ab ipso Angelico proponitur. Angelicus autem quaedam ut certa, alia dubitative aut opinative docet. Ergo ne definitiva quidem approbatio efficeret, ut totam Angelici doctrinam tanquam fidei dogmata complecteremur.

Obj. II. S. Thomas non una in re erravit, v. g. in doctrina de Conceptione B. Mariae Virginis. Ergo ejus doctrinae in certarum numero haberi non possunt.

Resp. Dist. antec.: sanctus erravit in multis, *nego;* in una alterave doctrina, *transeat.* Et *nego* conseq. Hujus loci est, ex *Actis Sanctae Sedis,* vol. VI. p. 317 colligere: *a)* „Eminentiam doctrinae (quae in nonnullis Ecclesiae Doctoribus fuit prorsus angelica) non fuisse *absolute* consideratam ut Doctores appellarentur, sed *relative* ad magnum aliquem effectum, quem pro varia Ecclesiae conditione praeclaro ingenio, sanctimonia et doctrina sunt consecuti." *b)* „Quare inter Ecclesiae Doctores si doctrina absolute considerata inter ipsos comparetur, gradus ita distinguuntur, quemadmodum in firmamento astra majora et minora." Jam vero supra vidimus, approbationem doctrinae S. Thomae non fuisse definitivam, sed electivam summi gradus. Ergo si daremus Angelicum, in aliqua doctrina fidei aut morum erravisse, non auferretur illa auctoritas, quam commemorata ecclesiae probatio ipsi contulit.

Instabis. Bianchieri in opere: *Voto in forma di dissert. sulla defin. dogm. dell' Immac. Concezione* refert, in editione Piana, jubente S. Pio V., ex Thomae operibus aliquos textus immutatos fuisse, et quidem ut Tridentinae synodi decretis conformarentur. Thomae igitur auctoritas videtur esse valde dubia.

Resp. Dist. antec.: in hac editione S. Pii jussu fuerunt aliqua explosa ex commentariis card. Cajetani, *conc.;* ex operibus S. Thomae, *nego.* Res ex ipso prooemio Romanae editionis manifesta est. Cf. ephem. *Divus Thomas,* t. I. p. 153—157.

Contra eos, qui S. Thomae errores impingunt, inter alios scripserunt Capreolus, princeps Thomistarum, *Libri*

defensionum; J. a S. Thoma, *Curs. theol.* Tract. de approb. S. Thomae, disp. II.; De Rubeis, *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thom.* diss. XXV—XXXII.

Quaestio XXII.

De ratione naturali.

Hic incipit locus octavus, primus locorum, qui *improprii* dicuntur, seu *subsidiarii.* Theologia enim etiam ratione humana utitur. At evidens hoc Angelici: „*Propria* autem hujus scientiae cognitio est quae est per revelationem, non autem quae est per naturalem rationem.“ I. 1. 6. ad 2.; cf. art. 8. Investigandum est igitur, quid non valeat in theologia ratio humana, quid valeat probare. Et quoniam de ipsa vi nativa rationis errores non pauci ubique spargunturtur, nonnulla de analogia rationis et fidei huic quaestioni adjicienda videntur. Itaque inquirendum est:

Primo. *De viribus rationis naturalis.*

Secundo. *De habitu rationis naturalis ad fidem.*

Tertio. *Utrum fidei assensus possit esse cum evidentia credibilitatis.*

Quarto. *Utrum theologia rationibus philosophicis uti possit.*

Quinto. *De philosophia S. Thomae Aquinatis.*

Articulus I.

De viribus rationis naturalis.

I. Duplex principium cognitionis, ratio naturalis et fides. Ante omnia distingui necesse est duplicem veritatum ordinem, quorum primum genus est veritatum naturalium, seu rationem humanam non excedentium, alterum supernaturalium, quae captum hominis naturalem superant.

Hoc enim „perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.“ *Conc. Vatic.* sess. III. cap. IV. Quamobrem vires rationis naturalis considerari oportet *a)* in se et respectu sui proprii objecti, videlicet veritatum naturalium, *b)* respectu fidei et veritatum supernaturalium.

II. De viribus rationis naturalis respectu veritatum naturalium. *a)* Ratio naturalis veritates etiam metaphysicas rerumque causas altiores cognoscere potest. Quod est contra Pyrrhonismum seu perfectum scepticismum et contra positivismum, cujus parens Aug. Comte, *Cours de philosophie positive*, negat, ea quae ad mundum invisibilem et spiritualem pertinent, rationi esse pervia. Neque dici potest, altius eos de metaphysica sentire, qui agnosticismum ultimum philosophandi terminum esse docent, uti Huxley et Herbert Spencer in suo libro, qui inscribitur *First Principles* seu *Prima Principia*.

b) Sane ratio naturalis potest demonstrare exsistentiam unius Dei Creatoris, immortalitatem animi et alias id genus veritates religiosas. Kant, *Kritik der reinen Vernunft*, seu *Critica rationis purae*, cognoscibilitatem veritatum illarum labefactavit, adulteratis argumentis, quibus earum solida probatio nititur. At patres Vaticani definiverunt: „Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.“ Sess. III. cap. II. can. I. Cf. S. Thom. I. 2. 2.; *C. Gentiles*, lib. I—III.

c) Ratio *individua* vi ratiocinii ad certam alicujus veritatis religiosae cognitionem pervenire valet. Ita rejicitur sensus ille communis, quem Lamennais, *Essai sur l'indifférence*, t. II. ob infirmitatem facultatis ratiocinandi (faculté de raisonner) in homine absolute necessarium esse asseverat. Neque admitti potest traditionalismus asserentium,

humanam rationem non ex se, sed ope tantum magisterii traditionalis, aliquam rerum spiritualium notitiam sibi comparare. Cf. Zigliara, *Saggio su' principii del tradizionalismo; Propraed.* lib. II. 4—5. — Decreto S. C. Indicis diei 11. Junii 1855, a S.S. D. N. Pio IX. 15. Junii approbato, domino Bonnetty haec thesis subscribenda est proposita: „Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest."

d) Ab alia parte in praesenti generis humani conditione revelatio ad perfectam veritatum religiosarum naturalium cognitionem rationi naturali *moraliter* necessaria est; scilicet „divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint". *Conc. Vat.* sess. III. cap. II. Cf. S. Thom. I. 1. art. 1; *C. Gent.* lib. I. 4.

III. De viribus rationis respectu fidei et veritatum supernaturalium. Ratio naturalis respectu fidei considerari potest *a)* ante fidem; *b)* in ipso assensu fidei; *c)* post assensum fidei.

a) Ante fidem ratio naturalis potest 1° eas veritates percipere, quas posse modo diximus; 2° potest revelationis possibilitatem probare; 3° credibilitatis motiva intelligere.

b) In ipso assensu fidei. 1° Fidei assensus supernaturalis praestatur *„non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam,* sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest". *Conc. Vat.* sess. III. cap. III. 2° De veritatibus, quae non sunt *objectum fidei proprium,* sicut mysteria, sed quae sunt *objectum fidei commune,* id est, veritates, quas *et* revelatio manifestat *et* ratio probat, velut exsistentia Dei aliaeque hujusmodi, et quas Angelicus „praeambula ad articulos" (I. 2. 2. ad 1.) vocat, de his, inquam, veritatibus potest in terris simul haberi actus scientiae et habitus fidei, id est, illa virtus supernaturalis in intellectu residens, qua inclinamur ad assentiendum revelatis. Cf. S. Thom. II. II. 175. 3. ad 3.; *Quaest. disp. De Verit.* XIII. art. 2.

c) Post assensum fidei ratio humana potest 1° afferre „veras similitudines“. (S Thom. *C. Gent.* lib. I. 7.); aliquales rationes non necessarias (S. Thom. *In Boet. De Trin.* q. I. 4.). Ita rationes ad Trinitatis manifestationem inducuntur, quia „Trinitate posita, congruunt hujusmodi rationes: non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum“. Idem, *In Boet.* l. c. 2° Ratio humana potest *negative* solvere objectiones adversariorum. Dico: *negative* hoc est, ostendendo defectum ratiocinii adversi; *non positive*, ostendendo evidentiam intrinsecam veritatis, cui ratiocinium adversum est. Cf. S. Thom. I. 1. 8.; *C. Gent.* lib. I. 7. 3° Ratio humana ex articulis fidei ad alia argumentari potest. I. 1. 8. 4° Ratio humana potest mysteriorum totiusque doctrinae catholicae connexionem et consequentiam investigare. 5° Eadem methodum et disputationem dialecticam theologo affert, fideique doctrinam ad tractationem vere scientificam potest evehere.

Articulus II.

De habitu rationis naturalis ad fidem.

I. Fides rationem perficit. *a)* Ne res, de qua dicturi sumus, obscura sit, vocem fidei paucis explicemus. Fides enim aut in credente aut in creditis spectari potest. Jam fidem in *credente*, si protestantibus non paucis credideris, *fiduciam* aeternae vitae obtinendae ante omnia esse putabis; si sequaris incredulos fides tibi *opinio* erit. Et, si plurimis adversariorum nostrorum credere velimus, scholasticorum haec sacra regula: *Credo, quia absurdum.*[1]) Sed

[1]) Ita in *Rev. de Métaph. et de Morale* 1896, Mars, p. 169: „Que d'ailleurs la scolastique ait conclu par le *credo, quia absurdum*, cela prouve,“ etc. At hoc dictum non scholasticorum est, sed Tertulliani, qui *De carne Christi*, cap. V. haec scripsit: „Natus est Dei Filius; non pudet, quia pudendum est: et mortuus est Dei Filius; prorsus credibile est, quia ineptum est: et sepultus, resurrexit; certum est, quia impossibile.“ Tertullianus, cum haec urgeret, a religione catholica ad Montanistarum errorem defecerat; magisque genus scribendi in paradoxorum *formulis* colebat. Nec tamen loco citato *rem* aliam cogitavit quam sapientiam et virtutem divinam in

multum interest inter hos conceptus et doctrinam de fide catholicam. Nam Synodus Vaticana, *Const. dogm.* De fide, haec statuit: „Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest." *Est enim fides,* testante Apostolo, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*[1]) Fides ergo actus intellectus est assentientis *veritati* propter auctoritatem Dei revelantis; *firmus assensus* est, neutiquam mera opinio. — In *creditis* igitur veritates nobilissimae hominibus exhibentur. Cognitione autem hujusmodi veritatum ratio maxime perficitur. Quod probaturi sumus.

b) Conducit enim ad profectum rationis, si ipsam juvat intelligentia nobilior, profundior, firmior. Atqui fides Christiana, quae auctoritate Dei nititur, continet veritates nobilissimas, quas mysteria fidei vocamus; itemque veritates naturales illustrat; errandi periculum firmitudine magisterii divini aufert. Itaque fides „non modo nihil de dignitate (rationis) detrahit sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit". Enc. *Aet. Patris.*

„Merito igitur — ait Leo XIII. — Vaticana Synodus praeclara beneficia quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: *Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit.*[2]) Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica sed dignae potius Deo grâtes essent habendae, vehementerque laetandum quod, inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commini-

---

humilitate crucis Christi manifestatam. S. Paulus I. *Ad Cor.* I. 25. scripserat: *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

[1]) Hebr. XI I.

[2]) Const. dogm. de Fide cath. cap. IV.

strat.“ Cf. S. Thom. *C. Gent.* lib. I. 6.; *De veritate*, quaest. XIV.; Brouwer, *De fide divina*, cap. I—II.

II. Ratio naturalis fidei subordinata est. *a)* Prius qualis intelligatur subordinatio videamus. Ratio scilicet naturalis eaque exculta seu philosophia non ita subordinatur fidei, ut certitudo et evidentia principiorum naturalium ex ipsa fide pendeat; sed admitti debet subordinatio hoc sensu, ut „philosophia sit ad metas fidei regenda“, secundum illud Apostoli II. Cor. X. 5.: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* S. Thom. *In Boet. De Trin.* II. 3.

b) Praescribit autem et probat ipsa ratio, subordinationis, quam indicavimus, necessitatem. Revera quod falli potest, infallibilem ducem sequi par est. Jam ratio naturalis, quam et philosophiae constat esse fundamentum, in errores saepe rapitur, proximum vero fidei fundamentum est auctoritas Dei infallibilis. Deinde hoc in dubium incertumque revocari nequit, rationem creatam increatae veritati penitus subjectam esse sua naturâ.

Quare in *Syllabo* notantur prop. 10.: „Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati;“ prop. 11.: „Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat,“ et prop. 14.: „Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.“

Similiter patres Vaticani subordinationem expositam docent. Legimus enim Sess. III. cap. IV.: „Nec sane ipsa (ecclesia) vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.“ Rursus can. II. de fide et ratione: „Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae

adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit."

c) Metum dicta rationis subordinatio nonnullis attulit, quod scientiarum campum terminis nimis angustis circumscriptum existimarent. Contra docet ipsa ecclesia. Sic enim Leo XIII.: „praetereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet quae cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, judicium eruditorum relinquit integrum ac liberum." Encycl. *Libertas praestantissimum*, 20. Junii 1888.

III. Nulla inter fidem et rationem vera dissensio esse potest. *a)* Rationalistas cujusvis aetatis asseverasse fidem rationi repugnare, in perspicuis est; at singularis est illa Pomponacii sententia, in concilio Lateranensi V. anno 1513 damnata, qua contendebatur, idem posse juxta fidem esse verum, juxta rationem falsum.

b) Nullam autem istiusmodi dissensionem admittendam esse paucis probatur. Et sane Deus unus est sibique contradicere non potest. Jam fidei veritates et veritates philosophiae seu rationis sunt una veritas in Deo. Dicimus enim „duplicem veritatem divinorum, non ex parte ipsius Dei, qui est una et simplex Veritas, sed ex parte cognitionis nostrae, quae ad divina cognoscenda diversimode se habet". S. Thom. *C. Gent.* lib. I. 9.

Habemus hac de re gravissimam concilii Vaticani sententiam: „etsi fides — inquit — sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus." Sess. III. cap. IV. Rursus Leo XIII.;

„cum constet, ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis jura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.“ Encycl. *Aet. Patris.* Cf. *Syll.* prop. 6.

c) Neque fides scientiarum experimentalium conclusiones aut physicas disciplinas reformidat, quamvis licet plurimi contendant, spectatis modernorum inventis perturbationem fidei instare; nam id affirmant Strauss, *Der alte und der neue Glaube;* Draper, *History of the conflicts between religion and science;* Taine, in period. *Revue des deux mondes,*[1]) 1891, et alii plures. — Sed nihil est quamobrem in eam opinionem adducamur. Aut enim de dogmatibus agitur, quae sunt objectum fidei proprium; — aut de rebus physicis, quae ad fidem indirecte pertinent, in quantum S. Scripturae illas *ita* proponerent, ut admissis contrariis sequeretur, S. Libros continere falsa; — aut denique de iis veritatibus religiosis est controversia, quas, uti Deum esse, tam fides docet quam ratio probat. Jam dogmata inter et scientias physicas nulla dissensio, quippe cum dogmata, v. g. SS. Trinitas et Incarnatio Verbi, sua celsitudine et indole, physicas disciplinas omnino exsuperent. — Doctrinae vero religiosae, quas et ratio naturalis demonstrat, uti rerum mundanarum creatio, natura incorporalis animi, modernorum inventis nihil labefactatae sunt, nec ullo modo labefactari possunt, quandoquidem *scientiae positivae*, praecise ut tales, hasce veritates non attingunt. Sic mecanica et thermodynamica non primam rerum originem, sed earum, quae jam sunt, rerum evolutiones explicant; anatomicae, physiologiae, hypnotismi est, organa et functiones, quae cum vita sensitiva connectuntur, perscrutari sagaciter, nec tamen unquam probarunt, actus hominum intellectivos non esse, aut immersos sensibus non excedere materiam.[2]) —

---

[1]) Cf. De Broglie, *Le présent et l'avenir du Catholicisme en France.*

[2]) Cf. Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne;* Naville, *La physique moderne;* Coconnier, *L'âme humaine;*

Restat, ut de pugna Scripturas inter atque scientias experimentales pauca animadvertenda sint; persequi enim eam rem hujus loci non est. Tria autem difficultatibus enodandis aptissima videntur.

1° Ne philosophia falsa disciplinis experimentalibus atheas conclusiones suas vel pantheisticas a priori praescribat et suggerat. Verum enim vetus illud Baconis Verulam. *De dignitate et augmento scientiarum*, lib. I.: „Certissimum atque experientia comprobatum, leves gustus in philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere."

2° Ante omnia statuatur, et quaenam sacrorum textuum interpretatio *certa* sit, et quaenam scientiarum conclusiones solide probatae; ne adesse censeatur dissensio, quando Scripturarum sensus dubius pro certo aut hypothesis levissima pro axiomate adhibeatur. Et sane plurima in mundo sunt, de quibus, salva fide, liberrime disceptatur, sicut scriptum est: *mundum tradidit disputationi eorum.* Ecclesiastes, III. 11.[1])

3° Scatet aetas nostra libris, quorum auctores affirmant se dedisse operam scientiae ad vulgarem popularemque sensum accomodatae. At quis audiat prudenter numerosissimos, atque, ut incautos a fide facilius avertant, saepissime decidentes, quod graves atque eximiae scientiae viri sese ignorare profitentur. Ergo magistrorum optimorum sententia exquirenda est.[2])

Maher, *Psychology* (1900); Gutberlet, *Der Kampf um die Seele* (2. Aufl 1903).

[1]) Cf. de hoc textu J. V. Bainvel, *Les contresens bibliques*, p. 102—103.

[2]) „Mais, dans l'innombrable multitude d'écrits scientifiques imprimés chaque jour, auxquels s'adresser pour entendre en eux autant que possible tous les autres, et pour les entendre aussi dégagés que possible d'erreurs et de pures opinions scientifiques? N'hésitons pas à répondre: aux écrits des maîtres. Les vulgarisateurs, fussent-ils catholiques, ne suffisent pas à nous donner, avec ampleur et sobriété tout à la fois, l'essentiel et le capital en chaque question. Ne perdons pas notre temps, notre peine, dans ces détails de second ordre dont nous avons peu à espérer; et ne laissons pas la science vrai-

IV. Utrum fieri possit, ut quis in terris habeat circa idem objectum simul actum scientiae et habitum fidei.

Resp. Aquinas I. II. 77. 2. ad 3. hoc statuit principium: „actus directe non contrariatur habitui, sed actui". Jam quaestione posita, quid principium hoc valeat, videamus.

Objectum fidei proprium est *non visum.* Fides enim a S. Paulo vocatur *argumentum non apparentium,* πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, Hebr. XI. 1.; atque S. Augustinus: „Quid est fides? Credere quod non vides," *Tract. 40. in Joannem;* similiter S. Thomas, II. II. 1. 5.: „impossibile est quod ab eodem idem sit scitum et creditum". At vero, si vir Christianus alicujus veritatis, uti exsistentiae Dei, demonstrationem habet, objectum quidem esse *non visum* desinit, sed fidelis tamen potest ac debet esse ita dispositus, ut veritati illi firmissime adhaereret, etiamsi esset *non visa.* Jam hujusmodi dispositio *ad habitum fidei* pertinet. Ergo in terris actus scientiae fidei habitum non excludit. Dixi: *in terris;* nam „in statu gloriae non solum actu tollitur objectum fidei, quod est non visum; sed etiam secundum possibilitatem, propter beatitudinis stabilitatem. Et ideo frustra talis habitus remaneret." S. Thom. I. II. 67. 5. ad 3.[1]) Quare Aquinas: „Quia Paulus non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit actum beatorum, consequens est ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei; fuit tamen simul tunc in eo habitus fidei." II. II. 175. 3. Neque acquisita aliquarum veritatum demonstratione, meritum fidei minuitur. In illo enim casu, ut docet Angelicus, non est meritum fidei, „quando homo non habet voluntatem credendi ea quae fidei, nisi propter rationem inductam. Quando autem homo habet voluntatem credendi ea quae sunt fidei, ex sola auctoritate divina, etiamsi habeat rationem demonstrati-

---

ment supérieure se persuader que nous la dédaignons ou plutôt encore que nous ne pouvons la suivre." Didiot, *Logique surnat. subjective,* p. 179. — Cf. K. A. Kneller, *Das Christentum und die Vertreter der neueren Naturwissenschaft.*

[1]) Cf. Salmanticenses, *De fide,* disp. III. dub. II. §. 5, eandem conclusionem defendentes.

vam ad aliquid eorum, puta ad hoc quod est Deum esse, non propter hoc tollitur vel diminuitur meritum fidei.“ II. II. 2. 10. ad 1. Habitus igitur fidei, quamvis in vidente inclinationis effectum ex parte objecti, actu crediti, non attingat, attingit tamen ex parte voluntatis credendi, quam habitus per dispositionem devotam Deo conjungit.[1])

V. Utrum in uno homine possint esse simul de eodem secundum idem actus fidei et actus sientiae.

Resp. a) Agitur de veritatibus, quas et fides docet et probare potest ratio, v. g. Deum esse; cujusmodi veritates constat posse ab alio demonstrative sciri, credi ab alio, — vel etiam ab eodem sciri et credi, sed sub respectu vario, ut si quis per demonstrationem videt, Deum esse, credit autem Eum esse Trinum. At idem objectum secundum idem praedicatum in eodem intellectu esse actu scitum et creditum, negant S. Thomas et doctores plurimi; quorum hoc videtur esse argumentum praecipuum, quod ratio formalis actus scientiae et ratio formalis actus fidei opponuntur. Etenim de ratione actus fidei est, terminari per rem *non visam*, cum fides sit *argumentum non apparentium;* objectum autem actus scientiae *res visa.* Actus igitur scientiae ab eodem objecto eodemque intellectu actum fidei videtur excludere. Quapropter Angelicus: „non potest simul idem et secundum idem esse scitum et creditum, quia *scitum* est visum, et *creditum* est non visum.“ II. II. 1. 5. ad 4. Cf. l. c. art. 4.; I. II. 67. 3.; *De verit.* XIV. 9.

b) Contradicunt Suarez, *De fide*, disp. III. 9. aliique multi, quos inter non pauci recentiores, ut Franzelin, *De Deo uno*, sect. I. thes. IX; Brouwer, *De fide divina*, pag. 244—270; Didiot, *Logique surnat. subjective*, theor. LXVI. — Quorum sententiâ actus fidei et scientiae in eodem homine et eandem veritatem sciente et credente non repugnant, quoniam actus ad idem objectum quidem materiale referuntur, sed sub formalitate seu ratione formali *diversa.* — Reponunt, qui hac in controversia Thomam sequuntur, formalitates illas, quae actum fidei et actum scientiae ter-

[1]) Cf. G. Wilmers, *De fide divina* (1902), p. 206—215.

minant, seu conditiones illas essentiales, quae ex parte objecti requiruntur, non tantum diversas esse, verum etiam *oppositas*, quippe *non visum* et *visum*. Cf. Salm. *De fide*, disp. III. dub. II. §. 4. — Addunt, unum idemque credi posse et sciri, sed *sub diverso respectu*. Quod et S. Bonaventuram sensisse dixerim, haec scribentem: „Ratio autem, quare talis scientia simul potest esse *de eodem* (non dixit: *sub eodem respectu)* cum ipsa fide, ita quod una cognitio alteram non expellat, est, quia scientia manuductione ratiocinationis, licet aliquam certitudinem faciat et evidentiam circa divina, illa tamen certitudo ex evidentia non est omnino clara, quamdiu sumus in via. Quamvis enim aliquis possit rationibus necessariis probare, Deum esse, et Deum esse unum; *tamen* (ecce alter respectus) *cernere ipsum divinum esse* et ipsam Dei unitatem, et *qualiter illa unitas non excludat personarum pluralitatem*, non potest nisi per justitiam fidei emundetur . . . Sic intelligendum est circa habitum fidei, et talem modum sciendi, quod possunt se simul in eodem et *respectu ejusdem* compati.“ [1]) III. 24. art. 2. q. 3.

Argumenta secundae sententiae. *Arg. I.* S. Paulus, *Ad Hebr.* XI. ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*; quibus verbis Apostolus docere videtur, fidem in veritatem exsistentiae Dei esse ad justificationem necessariam, et hanc ob rem, a philosophis etiam, qui evidentem Dei exsistentis scientiam adepti sint, omnino requiri, quantum ad eandem veritatem, fidei assensum, ex fidei proprio motivo elicitum. Possunt igitur actus fidei et actus scientiae quantum ad eandem veritatem in eodem consistere.

Resp. Videtur apostolica sententia inprimis pertinere

[1]) Edit. novissima Ad claras Aquas (Quaracchi) *Operum omnium* Doctoris Seraphici hic omittit, sed Vat. post *compati* adjungit: *quamvis non secundum idem;* incisum Bonaventurae menti congruere, ostendunt tum contextus quaestionis III. citatae, tum analogia quaestionis II ejusdem articuli secundi, ubi Seraphicus, inquirens, *Utrum fides sit de his, de quibus habetur visio sensibilis*, concludit: „fides et visio possunt esse circa unum et eundem, *quamvis non secundum idem.*“ Edit. cit. t. III. p. 518. — Cf. M. Grabmann, *Die phil. und theol. Erkenntnislehre des Kard. M. v. Aquasparta* (1906), p. 152—160.

ad fidem Dei, auctoris finisque supernaturalis, quae per se ad adultorum justificationem requiritur; quodsi Pauli putes ad fidem quoque Dei, auctoris naturalis, extendi sententiam, non constat, apostolum sub hoc respectu omnes eosque etiam comprehendisse, qui Deum esse scientiâ noscunt. „Nihil tamen prohibet — ait S. Thomas — illud quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit.“ I. 2. 2. — Item *In Sent.* III. 23. 3. 2. ad 2.; 24. t. 2. q. 3; *In Ep. ad Hebr. XI.* lect. 2. — Cf. Salmant. *De fide*, disp. III. n. 51; Billuart, *De Deo*, Diss. I. art. 2.; Corn. a Lapide, *Comm.* in Hebr. XI. 6.

Arg. II. Difficultas non levis adversus Thomae doctrinam aliquibus[1]) ex eo nascitur, quod patres Vaticani *Const. dogm. de fide cath.* cap. I. haec statuerint: „Sancta Romana catholica Ecclesia *credit* et confitetur, unum esse Deum verum et vivum.“ Videlicet patres sess. III. decernunt: „Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine *certo agnosci* non posse; a. s.“ Censuerunt ergo patres, fieri posse, ut actus fidei et actus scientiae simul in eodem reperiantur.

Resp. 1° Status quaestionis, de qua disputatur, alius post Vaticanam Synodum factus esse non videtur. Et sane quemadmodum patres affirmant: „Ecclesia *credit* et confitetur, unum esse Deum;“ ita jam ante universalis profitebatur ecclesia: „*Credo* in unum Deum“. — Nec patres sibi proposuerunt, illam de compossibilitate fidei scientiaeque litem dirimere.

2° Directe respondeat Aquinas, qui ait: „Dicendum, quod ea quae demonstrative probari possunt, inter *credenda* numerantur, non quia de ipsis *simpliciter* sit fides apud *omnes;* sed quia praeexiguntur ad ea, quae sunt fidei, et oportet ea saltem *per fidem* praesupponi ab *his, qui eorum demonstrationem non habent.*“ II. II. 1. 5. ad 3. Cf. *De Veritate*, XIV. 9. ad 8.

---

[1]) Cf. Didiot, *Logique surnat. subjective*, p. 327—328.

Verba vero concilii Vaticani prolata declarant, veritatem exsistentis divini Numinis universim ab ecclesia proponi et accipi per modum fidei. Quod satis enucleate exponitur his Angelici: „necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea quae sunt super rationem, sed etiam ea quae per rationem cognosci possunt; et hoc propter tria. Primo quidem ut citius homo ad veritatis divinae cognitionem perveniat. Scientia enim ad quam pertinet probare Deum esse, et alia hujusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur, praesuppositis multis aliis scientiis; et sic non nisi post multum tempus vitae suae homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundo, ut cognitio Dei sit communior. Multi enim in studio scientiae proficere non possunt vel propter hebetudinem ingenii, vel propter occupationes et necessitates temporalis vitae, vel etiam propter torporem addiscendi; qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum fidei. Tertio propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens. Cujus signum est, quia philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, et sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest." II. II. 2. 4.

3° Tamen et philosophus fidelis ex fide sua haurit, unde firmius perspectae adhaereat veritati, quam viri docti fide carentes. Et *primo* quidem ex parte intellectus. Etenim concurrentibus ad assensum veritati cuidam praestandum motivo fidei et motivo scientiae, „actus scientiae naturalis redditur perfectior, et certior intensive ex praesentia divini testimonii", ut ajunt Salmant. *De fide*, disp. II. dub. II. §. 2. Haec autem intensior veritati conjunctio satis probabiliter supernaturalis esse putatur atque ad speciem fidei pertinere. Salm. *l. c.* n. 87—91. — *Secundo* ex parte voluntatis, nam assensus fidei est actus intellectus, secundum quod a voluntate determinatur. S. Thom. II. II. 2. 1. ad 3. Jam habet vir doctus, qui credit, „voluntatem

credendi ea, quae sunt fidei, ex sola auctoritate divina, etiamsi habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc, quod est Deum esse". II. II. 2. 10. ad 1. et 2. Locus est igitur in eo, qui scit, habitui fidei, quem habitum in Paulo rapto cum visione fuisse, docet Angelicus II. II. 175. 3 ad 3.[1])

Articulus III.

Utrum possit ratio fidei credibilitatem certis argumentis probare.

I. Fidei notio. Fidem proprie dictam et quae ad justificationem disponit, Patres Vaticani profitentur, „virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest." Const. dogm. *Dei Filius*, cap. III. — Fidem gignit *gratia*, — eâque adjutus fidelis praebet assensum veritati revelatae. *Objectum formale* fidei est Veritas prima, et fidelis credendis assentit, quod referuntur ad Deum, objectum fidei principale; *motivum* autem *assensus fidei* seu motivum, cur reapse credam, est „auctoritas ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest". — Pertinet vero fidei assensus ad intellectum, quia credere est actus intellectus, cum pia tamen motione voluntatis.

Distinguitur fides ab omnibus aliis, quae ad intellectum pertinent; et id est quod S. Paulus docet: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. XI. 1. „Per hoc enim quod dicitur *argumentum*, distinguitur fides ab opinione, suspicione et dubitatione, per quae non est adhaesio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur *non apparentium*, distinguitur fides *a scientia* et intellectu, per quae aliquid fit apparens. Per hoc autem quod dicitur *substantia sperandarum rerum*, di-

[1]) Cf. Bainvel, *La foi et l'acte de foi* (1898); Gardeil, *La crédibilité*, in *Rev. Thom.* 1905.

stinguitur virtus fidei a fide communiter sumpta, quae non ordinatur ad beatitudinem speratam." S. Thom. II. II. 4. 1.; *De veritate,* XIV. art. 1.

II. Quonam sensu ratio dicatur fidei veritatem certis argumentis probare posse. Fidei veritatem, si dogmata in speciali spectes, argumentis intrinsecis demonstrari nullo modo posse constat. Quamvis enim demonstrentur veritates nonnullae, quas objectum fidei *commune* vocamus quippe revelatas unaque rationi naturali pervias, mysteria tamen, quae fidei sunt *objectum proprium,* in se obscura semper erunt *quoad nos;* unde illud: „ibi incipit articulus fidei ubi deficit ratio." S. Thom. *In I. Cor.* XV. lect. 1. — Verum ea, „quae subsunt fidei, dupliciter considerari possunt: uno modo *in speciali;* et sic non possunt esse simul visa et credita . . .; alio modo *in generali,* scilicet sub ratione communi credibilis; et sic sunt visa ab eo, qui credit." II. II. 1. 4. ad 2.

Quaenam sit illa „ratio communis credibilis", sub qua fidei veritates videre seu certis argumentis probare possimus, breviter exponam. Videre fidei veritates sub dicta ratione *credibilis* idem esse intelligimus atque easdem cognoscere *evidentia credibilitatis,* i. e. *extrinseca,* quae a Cajetano vocatur „evidentia, quod ita esse est credibile et judicabile absque alterius partis formidine". In II. II. q. I. a. 4. Revelata igitur per illam evidentiam credibilitatis non videntur secundum rationes suas particulares et intrinsecas, sed secundum rationem communissimam et extrinsecam; nec mysteria in se credenti obscura esse desinunt. Perpendatur autem hoc loco, quod ad statum quaestionis determinandum non exigui momenti est. Nimirum credibilitas fidei spectatur aut in ipso actu fidei supernaturalis aut in cognitione naturali exsistentiae facti revelationis. Quod ad primum pertinet, motivum fidei seu, ut quidam ajunt, motivum credendi est *auctoritas Dei revelantis;* qua ratione resolutio fidei in suum motivum ultimum fiat, exponunt dogmatici, de analysi actus fidei disserentes. Nobis agendum de revelatione divina, in quantum signis et *argumentis externis* ita credibilis fieri potest, ut fidei nostrae

obsequium rationi consentaneum sit; atque haec argumenta extrinseca et signa externa, quibus exsistentia divinae revelationis, divina origo religionis Christianae divinaque ecclesiae legatio rite probantur, vulgo *motiva credibilitatis* vocamus: ea valent ad respondendum iis, qui rationem fidei nostrae a nobis exigunt. Ita patet, quonam sensu ratio fidei veritatem *demonstret*, ut utar terminis Pii IX. *Encycl.* 9. Nov. 1846. Cf. Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, cap. IV.

III. De indole et vi motivorum credibilitatis. *a)* De iis motivis certa videntur haec. 1° Sunt signa supernaturalia, facta divina, atque imprimis miracula et prophetiae, manifestae notae divinitus instituti coetus, quem jam cognovimus, id est, ecclesiae catholicae. — 2° Haec signa certissima sunt et omnium intelligentiae accomodata. — 3° Splendent eadem signa in ecclesia catholica, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. „Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.“ — 4° „Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.“ Conc. Vat. Const. dogm. *Dei Filius*, cap. III.

b) Homo viribus naturalibus potest motiva credibilitatis perscrutari et ad certam divinae revelationis notitiam pervenire. De qua notitia haec statuenda videntur. 1° Haec notitia, ordine saltem, actum formalem fidei praecedat necesse est; ut naturam gratia ita fides illam notitiam supponit. „Non enim crederet (homo), — Aquinas ait — nisi videret ea esse credenda.“ II. II. 1. 4. ad 2. — 2° Licet ea revelationis notitia actum fidei praecedat aut concomitetur, ab ipsa tamen non sumit motivum fidelis, cum *in actu* fidei assensuque supernaturali auctoritatem Dei revelantis cognoscit. Cf. S. Thom. *Contra errores Graecorum*,

cap. XXX.; *In Joan.* IV. lect. 5.; *De verit.* XIV. 8. — 3° Motivorum notitia praevia fidem non gignit, nisi humanam seu acquisitam; fidei *causa* non est, sed regulariter[1]) *conditio* haberi debet vel remota quaedam dispositio. Habemus hac de re canonem quintum *conc. Vatic.* sess. III.: „Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit." — 4° Nulla motiva credibilitatis efficere possunt, ut ipsae veritates revelatae videantur; namque „argumenta, quae cogunt ad fidem, sicut miracula, non probant fidem per se, sed probant veritatem annuntiantis fidem, et ideo de his quae fidei sunt, scientiam non faciunt." S. Thom. *In Sent.* III. 24. 1. art. 2. sol. 2. ad 4. Sic igitur circumscripta motivorum vi, motiva credibilitatis jure habentur quaedam *demonstrationes fidei,* siquidem S. Thomas asseverat, sermonem Dei clarificari „per miracula, quae sunt *demonstrationes fidei*". *In II. Thess.* cap. III. lect. 1. — Cf. Billuart, *De fide,* diss. III.; de Lugo, *De virt. fidei divinae;* Mazzella, *De virt. infusis.*

IV. Errores. Non congruit cum catholica doctrina protestantium de motivis opinio. 1° Nam rejectis criteriis externisque signis, quasi fidei pietatique si non prorsus alienis at certe, nisi fides jam adsit, obscuris et imperviis, mere ad interna provocant, ad *internam experientiam,* ad *testimonium spiritus,* ad *immediatam certitudinem fidei:* Spiritus intus docet: ex sapore et gustu discernitur veritas, exclusis motivis credibilitatis. — 2° Similiter recentiores, uti Jacobi et Schleiermacher, fidem omnino tribuunt motivis subjectivis, sed a conceptu fidei supernaturalis abscedentes antiqua subsidia supplent *sensu religioso aut indigentia animi religiosi* naturali. Hos omnes, si constare sibi velint, necessum est negare, esse posse apologeticam. — 3° Schola Hermesiana — a G. Hermes, 1775–1831 — credibilitatis motivis eam vim tribuit, ut fides ex iis necessario oriatur; ad fidem eliciendam nulla requiritur gratia, nec in assensu

[1]) Cf. Suarez, *De fide,* disp. III. sect. 12.

fidei libertas permanet. Distinguitur quidem in illa schola *fides cognitionis*, quae et *passiva* dicitur, a *fide cordis;* illi, non huic, gratiam divinam libertatemque abjudicant; at vero *fidem* illam *cognitionis* intelligunt ipsam fidem dogmatum, quae non jam viva est ac per caritatem operatur, — id enim a *fide cordis* procedit — sed eadem tamen atque fides, quam divinam vocat catholica ecclesia. Cf. Kleutgen, *Theol. der Vorzeit*, t. III.; Coll. Lac. VII. p. 187—190; 529—531; M. Glossner, *Der Glaubensgrund usw.* in *Jahrb. für Phil. und spec. Theol.* VIII. p. 278—303.

V. Doctrina ecclesiae ex pluribus actis authenticis apparet. Die 8. Septembris 1840, approbante S. Sede, haec thesis subscribenda proposita est: „Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis Judaeis per Moysem et Christianis per Jesum Christum factae probare valet.“ Docet Pius IX.: „Humana ratio ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum.“ Rursus conc. Vatic. sess. III.: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.“ *De fide*, can. III; cf. const. *Dei Filius*, cap. III. — Atque Leo XIII.: „Ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam *certis* certae veritatis *argumentis*, vel ab ipsa origine emicuisse.“ Encycl. *Aet. Patris.*

Thesis: *Ratio potest fidei credibilitatem certis argumentis probare.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scripturis* vaticinia et miracula facta constat, ut homines crederent. Ita Christus passionem et mortem suam praedicens, subjungit: „Amodo dico vobis, priusquam fiat; *ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.*“ Joan. XIII. 19. Iterum Joan. X. 37—38: „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, *operibus credite*, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.“ Simi-

liter resuscitaturus Lazarum Jesus ad speluncam orat: „Pater gratias ago tibi . . . propter populum, qui circumstat, dixi, *ut credant, quia tu me misisti.*“ Joan. XI. 42. — Apostoli autem praedicaverunt ubique, „Domino cooperante, *et sermonem confirmante, sequentibus signis.*“ Marc. XVI. 20. S. Paulus: *credimus* — inquit — *secundum operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis.* Ephes. I. 19—20. Idem apostolus *Hebr.* II. 2—4. reos demonstrat esse negligentes salutem, quae „confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus *sancti distributionibus.*“

Arg. II. *Ex traditione.* Ex quo fides docte defendi coepta est, apologetae, qui jam a saeculo II. auctoritate valuerunt, patres, doctores, theologi, tum obscuritatem mysteriorum in se tum evidentem veritatem facti locutionis divinae et revelationis propugnarunt, uti S. Justinus, Tertullianus, S. Augustinus. Hic enim: „multa — inquit — sunt quae in ejus catholicae ecclesiae gremio me justissime teneant“; eaque credibilitatis motiva *Contra epist. Fundam.* IV. et *De civ. Dei,* XXII. designat. Cf. S. Thom. *C. Gent.* I. 6. Omnium autem communem sententiam Richardus a. S. Victore († 1173) his verbis interpretatus est: „Domine si error est, a te ipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt.“ *De Trin.* I. 2.

Arg. III. In judicio, utrum credendum sit, nemini levi aut indifferenti esse licet. Jam humana ratio, si in tanti momenti negotio prudenter judicare velit, aut ipsa fidei mysteria considerat aut ex certis signis inquirit, utrum locutus sit Deus. Mysteria ipsa si consideremus, humanae rationi obscura sunt. Ita sapientiae divinae congruit, adesse signa certissima, ex quibus homini constet, Deum esse locutum. Cf. II. Petr. I. 16; I. Joan. IV. 1; Conc. Vat. Const. dogm. *De fide cath.* cap. III.; Pius IX. *Encycl.* 9. Nov. 1846. — Hoc illud est, quod exponit Angelicus: „quia sermo propositus confirmatione indiget ad hoc quod recipiatur, nisi sit per se manifestus, ea autem quae sunt fidei sunt humanae rationi immanifesta, necessarium fuit aliquid ad-

hiberi quo confirmaretur sermo praedicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis per modum demonstrationis, cum ea quae sunt fidei, rationem excedant. Oportuit igitur aliquibus indiciis confirmari praedicantium sermonem, quibus manifeste ostenderetur hujusmodi sermonem processisse a Deo, dum praedicantes talia operarentur sanando infirmos et alias virtutes operando, quae non posset facere alius nisi Deus." *C. Gent.* lib. III. 154.

Quaeres I. *Quonam lumine evidentia credibilitatis videatur.*

Resp. Hujusmodi evidentia spectari potest 1° in iis, qui ad fidem ducuntur; 2° in iis, qui fidem jam habent.

1° Qui ad fidem ducuntur, evidentiam credibilitatis videre possunt lumine naturali, cum ratio humana externa revelationis argumenta considerat. Neque tamen aliqua lux supernaturalis quasi aurora luminis fidei ab eo *judicio credibilitatis* omnino excluditur. „Ille, qui credit, — inquit S. Thomas — habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis." II. II. 2. 9 ad 3.; cf. *Quodl.* II. 6.

2° In iis, qui fidem habent, cognitio credibilitatis naturalis et habitus fidei in judicio credibilitatis concurrere videntur. Nam ut Angelici verbis utar, „lumen fidei facit videre ea quae creduntur. Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud quod est sibi conveniens secundum habitum illum, ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his quae conveniunt rectae fidei, et non aliis." II. II. 1. 4. ad 3. Idem de fidelibus dixit: „per lumen fidei vident esse credenda" (quae sunt fidei). L. c. art. 5. ad 1.

Quaeres II. *Quomodo notitia credibilitatis requiratur in diversis hominum generibus.*

Resp. 1° In nullo homine per se requiritur notitia scientifica, sed ea sufficit, quae sit rationi consentanea. 2° Non absoluta sed respectiva notitia opus est, quae ad judicium prudens et sincerum, habita ratione diversae conditionis captusque personarum, sufficere videatur. 3° Minime tamen par est conditio eorum, qui fidei donum acceperunt, atque

eorum, qui ad fidem disponuntur; hos dubitative credibilitatem investigare nefas haberi nequit; illis assensum suspendere et fidem in dubium vocare nunquam licet. Hinc ab Innocentio XI. damnata est haec propositio: „potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.“ *Decretum* 2. Martii 1679; prop. 20. Et patres Vaticani: „Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.“ Const. *Dei Filius*, *De fide*, can. VI. Cf. *Coll. Lac.* VII. p. 531—535.

Quaeres III. *Utrum evidentia credibilitatis ab evidentia testificationis seu revelationis divinae distinguenda sit.*

Resp. Haec habetur, si quis evidenter cognoscat Deum sibi loqui et credenda proponere, sicut prophetae nonnulla credidisse videntur vel angeli in primo creationis suae et justificationis momento ea, quae Deus ipsis revelabat, crediderunt; illa habetur, si quis motiva sufficientia ad credendum aliquid tanquam divinitus dictum evidenter conspicit. Testificationis quoque evidentiam cum fide conjungi posse communior et verior videtur esse sententia. Cf. S. Thom. II. II. 5. 2. Videsis Salmant. *De fide*, disp. III. dubium I. contra Joan. a. S. Thoma, *De fide*, disp. II. art. 2., qui dubitat, utrum fides possit stare cum evidentia testificationis seu in testificante, non quidem *solitarie* et per se solam, sed cum *suis adjunctis*, i. e. cum aliis propositionibus evidentibus, quibuscum discursum efficere possit, v. g. cum veritate, quod Deus nec de potentia absoluta potest dicere falsum, etc.

Objectiones.

Obj. I. Fidei assensus consistere non potest cum evidentia sui objecti quantum ad *an est*. Jam vero posita credibilitatis evidentia cognoscimus evidenter, *an sint* fidei mysteria. Fides ergo credibilitatis evidentiam excludit.

Resp. Dist. maj.: Fidei assensus conjungi nequit cum evidentia sui objecti quantum ad *an est*, sub ratione mysteriorum in speciali, *conc.;* sub ratione communi credibilis, *nego.* Responsio ex iis, quae praefati sumus, manifesta videtur.

Instabis. Assensus scientis in rem scitam non subjicitur libero arbitrio. At per evidentiam credibilitatis assensus credentis redditur assensus scientis. Igitur posita credibilitatis evidentia libertas a fide tollitur.

Resp. Dist. maj.: libero arbitrio non subjicitur assensus scientis in rem scitam, *conc.;* consideratio actualis rei scitae, *nego.* Et *dist.* minorem: per evidentiam credibilitatis assensus credentis efficitur assensus scientis fidem *intrinsece, nego;* scientis *credibilitatem* fidei, *concedo.* Visa credibilitate fidei ipsae res fidei non desinunt esse *non apparentia.* Quare „ille qui credit — ait S. Thomas — habet sufficiens inductivum *ad credendum;* . . , non habet sufficiens inductivum *ad sciendum.*“ II. II. 2. 9. Similiter exponit: „intellectus credentis assentit rei creditae non quia ipsam videat vel secundum se vel per resolutionem ad prima principia per se visa, sed propter imperium voluntatis. Quod autem voluntas moveat intellectum ad assentiendum potest contingere ex duobus. Uno modo ex ordine voluntatis ad bonum, et sic credere est actus laudabilis. Alio modo, quia intellectus convincitur ad hoc quod judicet esse credendum his quae dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei. Sicut si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo, qui non mentitur; licet illud futurum quod praedicitur in se evidens non esset, unde ratio fidei non tolleretur.“ II. II. 5. 2.

Urgebis. Quod est evidenter credibile est evidenter verum. Et quod est evidenter verum assensum scientis cogit. Ergo evidentia credibilitatis et libertas assensus fidei pugnant.

Resp.. Dist. maj.: Quod est evidenter credibile est evi-

denter verum evidentia extrinseca, *conc.;* evidentia intrinseca, *nego.* Et *dist.* min.: evidentia cogit assensum, si est intrinseca, *conc.*; si est extrinseca, *nego.* Evidentia petitur ab intrinseco; res autem fidei, cum per evidentiam credibilitatis *in se* minime videantur, nobis *obscurae* sunt. Hic adverti debet, judicium illud, quod de credibilitate fidei ob motiva credibilitatis fieri naturali lumine potest, omnino distingui ab assensu, quem, Dei aspirante et adjuvante gratia, ipsis revelatis praestamus in actu fidei propter auctoritatem Dei revelantis.

Dices. Ob auctoritatem testium gravissimorum factum naturale, velut exsistentia Romae, ab iis, qui ipsam Romam nunquam viderunt, necessitate quadam admittitur. Ergo perspecta evidentia credibilitatis ipsa fidei mysteria necessitate coacti credimus.

Resp. Transeat antec. Et *nego* conseq. Et sane non est paritas. Fides enim est „actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo *motae per gratiam*". S. Thom. II. II. 2. 9. Ex qua definitione tria perspicua sunt:

a) Romam esse cognoscimus ea firmitate assensus, quam testium postulat auctoritas. At vero fidei assensus, etsi fideles etiam credibilitatem fidei suae perspiciunt, *non* tamen *a pondere motivorum credibilitatis* pendet, sed *a gratia.*

b) Voluntas, per gratiam mota, praestare potest *majorem* illam *adhaesionem* (S. Thom. II. II. 4. 8. ad 3.), quae motivorum pondus excedit. Revera ab Innocentio XI. damnata est haec propositio: „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium." *Decretum* 2. Martii 1679, prop. 19. Et Dominus *corda* aperit. *Act.* XVI. 14.

c) Possunt homines igitur obicem ponere gratiae fidei 1° ex parte intellectus, si assentiri recuset mysteriis, quod *in se obscura* sint omnemque *vim cognoscendi naturalem superent.* Illud etiam adversarii cogitent, intellectum hic reniti „terminis alienis, et non propriis", uti S. Thomas docet *De veritate* XIV. 1.: „intellectus credentis dicitur esse capti-

vatus, quia tenetur *terminis alienis*, et *non propriis*. II. Cor. X. 5.: *In captivitatem redigentes omnem intellectum*. Inde etiam est, quod in credente potest insurgere motus de contrario hujus quod firmissime tenet." 2° Ex parte voluntatis per pravos affectus, qui solent piam motionem in Deum plurimum impedire. Tenenda enim est illa Augustini sententia: „Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens." *Tract.* XXVI. in Joan. n. 2.

Replicabis. S. Thomas dicit: „Daemones non voluntate assentiunt his, quae credere dicuntur, sed coacti evidentia signorum, ex quibus evincitur, verum esse, quod fideles credunt." *De veritate*, XIV. 9. ad 4. Ergo evidentia signorum liberum fidei assensum excludit.

Resp. Dist. antec.: Daemones credunt evidentia coacti ad assensum fidei supernaturalem, *nego;* ad assensum naturalem, *subdist.:* coacti quodammodo, *conc.*; simpliciter, *nego.*

a) S. Thomas aperte distinguit fidem daemonum naturalem a supernaturali fide fidelium; nam „credere — inquit — *aequivoce* dicitur de hominibus fidelibus et daemonibus: *nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiae infuso*, sicut est in fidelibus". *De verit.* l. c. Quamobrem ex textu in objectione prolato minime apparet, evidentiam signorum pugnare cum libera voluntatis motione, qua fideles per gratiam ex pio affectu veritati primae adhaerent. Daemonum enim fides *ex gratia* non est.

b) Neque S. Thomas assensum fidei *naturalem* evidentia signorum *simpliciter cogi* censuit. Quamvis enim daemones non credant cum voluntatis motione ad finem supernaturalem, non tamen omnino absque voluntatis imperio credunt; scilicet ex malitia credere nollent, sed credere absolute volunt, quod in tanta signorum evidentia non credere maximae stultitiae esse videant. Atque sanctus doctor, qui anno 1258 in libro *De veritate* scripserat: „coacti evidentia signorum", postea in *Secunda Secundae*, quam *Summae* partem a. 1269—1271 confecit, ita scripsit: „dae-

monum fides est *quodammodo* coacta ex signorum evidentia." II. II. 5. 2. ad 1.

Obj. II. Dixit Jesus improbando: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Joan. IV. 48. Et alibi: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt et crediderunt.* Joan. XX. 29. Necesse igitur non est credibilitas fidei probari posse.

Resp. Dist. antec.: in reprehensionem veniunt, qui signa quaerunt non necessaria, *conc.;* necessaria *nego.* Multi signa quaesierunt, quamvis Christi credibilitas manifesta esset; aliorum vero corda parata erant. Quare S. Thomas in locos prolatos exponit, „quod illi qui sunt tam prompti animi ut credant Deo, etiam signis non visis, sint beati per comparationem ad illos qui non credunt nisi talia videant." III. 55. 5.

Dicens autem Thomae: *Beati, qui non viderunt et crediderunt,* „commendat facilitatem aliorum ad credendum". S. Thom. *Expos. in Joan.* l. c. Et sane, ut consensus fidei rationi consentaneum sit, non requiritur visio Domini in carne. Quapropter Angelicus: „Laetificat autem valde — inquit — quod sequitur: *Beati qui non viderunt et crediderunt:* in qua sententia nos specialiter significati sumus, qui eum quem carne non vidimus, mente retinemus." *Cat. Aur.* in Joan. l. c.

Instabis. Motiva credibilitatis, *naturali* rationis lumine percepta, nihil valent ad gignendam fidem, quae est donum Dei *supernaturale.* Deus ergo hujusmodi signa, utpote supervacanea, jungi revelationi suae noluit.

Resp. Dist. antec.: Motiva credibilitatis non sunt causa fidei, *conc.;* non sunt fidei conditio, *nego.* Nam motivis illis disponuntur, qui nondum crediderunt: certiores fiunt, qui credunt, fidem suam certissimo niti fundamento; redditur ratio iis, qui nos interrogant, et ostenditur rationabile esse obsequium fidei. Ita Leo XIII. beatum Augustinum laudat, quod rationis partes complexus sit, „huic scientiae (philosophiae) tribuens . . . illud, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur".[1]) Encycl. *Aet. Patris.*

---

[1]) S. Aug. *De Trin.* lib. XIV. 1.

Urgebis. Falso dicitur, *naturalem* credibilitatis cognitionem disponere ad fidem, quae est donum Dei *supernaturale.* Igitur ex motivis credibilitatis utilitas nulla dimanat.

Resp. Dist. antec.: Cognitio naturalis non disponit ad fidem supernaturalem proxime, *conc.;* remote, *nego.* Quia „dispositio ultima ad formam et forma sunt ejusdem ordinis, in hoc quod si unum est naturale, et reliquum" (S. Thom. *De verit.* VIII. 3.), idcirco ratio naturalis proxima fidei dispositio haberi non potest. Sed non est repugnans rationi, homines intelligentia naturali disponi ad fidem, quatenus naturali lumine *impedimenta* fidei et indispositio humana *removentur.* Cf. S. Thom. II. II. 4. 7.

Obj. III. Saepenumero laudabiliter agimus cum judicio tantum probabili. Certissima igitur signa, de quibus Conc. Vat. sess. III. non expetuntur.

Resp. Dist. antec.: laudabiliter agimus cum judicio probabili in iis actionibus, quae requirunt *veritatem absolutam* sui objecti, *nego*; in aliis plerisque, *conc.* Actus fidei quovis dubio excluso plane certus sit oportet. Certus autem non erit, si quis dubitet, utrum Deus fidei auctor existat. Revera Innocentius XI. damnavit propositionem: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus."

Instabis. Si regula proposita valeat, rudibus etiam puerisque, qui ad discretionis aetatem pervenerint, evidentia credibilitatis necessaria est. At haec evidentia perperam a rudibus tenerisve mentibus postulatur.

Resp. Dist. maj.: rudibus et pueris necessaria est evidentia respectiva, *conc.;* absoluta, *nego.* Et sic *distincta* minore *nego* conclusionem. Rudes et pueri vident probeque sentiunt sibi auctoritate quadam opus esse et magisterio; qui, cum unum alterumve tantum credibilitatis motivum, etsi confuse, attingunt, nullamque non credendi rationem suspicantur, eam revelationis *notitiam certam* habere videntur, quae adjuvante gratia divina, sufficiat. Cf. Salm. *De fide,* disp. III.; Joan. a S. Thoma, *De fide,* quaest. I. disp. II. art. 3. n. 5.; Brouwer, *De fide div.* p. 132—137.

Sed „evidens est, — ait Franzelin — quam gravis urgeat necessitas amplioris et distinctioris institutionis quoad simplices fideles quibusdam luctuosis temporibus, ubi acerbior imminet hostium fidei impugnatio et majus perversionis periculum.“ *De div. trad. et Script.* p. 698.

Quaeres, utrum ex motivis credibilitatis probetur solum mysteria fidei esse credibilia, an pariter ea esse credenda.

Resp. Quam primum homini constiterit mysteria fidei esse credibilia seu Deum esse locutum, in promptu est hominem obligari ad credendum Deo, qui fidem revelavit.

Articulus IV.

Utrum theologia rationibus philosophicis uti possit.

I. Errores eorum, qui rationibus philosophicis in theologia nimiam auctoritatem tribuunt. 1° Gnostici, qui sibi videbantur *pneumatici* esse multitudinique imperitorum, quos *psychicos* vocabant, multo praestare, mysteria fidei totamque S. Scripturam philosophiae suae modo dualisticae modo pantheisticae subjecerunt. Quare S. Irenaeus ad gnosticum: „Ordinem ergo serva tuae scientiae, et ne ut bonorum ignarus supertranscendas ipsum Deum.“ *Adv. haer.* II. 25. 2° Rationalistae medii aevi. Dialectici non pauci tum ex nominalistarum schola tum de assectatoribus realismi exaggerati rationalismo infecti fuerunt. Inter quos Joannes Scotus Erigena († 883?) contendit, perfectissimorum divinique radii splendoribus illuminatorum esse, „altissima divinae theoriae *βήματα*, h. e. gradus superare, ac sine ullo errore apertissimae veritatis speciem nulla caligine obstante intueri“. *De divisione naturae*, lib. III. 1. Abaelardus († 1142) asseruisse nonnullis videtur, fieri posse, ut homines docti in hac vita ad intelligendam S. Trinitatem perveniant. *Introd. ad theol.* lib. II. Critici tamen recentiores Abaelardum rationalistam fuisse negant.[1])

[1]) Kaiser, *Pierre Abélard critique* (1901) ait: „Jamais en théorie Abélard n'a voulu donner une démonstration philosophique du mystère, et encore moins professer le rationalisme.“ Cf. M. Grabmann, *Die Erkenntnislehre des Kard. Matth. von Aquasparta* (1906), p. 116 etc.

3° Gregorius XI. anno 1376 damnavit hanc propositionem Raymundi Lulli (1235—1315): „Omnes articuli fidei possunt probari, et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes.“ 4° Sociniani mysteria et theologiam supernaturalem potius expressis verbis negarunt, quam usum philosophiae in theologicis disciplinis exaggerarunt. 5° Inter recentiores Jacobus Frohschammer in voluminibus, germanice scriptis, quae titulum habent: *Introductio in Philosophiam; de Libertate scientiae; Athenaeum,* asserere non dubitat, „omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse objectum naturalis scientiae, seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire.“ *Litt. Pii IX. ad Archiep. Monacensem et Frisingensem,* 11. Dec. 1862. 6° Vitandus est etiam eorum abusus, qui speculative quidem non asserunt, fidei mysteria posse *demonstrari* intrinsece argumentis mere philosophicis, sed practice imitantur magistros illos Parisienses, quos Gregorius IX. anno 1233 hunc in modum reprehendit: „Cum Theologiam secundum approbatas Traditiones Sanctorum exponere debeant, et non carnalibus armis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivum in obsequium Christi reducere intellectum: ipsi doctrinis variis et peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam.“ Cf. Hieron. Savonarola, *De ordine scientiarum.* lib. III.

II. Sententia catholica. Ecclesia catholica ita docet ab abusu philosophiae cavendum esse, ut eos pariter vitandos esse affirmet, qui omnem disciplinam, tam practicam quam speculativam, in theologia rationalismum sapere censeant. „Equidem — ait Leo XIII. — non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse judicemus: sicut enim, cum primum est religio christiana constituta, per admirabile lumen *non persuasibilibus humanae*

sapientiae verbis diffusum, *sed in ostensione spiritus et virtutis*, orbi terrarum contigit, ut primaevae dignitati restitueretur; ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu posthabenda sunt naturalia adjumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adjumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum." Encycl. *Aet. Patris.* — Ratio autem humana post fidem non solum potest veritatum nexum inter se manifestare, conclusiones ex fidei articulis inferre, verum etiam analogias aliquas proponere, necnon ostendere argumenta obloquentium non esse necessaria. Cf. p. 822—823.

Thesis: *Theologis argumenta philosophica perutilia sunt.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* Philosophia seu ratio naturalis vere locus, h. e. fons argumentorum, theologis est, si apostoli loco isto in discutiendis fidei quaestionibus usi sunt. Atqui S. Paulus, coram Areopago de „Ignoto Deo" disserens, argumentatione philosophica utitur, *Act.* XVII.; alibi ostendit, judicium Dei esse secundum veritatem in ethnicos, *Rom.* I. Cf. et Job, de divina Providentia. — I. *Cor.* XV. 12—58. apostolus corporum resurrectionem ex resurrectione Christi probat et ex pluribus convenientiis similitudinibusque naturalibus; itemque *Rom.* XI. de gratia et operibus, *Rom.* IX. de electione divina disserens, ab argumentis rationis naturalis non abhorret.

Arg. II. *Ex traditione. a) S. Hieronymus* rationis naturalis usum commendat in Quadrato, in Aristide, in Justino, in Irenaeo, *ep. ad Magn.; Gregorius Neocaesariensis* in Origene, *Orat. paneg. ad Origen.* — De Origene, Pantaeno, Heracla idem ex quadam Origenis epistola refert Eusebius, E. H. VI. 19. — *Clemens Alex.* ait: „Accedens autem graeca philosophia veritatem non fecit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argu-

mentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus." *Strom.* I. 28. — *S. Augustinus* figura sumpta a Judaeis, aurea et argentea Aegyptiorum vasa secum deferentibus: „Nonne aspicimus — inquit — quanto auro et argento et veste subsarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, Doctor suavissimus et Martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius?" *De doctr. Christ.* lib. II. — Rursus Hipponensis philosophiae illud tribuit, „quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur." *De Trin.* XIV. 1. — Cf. Wiseman, *Lectures on the connexion between science and revealed religion*, lect. XII.

b) Facta subsequentium saeculorum eadem philosophiae commoda probant. Ad hanc enim disciplinam ecclesia sacerdotes erudire studuit: ab ingeniis praeclarissimis fides argumentis etiam philosophicis propugnata est, maxime tamen omnium ab Angelico in *Summa theologica*. Hac de causa S. Anselmus Cant. ait: „credo, ut intelligam." *Proslog.* cap. I. Idem, *Cur Deus homo*, lib. I. 2.: „Sicut rectus ordo exigit ut profunda Christianae fidei prius credamus quam ea praesumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere." Cujus intelligentiae et objectum et limites monstrantur in Conc. Vat. sess. III. cap. IV.: „ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, *tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine ultimo*." Cf. Leon. XIII. encycl. *Aet. Patris.*

Arg. III. *Ex ordine rationis et fidei.* Cum gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet naturalem rationem subservire fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati. S. Thom. I. 1. 8. ad 2. Hoc autem fit, quotiescunque naturalis ratio argumenta praebet theologis. Ad rem S. Thomas: „lumen fidei, quod nobis gratis infunditur, non destruit lumen naturalis cognitionis nobis naturaliter inditum. Quamvis autem naturale lumen mentis

humanae sit insufficiens ad manifestationem eorum quae per fidem manifestantur, tamen impossibile est quod ea quae per fidem nobis traduntur divinitus, sint contraria his quae per naturam nobis sunt indita: oporteret enim alterum esse falsum: et cum utrumque sit nobis a Deo, Deus esset nobis auctor falsitatis: quod est impossibile. Sed magis, cum in imperfectis inveniatur aliqua imitatio perfectorum, quamvis imperfecta; in his quae per naturalem rationem cognoscuntur, sunt quaedam similitudines eorum quae per fidem tradita sunt." Quibus expositis, sanctus concludit, in theologia philosophiam adhiberi posse tripliciter: 1° ad demonstrandum ea, quae sunt praeambula fidei; 2° ad notificandum per aliquas similitudines ea, quae sunt fidei; 3° ad resistendum his, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria. *In Boet. De Trin.* quaest. II. 3. — De multiplici usu scientiarum humanarum in theologia disserit Berthier, *Tract. De loc. theol.* p. II. lib. I. 2. Cf. Zigliara, *Propaed.*

Objectiones.

Obj. I. S. Paulus fideles sic alloquitur: *videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Coloss. II. 8. Itaque viro Christiano gravissima causa est vitandi philosophiam.

Resp. Dist. antec.: S. Paulus reprobat philosophiae usum, *nego;* abusum, *cons.* Apostolus docet ab illa philosophia cavendum, quae est *secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* L. c. De qua quidem philosophia, fidei adversa, S. Thomas: „utentes — inquit — philosophia in sacra Scriptura possunt dupliciter errare. Uno modo utendo his quae sunt contra fidem, quae non sunt philosophiae, sed potius error vel abusus ejus . . . Alio modo, ut ea quae sunt fidei, includantur sub metis philosophiae; ut si nihil aliquis credere velit nisi quod per philosophiam habere potest." *In Boet.* l. c.; cf. *Expos. in Col.* II. lect. 2.

Instabis. Apostolus testatur, se praedicasse Corinthiis *non in persuabilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* I. Cor. II. 4.

Resp. Dist. antec.: istis verbis ostenditur, philosophia non utendum esse ut principali, *conc.;* ut secundaria, *nego.* De eo Scripturae loco et similibus S. Thomas: „ex omnibus illis verbis ostenditur quod doctrina philosophorum non sit utendum quasi pricipali, ut scilicet propter eam credatur fidei; non tamen removetur quin ea possint uti sacri doctores quasi secundaria . . . Ut tamen totum quod est fidei, non humanae potentiae aut sapientiae tribueretur, sed Deo, voluit Deus ut primitiva Apostolorum praedicatio esset in infirmitate et simplicitate; cum tamen potentia et saecularis sapientia postea superveniens ostenderit per victoriam fidei mundum esse Deo subjectum et quantum ad potentiam, et quantum ad sapientiam." *In Boet.* loc. cit. ad 1.

Obj. II. Tertullianus, *De praescr.;* S. Hieronymus in *ep. ad. Eustach.*, ubi refert, se raptum in spiritu vapulasse Deo jubente, quod Ciceronianus esset, non Christianus; S. Ambrosius, qui *De fide,* lib. I. docet, „non in dialectica complacuisse Deo salvum facere populum suum", aliique patres dialecticae usum reprobare videntur.

Resp. Dist. antec.: sancti patres reprobarunt usum, *nego;* abusum, *conc.* Res ex eo liquet, quod ipsi patres dialectica et philosophia usi sunt eumque usum in aliis laudarunt et probarunt.

Instabis. Quod nititur auctoritate divina, humanae sapientiae adjumentis non indiget. At fides nostra divina auctoritate nititur.

Resp. Dist. maj.: quod nititur auctoritate divina, humanis adjumentis *non indiget* ex necessitate, *conc.;* ob utilitatem aliquam, *nego.* Aquinas ait: „haec scientia (theologia) accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum quae in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicae utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam

ejus, sed propter defectum intellectus nostri; qui ex his quae per naturalem rationem (ex qua procedunt aliae scientiae) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quae sunt supra rationem, quae in hac scientia traduntur." I. 1. 5. ad 2.; cf. art. 8.; *C. Gent.* I. 9.; *Quodl.* IV. 18.

Urgebis. Argumentis philosophicis in theologia non utendum est, si nihil omnino utilitatis habent. Jam istis argumentis nec fidelibus consulitur, utpote quos divina auctoritas ad credendum inducat; nec infidelibus, quia argumenta illa minime demonstrant.

Resp. Dist. min.: iis argumentis nec fidelibus nec infidelibus consulitur, ut credant, *conc.;* ut adjumenta quaedam habeant, *nego.* Et primo quidem *infidelibus* prospicitur, quoniam „rationes quae inducuntur a sanctis ad probandum ea quae sunt fidei, non sunt demonstrativae, sed persuasione quadam manifestantes non esse impossibile quod in fide proponitur." S. Thom. II. II. 1. 5. ad 2.; cf. I. 32. 1. — *Fideles* praeterea firmantur in fide, perspectis analogiis, mysteriorum nexu inter se, pulcherrimisque conclusionibus; nec cuiquam non probatur illud S. Thomae: „de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert." *C. Gent.* I. 5. — Re quidem vera „sicut ea quae fidei sunt, non possunt demonstrative probari; ita quaedam contraria his non possunt demonstrative ostendi esse falsa; sed *potest ostendi non esse ea necessaria*". *In Boet. De Trin.* quaest. II. 3. Ita fit, ut ad confutandos fidei adversarios theologi philosophiae operam navent necesse sit.

Articulus V.

De philosophia S. Thomae.

I. Status quaestionis. Quaerendum est, utrum Thomae philosophia ceterorum doctrinae philosophicae praeferenda sit. Haec autem delectio considerari potest 1° respectu utilitatis aliorum, qui de rebus philosophicis scripserunt; 2° respectu scientiarum naturalium; 3° respectu fidei.

1° *Quod ad aliorum philosophorum utilitatem attinet,*

Leo XIII. non ita Thomae sapientiam laudavit, ut alii omnes excludantur: „edicimus — inquit — libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum". Encycl. *Aet. Patris.* In epistola autem Leonis XIII. ad ministrum gener. Ordinis Minorum de operum S. Bonaventurae nova editione, 13. Dec. 1883 legimus: „nullo modo dubitandum, quin catholici praesertim juvenes in spem Ecclesiae succrescentes, qui ad philosophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, perlegendis S. Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi atque ex amborum scriptis, quasi ex praecipuis armamentariis, gladios ac tela sumant, quibus in teterrimo bello adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto, hostes superare strenue queant."

2° *De habitu philosophiae Thomisticae ad scientias physicas.* Leo XIII. in encyclica commemorata: „etiam physicae disciplinae, quae nunc tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuosae exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturae; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, et principiis, unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem, et opem est allatura, si sapienti ratione tradatur." Rursus: „hac ipsa aetate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicae conclusiones, et philosophica Scholae principia nullam veri nominis pugnam existere."

3° *Philosophia Thomistica respectu fidei* praeferenda videtur ceteris doctrinis, in quantum Thomae doctrina philosophica prae ceteris tum *intrinsece* tum *extrinsece* fidei subordinata est eique cohaeret. Dico: *a*) *intrinsece*, non quasi

philosophia Thomistica aut qualiscunque doctrina naturalis idem *objectum formale* atque fides haberet; quippe in fide auctoritas Dei revelantis, in scientia naturali intrinseca rei veritas praecise attingitur. Sed *objectum materiale* philosophiae Thomisticae et fidei revelatae sub eo respectu inter se conveniunt, quod Thomas illas veritates naturales, quae sunt fidei et scientiae objectum commune, velut doctrina de Deo Creatore, aut quae cum fidei mysteriis indirecte connectuntur, velut doctrina de substantia et accidentibus corporum, mira perspicuitate docuit. *b) Extrinsece* quoque, hoc est, tanquam medium ad finem, philosophia commemorata ob majorem cum fide connexionem praefertur ceteris, non perinde ac si naturalis scientia fidem supernaturalem efficeret, sed quia ad fidem defendendam valet quam quae maxime.

Non igitur quaerimus, utrum philosophia Thomistica utendum sit, ceteris quibuscunque philosophis exclusis, aut quovis progressu a priori negato, aut probatis Thomae conclusionibus omnibus etiam de scientiis experimentalibus; sed disceptatione nostra in eo versatur, utrum philosophia, de qua diximus, praesertim habito respectu ad fidem, sit anteponenda ceteris.

II. Adversarii. Antesignanus antithomistarum habetur Guilielmus Lamaraeus, qui in suo *Correctorio operum S. Thomae*, plures theses philosophicas sancti doctoris, uti doctrinam de unitate formae substantialis in homine refellere conatus est. Occam, defensor Philippi Pulchri et Ludovici Bavari, S. Thomam impugnavit; quamvis iste scholam non condiderit, duae tamen scholae antithomisticae, saeculo XIV. decurrente, discipulos non paucos habuerunt, Averroismus et Paganismus philosophicus, qui temporibus restaurationis (renaissance), ut ajunt, ex odio mediae aetatis et superstitione quadam antiquorum cito crevit. Post novatores saeculi XVI. schola empirica Baconis Verulam. (1561—1626) et schola idealistica Cartesii (1596—1650) multis visae sunt amplissimae, Thomistica contempta; hac tempestate Arnu († 1692), O. P. edidit opus, quod inscriptum est: *Clypeus phil. thomist. contra novos ejus impugna-*

tores. Saeculo XVIII. philosophia Thomistica magis magisque a professoribus laicis neglecta est; tum ab adversariis ipsam defensavit Guérinois, O. P. in libro, qui inscribitur *Clypeus philos. thomist. contra veteres et novos ejus impugnatores.*

Etiamnum in scholis catholicis nonnulli „patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt.“ Encycl. *Aet. Patris.* Hi sunt, qui de Aquinate interdum tam parum digne loquuntur, ut nescias, utrum ad fidem strenue et efficaciter defendendam philosophia Angelici negligenda an offendenda sit. — Iniqui prorsus Thomae fuerunt plures acatholici, ut R. Eucken, *Die Philosophie des Thomas von Aquino und die Kultur der Neuzeit,* 1886; J. Frohschammer, *Die Philosophie des Thomas von Aquino;* P. Knoodt et A. Ritschl.

Thesis: *S. Thomae philosophia ceteris doctrinis philosophicis praeferenda est.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex suffragio ecclesiae.* Illa philosophia theologis seligenda est, cui favet ecclesiae suffragium. At ecclesia philosophiae Thomisticae mirifice suffragatur; quod licebit efficere ex Pontificum Maximorum de Thoma sententiis, praesertim ex aurea illa Leonis XIII. encyclica de colenda S. Thomae philosophia; ex ecclesiae usu, quem ea quoque probant, quae p. 815—820 de auctoritate doctoris Angelici sunt exposita. Cf. Pii X. Litt. apost. *In praecipuis,* 23. Jan. 1904.

Arg. II. *Ex indole philosophiae Thomisticae.* Plurimi putatur ea philosophia, quae est universalissima, profundissima, tutissima. Talis autem prae ceteris est philosophia Angelica.

a) Universalissima est. Thomas enim in *Commentariis* in Aristotelem, in *Quaestionibus disputatis,* in *Summa contra Gentiles,* in *Summa Theologica,* in *Opusculis* variis Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam complexus est. „Nulla est — ait Leo XIII. — philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit.“

b) Profundissima. Namque „philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda".

c) Tutissima. Illa philosophia tutissima est, quae fidem, ut stellam directricem, fidelissime sequitur. Talis autem est philosophia Thomistica. Ergo. Prob. *min.* Ille fidem fidelissime sequitur, qui maximam fidei scientiam cum firmissima voluntate sequendi fidem conjunxit. Jam vero in Thoma fidei scientiam maximam fuisse, ex antea dictis (quaest. XXI.) constat; firmissimum pariter fuisse Thomae erga fidem obsequium, nemo profecto negaverit. Cf. Encycl. *Aet. Patris.* Audiatur praeclara vox Leonis XIII., qui ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae haec scripsit: „disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad confirmandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque: nam res singulas dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se connexas et cohaerentes, omnes ad capita pertinentes suprema; tum in contemplationem erigit Dei, qui rerum omnium et caussa effectrix est et vis et summum exemplar, ad quem demum omnis philosophia et homo quantus est, debent referri. Sic vere per Thomam scientia rerum divinarum et humanarum, caussarumque, quibus hae res continentur, quum praeclarissime illustrata, tum firmissime munita est: cujus conflictione disciplinae, veteres sectae errorum penitus corruerunt, itemque novae, nomine potius et spe, quam re illis dispares, simul emisere caput, et ejusdem ictibus dejectae interciderunt; quod jam non unus ostendit de scriptoribus nostris. Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque libera vult acie penetrare, nec non velle potest: verum Aquinate auctore et magistro hoc ipso facit expeditius et liberius, quia *tutissime* facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis. *Neque* enim libertatem recte dixeris, quae ad arbitrium libidinemque opiniones consectatur et spargit, immo vero licentiam

nequissimam, mendacem et fallacem scientiam, dedecus animi et servitutem. Ille reapse sapientissimus Doctor intra veritatis fines graditur, qui non modo cum Deo, omnis veritatis principio et summa, nunquam decertat, sed ipsi adhaeret semper arctissime semperque obsequitur arcana sua quoquo modo patefacienti; qui neque sancte minus Pontifici Romano est dicto audiens, et auctoritatem in eo reveretur divinam, et *subesse Romano Pontifici* tenet omnino *de necessitate salutis.*" [1]) Encycl. *Officio sanctissimo.*

Quaeres. *Utrum theologis doctrina quoque astronomica et physica S. Thomae sequenda sit.*

Resp. a) Quod ad altiora rerum principia causasque attinet, constat, hujusmodi rerum investigationibus philosophiam Thomae plurimum lucis afferre. Elucet enim Angelicus scientiâ metaphysica, quae communissimas entis proprietates et adspectabilis mundi rationes quasdam generales considerat, necnon ea de Deo, anima et mundo tradit, quibus cognoscendis nulla experimentorum subtilitate aut perfectione instrumentorum opus est, sed mente, quae ex factis cuique manifestis ad causas altiores assurgat.

b) In experimentalibus et in conclusionibus, quae scientiarum naturalium incrementum sequuntur, ipse Aquinas affirmat, certitudinem a posteris esse obtinendam. Ita *De caelo et mundo*, lib. II. 17. anomalias seu irregularitates circa motus planetarum considerans, expositis veterum sententiis, ait: „Illorum tamen suppositiones quas adinvenerunt, non est necessarium esse veras. Licet enim, talibus suppositionibus factis, apparentia salvarentur, non tamen oportet dicere has suppositiones esse veras: quia *forte secundum aliquem alium modum, nondum ab hominibus comprehensum, apparentia circa stellas salvantur.*" Exponens librum *De causis*, lect. I.: „naturalem philosophiam" nominat, „quae *propter experientiam tempore indiget.*" Cf. alias quasdam Thomae de eadem re sententias in *Edit. Leonina* operum S. Thomae, t. III., praef.

De praestantia philosophiae Thomisticae universim cf.

[1]) Opusc. *Contra errores Graecorum.*

Van Weddingen, *L'Encyclique de S.S. Léon XIII. et la restauration de la philos. chrétienne;* Werner, *Der H. Thomas von Aquino;* Jourdain, *La Philosophie de St. Thomas;* Kleutgen, *Die Philosophie der Vorzeit;* Gonzalez, *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomás.*[1]) Protestantes etiam aliqui philosophiam Thomisticam, sub aliquo saltem respectu, valde probarunt, nominatim Rudolphus von Ihering, professor Goettingensis, qui in opere, quod inscribitur *Der Zweck im Recht,* t. II. p. 161. edit. 2. fatetur, *modernos philosophos et theologos protestantes non nisi cum damno suo et dedecore ignorare nobilissimam Thomae de morali et jure philosophiam.*[2])

---

[1]) Cum illustrissimus card. Gonzalez in Philippinis insulis librum memoratum conscriberet, Antonium Rosmini non cognovisse videtur nisi ex duobus auctoris illius operibus, quae inscribuntur *Nuovo Saggio sull' origine dell' idee* et *Il rinuovamento della Filosofia in Italia;* sperabat fore, ut Rosmini S. Thomam ducem sibi eligeret. At spes doctissimum virum fefellit, atque anno 1868 in sua *Philosophia elementaria,* t. III., scribere coactus est: „Rosmini a D. Thomae doctrina discedit, tum quoad secundaria quaedam, tum maxime quoad theoriam cognitionis et originis et idearum." Cf. de Rosmini decretum S. Inquis. 14. Dec. 1887, quo propositiones XL hujus auctoris proscribuntur.

[2]) Cf. H. Grotium, *De jure belli et pacis,* Prol. § 52; *Ep. ad Gallos,* 154; Leibniz, qui *Opp. phil.* (ed. Gerhardt), t. IV., p. 349 ait: „Je conclus qu'il est important de désabuser les hommes des opinions dangereuses ou inutiles, de retablir la réputation de la philosophie de S. Thomas et de tant d'autres habiles gens." Paulsen, *Kantstudien* 1899, Mai, fatetur Thomam adhuc esse *robur* — Ursache des Übergewichts — religionis catholicae. De pluribus vero Aquinatis adversariis recte Ausonio Franchi, *Ultima critica,* p. 107. haud inepte dixisse videtur: „Tutte le querele ed invettive contro la scolastica hanno il loro ultimo fundamento in questo bel supposto: La filosofia non essere scienza razionale, se non in quanto si adopera ad ogni modo a scristianizzare il mundo." Cf. Hernsheim, *Questions adressées aux philosophes:* Notes posthumes écrites en 1840 (1903).

Quaestio XXIII.

De philosophorum auctoritate.

Nonus locus philosophorum auctoritate continetur. Quae sane auctoritas non praebet locum necessarium aut theologiae proprium; nihil tamen obstat, cur non theologi hoc genere argumentorum utantur. Ut hic autem locus recte excolatur, quaerendum est,

Primo. *De auctoritate philosophorum in theologia.*

Secundo. *De auctoritate Aristotelis.*

Articulus I.

De philosophorum auctoritate in theologia.

I. Status quaestionis. 1° Philosophos hic intelligimus eos, qui, lumen naturale secuti, de Deo rebusque divinis ante Christi adventum scripserunt, ut Plato. Philosophis autem adjunguntur juris naturalis ac civilis periti, sicut alibi canonistas theologis adjungendos esse docuimus. 2° Etsi philosophi, non nisi naturali lumine ducti, multum erraverunt, Deus tamen *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.* Act. Apost. XIV. 16.; cf. *Catech. Rom.* p. I. art. 1. Atque adeo philosophorum omnium de rebus religiosis in ordine naturali conspirans sententia certam fidem facit, quandoquidem omnium in eo genere quaestionum consensio non accidentalibus causis tribuenda est, sed naturae atque naturae Auctori. Cf. Can. *De loc. theol.* lib. X. 4. 3° In ipsis mysteriis fideque supernaturali defendendis philosophorum auctoritatem theologis utilem esse hoc sensu asserimus, quod theologia philosophorum placitis uti potest, sive ad desumendas aliquas ex iis rebus, quae naturaliter cognoscuntur, analogias, sive ad redarguendos eos, qui philosophorum judicia contra fidem

inducunt. Patet autem, ex illa philosophorum auctoritate non hauriri argumenta certa ad *fidei mysteria* probanda, sed convenientias tantum.

II. Philosophorum scholae praecipuae. 1° *Philosophia Orientalis* Aegyptos, Persas, Sinenses, Indos complectitur. Verum Aegypti et Zarathustra seu Zoroaster Persa potius religiosam doctrinam quam systema philosophicum reliquisse videntur. Quod idem de Babyloniensibus et Assyriis affirmandum est. Inter Sinenses Lao-Tseu saeculo VII. a. C. et Confucius (551—478) philosophiam docuerunt; sed hujus doctrina de Deo rebusque divinis nulla aut fere nulla, illius obscura, confusa. In India circa saeculum VI. a. C. Kapila docuit philosophiam Sankhya, quae est sensualistica; Kanada philosophiam Vaiseshika, quae aliis materialismus, aliis idealismus quidam videtur; Gotama systema Nyaya invenit, quod ad sensualismum vergit; Çakia-Mouni (557—477), auctor Buddhismi, Deum et res divinas si non expresse negat, at certe negligit. Indicos allegare philosophos, plura nos prohibent, linguarum difficultas, — mysticismus quidam pantheisticus, ideas offuscans, — errores plurimi, quibus saniorem antiquae religionis doctrinam Indicae corruperunt.

2° *Philosophia Graeca. a)* Inter Graecos „primi philosophantium de rerum naturis sola corpora esse aestimaverunt, ponentes prima principia aliqua corporea elementa, aut plura aut unum". S. Thom. *Opusc. De substantiis separatis*, c. I. Haec est schola naturalismi Ionici, quam Thales Milesius circa annum 600 a. Chr. fundavit, schola vero Abderitana Democriti (460—362) et Leucippi (500—?), quae est atomistica et materialistica, continuavit. *b)* Anaxagoras Clazomenius (500—428), „etsi cum ceteris philosophis naturalibus naturalia principia corporalia poneret, posuit tamen primus inter philosophos quoddam incorporale principium, id est intellectum, . . . non ut universale essendi principium, sed solum principium distinctivum", hoc est, a quo corpora non esse haberent, sed a quo distinctionem sortirentur. S. Thom. l. c. Haec est schola idealistica, cujus auctor est Pythagoras Samius († 500), continuata

per scholam Eleaticam Xenophanis, Parmenidis, Zenonis. Sed principium incorporale, intellectus (νοῦς), ab Anaxagora prae Pythagoreis et Eleaticis magis perspicue exprimitur. *c)* Schola Socratica, cujus parens habetur Socrates (470—399), summum decus Plato (420—347) et Aristoteles (384—322), qui uterque de Deo plura dignissime docuerunt. Cf. S. Thom. l. c. Deinceps philosophia Graeca ad profundum errorum demersa est.

3° *Philosophia Romana.* Romani magis scholas Graecas secuti, quam novas condidisse dicendi sunt. Inter eos Cicero (107—43) de Deo rebusque divinis docuit, quae laude digna esse videantur. Seneca quoque et Epictetus sententias, viro Christiano minime indignas, praeceperunt. At eo tempore Christus in terris apparuerat.

4° Quod ad alias scholas attinet, quae sive in antiquitate sive modernis temporibus ortae sunt, satis esse videtur hoc Angelici proferre: „Necesse est accipere opiniones antiquorum quicumque sint. Et hoc quidem ad duo erit utile. Primo quia illud quod bene dictum est, accipiemus in adjutorium nostrum. Secundo quia illud quod male enuntiatum est cavebimus." *De anima,* lib. I. 2.[1])

Thesis: *Theologis philosophorum auctoritates perutiles esse possunt.*

Argumenta.

Arg. I. *Ex S. Scriptura.* S. Paulus quandoque sententiis philosophicis gentilium utitur. Ergo philosophorum etiam gentilium auctoritates theologum quandoque adjuvant. Cf. S. Thom. *In I. Cor.* XV. lect. IV. Prob. *antec.* I. Cor. XV. 33. habetur illud Menandri: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala;* I. Tit. I. 12. illud Epimenidis sive Callimachi *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri;* Act. XVII. 28.: *quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus,* quod quidem hemistichium: *Ipsius enim,* Arati est eademque fere sententia Cleanthis.

Arg. II. Theologi veritates naturales probant, analo-

[1]) Cf. S. Thom. I. II. 97. 1.; *Ethic.* I. 11.; *Polit.* III. 8.

gias scientiam inter et fidem exponunt, veritatum naturalium et supernaturalium adversarios redarguunt. Jam in hac triplici disputandi ratione theologi possunt auxilia petere a philosophis. Prob. *min. a)* In ordine veritatum naturalium constat praeclarissima vetustatis ingenia acute disputasse. Quare verissime S. Thomas: „etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt; sicut Paulus *Act.* XVII. 28. inducit verbum Arati, dicens: *Sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt, genus Dei sumus.* Sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis, et probabilibus." I. 1. 8.

b) In exponendis analogiis inter fidem et scientiam theologi nonnullis veritatibus philosophicis uti consueverunt. Atqui veritates hujusmodi haud semel egregie dictae sunt a philosophis maximae auctoritatis. Ita philosophorum auctoritates tam ob acutum dicendi modum quam ob auctoritatem, qua sapientissimi viri apud adversarios etiam fidei fruuntur, theologis utiles esse possunt. Ita S. Thomas, III. 77. de accidentibus in Eucharistia remanentibus et *C. Gent.* IV. 82. etc. de statu hominis post resurrectionem disserens, plus singula vice doctrinam fidei, quantum fieri potest, Aristotelis auctoritate illustrat; valebat enim Stagiritae sapientia aetate illa plurimum.

c) In adversariis redarguendis argumenta duci queunt ab iis philosophorum auctoritatibus, quas adversarii admittunt. Subvenitur enim eorum, qui nobis adversi sunt, defectui, si ostenditur eorundem rationes fidei contrarias etiam contradicere praeclari cujusque philosophi sententiis. Cf. Cajet. in I. 1. 8.

Objectiones.

Obj. I. Non licet evacuare crucem Christi. At si philosophos in theologia audiamus, crux Christi evacuatur. Paulus enim: *non* — inquit — *in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi . . . Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium.* I. Cor. I. 17. 19.

Resp. Dist. min.: evacuatur crux Christi, si theologus

utitur *sapientia verbi* pro radice suae doctrinae, *conc.;* in obsequium hujus doctrinae, *nego.* Ita S. Thomas: „aliud est docere in sapientia verbi quocunque modo intelligatur, et aliud uti sapientia verbi in docendo. Ille in sapientia verbi docet, qui sapientiam verbi accipit pro principali radice suae doctrinae, ita scilicet quod ea solum approbet, quae verbi sapientiam continent: reprobet autem ea, quae sapientiam verbi non habent, et hoc fidei est corruptivum. Utitur autem sapientia verbi, qui suppositis verae fidei fundamentis, si qua vera in doctrinis philosophorum inveniat, in obsequium fidei assumat.“ *Expos. in I. Cor.* I. lect. 3.

Instabis. Theologia nititur divinis testimoniis iisque efficacissimis. Igitur theologia philosophorum testimoniis nihil utatur, necesse est.

Resp. Dist. antec.: theologia testimoniis divinis ita nititur, ut illa sint theologiae propria, *conc.;* ut excludat extranea, *nego.* Theologia testimoniis etiam humanis ministerialiter utitur, „non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum quae in hac scientia traduntur . . . Et hoc ipsum quod sic utitur eis (aliis scilicet scientiis tanquam ancillis) non est propter defectum vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri.“ S. Thom. I. 1. 5. ad 2.

Urgebis. Ille sibi non constat, qui philosophorum auctoritatem in plurimis repudiat, in aliis allegat. Theologia autem philosophorum auctoritatem in plurimis repudiat. Theologus ergo, si constare sibi velit, eorum auctoritatem allegare non potest.

Resp. Dist. maj.: ille sibi non constat, qui philosophorum auctoritatem in plurimis repudiat, si eosdem in aliis allegat simpliciter, *conc.;* si eos allegat secundum quid, *nego.* Responsio his verbis S. Thomae explicatur: „in quantum sacra doctrina utitur physicis documentis propter se, non recipit ea propter auctoritatem dicentium, sed propter rationem dictorum: unde bene dicta recipit et alia respuit. Sed quando utitur eis propter aliquos errores refellendos, utitur eis in quantum sunt in auctoritatem

aliis qui refelluntur, quia testimonium adversarii efficacius est.“ *In Boet. De Trin.* quaest. II. 3. ad 8.

Articulus II.

De auctoritate Aristotelis.

I. De abusu Aristotelis in theologia. Aristoteles (384—322) Stagirae in Thracia natus, Platonis discipulus, magister Alexandri Magni, philosophiae peripateticae parens, praeclarissimorum ingeniorum judicio vir sapientissimus doctissimusque fuit. Sed fuerunt, qui auctoritate tanti viri abusi sint. Quod quidem tribus modis factum est.

1° Fuerunt, qui caeco modo sequerentur Aristotelem, non incorruptum illum, quem veteres Graeci legerunt, sed illum, cujus opera Neoplatonicis, Arabicis et Averroisticis erroribus corrupta erant. Qui Arabicum et Averroisticum istum Aristotelismum clausis veluti oculis sequebantur, illi ansam dederunt decretorum concilii Parisiensis (1209) et Roberti Courçon, legati pontificii (1215), necnon bullarum Gregorii IX. (1228 et 1231), ab Urbano IV. confirmatarum (1262), de libris Aristotelis. Ex pernicioso illo abusu Aristotelis ortus esse videtur pantheismus Amalrici a Bena et Davidis de Dinanto, et error de unitate intellectus, quem refellens S. Thomas: „miror — inquit — ex quibus Peripateticis hunc errorem se assumpsisse glorientur; nisi forte minus volunt cum ceteris Peripateticis recte sapere, quam cum Averroë aberrare, qui non tam fuit Peripateticus quam Peripateticae philosophiae depravator.“ Opusc. *De unit. intell.* Cf. P. Mandonnet, *Siger de Brabant.*

2° Alii Aristotelis opiniones quascunque philosophice veras esse duxerunt. Sed cognito, Stagiritam doctrinae Christianae interdum adversari, per fidem errores illos corrigendos esse dixerunt, sed ita corrigendos, ut eodem tempore falsas illas opiniones de rebus religiosis in philosophia studiose propagarent. Aristotelismus ille antischolasticus saeculo XVI. fidei Christianae non parum nocuit. Assectatores fuerunt Petrus Pomponatius (1462—1526) in libris *De immortalitate animae; De incantationibus; De fato, libero ar-*

bitrio et praedestinatione; Andreas Caesalpinus (1519—1603) in libris, qui inscribuntur *Quaestiones peripateticae* et *Daemonum investigatio,* et alii philosophi in Italia. Hinc illud Pomponatii: „sola religio christiana rationaliter habet ponere animorum immortalitatem; caeterae vero religiones omnesque philosophandi modi, qui animos immortales posuerunt, sunt irrationabiliter dicti et omnino fabulosi penitusque abjiciendi ab omni religione et philosophia." *Apologia,* III. 3. Atque de eo abusu „nata sunt in Italia — ait Canus — pestifera illa dogmata de mortalitate animi, et de divina circa res humanas improvidentia, si verum est, quod dicitur." *De loc. theol.* X. 5.; cf. conc. Lat. V. sess. VIII. — Melchior verum audierat.

3° Alii nonnullas Aristotelis sententias, in se non falsas, sine judicio ad fidei mysteria applicaverunt, aut in cognitione *semiplena* philosophi steterunt, quando sapientia Christiana *pleniorem* rerum philosophicarum notitiam ex fide haurire potuit; adeo ut Joannes Philoponus seu Grammaticus (saeculo VI.), auctor aliquorum commentariorum in Aristotelem, pravo conceptu substantiae et individui videatur in Tritheismum deerrasse.

II. Error Aristotelem a theologia prorsus excludentium. Lutherus, tametsi Aristotelis philosophiam sapientiam quandam humanam esse non negaret, usum tamen illius philosophiae in theologia valde improbavit. Philosophus ab eo Cerberus vocatur, et infelix logomachus. Bajus et Jansenius, cum generatim et sapientiam et virtutes gentilium nimis despicerent, eo facile adducti sunt, ut adjumenta peripateticae sapientiae a theologia vix non excluderent; Jansenius scilicet in libro, qui inscribitur *Augustinus,* tom. II. de amissa per Aristotelem a scholasticis vera theologia edisserit. Baco in suo libro *Novum Organum,* Cartesius et moderni plurimi de relinquenda Stagiritae auctoritate scripserunt. Cartesium tanta cepit peripateticae disciplinae aversio, ut censuerit, homines „quam minimum didicerunt illorum omnium quae hactenus (1644) nomine philosophiae insigniri solent, ad veritatem percipiendam quam maxime esse idoneos". *Principia philosophiae,* ep. praef.

III. Adversarii S. Thomae et scholasticorum ob Aristotelem. Per sex fere saecula nunquam non fuerunt, qui Thomam et scholasticos ob Aristotelis cultum conviciis consectarentur. Ita Petrus d'Ailly anno 1387 Thomam accusat, quod „Ejus doctrina innititur in multis authoritatibus et rationibus philosophorum praecipue Peripateticorum. Nam in omnibus etiam arduissimis fidei articulis, et humanam rationem transcendentibus ipse utitur dictis Aristoletis, et immiscet ejus philosophiam doctrinae fidei." Nizolio in opere inscripto *Antibarbarus seu de veris principiis et vera ratione philosophandi,* Erasmus in *Elogio Moriae* aliique humanistae censent, Thomam esse nimis Aristotelicum; quin etiam Nizolio de Alberto Magno, Aquinate et aliis: „Si quis — inquit — eos recte philosophari potuisse arbitratur, is vehementer dissentit a nobis". Atque Brucker in *Historia critica philosophiae* (1743): („Dum Thomas) Aristotelem unice sequi constituit, mancipii instar Stagiritae servire coactus est, et veritatem quoque illi tyranno servire coegit. Et ne malum hoc solum esset, immodicus Peripateticae philosophiae amor ita virum hunc superstitioso obsequio Philosopho addictum seduxit, ut theologiae vulneribus, quae praepostera philosophiae commixtio inflixerat, nova adderet vulnera, sicque sacram doctrinam vere faceret philosophicam imo gentilem." Inter modernos Victor Cousin, *Cours de l'Hist. de la philosophie moderne,* et schola eclectica in Gallia; Günther, *Eurystheus und Herakles* ac *Peregrins Gastmahl,* et alii in Germania; Gioberti, *Introd. allo studio della Filosofia ac Protologia,* et Rosmini, *Aristotelo esposto ed esaminato,* in Italia magis minusve Thomam et Scholasticos arguunt abusus, qui a Bruckero *Ἀριστοτελομανία* vocatur. Item Rud. Eucken, *Die Philosophie des heiligen Thomas.* — Cf. De Rubeis, diss. XXX.; Talamo, *L'Aristotelismo della Scholastica,* p. I. cap. I.; Schneid, *Aristoteles in der Scholastik*; Ephem. *Div. Thomas,* vol. I.

IV. S. Thomae et Scholasticorum de Aristotelis auctoritate principia. 1° *Ante omnia constat S. Thomam et scholasticos optime distinxisse theologicam scientiam a philosophicis disciplinis.* Prima quaestio, quam Angelicus in

Summa Theologica sibi solvendam proponit, haec est: *Utrum sit necessarium praeter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.* Respondet „quod *necessarium* fuit ad humanam salutem, esse doctrinam quamdam secundum revelationem divinam, praeter philosophicas disciplinas, quae ratione humana investigantur". I. 1. art. 1. Quod principium illis non favet, qui Thomam insimulant *sacram* doctrinam *philosophicam*, imo gentilem, reddidisse.

2° *Philosophorum auctoritas in theologia scholasticorum judicio valde debilis est.* Revera S. Thomas: „licet locus ab auctoritate quae fundatur super ratione humana, sit *infirmissimus*, locus tamen ab auctoritate quae fundatur super revelatione divina, est *efficacissimus.*" I. 1. 8. ad 2. — Neque caeco modo philosophorum doctrinae admittebantur; etenim „in quantum sacra doctrina utitur physicis documentis propter se, *non* recipit ea *propter auctoritatem dicentium*, sed *propter rationem dictorum.*" *In Boet. De Trin.* quaest. II. 3. ad 8. Quare iterum S. Thomas: „veritas est quoddam divinum. In Deo enim primo et principaliter invenitur, et ideo sanctum est praehonorare veritatem hominibus amicis. Juxta hoc etiam est sententia Platonis, qui reprobans opinionem Socratis magistri sui dicit: quod oportet magis de veritate curare quam de aliquo alio. Et alibi dicit: Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas." *In Ethic.* lib. I. 6. Cf. In lib. I. De caelo, lect. 22.; in lib. VIII. Physic. lect. 3. etc. Similiter Aegidius Romanus: „non credimus philosophis nisi quatenus rationabiliter locuti sunt." *In Sent.* II. dist. I. 1. q. 1. art. 2. — Ob eamque rem progressus philosophicus admittitur. Id enim docet Angelicus his verbis: „facta sunt additamenta in artibus, quarum a principio aliquod modicum fuit adinventum, et postmodum per diversos paulatim profecit in magna quantitate, quia ad quemlibet pertinet *superaddere id quod deficit* in consideratione praedecessorum." *In Ethic.* lib. I. lect. 11. Atque Albertus M., de causis et speciebus inquirens: „Supervenient — inquit — dicta eorum (antiquorum) huic nostrae viae, et hoc erit magnae utilitatis: aut enim in hac via aliud genus causae *quod antiqui non*

invenerunt, inveniemus; aut" etc. *Metaph.* lib. I. tr. III. 1. Cf. S. Thom. II. II. 94. 2.

3° *Scholastici Stagiritae auctoritatem adhibuerunt ratione et modo.* Nam *a)* S. Thomas, Aristotelem allegans, non eo docet sententiam aliquam esse admittendam, quod Stagirites illam teneat, sed quod eam *probet;* unde formula: „ut probatur" et similes, quibus ad Stagiritae argumentationem remittit; hinc frequens ipsius argumentationis illius philosophi diligensque expositio; hinc corroborata ipsius Thomae argumentatione prolata auctoritas. Qua in re sancti mens expressis verbis declaratur, quippe cum, allatis Aristotelis aliorumque Peripateticorum testimoniis, hunc in modum prosequitur: „Hoc autem praemisimus *non quasi volentes ex philosophorum auctoritatibus reprobare suprapositum errorem* (de unitate intellectus), sed ut ostendamus quod non solum Latini, quorum verba quibusdam non sapiunt, sed et Graeci et Arabes hoc senserunt quod intellectus sit pars vel potentia sive virtus animae quae est corporis forma." Opusc. *De unit. intellectus. b)* Scholastici cum S. Thoma errores Aristotelis sibi corrigendos esse censuerunt. Et profecto Aquinas haud semel Aristotelis doctrinas emendavit; ipsius magister Albertus M.: „qui credit — inquit — Aristotelem fuisse Deum, ille debet credere quod nunquam erravit. Si autem credit ipsum esse hominem, tunc procul dubio potuit errare sicut et nos." *Phys.* lib. VIII. tr. I. 14. Aegidius Romanus, fidelissimus Thomae auditor, scripsit: *De erroribus Philosophorum Aristotelis,* etc. Atque Gulielmus Arverniae († 1249), Aristotelicus egregius et auctor operum, quae inscribuntur *De Trinitate; De universo; De anima:* „Quamquam in multis contradicendum sit Aristoteli, sicut revera dignum et justum est, et hoc in omnibus sermonibus, quibus dicit contraria veritati, sic suscipiendus est, id est sustinendus in eis omnibus in quibus recte sensisse invenitur." *De anima,* cap. II. p. I. *c)* Scholastici non solum Aristotelem cognoverunt, verum et Platonem, Proclum, Platonis interpretatorem, Ciceronem, Senecam et alios. Cf. S. Thom. *In Metaph.* lib. III. lect. 1.; *In Phys.* lib. VIII. lect. 2.; *Sent.* III. dist. 33–36.; *Summ. Theol.* I. II. 22—65.;

I. 90 - 97.; Opusc. *De substantiis separatis.* Cf. Talamo, o. c.; Can. *De loc. theol.* lib. X. 5.

V. Motiva cur scholastici Stagiritae potissimum se addixerint. Haec motiva videntur esse quinque. 1° S. Augustinus *De Civ. Dei.* lib. VIII. 12. ait: „De uno Deo, qui fecit coelum et terram, quanto melius senserunt (scholae), tanto ceteris gloriosiores illustrioresque habentur." Jam vero inter antiquos philosophos Aristoteles, quamvis erroris non expers, egregia tamen plura de uno Deo, primo Motore, docuit. 2° Aristoteles in plurimis aliis philosophiae partibus fuit praestantis ingenii, maxime in Logica; vocatur enim Logicae parens ejusque *Organon* est opus prorsus eximium. Et quoniam in Metaphysicis, Ethicis etc. saepe subtiliter ac solide disputavit, sententiarum veritate fidem defendentibus opem afferre potuit. 3° Excellens quoque Stagiritae methodus. Philosophus enim deductionem et inductionem apte inter se composuit; neque speculationem ab experientia sejunxit. Deinde „consuetudo Aristotelis fuit fere in omnibus libris ut inquisitioni veritatis praemitteret dubitationes emergentes" (S. Thom. *In Metaph.* lib. III. lect. 1.); etiam consuetudo ejus est „semper ad propositum ex propriis rationibus argumentari". (S. Thom. *In Phys.* lib. VIII. lect. 1.) 4° Stilus Peripatetici ab Angelico his verbis laudatur: „Non est consuetudo Aristotelis defectivis locutionibus uti, quamvis sit breviloquus." *De caelo et mundo,* lib. II. lect. 17.; iterum: „Non est consuetudo Aristotelis, ut ex abusivis locutionibus argumentetur." O. c. lib. III. lect. 3. 5° Accedit quod Aristotelis auctoritas media aetate apud adversarios quoque fidei catholicae plurimum valebat; quare in promptu erat, philosophi auctoritatem adversus ejusmodi adversarios allegare.

VI. Aristotelis auctoritas, sapienti ratione adhibita, theologis etiam nunc utilis esse potest. Quod ad adjumentum Aristotelis in theologia attinet, interest sane inter mediam aetatem et nostram aliquid. Primum, cum philosophia peripatetica in scholis plurimis negligatur, attenuata est rationalis illa auctoritas, quam, ex penitiori philosophiae istius notitia natam, Albertus M. bene descri-

psit his verbis: „nulla causa fuit quare Philosophi vias Aristotelis Peripatetici in pluribus secuti sunt nisi quia pauciora vel nulla inconvenientia sequuntur ex dictis ejus.“ *Metaph.* lib. III. tr. III. 11. Conclusiones etiam nonnullas de rebus physicis, seu potius hypotheses, diligentiori naturae investigatione diuturnisque experimentis erroneas esse comperimus. Cf. quaest. XXII. art. 3. His igitur observatis, quae sunt exposita, rationes illae, ob quas veteres Aristotelis auctoritatem non respuerunt, etiam nunc haud inanes esse videntur. Constat enim, etiam ex modernorum studiis *(Barthélemy St. Hilaire* et *Trendelenburg)* mirum quoddam in illo viro fuisse acumen ingenii.[1]) Polleat ergo sua auctoritate, non oraculi quidem, a quo dissentire non liceat, sed viri in arte perquam periti; praesertim cum magna pars philosophiae Aristotelicae, ab Aquinate aliisque scholasticis expensa, tot ingeniorum nobilium consensione quodammodo probata sit.

Quaestio XXIV.

De historiae humanae auctoritate.

Venimus nunc ad decimum locum et ultimum, historiae humanae auctoritatem. „Multa enim — ait Canus — nobis e thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, et in Theologia, et in quacumque ferme alia facultate inopes saepenumero et indocti reperiemur.“ *De loc. theol.* lib. XI. 2. Colenda est igitur historia, quae a Diodoro Siculo vocatur „prophetissa veritatis“ (Biblioth. hist. lib. I.), a Tullio „testis temporum, lux veritatis, vitae memoria, ma-

---

[1]) Cf. O. Willmann, *Gesch. des Idealismus* II. p. 533—535; 626—628; — E. Commer, *Die immerwährende Philosophie*, p. 75—77; — Rev. Thom. 1903.

gistra vitae, nuntia vetustatis". *De oratore*, lib. II. 9. Hoc loco quaerendum videtur:

Primo. *De humana historia generatim.*

Secundo. *Utrum historia humana theologis utilis esse possit.*

Tertio. *Utrum archaeologia Christiana theologis argumenta praebeat.*

Articulus I.

De humana historia generatim.

I. Definitio et divisio historiae. Historia est *scientia rerum praeteritarum.* Est *scientia,*[1]) quia non agitur de jejuna quadam rerum notitia, sed de illa, quae ex argumentis huic disciplinae propriis hausta, necnon ex cognitione causarum et effectuum deducta prudenti viro digna sit. Scientia *rerum* dicitur, hoc est, non modo eventuum, sed omnium omnino rerum, praetereaque etiam morum, doctrinarum etc. Additur: *praeteritarum,* non eo sensu quod res, quae sunt historiae objectum, semper praeteriisse oportet sub *omni* respectu, velut Hannibalis imperium; sed quod sub *aliquo* respectu praeterierint, sicut elapsa saecula ecclesiae, permanentis semperque mansurae.

Dividitur historia 1° in *sacram,* quae Deum habet auctorem, et *humanam,* cujus auctor homo est; ad illam S. Scripturae pertinent, ad hanc quaevis alia historia. 2° Historia humana dividitur in *profanam,* quae primario res ordinis temporalis perscribit, et in *ecclesiasticam,* cui proponitur tanquam finis principalis, res spiritualis ordinis tradere. 3° Historia ecclesiastica in partes plurimas distribui potest, ut in historiam *Romanorum Pontificum, conciliorum, sanctorum patrum, dogmatum, sanctorum.* Ab aliis historiae tam profanae quam ecclesiasticae partitionibus recensendis vacamus.

II. De fontibus historiae. 1° Rerum praeteritarum

---

[1]) Utrum historia sit scientia sensu strictiori philosophica vide in period. *Jahrb. für Phil. und spec. Theol.* VII. et XVII.; *Rev. Néoscol.* 1899; E. Müller, *Natur und Wunder* (1892), p. 197—205.

notitia hauritur *a)* ex documentis scriptis, velut ex conciliorum actis, ex decretis Summorum Pontificum, litteris episcoporum, libris liturgicis, statutis ordinum religiosorum; *b)* ex monumentis, sicut historia Babylonis et Assyriae ex ruinis in Kujundschik, Nebi Junus, aut mores veterum Christianorum ex Catacumbis; *c)* ex traditione orali, sicut beatus Gregorius Turonensis in primis libris suae *Historiae ecclesiasticae Francorum.*

2° Fontes *immediati* sunt documenta, aut ab actoribus aut a testibus oculatis accepta; secus *mediati* habentur. Documenta, quae ad auctoritatem et munus exsequendum pertinent, ut bullae Pontificis Maximi, *publica* nuncupantur; *privata,* quae a privatis proficiscuntur, ut missionariorum ad amicos epistolae.

3° Fontes *historiae ecclesiasticae* dicuntur *proprii,* si agitur de documentis, quorum auctores ad religionem, quam describunt, pertinent; *extranei,* si pertinent ad aliam religionem, velut Flavius Josephus et Tacitus, ubi rerum Christianarum mentionem faciunt.

III. De scientiis historiae auxiliaribus. Disciplinae nonnullae historicum valde juvant. 1° *Diplomatica,* id est doctrina diplomatum seu instrumentorum, quae sunt litterarum monumenta, ad certas regulas confecta et firmata authentice. — Cujusmodi diplomata medio aevo vocabantur *chartae,* ut *magna charta* regis Joannis in Anglia; *paginae,* etc. Ars diplomatica diplomatum *materiam,* ut papyrum, chartam membranaceam; *formam exteriorem*; *formalitates,* ut inscriptionem, datum, signum recognitionis considerat. Diplomaticae pater habetur J. Mabillon (1632—1708), qui Parisiis anno 1681 edidit opus *De re diplomatica.*

2° *Palaeographia* docet legere manuscripta vetera. Haec enim aliis temporibus litteris aliis exarata, — scriptura modo continua modo distincta, — cum siglis, contractionibus, omissionibus propriis — sunt ejusmodi, ut historicos, si palaeographiae adjumentis destituantur, in chartis legendis multum operae et laboris consumere necesse sit. Quapropter Leo XIII. de palaeographiae schola Romae instituenda: „a rendere vieppiù fruttuoso questo studio (historiae),

Ci siamo risoluti di aprire presso lo stesso Archivio (Vaticani) una scuola speciale di Paleografia e Storia comparata mercè, cui il giovane Clero possa opportunamente far tesoro di soda erudizione e adestrarsi in esercizî di sana critica." *Ep.* ad card. Hergenroether, diei 15. Maji 1884.

3° *Epigraphica* est scientia legendi et interpretandi inscriptiones antiquas. Huc pertinent marmora, tituli lapides, *graffiti,* inscriptiones denique qualescunque in vitreis, tabulis ceratis.

4° *Chronologia* seu doctrina temporum. 5° *Sphragistica,* quod verbum, ductum a σφραγίς (sigillum), scientiam sigillorum significat. 6° *Heraldica* seu scientia insignium. 7° *Numismatica,* quae est de nummis et numismatibus. 8° *Linguistica* comparativa.

IV. De critica fontium. Ad rectam rerum praeteritarum notitiam adipiscendam ante omnia rectum judicium de authentia fontium postulatur. Ad fontes enim redeundum est, quod jam omnes non tantum scientia speculativa sed etiam scientia practica docent, quodque olim inter alios Gorini in suo opere de *Defensione ecclesiae* valde monuit.[1]) Sequantur ergo leges, quas viri prudentes statuerunt, ut dignoscatur authentia 1° documentorum scriptorum; 2° monumentorum; 3° traditionis oralis.

1° *Documenta scripta.* De iis judicandum est *a)* ex indiciis *extrinsecis,* videlicet ex *manuscriptis et codicibus,* ex *testimonio ipsius auctoris* in aliis ejusdem documentis minime dubiis, ex *testimonio veterum,* maxime coaevorum; *b)* ex notis *intrinsecis: lingua, scribendi genere, indole auctoris* et *moribus temporis,* quibus documenta attribuuntur, etc. Magna sane prudentia exquiritur, ut quis criteria singula bene adhibeat; in adhibendis v. g. notis intrinsecis rationalistae

[1]) U. Chevalier, *De l'utilité et des conditions de la critique d'érudition* (1890), sapienter ait: „Il faut absolument ramener l'esprit du public catholique vers la science sévère, vers les méthodes rigoureuses, vers les travaux approfondis et durables. La meilleure manière de servir l'Église auprès des gens du monde fascinés par les progrès scientifiques du XIXe siècle, c'est d'étudier avec passion et impartialité."

saeculi XVIII. praecipites fuerunt, cum aliquos libros V. T. nothos habuerint ob earum rerum mentionem, quas monumenta Aegyptiaca et Babyloniensia hoc saeculo XIX. confirmarunt. Exemplum studii critici est *Le Liber Pontificalis par L. Duchesne.*

2° *Monumenta.* De monumentis et operibus artis, rerum praeteritarum testibus, judicium prudens ferre plerumque nequis, nisi doctrinae admodum variae junxeris usum diuturnum. Porro *methodica*, seu ars dijudicandi monumenta et antiquitates, complectitur *a) autopsiam,* quae docet accuratam inspectionem exteriorum monumenti: materiae; mensurae; majoris minorisve integritatis; stili; earum rerum, quibus constat; loci, quo repertum sit; *b) criticam,* seu artem, qua ex rebus, per autopsiam jam compertis, recte judicatur, cui aetati et quibus auctoribus monumentum attribuendum sit; *c) hermeneuticam,* seu artem intelligendi et interpretandi monumenta tam ex eorum attributis, quam ex comparatione facta cum aliis monumentis et cum documentis scriptis. Imperitos autem earum rerum, quae ad recte judicandum hac in re necessariae sunt, necesse est multoties errare; sicut olim inscriptionem R. R. R. F. F. F. legerunt: *Roma ruet Romuli ferro flammaque fameque,* cum juxta regulas stili lapidaris scriptum esset: *Ruderibus rejectis Rufus Festus fieri fecit.* De regulis particularibus consuli possunt de Rossi, *Inscriptiones,* t. I. Prolegomena; Mamachi, *Origines et antiq. Christ.* et J. Wilpert in variis ejus operibus.

3° *Traditio oralis.* Dictum est suo loco, qua ratione traditio divina, quam S. Spiritus dirigit, praebeat argumenta certissima. Verum in rebus etiam historicis traditio oralis, spectata tanquam humana auctoritas, certitudinem gignere potest, si modo haec oralis traditio est *a)* continua; *b)* ampla; *c)* publica; *d)* uniformis.

a) Continua. Traditionis oralis initium debent esse testes coaevi et oculati, a quibus traditio per seriem non interruptam deducatur. Fieri tamen potest, ut ad primum quidem, qui rem narraverit, series continuari nequeat, sed ad testes ejusmodi, qui rem minime tradidissent, nisi a primaevis auctoribus ipsi accepissent; per tales testes series ad

ultimam lineam virtualiter continuari videtur. Defectus autem *continuae* traditionis manifestus est v. g. in fabella concessae a Gregorio IX. bigamiae comiti cuidam de Gleichen, qui ex Oriente reversus, uxore sua non defuncta, duxisset alteram uxorem Saracenam quandam, quod comitem captivum exemisset vinculis (cf. Lecoy de la Marche, *La guerre aux erreurs historiques*, VIII. et Döllinger, *Die Papst-Fabeln des Mittelalters);* in nonnullis martyribus cephalophoris, quorum Cahier, *Caractéristiques des Saints*, octoginta recensuit. Cf. Delehaye, *Les légendes hagiogr.*

b) Ampla. Scilicet generatim series per plures simul testes continuetur, nisi forte unus testis in talibus adjunctis fuerit, ut falli aut fallere potuisse non censeatur. Nec tamen quovis casu traditio popularis alicujus *particularis* ecclesiae haberi poterit ampla auctoritas, ut patet ex traditione Coloniensi, jam dudum rejecta, de fictitio illo S. Cyriaco, Papa Ursulano, qui comitandae S. Ursulae gratia Pontificatu se abdicasset. Cf. Boll. *Propyl. Maji*, Con. Chron. p. 29. et seqq.

c) Publica. Hic primo considerandum est, num facti indoles ac adjuncta fuerint ea, quibus hominum attentio moveatur. Si homines animum attenderint, quaerendum est, utrum expedierit sic attentis rei veritatem indagare. Denique si quando facti natura criticam strictiorem requirat, hoc etiam aperiendum, num illi, qui contradicere potuerint, sensum criticum haberent et fontes veritatis. Si id negliges, periculum est, ne errores serpant, ut quondam fabula Joannae Papissae, quam inter alios erudite explosit Wensing, *Pausin Joanna*, hoc est, *De papissa Joanna.*

d) Uniformis. Dissentientibus testibus de ipsa facti substantia, testimonium incertum est; consentientibus autem omnibus de facti substantia, firmum esse argumentum poterit, modo tria ne desint, quae jam docuimus. Dissensio quantum ad adjuncta, quae non sint praecipua, vim argumenti non tollit. Cf. De Smedt, *Introd. gen. ad hist. eccles.* et *Principes de la critique historique*; Ulisse Chevalier, *Des règles de la critique historique;* Nirschl, *Propaedeutik.*

V. Regulae pro studiis historicis. Proponam re-

gulas nonnullas quas Leo XIII. tradidit in *Ep. de studiis historicis*, 18. Aug. 1883.

1° Requiritur ad haec studia *tranquillus* et *praejudicatae opinionis expers* animus. Nimis desideratur is animus in Centuriatoribus Magdeburgensibus, quos perturbat odium in Gregorium VII., „monstrum romanum"; in dignitatem Pontificiam, „babylonicam meretricem" et „matrem omnis fornicationis, spiritualis et corporalis". Et cum perplures eadem, qua Centuriatores, mente imbuti essent, fecerunt artem historiam *„conjurationem* hominum adversus veritatem". Plurima modernorum opera maximum odium in ecclesiam catholicam indicant, ut H. Martin in sua *Historia Galliae;* plurimae historiae Papatus et opera de historia religionum. — Ab opinionibus praejudicatis ortus est abusus maximus argumenti *a priori* hypotheseos, conjecturae, ut in schola Neotubingensi, et in multis modernis, qui de antiquis religionibus scripserunt. Similiter Renan affirmat: „*Si le miracle* a quelque réalité, mon livre n'est qu'un tissu d'erreurs." (Vie de Jésus.)

2° Jejunae narrationi opponatur investigationis *labor et mora.* Nimirum magnae molis est bibliothecas perscrutari, documenta congerere, interrogare quaecumque monumenta antiquitatis, monographias conficere, perfectis historiis particularibus, universalem conscribere. Perspicua hujusmodi laboris exempla sint tomi Bollandiani et Baronius.

3° Temeritati sententiarum opponatur *prudentia judicii.* Saepenumero dissentiunt inter se testimonia; causae rerum interdum sunt maxime reconditae, nexus eventuum valde intricatus. Quare aequa lance pensitanda sunt omnia; circumstantias omnes et adjuncta ponderare necesse est. Contra quam prudentiam judicii maxime peccant temerariae modernorum sententiae de religione primaeva, de religionis Christianae primordiis.

4° Opinionum levitati opponatur *scita rerum selectio.* Hujus autem selectionis exempla sunt: investigationes Joannis B. de Rossi et Josephi Wilpert de catacumbis Romanis, et card. Hergenroether, *Historia universalis ecclesiae.*

5° Omnia ementita falsa, *adeundis rerum fontibus,* refu-

tentur. Ita Hurter in suo libro *De Innocentio III.*, Romano Pontifice, fontes adiit, obtrectatores integerrimi Pontificis refutavit; Denifle plures errores de mysticis et de universitatibus medii aevi retexit. Neque semper fidendum est vel peritissimis viris, qui hausisse censentur ex ipsis fontibus: in editione secunda operis Philippi Jaffé, quod *Regesta Pontificum Romanorum* a condita ecclesia ad annum MCXCVIII. complectitur, Kalterbrunner t. I. p. I. praetermittit duas S. Petri epistolas et antiquissimum de Petro in Urbe exstincto Clementis Romani testimonium; ibidem p. 225. Ewald Honorii I. doctrinam, in epistolis ad Sergium significatam, valde incomplete retulit. Agitur tamen de opere, quo viri acatholici de historia ecclesiae catholicae in plurimis bene meriti sunt.

6° Illud in primis scribentium obversetur animo *primam esse historiae legem ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.*

7° Caveantur illi qui historiae leges ad arbitrium saepe confingunt; nec raro incerta pro certis affirmant, commentitia pro veris. Leo XIII., *ep.* ad Mauritium d'Hulst, 20. Maji 1887.

Articulus II.

Utrum historia humana theologis utilis esse possit.

I. Status quaestionis. Ut omnis historia humana servire potest theologiae, illa certe maximas utilitates habet, quae res *religiosas* narrat, velut historia religionum gentilium, haereseon, ecclesiae catholicae. Quapropter in thesi historiam *ecclesiasticam* potissimum spectamus, quam Canus affirmat esse theologis *necessariam. De loc. theol.* lib. XI. 2.

Historiam porro humanam theologis *utilem* esse asserimus, quia historia, generatim sumpta, putatur adjumentum esse theologiae maximum; non tamen ob infirmitatem aliquam intrinsecam illorum locorum, quos vocamus necessarios et proprios, sed ob infirmitatem humanae mentis, quam argumenta historiae auxiliaria facilius ab erroribus

avertunt, firmius constituunt in veritate. Quodsi quaestionem ad historiam ecclesiasticam restringamus, historia quodammodo *necessaria* esse videtur, quin etiam simpliciter necessaria, si doctrina patrum, conciliorum definitiones, decreta Romanorum Pontificum sub eo nomine comprehendantur.[1])

Verum etsi theologis utendum est historia fructumque *methodi historicae* permagnum ducimus, prorsus tamen rejicitur methodus historica, sic intellecta, ut doctrina Christiana, rerum humanarum instar perpetuis obnoxia variationibus, *mutando* perficienda sit. Neque id unquam theologis catholicis obliviscendum est, quovis critico, historico, philologo tutiorem esse, qui in rebus fidei et morum cum ecclesia graditur, juxta illud *Prov.* XIII. 20.: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.*

Thesis: *Historiae humanae auctoritas theologis perutilis est.*

Argumenta.

Arg. I. Tractant theologi de veritatibus religionis naturalis, de exsistentia religionis revelatae, de singulis fidei mysteriis. Jam vero historia in hisce veritatibus pertractandis plurimum prodest. Auctoritas ergo humanae historiae utilis est theologis. Prob. *min.*

a) Ad probandas veritates religionis naturalis historia ministrat 1° argumentum ex consensu communi populorum circa veritates satis multas, quae apud gentes etiam barbaras magis minusve integrae inveniuntur, velut exsistentia unius Entis Supremi, officium colendi Numinis, leges morales ac distinctio boni et mali; — 2° argumentum pro necessitate et utilitate religionis tum ex conspectu malorum, quae contemptus Dei populis intulit, tum ex narratione bonorum, quae cultus Dei procreavit, atque malorum, quibus attulit remedium; — 3° argumentum pro cultu mono-

[1]) Cf. Knöpfler, *Wert und Bedeutung des Studiums der Kirchengeschichte;* item Hist. Jahrb. XV., p. 133 et seqq.

theistico et contra religionis progressum a statu primitivo bestiali, ex historia religionum antiquissimarum.

b) In demonstranda credibilitate facti religionis revelatae usus historiae non exiguus est. Nam 1° incorrupta rerum fides probat, religiosas veritates ordinis naturalis solo lumine naturalis rationis non fuisse cognitas nisi a paucis, post longum tempus, cum admixtione multorum errorum. Ita *moralis* necessitas revelationis veritatum naturalium cuique manifestatur. 2° Cum religio Christiana, quae revelationem veritatum supernaturalium continet, sicut sol in mundo luceat, ejusdem credibilitas ex effectibus ejus supernaturalibus et speciali Dei Providentia super eam efficacissime ostenditur. Id S. Augustinus adversus paganos praestitit in opere *De civitate Dei;* S. Thomas, *C. Gent.* lib. I. 6. adversus Mahumetanos ex historia argumentatur: brevissime hic quidem. Haec autem materies quam ampla sit, nihil necesse arbitror commemorare. „Clamat enim quodammodo omnis historia, Deum esse qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad Ecclesiae suae incrementum transfert." Leo XIII. *ep. de stud. hist.*

c) Singulis fidei mysteriis probandis historia 1° praebet primaevae revelationis, ut lapsus protoparentis, redemptionis divinitus promissae, nonnulla vestigia, in populorum traditionibus servata, et quibus argumenta theologiae propria confirmantur. 2° Haereseon historia valde probat antiquitatem dogmatum, quae novatores ab ecclesia secum duxerunt, et earum doctrinarum, quae non nisi cum illis haeresibus inceperunt, manifestam novitatem. 3° Cum haeretici traditionis divinae pernegent auctoritatem, patrum auctoritate *historica* redarguendi sunt. 4° Historia ecclesiastica theologis ea suppeditat, quibus ecclesiae mens in definiendis dogmatibus et alia prope innumera noscantur, v. g. iter Petri Romanum, factum Honorii, mens concilii Viennensis de unione animae humanae cum corpore.[1])

[1]) De disciplina arcani catechetici et liturgici cf P. Batiffol, *Études d'histoire* (3. édit. 1904); F. X. Funk, *Theol. Quartalschrift,* 1903; H. Gravel, *Die Arcandisciplin,* 1902.

Arg. II. Haeretici et increduli historia abutuntur, ut fidei veritates impugnent. Ergo theologos iisdem armis veritatem defendere opus est. *Antec.* liquet. In locis principibus Europae audiuntur historiae professores, religioni revelatae infesti; plures religionum historiam docent, ut *nullius* cultus originem *supernaturalem* esse juvenibus persuadeant; increduli in historia praesidium quaerunt ad Christi divinitatem impugnandam; innumeri denique sunt, qui ecclesiam, ejus instituta, doctrinas, Romanos Pontifices, editis historiarum libris, lacessunt. Quare SS. Leo XIII.: „cum hostilia tela . . . potissimum ab historia peti soleant, oportet ut aequis armis congrediatur Ecclesia, et qua parte oppugnatur acrius, in ea sese ad refutandos impetus majore opere muniat.“ *Ep. de studiis hist.*

Objectiones.

Obj. I. Historia scribitur ad narrandum, non ad probandum. Theologus ergo nullas ab historia rationes desumere poterit.

Resp. Dist. antec.: Historia non scribitur ad probandum, *transeat;* non probat, *nego.* Rationalistae contendere solent, ita sine ulla intentione probandi scribendam esse historiam, ut non nisi sceptici viri et quovis dogmate vacui scribere historiam sine praejudiciis queant. Quem errorem hic refellere mihi mens non est, praesertim cum historiae, quas increduli de ecclesia Romana et de religione conscripserint, praejudicatis opinionibus intactae esse non videantur. Hoc unum affirmo, ex ipsis rebus gestis, quae narrantur, dummodo constiterint, argumenta desumi posse.

Instabis. Argumentatio theologica ex certissimis fontibus haurienda est. Jam vero humana historia maxime incerta videtur, sicut scriptum est: *Omnis homo mendax.* Ps. CXV. 2.

Resp. Dist. maj.: argumentatio theologica ex certissimis fontibus haurienda est primario, *conc.;* unice, *nego.* — *Dist.* min.: humana historia maxime incerta est aliquando, *conc.;* semper, *nego.* Psaltis autem sententia non

actum mentiendi designat, sed potius potentiam deficiendi et errandi. Cf. S. Thom. *In Rom.* III. 1. Neque tam imprudens quisquam est, ut primo cuique historico credendum esse sentiat; neque vero tam scepticus, cui testimonia virorum probatorum ex adjunctis certo constare non possint.

Urgebis. Si qua esset certitudo humanae historiae, non abundarent exempla errorum, quibus viri etiam doctiores, nec brevi tempore, irretiti sint. Haec autem exempla abundare, probant historia rerum Aegyptiarum, donationis Constantini, papissae Joannae, Gregorii VII.

Resp. Dist. maj.: non abundarent hujusmodi errorum exempla per se, *conc.;* per accidens, *nego.* Neglectis studiorum historicorum legibus, historia per accidens erroribus scatebit. Atque ex eo accidit, ut viri etiam doctiores non semel erraverint. Veruntamen fateamur necesse est, in historiis esse facta sexcenta, de quibus nemo unquam perperam judicaverit.

Quaeres. *Quae sit vis argumentorum hujus loci decimi.*

Resp. Vis argumentorum, quae historia humana praebet, tribus conclusionibus Cani continetur.

1° Praeter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est idoneus ad faciendam certam in theologia fidem.

2° Historici graves ac fide digni, quales nonnulli sine dubio et in ecclesiasticis et in saecularibus fuere, probabile argumentum theologo suppeditant, cum ad ea, quae sua sunt, corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas.

3° Si omnes probati ac graves historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiae dogmata firma etiam ratione constituantur. *De loc. theol.* XI. 4.

Articulus III.

Utrum archaeologia Christiana theologis argumenta praebeat.

I. Notio archaeologiae Christianae. 1° *Archaeologia*, *ἀρχαιολογία*, apud Platonem et Graecos est historia antiquorum temporum; *antiquitates* apud Ciceronem, S. Augustinum, S. Hieronymum idem valet. Ita Josephi historia inscribitur *Ἀρχαιολογία Ἰουδαϊκή* seu *Antiquitates Judaicae*. Saeculo XVI. archaeologia coepta est intelligi historia morum, usuum, rituum, et aliarum rerum, quas hoc genere complectimur. Postea vox a viris doctis ita restricta est, ut *scientia veterum monumentorum* et archaeologia idem haberi videantur; quo sensu archaeologiam accipimus.

2° Distribuitur archaeologia in *profanam*, *biblicam* et *Christianam*. Constat inter omnes catholicos, monumenta etiam *profana*, ut templa Aegyptiorum vetera, palatia regum Babyloniensium multoties illustrare S. Scripturam, ecclesiae doctrinam de religione primaeva, et alias religiosas veritates. — Archaeologia *biblica*, cui profana saepe auxiliatur, exegesi plurima affert praesidia. De *Christiana* speciatim quaerendum est.

II. Christiana archaeologia complectitur *monumenta*, *inscriptiones*, *numismata*, quibus conservata est memoria dogmatum, morum, regiminis, cultus, disciplinae earumque omnium rerum, quae ad veterum Christianorum vitam religiosam pertinent.

Diximus *veterum* Christianorum. Scilicet non simpliciter *praeteritum*, sed *antiquum*, ad objectum hujus scientiae pertinere censetur, quae a voce *ἀρχαῖος archaeologia* dicitur. *Terminus a quo* hujus scientiae sunt ipsa religionis Christianae initia, quibuscum Christianae vitae expressio monumentalis sumpsit exordium. *Terminus ad quem* res controversa est. Walch saeculum quartum, Augusti duodecimum, Baumgarten quintum decimum, Kraus et Bingham annum ultimum S. Gregorii M. (604) terminum esse arbitrantur. Piper archaeologiam, in quantum est memoria cultus, ad

moderna tempora extendit. Omissa controversia, quosnam fines *vi vocis* (ἀρχαίος) et *ex usu* communiori archaeologiae Christianae constituere compellamur, duo certa commemoramus. 1° In iis disputationibus theologicis, quae cum haereticis et incredulis habentur, antiquiora monumenta plus valent ad convincendum; nempe ex antiquissimis illis monumentis adversarii stabilitatem fidei catholicae facilius percipiunt. 2° Quoniam fides catholica semper continuatur, non est dubium, quin monumenta quoque fidei vitaeque catholicae perpetuo futura sint; ab hac autem serie non interrupta monumentorum, etiam recentiorum, multae ad theologiam utilitates proveniunt.

Quibus sic positis, apparet, *quid sit* archaeologia Christiana et *quam late* pateat.

III. Monumentorum Christianorum conspectus. Antiquitatum et monumentorum nomine hic designantur 1° monumenta proprie dicta; 2° inscriptiones; 3° numismata.

1° *Monumenta* primorum saeculorum praecipua, quae supersunt, habentur *a) coemeteria* (κοιμητήριον) Christianorum subterranea, vulgo nuncupata *Catacumbae.* Inter catacumbas autem Romanas, Neapolitanas, Syracusanas, illae maximi momenti sunt, quas veteres Christiani Romae extra muros ad viam Appiam, Ardeatinam aliasque vias Romanas struxerunt. Ex iis quaedam origine ad aetatem apostolicam pertingunt; celeberrima tamen omnique genere testimoniorum locuples est Callisti coemeterium, ubi ante annum 200 Christiani deponi coeperunt. In catacumbis cubicula, arcosolia, innumera fidei vitaeque Christianae argumenta. *b) Picturae,* quarum magna pars in cubiculis seu sacellis ac parietibus catacumbarum; aliae in vasis crystallinis auro pictis, in operibus musivis, etc. *c) Sculpturae sarcophagorum* aliaque id genus opera. Paucae quidem sculpturae et sarcophagi reperiuntur, aetate Constantini M. anteriores, sed tamen complures sarcophagos saeculi IV. Romae, Arelati et in aliis Italiae ac Galliae regionibus, necnon in Hispania et Africa inventos, exstare legimus. De catacumbis, plurium saeculorum oblivione obrutis, primi scripserunt Ciacconio († 1601; cf. Quétif et Echard, Script. ord. praed. t. I.

p. 344—346), De Winghe († 1592) et Joannes l'Heureux seu Macarius († 1614). Verum Antonius Bosio (1576—1629), Columbus Romae subterraneae, catacumbas vere reperit; Marchi saeculo XIX. illarum studium instauravit; J. B. de Rossi, auctor operis inscripti *Roma sotteranea*, doctrinae illius principatum adeptus est.

2° *Inscriptiones.* Veteres Christiani non modo in libris, sed in monumentis quoque scripserunt, quid crederent, quid agerent. Cujusmodi inscriptiones monumentales repertae sunt in parietibus et loculis catacumbarum, in sepulcris sub dio, in marmoribus, lapidibus, vitreis; sculptae; minio, auro, atramento pictae; carbone scriptae; Latinae, Graecae. Referuntur ad inscriptiones Christianas *opisthographa*, seu inscripta gentilium marmora, quibus aversis Christiani titulos sepulcrales suos inscripsere. Maffei scientiae epigraphicae fundator habetur, de Rossi princeps.

Collectiones praecipuae sunt: de Rossi, *Inscriptiones christianae urbis Romae, septimo saeculo antiquiores*, t. I. et II.; Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule antérieures au VIIIe siècle;* Kraus, *Die Christlichen Inschriften der Rheinlande.* De Rossi collectas Musei Lateranensis inscriptiones tres in partes apte collocavit; sunt: *Inscriptiones sacrae; Epitaphia selecta; Inscriptionum familiae.* — Neque inscriptiones Christianae tantum, verum etiam antiquae generatim theologis praesidia quaedam afferunt. Porro de epigraphia Romana optime meruit comes B. Borghesi (1781—1860); inter collectiones autem inscriptionum antiquarum eximia habetur *Corpus inscriptionum latinarum*, editum Berolini curantibus Th. Mommsen, W. Henzen et J. B. de Rossi. Haec collectio non complectitur inscriptiones Christianas urbis Romae, a de Rossi editas; inscriptiones Christianas provinciarum continet. Praeterea *Corpus inscriptionum graecarum.*

3° *Numismata.* Huc referri solent *monetae* cum emblematibus Christianis; numismata seu *medalia*, in quibus symbola *ΙΧΘΥΣ (piscis)* et *ancorae;* pastor bonus; sacrificium Abrahae; Christus Petro et Paulo evangelium praedicandum committens, et alia. Quibus addas *encolpia*, objecta reli-

giosa, quae Christiani ad collum suspensa ante pectus (κόλπος) portabant, ut capsulae reliquiarum, bullae, gemmae. Cf. Encyclopedias antiquitatum Christianarum, quas ediderunt Martigny; Kraus, et novissime Cabrol et Leclercq.

IV. De usu antiquitatum in rebus theologicis. Qui multa magis quam solida sectantur, theologiam completam cum sibi ex monumentis contexendam esse arbitrarentur, antiquitates interdum absque ulla critica et tam arbitrario interpretati sunt, ut adversariis risui fierent, vel etiam amicis. Ab altera parte etiam inter viros catholicos valde doctos saepe compertum, errare in eo genere probandi quam facile sit, vel iis, quibus lex est sobrie sapere. Nihil aliud tamen sequitur, quam ut theologis in adhibendo monumentorum testimonio critica opus sit, non ut vivam vocem veterum audire omnino nolit. Eum porro res exaggerare dixerim, qui historicos praecipue, nimio exclusis theologis, ex archaeologia sacra utilitatem percipere opinatur.[1]) Usus insuper antiquitatum in theologia catholica ex acatholicorum abusu commendari videtur. Nec mirum, si quandoque monumenta sileant, aut si minus aperti loquantur. Inscriptiones enim plerumque breves; sua picturae natura non tam explicite atque verba testari solent; monumentorum pars magna sepulturis debentur, quarum in profitenda fide certos limites esse constat. Theologis igitur, ut antiquitatibus fructuose utantur, regulae quaedam observandae sunt.

V. Regulae de usu antiquitatum. 1° Ante omnia authenticitas et sensus monumenti stabiliantur, ut argumentatio accurate fundata sit. 2° A monumentis adjumenta petamus, quibus documenta scripta *confirmentur*, non ut iis *solis* aliqua fidei veritas stabiliatur. 3° Monumenta, quo magis *ex consensu communi ecclesiae* processisse constat, eo ad probandum aptiora putantur. 4° Illorum monumentorum testimonium gravissimum est, quae prodierunt auctoritate ecclesiastica, *positive* approbante.

[1]) Ita A. C. Headlam in opere, quod D. G. Hogarth edidit et quod inscribitur *Authority and Archaeology, Sacred and Profane* (1899).

Quibus de *theologia monumentali* in antecessum positis, probatur

Thesis: *Archaeologia Christiana theologis argumenta praebet.*

Argumenta.

Arg. I. Christiani veteres fidem suam, mores, disciplinam *candide, serio, auctoritate quasi publica* in monumentis expresserunt. Ergo testimonium antiquitatum habet in tractandis rebus theologicis vim aliquam. Prob. *antec.*

a) Candide loquuntur veteres in monumentis suis. Nemo enim dubius haeret, utrum Christiani v. g. in picturis et titulis suis sepulcralibus mentirentur.

b) Serio. Nullo scilicet loco gravitas major est quam inter sepulcra carissimi cujusque, in perpetuis persecutionum angustiis, prope memorias martyrum et ossa sanctorum.

c) Auctoritate quasi publica. Namque 1° monumenta non pauca, v. g. cubicula plura catacumbarum, cum suis picturis et inscriptionibus cultui divino inservierunt; cultui autem clerus praeerat. 2° Nonnulla monumenta administrabantur auctoritate ecclesiastica, sicut Callisti coemeterium, cui administrando Zephyrinus Papa Callistum praefecerat, posthac in Petri Sede collocatum. 3° Alia confecta videntur ab ipso clero, v. g. S. Abercii, episcopi Hieropolitani, inscriptio sepulcralis. Quin etiam a S. Damaso, Summo Pontifice, celeberrima martyrum epitaphia composita constat.

Confirmatur hoc argumentum ex eo quod acatholici catholicam veritatem rationibus archaeologicis sive directe sive indirecte aggrediuntur, ut Centuriatores Magdeburgenses, Dallaeus, Withrow, Roller, Schultze, Hasenclever, Achelis.[1]) Ergo iisdem armis, etiamsi res in se pulcherrima non esset, fidem tueri erit officium.

Arg. II. *Exempla* quaedam, quid archaeologia Christiana theologis praebere possit, satis ostendunt.

---

[1]) Cf. J. Wilpert, *Prinzipienfragen der christlichen Archäologie* (1889) et *Nochmals Prinzipienfragen* (1890).

a) Argumentum pro Christi divinitate. Huc pertinet devotus ille imaginum cyclus, quibus Jesus Christus, ut annuntiatus a prophetis, adoratus a magis, ut doctor et legifer et judex simul et spes defunctorum, ut virginum sponsus et corona martyrum exhibetur. Praeterea jam inde a saeculo I. aut inchoante secundo nobis occurrit symbolum *piscis,* ***ΙΧΘΥΣ***; quod antiquissimum in conviviis miraculosis et in ordine ad S. S. Eucharistiam usitatum fuisse videtur; paulo post solum aut cum *ancora,* qua sane conjunctione, ut in sarcophago Liviae Primitivae, primi Christiani fidem *Redemptionis nostrae per Christum crucifixum,* omnemque suam **Spem in Christo** professi sunt, prout S. Ignatius Martyr (anno 100—117) *Ad Philadelphienses* XI. scribit: „Valete in Domino Jesu Christo, communi spe nostra." Brevis denique confessio erat haec acrostichis, de qua S. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. XVIII. 23: „horum autem quinque verborum, quae sunt *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ,* quod est latine *Jesus Christus Dei Filius Salvator,* si primas litteras jungas, erit *ἰχθύς,* id est piscis, in quo mystice intelligitur Christus." Item Optatus, *De schism. Donat.* III. 2. — Ecce fides in Christum Deum.[1])

Praetermittenda non videtur *Crux illusoria,* reperta in Palatino et Caesarum domo, parieti insculpta. Quo *graffito,* quod jam Romae in museo Kircheriano cernitur, puer paedagogicus quidam aut, ut alii existimant, miles imaginem exhibuit viri, cui caput asininum, e cruce pendentis. Adscripsit autem: *ΑΛΕΞΑΜΕΝΟC CEBETE ΘΕΟΝ, Alexamenos adorat Deum* (suum). In conclavi adjacente insculptum: *ΑΛΕΣΑΜΕΝΟC FIDELIS.* Plures *graffitum* nostrum sentiunt pagani opus esse, contumelia sua significantis, Christum crucifixum a fidelibus ut *Deum* adorari. At Jos. Haupt anno 1868 *graffitum* de Typhone Aegyptio cruci affixo interpretatus est; postea (1898) R. Wunsch, collatis nonnullis *ta-*

[1]) Cf. J. Wilpert, *Prinzipienfragen,* p. 81; *Fractio Panis* (1896), p. 75—77; *Die Malereien der Katakomben Roms* (1903), p. 185—306. — C. M. Kaufmann, *Handbuch der christl. Archäol.* (1905), p. 294 ait: „Die Entstehung des Fischakrotischons geht also ins erste Jahrhundert zurück."

bulis devotionum, anno 1850 Appia via repertis et in museo Kircheriano servatis, hypothesin de deo Pythone-Seth reduxit; ita videlicet, ut qui sculpserit, nemini illusisse credatur, sed professus esse eam sectam gnosticam, quae Christum et Typhonem in unum redigebat. Quidquid est, etiam Wünsch Christum crucifixum in Palatino exhibitum affirmat.[1]) Explicatio autem de *illusione* fidei Christianae in Christum Deum pluribus videtur tum iis magis consentanea, quae Tertullianus, *Apol.* XVI., de modo illudendi fidelibus tradit, tum adjunctis, simul sumptis, ipsius *graffiti.*[2])

b) Argumentum pro veritate S. S. Eucharistiae. A Ramsay reperta et ab Abdul-Hamid, imperatore Turcico, Leoni XIII. donata stela, quae jam in museo Lateranensi cernitur. In stela epitaphium, quod Abercius ipse dictavit. Regiones variae, quas episcopus ille Hieropolitanus vidit, recensentur. Deinceps haec:

πίστις πάντη δὲ προῆγε,
καὶ παρέθηκε τροφὴν πάντη ἰχθὺν ἀπὸ πηγῆς
πανμεγέθη, καθαρόν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνή,
καὶ τοῦτον ἐπέδωκε φίλοις ἔσθειν διὰ παντός,
οἶνον χρηστὸν ἔχουσα κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου.

Latine: „Fides vero ubique mihi dux fuit praebuitque ubique cibum ***ΙΧΘΥΝ*** (piscem) e fonte ingentem, purum, quem prehendit virgo illibata deditque amicis perpetuo edendum, vinum optimum habens, ministrans mixtum *(vinum aqua mixtum)* cum pane."

---

[1]) Cf. Jos. Haupt, *Mitteil. der k. k. Zentralkomm. der Baudenkmale* (1868), p. 150—168; R. Wünsch, *Sethianische Verfluchungstafeln aus Rom* (1898), p. 110—112. — A. Audollent, *Defixionum tabellae* (1904), p. XXIX ait: „Interdum notissima imagine Palatina, qua Christum asinino capite derideri voluerunt multi et eruditi viri, placuit Wuenschio Typhonem-Seth repraesentari. Non cunctis quidem probatam, sed quae perpendatur dignam doctrinam nemo parvi aestimabit qui hanc eamdem materiam aggredietur."

[2]) Vide plura apud F. X. Kraus, *Das Spottkruzifix vom Palatin* (1872); H. de l'Épinois, *Les Catacombes de Rome* (1896), p. 192; H. Marucchi, *Éléments d'Archéol. Chrétienne* (1900), t. I. p. 38—39; L. Bréhier, *Les Origines du Crucifix* (2. édit. 1904), p. 13—18; Kaufmann, *Handb. der christl. Archäol.* (1905), p. 253—256.

Sensus hujus carminis, per se satis clarus, magis etiam lucidus est, facta comparatione cum epigrammate Augustodonensi Pectorii, in quo hanc acrostichidem legimus:

Ἰχθύος οὐρανίου θεῖον γένος ἅγνοι δεμνῷ
Χρῆσθε λαβὼν πηγὴν[1] *ἄμβροτον ἐν βροτέοις*
Θεσπισίων ὑδάτων τὴν σὴν φίλε θάλπεο ψυχήν
Ὕδασιν ἀενάοις πλουτοδότου σοφίης
Σωτῆρος ἁγίων μελιηδέα λάμβανε βρῶσιν
Ἔσθιε πινάων ἰχθὺν ἔχων παλάμαις.

Latine: „Piscis caelestis divinum corde puro utere, hausta inter mortales immortali fonte aquarum divinitus manantium. Tuam, amice, foveto animam aquis perennibus sapientiae largientis divitias. *Salvatoris sanctorum dulcem sume cibum; manduca esuriens piscem tenens manibus.*“

His epigrammatum antiquorum sententiis picturae Catacumbarum Romanarum optime respondent. Notissimae sunt illae picturae, saeculo II. mediante antiquiores, in cryptis Lucinae, quibus exhibetur canistrum vimineum, refertum panibus, perlucente introrsus poculo rubentis vini, coram pisce positum.[2] In Catacumba S. Callisti, suis sacellis, quae *sacramentorum sacella* vocantur, celeberrima, picturae inter alias insignes jure habentur, quibus tria ad Consecrationem, Communionem et Crucis sacrificium, respectu habito ad S. S. Eucharistiam, symbolice designanda visuntur. 1° Panis cum pisce impositus mensae,[3] cui adstat Christus manum super piscem (***ΙΧΘΥΝ***) extendens, dum a dextris Orans, seu anima in caelum suscepta, cernitur; 2° convivium septem virorum appositis duobus piscibus,

---

[1] Le Blant, *Inscriptions Chrétiennes de la Gaule*, t. I., p. 10 legit: *Χρῆσθε λαβών ζωὴν.*

[2] De Rossi, *Inscriptiones Christianae Urbis Romae*, vol. II., p. XXIII.; J. Wilpert, *Die Malereien der Katakomben Roms*, p. 288—289, qui vere monstravit, canistrum esse *coram* pisce positum, dum de Rossi illud esse „impositum dorso piscis vivi innatantis aquis“ putaverat.

[3] Cf. S. Paul. I. *Ad Cor.* X. 21., ubi mentio fit *τραπέζης Κυρίου.*

dum in terra visuntur 2×4 cophini pane repleti; 3° Abraham et Isaac, in forma Orantium, adpictis lignis et ariete.[1])

Alia plura Catacumbarum monumenta fidem in sacra Mysteria collustrant, quam Abercius, episcopus Hieropoleos in Phrygia Salutari, exeunte saeculo II. annum tum jam agens septuagesimum sceundum, ubique invenit et professus est.[2])

c) Argumenta pro aliis dogmatibus non desunt. — 1° Nonnulla, v. g. pro primatu S. Petri antea p. 514—515 jam indicata sunt. 2° Alia probant pietatem erga Deiparam, v. g. antiquissima illa pictura in crypta S. Priscillae, Isaiam exhibens et B. Virginem Mariam cum Puero Jesu; similiter invocationem sanctorum, ut illud in Gentiani epitaphio: *in orationibus tuis roges pro nobis quia scimus te in* ☧. In catacumba Priscillae pater et mater ad filiolum mortuum se vertunt his precibus: *εὔχου ὑπὲρ ἡμῶν μετὰ τῶν ἁγίων.*[3]) — Atque S. Damasus Papa in epitaphio S. Agnetis:

[1]) J. Wilpert, *Die Malereien der Katakomben Roms,* p. 289—290, et alia plura eandem veritatem Eucharisticam illustrantia, *o. c.* p. 282—309; cf. Wilpert, *Die Malereien der Sakramentskapellen in der Katakombe des hl. Callistus* (1897). — Pro sententia eorum, qui in pictura prima non Christum vident manum super „Ichthus“ extendentem, sed sacerdotem consecrantem, videsis H. Marucchi, *Éléments d'Archéologie chrétienne,* t. I. (1900), p. 288—291; C. M. Kaufmann, *Handbuch der christlichen Archäologie* (1905), p. 439—441, et Franzelin, *De div. trad.* edit. 3., p. 160.

[2]) De epigrammate S. Abercii cf. *Dictionnaire de théol.* (1899); *Dict. d'archéol. chrét.* 1903 et *Kirchliches Handlexikon* (1906) in voce *Abercius* aut *Aberkios.* — G. de Sanctis, *Die Grabschrift des Aberkios* in fol. period. *Zeitschrift für kath. Theol.* 1897, p. 673—695; Duchesne, *Mélanges d'Archéol.* 1895 et *Bulletin critique* 1894 et 1897; Anal. Bolland. t. X.; P. Batiffol, *Études d'histoire et de théol. positive,* 2. Serie (1905); G. Rauscher, *Florilegium Patristicum,* Fasc. III. (1905) et fontes jam indicatos aut p. 892 indicandos. Rauscher, *o. c.* p. 8 de Abercio, quem ceteri viri docti, quos recensuimus, Christianum fuisse pro certo affirmant, cum moderamine ait: „Christianum eum fuisse multo verisimilius esse videtur.“

[3]) Juvat hic adhibere peritissimum dominum De Rossi hujusmodi inscriptiones explanantem: „Le principal intérêt de l'épitaphe est dans l'invocation des parents à leur fils: *Prie pour nous avec les saints, εὔχου ὑπὲρ ἡμῶν μετὰ τῶν ἁγίων.* Que l'on rapproche de celle-

O veneranda mihi sanctum decus alma pudoris
Ut Damasi precibus faveas precor inclyta martyr.

Neque preces pro defunctis omissae sunt. Oraverunt enim illi, qui inscripserunt: *Deus te precor ut paradisum lucis possit videre;* atque: *Quisquis de fratribus legerit roget Deum ut sancto et innocenti spiritu ad Deum suscipiatur.*[1])

Plura apud Zaccaria, *De veterum Christianarum inscriptionum in rebus theologicis usu dissertatio,* edita etiam a Migne, *Theol. cursus compl.* t. V. p. 310—395; J. Wilpert,

---

ci d'autres épitaphes, également grecques, des cimetières romains: celle d'un enfant, Anatole, *donné à ses parents pour un temps trop court,* et auquel les parents désolés adressent la méme invocation: *εὔχου ὑπὲρ ἡμῶν:* celle d'un petit enfant, auquel son père dit: *Tant que je vivrai, prie pour moi;* celle d'une petite fille, Augenda, à laquelle on parle ainsi: *Vis dans le Seigneur et intercède pour nous;* celle de Denys, *petit innocent,* déposé *avec les saints,* auxquels les auteurs de l'épitaphe adressent; ainsi qu'à lui-même, cette demande: *Souvenez-vous dans vos saintes prières et de celui qui grava et de celui qui rédigea.* J'ai rappelé seulement des invocations en grec, adressées à des enfants que leur âge innocent assimilait aux saints; je n'ai pas parlé de celles qui s'adressaient à des défunts d'âge adulte, non plus que de celles qui avaient été rédigées en latin. Il suffira de répéter ici ce qui est écrit dans la *Roma sotterana,* II p. 275, au sujet de ces belles formules d'invocation: *Des invocations semblables se lisent dans les épitaphes tant grecques que latines: toujours cependant sur les tombes souterraines, jamais sur terre: toujours dans les épitaphes sans date, jamais dans les très nombreuses épitaphes qui portent la date certaine du quatrième siècle ou des âges suivants. Il est donc clair que ces invocations, ces prières, firent partie du style antérieur à la paix de l'Eglise.* Les découvertes de chaque année confirment ce canon archéologique. En voici aujourd'hui, une nouvelle preuve, tirée de la catacombe de Priscille.“ Ex *Bull. di arch. crist.* 1890, p. 144, 145. Cf. J. P. Kirsch, *Die Lehre von der Gemeinschaft der Heiligen im christl. Altertum* (1900); et de cultu B. M. Virginis Liell, *Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau auf den Kunstdenkmälern der Katakomben;* J. Wilpert, *Die Malereien der Katakomben Roms,* S. 213.

[1]) Cf. praeter Encyclopedias jam memoratas J. B. Kirsch, *Die Acclamationen u. Gebete der altchristlichen Grabschriften* (1897). Archaeologia quid de S. Scripturarum in ecclesia auctoritate nos edoceat, exposuit L. Fonck in period. *Stimmen aus M. Laach,* 1895, B. XLIX. — Videsis J. E. Weis-Liebersdorf, *Christus- und Apostelbilder* (1902) cum annotationibus Baumstarck in *Oriens Christianus,* anno III.

Die Malereien der Katakomben Roms (1903); H. Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne* (1900); C. M. Kaufmann, *Handbuch der christl. Archäologie* (1905). Cf. A. Pératé, *L'Archéologie Chrétienne* (1892) et H. de l'Epinois, *Les Catacombes de Rome* (1896).

Objectiones.

Obj. I. Catacumbae Romanae dogmata nulla docent, sed doctrinam neutralem, quovis dogmate superiorem; ita fit, ut ex hac saltem praecipua parte archaeologia nihil probari pro dogmate catholico possit.

Resp. Haec hypothesis nullum fundamentum habet. Roller praesertim, qui catacumbas neque catholicas neque protestanticas esse autumat, in multis offendit; nam doctrinam catholicam, v. g. de Christo adorando, de colenda Maria Virgine, de baptismi effectibus valde ignorat; novam omnino monumentorum chronologiam originemque longe recentiorem comminiscitur, repugnantibus viris, critices archaeologicae peritissimis; mentem scepticam prodit, nescio qua libidine addubitans facta, quae de Rossi firmissimis argumentis probavit et quorum valor studiosa recentiorum critica confirmatus est.

Dices. Catacumbae, utpote funeribus destinatae, symbolis sepulcralibus vestiendae erant. Igitur spem potius quam fidem Christianorum testari poterunt.

Resp. Dist. antec.: catacumbae destinabantur funeribus solis, *nego;* saepe etiam liturgiae cultuique divino, *conc.* Nec consequens absolute concedi debet. Spes enim Christianorum immortalitatis suae plenitudinem ex doctrina evangelica ac dogmate hausit. Ita carorum suorum superstites animas dulcissimas in paradisum susceptas esse confidebant, sed meritis illius divini Pastoris, qui animam dedit pro ovibus suis, et in virtute illius Cibi caelestis, quem fides cum ΙΧΘΥΣ eucharistico comedendum dederat.

Obj. II. Plurima monumentorum indicia combinare prolixum in theologia. At sensus verus ex monumentis saepe erui nequit, nisi combinatis indiciis plurimis; eaque de causa archaeologia theologo dogmatico parum proderit.

Resp. Haec difficultas interdum adest, et saepius olim aderat, non tam maturata archaeologia. Sed nullus argumentorum fons semper limpidus, hodieque post tot labores virorum sagacium picta et sculpta haud raro manifestant, quid patres nostri crediderint, speraverint, dilexerint.

Instabis. Conclusionum inconstantia scientiam obruit. Archaeologia autem inconstans est; ita exorti sunt docti viri, qui celeberrimum Abercii epigramma paganum esse contendant aut saltem auctorem ad religionem aliquam Ethnico-christianam pertinuisse. Ergo archaeologia ad solidam theologiam nihil confert.

Resp. Dist. min.: Archaeologia inconstans est natura sua, *nego*; progressa est a conjecturis et hypothesibus scientiae inchoantis ad conclusiones juxta principia scientiae firmatae, *conc.* Revera historia scientiae archaeologicae nihil manifestat nisi legem illam progressus, quem omnes scientiae sequuntur. De allato epigrammate pauca addam.

Anno 1894 Ficker asseruit, Abercium Christianum non fuisse sed Cybelae antistitem. Duobus post annis Albrecht Dieterich eundem Attidis antistitem fuisse perhibuit, qui Heliogabalo imperatore deum Solem deamque Uraniam visendi causa Romam venerit. Harnack anno 1904 ita tandem exposuit, ut inscriptio viro Ethnico-christiano, non Christiano-catholico tribuenda esse videretur. Veruntamen viri criticae periti, Kraus, Wilpert, Kirsch, De Sanctis, Duchesne, Marucchi, Batiffol, alii indolem Abercii Christianam vindicarunt. Cf. supra p. 889—891.

Ceterum, si non omnia monumenta primo intuitu referri possunt ad suas proprias in animis Christianis origines, arbitramur tamen archaeologos catholicos plura theologis praestitisse, quae fidem et vitam patrum nostrorum manifestant.

* * *

Haec de defendenda ecclesiae catholicae veritate scripsimus. Qui legis, pro auctore precare ad Deum, cui *gloria, et imperium in saecula saeculorum.* Amen. Apoc. I. 6.

Ad quaestionem XXIV. art. 3 de usu archaeologiae christianae.

Crux illusoria (?) Palatini, quae jam servatur Romae in Musaeo Kircheriano.

Fig. I.

Picturae in ordine ad S. S. Eucharistiam.

Fig. II.

Ex coemeterio S. Callisti. — J. Wilpert, Die Malereien der Sakramentskapellen, S. 17.

Fotograf. S. Lucinos. — J. Wilpert, Die Malereien der Katakomben Roms.

Imago stelae Abercii.

Imago stelae Alexandri a. 216 positae.

De Rossi, Inscript. Christ. t. II. p. XVIII.

Fig. 1.



Isaias et B. Virgo Maria cum Puero Jesu.

Ex crypta S. Priscillae.

Fig. VI.

C. M. Kaufmann, Handbuch der christlichen Archäologie, Seite 361.

Petrus-Moyses.

Fig. VII.

Index alphabeticus.

A.

Abaelardus — utrum rationalismum professus sit, 847.

S. Abercius — ejus epitaphium, 889; 894.

Agatho — non primus Luc. XXII. ad primatum illustrandum attulit, 611.

Albertus Magnus — ab eo Pont. Romanus vocatur „Petrus in potestate“, 587; — de scientia antiquorum, 869; — de abusu auctoritatis Aristoteleae, 869.

Altare — in ecclesiae primordiis, 93, 101.

Analogia — S. Scripturarum interpretatio juxta analogiam fidei catholicae, 730.

Anglicanus — Anglicana ecclesia caret vero unitatis principio, 194; — apostolicitate et catholicitate, 219. — Ordinationes Anglicanae invalidae, 227.

Antiquitates — vide *archaeologia*.

Apiarius — in ejus causa Africani episcopi appellationem ad Sedem Apostolicam non improbarunt ob defectum juris in Rom. Pontifice, 592.

Apocryphus — quo sensu S. Hieronymus eam vocem usurpaverit, 682.

Apologetica — quid sit, 2. — Ejus partes, 3. — Est scientia distincta, 4. — Apologeticae progressus falsus, 23, — verus, 24. Varia ejus nomina, 4. — Conspectus progressus apologeticae, 26. — Vide *demonstratio* et *Neo-apologetica*.

Apologia — quid sit, 1. — Sensu minus late sumpto est fidei defensio per probationem fundamentorum fidei generalium, 2.

Apostoli — eorum habitudo ad S. Petrum ratione apostolatus, 493, — et ratione primatus, 494. — Eorum potestas ordinaria et extraordinaria, 525.

Apostolicitas — de vera natura notae apostolicitatis, 184.

Appellatio — appellatio tanquam ab abusu quid sit, 416. — Est abusus maximus, 432.

Appellationes a sententia Romani Pontificis ad generale concilium divino jure prohibitae, 481.

Appellationes ad Rom. Pont. et S. Cyprianus, 590. — Appellationes Africanae, 591.

Approbatio — ordinum religiosorum, 340. — Approbationis patrum et doctorum in ecclesia gradus quatuor, 796.

Archaeologia — quid sit et quotuplex, 883. — Archaeol. Christiana quam late pateat, ibid.

De usu archaeologiae in theologia regulae quatuor, 886. — Theologis argumenta praebet, 887.

Argumenta ex archaeologia, 56, 101, 115, 267, 293, 514, 525, 544, 628, 631, 679, 888—894.

De dextrae et sinistrae dispositione in monumentis antiquis, 524.

Arcosolium — arcosolia et altaria in catacumbis, 101.

Aristocraticus — de ecclesiae constitutione errores aristocratici, 125. — Quo sensu ecclesia forma dici possit aristocratica, 124.

Aristoteles — de abusu Aristotelis in theologia, 865; — S. Thomae adversarii ob Aristotelem, 867; — S. Thomae et Scholasticorum de Aristotelis auctoritate principia, 867. — De motivis, cur scholastici Stagiritae potissimum se addixerint, 870.

Articulus — articulorum fundamentalium systema falsum, 155, 167.

Audollent (A.) — quid de cruce Palatina sentiat, 889.

S. Augustinus — catholicae ecclesiae auctoritatem maxime veneratur, 35, et saepius; — de infallibilitate conciliorum, 473; — ejus interpretatio Matthaei XVI. 18. — 517, 520. — — Primatum Romanum egregie profitetur, 560, 587. — Similiter Pont. Romani infallibilitatem, 615. — Vituperat eos fideles, qui suos errores scientificos quasi S. Scripturarum doctrinam defendunt, 735, 739; — de auctoritate S. Augustini, 796; — de veriori aliquarum ejus sententiarum formula, 802.

Authenticitas — alicujus Libri sacri, quid, 672; — authenticitas divina et litteraria, 672; — historico-critica et dogmatica, 703; — quam late pateat authenticitas Vulgatae, 704; — quid Vega, Cervinus, Lainez et Salmeron hac de re testati sint, 706. — Authentica S. Scripturae interpretatio quid sit, 722.

Azymus — de ejus usu, 242.

B.

Baco Verulam. — docet pleniores haustus in philosophia ad religionem adducere, 828.

Balmes — de tolerantia, 412.

Batiffol (P.) — de Sacrificio Eucharistico apud veteres, 101; — de usu vocis *cànonis* quando inceperit, 670.

Baur (F. Chr.) — de origine Catholicitatis, 175.

Beatificatio — formalis et aequipollens, 355. Cf. *canonizatio.*

Berthier (J. J.) — de auctoritate juris canonici doctorum disserit, 804; — item de usu scientiarum in theologia, 851.

Beza — de protestantismo in frusta diviso, 191.

Bigou — de statu futuro eccles., 279.

Bismarck — de admirabili ecclesiae Romanae unitate, 206.
S. Bonaventura — de plenitudine potestatis in Rom. Pontifice, 595, 598; — de S. Scripturarum fecunditate, 722; — de actu fidei et actu scientiae in eodem, 831. — Ejus sapientiam laudat Leo XIII., 854.
Bonifacius VIII. — quid de ecclesiae potestate in temporalia docuerit, 448; — quid de ejus bulla *Unam sanctam*, 450.
Bossuet — de indole Lutheri et Calvini, 222; — de effectibus religionis reformatae, 220; 223.
Breviarium — quae sit breviarii Romani auctoritas, 332; — postulata in conc. Vaticano quantum ad Breviarium, 333.
Brucker (Jos.) — de patre Prat, 740.

C.

Calmes (Th.) — de Joanne XXI. 15—17, 509; — de propagatione sententiae, qua inspiratio verbalis, rationabiliter explicata, defenditur, 698.
Calvinus — sibi non constat in conceptu de ecclesia, 46; et de visibilitate ecclesiae, 67, 70; — quid de apostolicitate ecclesiae docuerit, 184; — falso asserit, S. Scripturam esse *αὐτόπιστον*, 663. — In praxi ad synodum recurrit, 726.
Canon — canones juris ecclesiastici sunt relicti sub dispositione Rom. Pontificis, 481. — Canone III. conc. Cpolitani I., de qua re agatur, 570; — canon XXVIII. Conc. Chalced. rejectus est, 572.
Canon S. Scripturae — quid sit, 670; — canon catholicus, 672; — canon acatholicorum, 673.
Canonicitas — quid, 671; — de criterio canonicitatis inter catholicos, 675; — inter protestantes, ibid.
Canonizatio — quid sit, 334; — duplex inter canonizationem et beatificationem differentia, 335. — In sanctorum canonizatione non errat ecclesia, 337. — De ecclesiae auctoritate in beatificatione, 339; — item in canonizatione particulari, 340. — De principio, ad quod ecclesiae in canonizando auctoritas dijudicanda videtur, 336.
Canus — ejus de catholicitate hypothesis, 174; — ejus sententia de infallibilitate ecclesiae in ordinibus definitive approbandis, 343. — Praevidit definitionem infallibilitatis Pontificiae, 607. — Quatuor regulas tradit, quibus theologo constare possit, hoc aut illud dogma ab apostolis, docente Christo aut Spiritu dictante, esse traditum, 772.
Capitula — tria, quid, 324; — sententia Vigilii circa tria capitula, 327.
Catacumba — de catacumbis scriptores aliquot, 881.
Catalogus — de antiquis episcoporum catalogis, 115, 118.
Cathedra — locutio ex cathedra quid sit, 604. — Requisita ad eam locutionem, 605.
Catholicitas — quid sit, 172; — requisita ad catholicitatem, 173.
Catholicus — de nomine catholici S. Ignatius Antioch. et S. Polycarpus, 178; item S. Augustinus, 226; — numerus catholicorum juxta Hübner et alios,

261. — *Ecclesia catholica;* cf. *ecclesia.* — Nationes catholicae quomodo dijudicandae, 258.

Cavour — ejus fallacia: „Libera ecclesia in statu libero", 418.

Censura — quid, 379. — Censurarum qualitas, 380. — In qualem incidat errorem, qui ecclesiam in ferendis censuris infra haeresin errare posse affirmet, 388.

Chiliasmus — veterum duplex, 790; — nunquam fuit patrum doctrina communis, ibid.; — chiliasmus recens dominorum Bigou et Chabauty, 279.

Chiliastae — recentiores in sectis, 279.

Christus — divinus ecclesiae institutor, 47; — ecclesiae caput, 65, 87, 493; — de influxu Christi, capitis, in ecclesiam, 65. — Christus homines sanctificat, 54, 87. — De habitudine hierarchiae ad Summum Sacerdotem, Christum, ibid. — De habitu primatus S. Petri et Rom. Pontificis ad Christum, 493. — Christus caput ecclesiae invisibile, 528.

S. Clemens Romanus — testis hierarchiae, divinitus institutae, 100, 114. — Ejus ad Corinthios epistola quid de ecclesia Romana significet, 562, 613.

Clemens VIII. — ejus bulla unionis nationis Ruthenae cum ecclesia Romana, 200.

Clementina — de operibus Pseudoclementinis, 552.

Collectio Lacensis — t. VII. de breviario, 334; — de extensione infallibilitatis ecclesiae ex documentis ineditis conc. Vaticani, 313, 388; — item de objecto infallibilitatis Pontificiae, 622; — de vi vocis canonici, 681; — de inciso „cum omnibus suis partibus" in decreto Vaticano de S. Scripturis, 689; — quaenam in decreto Trid.-Vatic. vis verborum: „in rebus fidei et morum", 725, 726.

Collectiones — conciliorum, 458; inscriptionum Christianarum, 885. — Cf. *Isidorus.*

Collegiale — systema quid sit, 416.

Communio — communionis privatio duplex, 208.

Comte (A.) — incredulus, fatetur, ecclesiam medio aevo justissime pro jure suo et libertate dimicasse, 431.

Concilium oecumenicum — quid sit, 454. — Quinam in concilium vocandi sint et quo jure, 455. — Quid de episcopis titularibus, ibid. — Quot episcoporum congregatio ad concilium oecum. requiratur, 456.

Conciliorum institutio non mere humana est, 457.

Concilium oecum. non nisi Pontificis Romani auctoritate celebrari potest, 459. — Imperatores conc. oecum. nullum convocarunt formaliter, 461; — neque praesederunt ut caput, 462.

Concilium oecum., strictiori sensu nuncupatum, tempore, quo ecclesia capite orbata est, celebrari non potest, 465; — quaenam, ab eo prolata, fide tenenda sint, 467; — utrum Concilium oecum. decreta instar S. Scripturae sint, propterea quod synodus a S. Spiritu regatur, 475. — De concilii generalis auctoritate, vacante Sede Romana, 479; — et in casu Papae dubii, ibid. — Quid,

si Pontifex ab officii sui sanctitate discederet, ibid.

Conc. oecumenicum, a Papa confirmatum, est infallibile, 469. — Conc. cum Papa non est auctoritas Papa solo major intensive, 480. — Conc., a Pontificis legatis confirmatum, jam per se non est infallibile, 465.

Conc. oecumenica quandoque sunt valde utilia, 488; — nonnunquam moraliter necessaria, ibid.; — non necessaria absolute, 489.

Concilium — de conciliorum nationalium et provincialium auctoritate regulae tres, 491.

Concilium Pontificium de re Biblica — responsa duo, 739, 740.

Conclusio theologica — quid, 309, 384. — Conclusiones theologicae virtualiter revelatae sunt, 309. — Quid de conclusione, illata ex duabus praemissis, mediate tantum revelatis, 310.

Confessio — de confessione auriculari testimonia, 253—254.

Congregatio — congregationes Romanae recensentur, 640. — De auctoritate doctrinali congreg. Indicis et Inquisitionis, 641. — De consensu, decretis illarum congregationum debito, 642. — Quid de mente congregationis Inquisitionis et de authenticitate I. Joan. V. 7, 705.

Constantiense — concilii Const. decreta de conciliorum auctoritate, 483. — Utrum solum casum Papae dubii respiciant, 486. — Decreti Const. de frequenti conciliorum generalium celebratione quaenam auctoritas, 490.

Constantinopolitani — concilii III. de Honorio sententia, 631.

Controversiae — controversiarum in rebus fidei et morum judex infallibilis requiritur, 364. — Controversiarum judex non est ratio humana individua, — nec status, — nec S. Scriptura cum spiritu privato, — nec S. Scriptura cum S. Spiritu in spiritu privato, — sed sola ecclesia catholica, 366

Cornely (R.) — de alicujus textus dogmatici omissione in Vulgata, 704.

Credenda — credendorum triplex respectus, 372; — augeri possunt quantum ad nos per ecclesiae magisterium, 373; — eorum explicatior propositio triplex, ibid. — Cf. *fides*.

Credibilis — sub communi ratione credibilis fidei veritates demonstrari possunt, 6, 838.

Credibilitas — de credibilitate fidei, 835. — Quonam lumine credibilitatis evidentia videatur, 840; — quomodo notitia evidentiae in diversis hominum generibus requiratur, ibid.; — utrum evidentia credibilitatis ab evidentia testificationis seu revelationis divinae distinguenda sit, 841.

Credo quia absurdum — quis hoc dixerit et quonam sensu, 823.

Criticus — leges criticae fontium historicorum, 874.

Crux — Palatina, quid significet, 888.

Cultura — culturae prima lex obedire ordini, divinitus constituto, 432.

S. Cyprianus — in lite de haereticis baptizandis, 209. — Primatum Romanum professus est, 560, 567, 590.

S. Cyrillus — et S. Methodius in unitate Romana vixerunt et mortui sunt, 239.

Cyrillus Lucar — patriarcha Calvinianis devinctus, 268; — ejus mendacium de fide Graecorum, ibid.

D.

Dechamps — ejus nova apologeticae methodus, 30.

Declaratio Cleri Gal. — errat circa potestatem indirectam in temporalia, 445.

Decretale — Pseudo-Isidori decretales primatus fidem praeexsistentem demonstrant, 594.

Definitio — ecclesiae definitiones duplicem usum habent in apologetica, 36. — Quaenam in ecclesiae decretis definita et de fide tenenda censeantur, 467. — De valore definitionum ecclesiae pro evolutione doctrinae Christianae, 780.

Delehaye (H.) — de legendis hagiographis, 335.

De Lamenais — tradit falsam methodum Apologiae, 23.

Democraticus — de ecclesiae constitutione errores democratici, 124. — Error democraticus de collatione potestatis Pontificiae, 581.

Demonstratio catholica; — de genere argumentandi huic apologeticae parti consentaneo, 6; — de limitibus demonstrationis catholicae, 8; — de argumentis ex S. Scripturis et sanctis patribus in demonstratione catholica, 35; — de adhibendis in eadem ecclesiae definitionibus, 36. — Demonstratio catholica summi momenti est, 9. — De processu hujus partis apologeticae per decem locos theologicos, 34.

Denifle — de expositione *Rom.* I. 17. ante Lutherum, 220; — de errore evangelii aeterni, 279; — de antiqua formula: *credere Deo, credere Deum, credere in Deum,* 347; — de Joanne XXII. utrum de animis vere purgatis non mox in caelum suscipiendis aliquid definierit, 605.

Didiot — ejus definitio apologeticae, 2; — de optimis scientiarum magistris a theologo consulendis, 828.

Disciplina — de extensione infallibilitatis ecclesiae ad res disciplinares, 329. — In aliquibus casibus habetur haereticum, asserere ecclesiam errare posse in disciplina generali praescribenda, 334.

Doctor — de titulo doctoris ecclesiae, 784. Cf. *patres ecclesiae.*

Dogma — quid sit, 384; — idem contra conceptus quosdam modernos de dogmate, 781; — de formulis dogmaticis, 781, 782.

Döllinger — de martyrio Petri Romano, 535.

Duchesne (L.) — de schismate graeco, 233, 237; — de encyclica Anthimi, patriarchae Cplitani, 531; cf. 203.

Duilhé de Saint-Projet — de divisione apologeticae, 5.

E.

Ecclesia — de voce ecclesiae, 39; — ecclesiae definitio, 43; — ecclesia a Christo immediate instituta, 45; — quando, 62. — Ejus finis, 53; — ex anima et corpore constituta, 64; — influxus divinus in eam, 65; — S. Spiritus Cor ecclesiae, 66 — Ecclesia essentialiter etiam visibilis, 66.

Ecclesiae membra quinam

sint, 757. — Ecclesia ex justis et peccatoribus constat, 80.

Ecclesia notis suae veritatis signata, 149; — est una, 153, — sancta, 163; — catholica, 172, — apostolica, 183.

Ecclesiae pulchritudo, 150.

Ecclesia est societas spiritualis et supernaturalis, 56; — societas perfecta, 130; — ubique legalis, 139; — necessaria, 142.

Ecclesia est indefectibilis, 271; — et infallibilis, 285; — habet potestatem legislativam, 390, — judiciariam, 396; — coactivam, 401. — Ecclesia habet potestatem indirectam in temporalia, 445.

Quonam sensu dicamus, credere sanctam ecclesiam et in sanctam ecclesiam, 355.

Ecclesia Romana — est una, 204, — sancta, 244, — catholica, 260, — apostolica, 264, — atque identica cum ecclesia priorum saeculorum, 266—269. — Acatholicorum de ecclesiae Romanae firmitate testimonia, 274.

Ecclesiae Romanae magisterium infallibile, 348. — Ejusdem doctrina est proxima regula fidei, 357.

Ecclesia Romana judicat de vero sensu et interpretatione S. Scripturae, 727; — traditiones divinas infallibiliter conservat, 765.

Ehrhard (A.) — de protestantismo, 225.

Epiclesis — quid sit, 200.

Episcopale — systema quid sit, 415.

Episcopus — episcopi ex Christi institutione sunt presbyteris superiores, 112. — Episcopi, in concilio congregati, sunt vere judices, 466. — De habitudine episcoporum, in concilio judicantium, ad Rom. Pontificem, ibid. — Plenitudo potestatis Romani Pontificis episcoporum dignitatem nihil laedit, 596, 599. — De origine jurisdictionis actualis episcoporum duplex sententia, 601; — in utraque tum Rom. Pontificis tum episcopi potestas in dioecesin ordinaria est ac immediata, 602.

Episcopus oecumenicus — quae hujus tituli vera notio, 599.

Erasmus — suae aetatis corruptelam deplorat, 223.

Erastianismus — quid sit, 415.

SS. Eucharistia — antiquitates Christianae eam ut Sacrificium probant, 93, 101, 164.

Evangelium aeternum — quid sit, 243.

Evolutio — ecclesiae evolutionem adversarii ignorant, 267; — falsus conceptus de evolutione hierarchiae, 88; — catholicitatis, 176, — ecclesiae, 278.

Evolutio — in veritatum explicatione, 309, 373; — in modo exprimendi dogma primatus, 556. — De doctrinae Christianae evolutione conceptus acatholici, 774; — quo sensu et quare evolutio doctrinae Christianae admittenda sit, 774, 776; — de processu evolutionis doctrinae Christianae, 778; — de termino hujus evolutionis, 780.

Excommunicatus — reus utrum ecclesiae membrum dici debeat, 78, — insons utrum ecclesiae membrum dici possit, 76.

F.

Factum — in factis particularibus fieri potest, ut erret ecclesia, 318, 336.

Factum dogmaticum quid sit, 318; — in eo judicando ecclesia non errat, 319.

Febronius — ejus error de ecclesiae constitutione, 126; — negat, concilia oec. Rom. Pontificis auctoritate celebranda esse, 459.

Febronianus — Febronianorum error de primatu S. Petri, 495. — Distinctio Febroniana inter jura primatus essentialia et accidentalia falsa est, 585.

Fides — quotuplex sit objectum fidei, 303, 354. — Articulus fidei, quid, 384.

Fides — divina, — divina et catholica, — ecclesiastica, — humana, 383. — Quaenam fide divina et catholica credi debeant, 385; — quaenam fide ecclesiastica, 386.

Utrum do eadem veritate possint esse simul actus scientiae et habitus fidei, 829, — aut in eodem intellectu simul actus fidei et actus scientiae, 830; — conc. Vaticanum contra S. Thomae Aquinatis hac de re sententiam nihil declaravit, 832.

Fides — nulla inter fidem et rationem vera potest esse dissensio, 826. — De fide et scientiis experimentalibus, 827.

Filioque — quare, quando, quo jure haec vox symbolo inserta sit, 241.

Franchi (Ausonio) — causam exponit odii adversus scholasticam, 859.

Franzelin, card. — de concilio Tridentino et extensione inspirationis S. Scripturae, 689; — de gravi necessitate amplioris institutionis quoad simplices fideles, 847.

S. Frumentius — quonam sensu in Aethiopia liturgiam perfecerit, 104.

G.

Galilaeus — utrum contra Galilaeum sit editum decretum doctrinale, 644; — ex damnatione Galilei Galilaei nihil prorsus contra Pontificis Romani infallibilitatem concludi potest, 645.

Gallicanus — Gallicanorum error de ecclesiae potestate in temporalia, 416; — de potestate conc. oecumenici supra Papam, 477; — de plenitudine potestatis Papae, 585; — de infallibilitate Pontificia, 607.

Gardeil — de apologetica Pascal, 32.

Gassendi — de Galilaei condemnatione, 645.

Gladius — utrum ecclesia habeat jus gladii, 138; — sententia S. Thomae, ibid. — et Tarquini, ibid.

Gladstone — de visibilitate ecclesiae, 71; — contra decretum Vaticanum de infallibilitate Pontificia, 608.

Görres (J. v.) — de verbis Christi, 778.

Goloubinski — separationem ab ecclesia Romana ante 1054 non factam esse fatetur, 197.

Gonzalez, card. — exponit, quo sensu ecclesiae forma dici possit aristocratica et democratica, 124. — Ejus de Antonio Rosmini Serbati opinio, 859.

Gosselin — errat, ecclesiae in temporalia non nisi potestatem directivam tribuens, 419; — falso asserit, systematis potestatis indirectae inventorem fuisse Bellarminum, 450.

Granderath (Th.) — quid sit liber canonicus, 672; — de decreto Tridentino-Vaticano quantum ad Scripturarum interpretationem, 725.

Gratia — ex opere operato quid, 42.

S. Gregorius Nazianzenus — ejus de infallibilitate conciliorum oecumenicorum sententia, 474.

Grétillat — ejus de *normativa* seu regula fidei opinio erronea, 356, 363.

Grill (J.) — de Matth. XVI. 18—19, 499, 505.

Guizot, protestans — de praejudicatis protestantium opinionibus, 104; — de ecclesia catholica, 227; — de malo bonorum debilium, 433.

Günther — falso asserit, ecclesiam non esse infallibilem in proponenda dogmatis veritate, 304. — Ejus error de interpretatione S. Scripturarum, 726.

H.

Haeresis — quantum malum visum sit S. Ignatio Antiocheno et Polycarpo, 291.

Haereticus — quis, 60; — errans bona fide, quo sensu sit membrum ecclesiae, 75, 145; formalis, non est membrum ecclesiae, sed subditus, 76; — occultus, utrum aliquo modo ecclesiae membrum haberi debeat, 77.

Haeretica propositio — quae, 380. — Utrum haereticae sint propositiones, extra materiam credendorum fide divina doctrinis ecclesiae refragantes, 387.

Hamelius — circa naturam et intensionem inspirationis errasse videtur, 659.

Harnack (A.) — de origine nominis ecclesiae, 49; — de catholicitate, 176, 179; — de unitate ecclesiae Romanae, 206, 266; — de sensu auctoritativo I. Tim. III. 15.; — de martyrio Petri Romano, 534, 537, 538; — de antiqua ecclesia Romana, 563.

Hartmann (E. v.) — de ecclesia catholica, 270.

Hegelianismus — scholam historicam Neotubingensem infecit, 175. — Ecclesiam statui pantheistice subordinat, 417.

Headlem (A. C.), protestans, — de traditione, 761; — de usu archaeologiae in theologia, 886.

Heiner (F.) — de auctoritate Syllabi, 637.

Hermes (G.) — tradit falsam methodum apologeticam, 23.

Hierarchia — quid, 86; — instrumentum Christi, 87, 105; — et ab Ipso instituta, 89. — Hierarchiae institutionis convenientia probatur ex Dei sapientia, ex analogia ordinis naturalis, et ex incarnatione Christi, 106. — Forma regiminis ecclesiastici monarchica, 122.

S. Hieronymus — profitetur, episcopos esse divino jure presbyteris superiores, 120. — Docet multa in S. Scripturis dici juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, 658. — Deuteronomicos libros V. T. non ponit inter apocryphos, pressius appellatos, 682.

Historia — historiae definitio et

divisio, 872. — Historiae fontes, ibid., — et scientiae auxiliares, 873. — Studiorum historicorum regulae, 876.

Historiae abusus — inter protestantes et incredulos, 175, 877, 881, 887.

Historia humana theologis perutilis, 879.

De usu historiae in theogia regulae tres, 882.

Homersham Cox — protestans, iter et martyrium Petri Romanum certo certius esse affirmat, 538.

Honorius, Papa, — non erravit ex cathedra nec aliter in fide, 628; — sed negligendo, 633. — Quo sensu et qua auctoritate a conc. oecumenico VI. damnatus sit, 328, 631; — triplex ea de re sententia, 632.

Hormisdas, Papa — Hormisdae formulae, qua Rom. Pontificis infallibilitas exprimitur, tres patriarchae Cpolitani et 2500 circiter episcopi subscripserunt, 616.

Hort — quid de hierarchia docuerit, 88.

Hurter (H.) — de doctrinae Christianae evolutione, 780.

I.

IXΘYΣ — quid significet, 888.

S. Ignatius Antiochenus — de hierarchia divinitus constituta, 100; — de episcoporum dignitate, 114; — de ecclesia Romana, 557, 614.

Ihering, protestans, — affirmat, acatholicos cum suo damno et dedecore doctrinam S. Thomae de jure ignorare, 859.

Impositio — manuum ut ritus est consecrantium, 95.

Indefectibilitas — ecclesiae quid, 270. — Exorta saec. XIV. de persona Papae lite, non defecit ecclesiae unitas, 212; — nec Arianismi aetate catholicitas, 276.

Individualismus — dogmaticus, quid, 355.

Infallibilitas — quid, 282; — operationem humanam non excludit, 294, 472; — non inspirationi, nec novae revelationi, sed assistentiae divinae tribuenda est, 604.

Infallibilitas Rom. Pontificis — vera hujus infallibilitatis notio, 604; — quo sensu personalis dici debeat, 605; — non est doctrina nova, 613.

Papa, ex cathedra definiens, et conc. oecumenicum, Papae conjunctum, utrum sind duo subjecta infallibilitatis activae, et duae auctoritates infallibiles, 606, 621.

Papae decreta infallibilia quo criterio internoscantur, 621.

Infallibilitas Pontificia ad quae porrigatur, 621.

Innocentius III. — ejus doctrina de potestate indirecta ecclesiae in temporalia, 447.

Inquisitio — errores de tribunali inquisitionis, 411.

S. Inquisitionis congregatio. Cf. *congregatio*.

Inscriptio — inscriptionum veterum usus in theologia, 885.

Inscriptio aedis S. Laurentii de missione ecclesiae sanctifera; — item apud Lateranum super fontem Baptisterii, 56. — In crypta Caeciliana, 115.

Epitaphium, in Sylloge Centulensi servatum, 628. — Ex Sylloge prima corporis Laures-

hamensis confirmatur, non errasse Honorium Papam, 631.

Inscriptiones de Christi divinitate, — de SS. Eucharistia, — de sanctorum invocatione, — de precibus pro defunctis, 888—894.

Inspiratio — differt a revelatione et assistentia, 284; — 656; — vide: *S. Scriptura.*

S. Irenaeus — de potiori principalitate ecclesiae Romanae, quid docuerit, 558, 564, 614, 624.

De S. Scripturis ab ecclesia interpretandis, 728.

De traditione, 759.

Irving (Ed.) — ejus error de ecclesia futura, 279.

Isidorus — Pseudo-Isidori collectione decretalium potestas Rom. Pontificum nihil mutata est, 593.

J.

Jaffé, acatholicus, — in ejus Regestis Pontificum Romanorum, ed. 2. aliqua corrigenda, 878.

Jansenismus — ejus synopsis historica, 315. — Lacordaire de Jansenismo, 318.

Janseniani — Sainte-Beuve, viri increduli, dictum de Jansenianis, 317.

Janssens (L.) — de ea ab errore immunitate, quam inspiratio non requirit, 657; — de commate Joanneo et Vulgata, 705.

Jülicher (A.) — erroneum ejus de ecclesiae munere judicium, 346.

Jurieu, minister Calvinista, — causam profert inventae a protestantibus mere invisibilis ecclesiae, 68. — Ejus error de articulis fundamentalibus, 154.

Jus — majestaticum circa sacra, — advocatiae, — supremi dominii, — reformandi, — supremae inspectionis, — cavendi, — placeti regii, quid, 416. — Sunt injustitia adversus Christi ecclesiam, jura non sunt, 431.

K.

Kant — auctoritatem ecclesiasticam impugnat, 346; — in *Critica rationis purae* ordinatam spiritualis et temporalis potestatis colligationem fundamentaliter subruit, 418; — argumenta ex ratione pro exsistentia Dei et animi immortalitate rejecit, 821.

Krogh-Tonning — de „tacita reformatione“ Protestantismi, 220.

L.

Lacordaire — de perpetuis mutationibus objectionum contra religionem Christianam, 23; — ejus nova apologeticae methodus, 30; — ostendit veram protestantismi indolem, 105; — Jansenismum definit, 318.

Lagrange (M. J.) — de S. Scripturae excellentia, 649; — de inspiratione verbali, 698.

Lanciani — de martyrio Petri Romano, ex archaeologia certo, 546.

Legalitas — suprema a lege divina proficiscitur, 139.

Leibniz — cum Bossuet de adducendis ad unitatem catholicam Lutheranis egit, 214; — de philosophia S. Thomae colenda, 859.

Lenormant (F.) — S. Scripturarum inspirationem nimis coarctavit; — opus ejus „Les origines de l'histoire“ in indicem librorum prohibitorum relatum; — au-

ctor in pace ecclesiae defunctus, 687.

Leo XIII. — tradit regulas ulteriorum progressuum apologeticae, 25. — Ostendit, ecclesiam esse civilitatis foecundum fontem, 140, 442. — Principia ponit circa relationem inter ecclesiam et statum, 421. — De conceptu inspirationis S. Scripturae, 653; — de veritate S. Scripturae, 685, 690, 695; — de interpretatione S. Scripturae juxta analogiam fidei, 730; — de interpretatione privata, 733; — de interpretatione in rebus ad scientias naturales pertinentibus, 734; — de doctrina S. Thomae, 815, 857. — De palaeographiae schola Romae instituenda, 873. — Studiorum historicorum tradit regulas, 877. — De studii historici necessitate, 881.

Le Roy — quid de formulis dogmaticis dixerit, 781.

Lerinensis (Vincentius) — ejus regula: „quod ubique, quod semper, quod ab omnibus" quantum valeat, 773; — de evolutione doctrinae Christianae, 777.

Lessius — circa naturam et intensionem inspirationis errasse videtur, 659; — utrum Conc. Vatic. proprie de Lessii sententia egerit, 661.

Liberius, papa, — non ex cathedra erravit per aliquam formulam Sirmiensem, 626; — quinimo ejus lapsus prorsus commentitius esse videtur, 627.

Libertas — ecclesiae quousque extendatur, 427.

Lightfoot — de martyrio Petri Romano, 534.

Locus theologicus — quid, 32; quotuplex, 33.

Loisy — quare doctrinae Christianae evolutionem explanare non potuerit, 779.

Luther — ejus idea de ecclesia, 41; — de visibilitate ecclesiae, 67; — decrevit contra hierarchiam: „prorsus ejusdem juris sumus omnes", 88. — Obedientiam sibi postulat: „sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas", 194. — „Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide," 220; — ejus testimonium de sterilitate protestantismi, 223; — ejus error de potestate ecclesiae legislativa, 391. — Papam appellat Antichristum, 556; — sanctorum patrum auctoritatem negligit, 785; — S. Thomam Aquinatem vocat phialam irae Dei, 814.

M.

Macchiavelli — fautor erroris sejunctionis status ab ecclesia, 418.

Magisterium — ecclesiae quid, 344; — testis, custodis, interpretis et judicis munera complectitur, 345. — Ecclesiae magisterium tam ordinarium quam extraordinarium infallibile, ibid. — Magisterii externi et interni unio, 347.

Mallock — protestans, — fatetur S. Scripturas inter sectas subverti, 727.

Mannens (P.) — de S. Scripturarum interpretatione in rebus historicis, 736.

Manning, card. — ritualismum describit, 347. — Ejus mens de I. Joan. II. 20, 352.

Marsilius Patavinus — quid de constitutione ecclesiae docuerit, 124; — ejus error quantum ad potestatem legislativam ecclesiae, 391.
Martyrologium — descriptio in Martyrologio Romano, spectata sua natura et indole, canonizationem formalem vel aequipollentem non importat, 339.
Mattheus — de auctoritate et vi Matth. XVI. 18—19, vide 48, 51, 272, 286, 495, 496, 499, 503.
Melanchthon — de morum corruptione queritur, 223.
Miraculum — quonam sensu miracula ad ecclesiae sanctitatem pertineant, 165. — Miracula a Christo ecclesiae promissa, 169. — Gratia miraculorum in ecclesia Romana semper permanet, 250.
Mithras — et Christus, 504; 888.
Modus vivendi — quae ad illum requirantur, 440.
Monarchia — quadruplex, 123. — Notio monarchiae ecclesiasticae, 124.
Monsabré — de catholicitate ecclesiae, 174; — de ecclesiae prudentia in exercenda potestate legislativa, 396.
Montesquieu — de beneficiis, quae Christiana religio, etiam in terris hominibus tribuit, 441.
Monumentum — de monumentis Christianis, 884.
Müller (M.), protestans, — de difficultate interpretandi Libros sacros.

N.

Natio — de nationibus catholicis, 258.
Nationalis — ecclesiae nationales esse nequeunt ecclesia catholica, 225, 234.
Neo-apologetica — quid, 10; — ejus methodus, 13; — critica hujus systematis, 18.
Neolutherani — vinculum objectivum ecclesiae opus esse sentiunt, 42. — Magisterii auctoritatem quaerunt, at ubi ea sit, non declarant, 346.
Newman, card. — ejus, cum adhuc protestans esset, ecclesiae Romanae desiderium, 247; — ejus de Romana ecclesia, ut teste fidei et decalogi, judicium, 252; — de ecclesiae Romanae apostolicitate, 269; — de doctrinae Christianae evolutione, 778, 780; — de necessitate et valore dogmatum, 781, 782; — ejus de inspiratione S. Scripturarum sententia, 687.
Noachica — praecepta quae sint, 181.
Nota — ecclesiae quid, 148. — De vera notarum indole praemonita sex, 151. — Duae notae, a protestantibus prolatae, falsae sunt, 152.
Nuytz — in quantum potestatem ecclesiae coactivam impugnaverit, 407.

O.

Ordo — de religiosorum ordinum approbatione, 340. — Ecclesia in definitiva illa approbatione, quantum ad judicium doctrinale, non videtur errori obnoxia, 341. — S. Thomae de eadem re sententia, ibid.
Osius — quo titulo actis conc. Nicaeni I. primus subscripserit, 464.

P.

Palmieri — de criterio, quo decreta Rom. Pontificis infallibilia cognoscuntur, 621.

Papa — utrum valeat hoc: „Papa dubius, Papa nullus“, 487. Cf. *Pontifex Rom.*

Papebrochius — ejus sententia de gemino Episcopatu Romano, 539.

Papias — quaenam ejus auctoritas in rebus historicis, 499, 549.

Parvulus — de parvulis, qui rationis usum non adepti nec sacro fonte abluti vita excedunt, 61.

Pascal — quomodo probare conetur judicium de facto dogmatico esse judicium de mero facto, 321.

Pascha — in lite de celebrando Paschate unitas ecclesiae servata est, 207.

Paschasinus — ejus de epistola Ibae judicium, 325.

Pater — apologetica sanctos Patres allegat ut testes historicos, 36.

De titulo sancti Patris seu patris ecclesiae, 783.

Patrum consensus communis quando adsit, 788. — Patres ut testes traditionis et fidei, 784, — ut doctores privati, ibid.; — 789, 796; — de eorum auctoritate extra res fidei et morum, 797; — item in exponendis rebus physicis et aliis ejusmodi, quae in S. Scriptura occurrunt, 799.

De recto usu sanctorum Patrum regulae septem, 797.

S. Paulus — quid intellexerit, scribens Gal. II.: *οἱ δοκοῦντες*, 182, 511, — quid I. Thess. V. 21.: „omnia autem probate“, 351. — Quaenam sit vera lectio, I. Tim. III. 15. — 286; — item II. Tim. III, 16. — 665.

S. Pauli relationes cum S. Petro, 522.

Perfectio — quaelibet res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, 108.

Per Venerabilem — decretale de potestate indirecta, 447.

S. Petrus — de habitu S. Petri ad ceteros apostolos, ratione apostolatus, 493; — ratione primatus, 494. Cf. *S. Paulum.*

S. Petrus — jurisdictionis primatum divinitus accepit, 496; — et solus eum accepit, 523.

S. Petrus — Romam venit, 529; — acatholicorum de hoc facto testimonia, 537; — Romae sedem suam collocavit, 538; — et martyrio in urbe coronatus est, 542. — S. Petrus et Simon Magus in *Pseudoclementinis*, 552.

Petrus Magnus, Imperator — „Spirituale Collegium“ pro Schismaticis instituit, 199.

Pfleiderer — de Matth. XVI. 18—19, 499.

Philaretus — ejus error circa unitatem ecclesiae Graeco-Russicae in suo Catechismo, 203.

Philosophia — de usu argumentorum philosophicorum in theologia, 849. — De abusu philosophiae in theologia, 847.

Philosophus — philosophorum scholae praecipuae, 861. — Philosophorum auctoritates possunt esse theologis utiles, 862.

De auctoritate Aristotelis, 865.

Photius — schismatis Orientalis auctor, 196; — Petri primatum confessus est, 516, 556.

Photianismus — cf. *schismaticus.*
Pistorienses — eorum error circa potestatem coactivam ecclesiae, 407.
Placet regium — quid, 416, 431.
Play (F. Le) — de quaestione sociali per ecclesiam catholicam solvenda, 438.
Poena — de proportione inter poenas temporales et delicta hominum, 401. — Potestas ecclesiae coactiva ad poenas etiam temporales extenditur, 408.
S. Polycarpus — et Rom. Pontifices, 207.
Pontifex Romanus — ejus primatus quid, 555. — Pontifex Rom. S. Petri in eodem primatu successor, 557. — Ejus primatus imperatorum decretis non concessus est, 570, — nec conciliorum canonibus, 571.

Pontifex Rom. habet totam plenitudinem potestatis supremae, 583; — ejus potestas est in omnes et singulas ecclesias ordinaria et immediata, 596; — ex cathedra loquens infallibilis est, 608.

Pontifex Rom. potestatem suam a Deo immediate accipit, 580. — Utrum Pontifex electus claves secum afferat, aut cuinam moriens eas relinquat, 581. — Utrum possit sibi successorem designare, 580.

Pontificis Rom. infallibilitas ad quae extendatur, 621. — Qualis obedientia ipsi debeatur, quando non ex cathedra definit, 622.

Haec propositio: „Pius X. est Summus Pontifex", est de fide, 579.
Potestas — ordinis et jurisdictionis, 389.

Potestas — legislativa, 390; — judiciaria, 396; — coactiva, 401. — Potestas ecclesiae coactiva ad poenas etiam temporales extenditur, 407. — Utrum ecclesia vim materialem exercendi potestatem habeat, 413.

Potestas — ordinaria et extraordinaria quid, 596.
Presbyter — indistinctio primaeva nominis presbyteri et episcopi, 110.
Progressus — admittendus est progressus ecclesiae subjectivus et quoad nos, 267, 278, 373.
Protestantismus — ejus auctores principales nulla vitae sanctitate commendandi, 222. — De pessimis ejus fructibus quaedam acatholicorum testimonia, 223. — Propagationis ejus quaenam ab initiis causae fuerint, 230. — Nulla in eo nota verae ecclesiae, 190, 219. — Caret quovis verae unitatis ecclesiasticae principio, 190.

Protestantismus — ideam ecclesiae quinque falsis principiis adulteravit, 42. — Perperam intelligit sufficientiam gratiae Christi, — cultum Dei immediatum, — libertatem evangelicam, 105; — activitatem divinam in ordine gratiae, 109. — Ejus theologi de S. Paulo quid senserint, 359. — Admisit regulam: „cujus regio illius et religio," 415.
Pusey — in suo opere „Eirenicon" unionismi Anglicani errorem de ecclesiae magisterio tuetur, 347.
Puseyitae et ritualistae — vinculum ecclesiae objectivum quaerunt, 43; — nullam habent veri nominis hierarchiam, 88, 227; —

eorum error circa apostolicitatem ecclesiae, 184; — nullam infallibilitatem in concreto admittunt, 285; — judicem controversiarum designare nequeunt, 365. — Falsa eorum de oecumenicis conciliis opinio, 469.

R.

Rascolnici — quinam sint, 202. — In Russia 12000000 aut 14000000 esse censentur, ibid.

Ratio — de viribus rationis naturalis respectu veritatum naturalium, 821; — item respectu fidei et veritatum supernaturalium ante fidem, — in ipso assensu fidei, — post assensum fidei, 822.

Ratio naturalis fidei subordinata est, 825; — nulla inter fidem et rationem vera potest esse dissensio, 826.

Rationalisticus — interpretatio S. Scripturar. rationalistica. Semler, Kant, Paulus, Strauss, 654.

Regnum — Dei et chiliasmus, 43; — regnum Dei, quid, 52, 71. — Cf. *Chiliasmus*.

Regula — fidei quid, 352; — quotuplex, 353. — Quonam sensu ecclesia sit proxima regula fidei, 353.

Religio — de habitu religionem inter et ecclesiam, 44, 49, 50, 54, 57—59, 72, 104.

Rémusat — de probitate cleri catholici, 257.

Revelatio — revelationes communes aut privatae, 302. — Veritates immediate et mediate revelatae, ibid.; — quaenam aequivalenter immediate revelatae censeantur, 303.

Revelationes privatae — qua fide credendae, 386.

Revue Biblique — de philologia Field et Joan. V. 39, 362; — de inspiratione verbali, 698.

Roma — titulus „novae Romae", in concilio Cpolitano I. et in Chalcedonensi canone XXVIII. alligatus, quid valeat, 571.

Romanus — episcopatus, seu episcopatus urbis, et episcopatus orbis utrum duo sint episcopatus, 572. — Quo jure primatus episcopatui Romano annexus sit, 573. — Conjunctio primatus et episcopatus Romani prorsus definitiva esse videtur, 573.

Rossi (J. B. de) — de picturis Catacumbarum aliquibus, 891.

Rothe — de Sacrificio eucharistico, 164.

Russicus — ecclesia Russica in suis primordiis concordiae nexu cum ecclesia Romana conjuncta erat, 197. — Goloubinski, viri acatholici, de hoc facto testimonium, ibid. — Tota negotiorum spiritualium moderandorum auctoritas apud Russos factis ad imperatorem devolvitur, 199. Cf. *schismaticus*.

Russici dissidentes, 202.

S.

Sabatier (A.) — de hierarchia, 88; — de religione catholica, 249; — de religione autonoma, 280; — de fide catholicorum, 346, 348.

San (L. de) — argumentum pro S. Librorum inspiratione ex traditione egregie exposuit, 679.

Sanctificatio — quid, 53. — De sanctificatione haereticorum et infidelium, 60.

Sanctitas — quid, 163.

Sardicensis — concilii Sardicensis

canonibus jus recipiendi appellationes Romano Pontifici non tributum, sed sancitum, 592.
Schanz (P.) — parum aeque judicat de ea doctrina inspirationis verbalis, qualem Lagrange et alii defendunt, 698.
Schell (H.) — de neo-apologetica, 11, 21; — de testimonio S. Spiritus, 352; — de rejectis a protestantibus deuterocanonicis Libris, 677.
Schisma — schismatis Orientalis synopsis historica, 195—200. — Nullum schisma purum, 199.
Schismaticus — in ecclesiis schismaticis non est nota unitatis, 200; — sanctitatis, 232; — catholicitatis, 234; — apostolicitatis, 235. — Ecclesias nationales admittunt, 235. — Aliqua de schismate judicia, 235—237.
Schismatici — quinam sint membra ecclesiae, 75—76; — eorum de Petri primatu testimonia, 516; — saepius et solemniter primatum Romanum professi sunt, 236.
Schismatica propositio quae sit, 382.
Schleiermacher — ejus error de motivis fidei, 837.
Scholasticus — de principiorum et methodi scholasticorum etiam in disputationibus apologeticis praestantia, 37. — Theologiae scholasticae excellentia probatur, 801.
De aliquorum scholasticorum vitiis, 810.
Scholten — quid de origine catholicitatis, 176.
S. Scriptura — ejus definitio, 647; — divisio, ibid.; — dignitas, 649 et fecunditas, 722.
S. Scripturae inspiratio seu *θεοπνευστία*, — unde maxime determinanda sit, 651; — quaenam inspirationis conceptu praecipue comprehendantur, 653; — inspiratio et propria sacri scriptoris seu hagiographi operatio, circa fontes, ex quibus scribenda hauriat, 656, 668; — in genere ac modo scribendi, 657, 669; — inspiratio ejusque conscientia in scriptore sacro, 658; — conceptus aliqui erronei circa inspirationis naturam, 659; — inspirationis definitio, 662, et divisio, ibid.; — de natura argumentorum, quibus inspirationis factum probandum est, 662.
S. Scriptura divinitus inspirata est, 664; — omnes et singuli Libri canonis Tridentini inspirati sunt, 676; — utrum aliquis liber inspiratus deperditus sit, 679; — omnes res et sententiae Scripturarum divinitus inspiratae sunt, 688; — quo gradu haec de inspirationis extensione sententia certa sit, 695; — utrum *aliqua* verbalis quoque inspiratio admittenda sit, 696; — *mechanica* omnium et singulorum verborum inspiratio omnino rejicitur, 697; non pauci tamen verbalem inspirationem secundum metaphysicam causarum rationabiliter exponunt et defendunt, 697.
S. Scripturae sensus — quid sit et quotuplex, 716; — utrum credibile sit, sub una serie litterae quandoque esse multiplicem sensum, 718; — ecclesiae est de vero sensu et interpretatione S. Scripturae judicare; — de quatuor regulis

viro catholico observandis, ne a sensu, quem tenuit ac tenet ecclesia, deflectat, 729.

S. Scripturis interpretandis etiam privato doctori magnus campus patet, 733; — de privata interpretatione regulae aliquae ex actis Leonis XIII., 733.

Doctrina inspirationis non restrictae et veritatis S. Scripturae non separanda a doctrina de modis, quibus veritas Scripturarum salvari potest, 686; — quid in eo genere valeat de interpretatione rerum ad scientias naturales pertinentium, 657, 734; — quid pro rebus historicis, 656, 736; — quid generatim quantum ad indolem litterariam alicujus Libri aut loci, 737; — quomodo S. Thomas *Gen.* III. 31. interpretatus sit, 739; — quid de citationibus tacitis vel implicitis, 739. — De progressu scientiae interpretationis, 741.

S. Scripturarum — lectio per se utilissima, 742; — ecclesia eam bene ordinatam commendat, 747.

Sedes — et praesidentes quo sensu differant, 612.

Senensis (Sixtus) — S. Scripturas S. Spiritu dictante scriptas esse docuit, 661.

Sensus catholicus — quid et quam tutus, 771.

Simon (Jules) — docet exilem esse moralem, quam vocant independentem, 437.

Sirmiensis — formulae Sirmienses quae, 626.

Societas — quid, 130. — Notio societatis perfectae, 131.

Soicetates biblicae — ab ecclesia optimo jure reprobatae sunt, 745.

Sociniani — eorum error circa fidei lites componendas, 325.

Spencer (Jones) — pro pace ecclesiarum laborans, 214; — de errore Papatum impugnantium ex falsis decretalibus, 594.

S. Spiritus — est cor ecclesiae, 49. — De assistentia S. Spiritus promissa ecclesiae, 248.

S. Spiritus — in traditionibus divinis conservandis agens principalis, 681.

Status — de relationibus inter ecclesiam et statum systemata, 414. — Principia sex, quibus quaestio de istis relationibus solvenda est, 421. — Cardo quaestionis in excellentia finis supernaturalis ecclesiae, 423.

Statui nec directe neque indirecte subordinatur ecclesia, 425. — Neque ecclesia a statu, neque status ab ecclesia sejungendus est, 433.

Ecclesia habet potestatem indirectam in temporalia, 444. — Systema hujus potestatis indirectae et potestatis directae theoretice et practice inter se differunt, 453.

Concors ecclesiae et status operatio gignit bona plurima, 434. — De praxi hujus operationis concordis regulae quatuor, 439.

Steeg — minister protestans, de protestantismi divisione, 191.

Strauss — ecclesiam docet esse scholam aestheticam inferiorem, 42.

Suarez — quid satis sit, ut aliqua veritas ab ecclesia definiatur, 377.

Sybel — asserit cum Thoma Aqui-

nate contundi Romanam curiam, 814.
Syllabus — quid sit, 634; — ratio duplex valoris Syllabi, 635; — doctrina Syllabi suscipienda tanquam doctrina a Summo Pontifice notata pro universa ecclesia, 635; — utrum propositiones Syllabi damnatae sint etiam per sententiam in Syllabo latam, 637; — quid circa Syllabum practice valeat, 638, — et quantum ad censuras incurrendas, 639.
Sylloge — Centulensis, utrum de Liberio, Rom. Pontifice, agat, 628.
Symbolum apostolorum — ejus origo, 40.

T.

Taine (H.) — putavit modernorum inventa fidei obstare, 827.
Territoriale — systema quid, 415.
Tertullianus — de ejus auctoritate, 102; — de distinctione inter ordinem et plebem, 103; — quomodo ecclesiae veritatem ex ejusdem apostolicitate demonstret, 186; — ejus dictum: „credibile est, quia ineptum est," 823.
Testamentum — Vetus, quonam sensu argumenta ex eo in hac Apologetica adhibeantur, 36.
Theologus — quinam theologi dicantur positivi, — qui scholastici, 803. — Concors omnium theologorum sententia in rebus fidei et morum certum praebet argumentum, 807.
De argumentis ex theologorum auctoritate, 806, 812.
Thiersch, protestans, — de sacrificio Eucharistico, 101.
S. Thomas Aquinas — etiam in apologeticis disputationibus dux est, 37. — Ejus de indirecta ecclesiae potestate in temporalia judicium, 448. — Suam de Rom. Pontificis auctoritate doctrinam non hausit ex corruptis patrum textibus, 595.
S. Thomae de S. Librorum inspiratione doctrina, 654; — de operatione hagiographi propria, 655, 657; — de inspirationis conscientia in scriptore sacro, 658; — de extensione inspirationis, 684; — de S. Scripturarum sensibus, 716; — de multiplicitate sensus litteralis, 718; — de sensu typico seu mystico, 720; — de iis, qui dogmata fidei esse asserunt, quae de fide non sunt, 734, 736; — de veritate S. Scripturarum, quae diversa expositione salvatur, 738, 739; cf. 799.
S. Thomas — ejus auctoritas, 813; — adversarii, 814; — de philosophiae ejus praestantia, 856.
S. Thomas — docuit in experimentalibus et in conclusionibus, quae scientiarum naturalium incrementa sequuntur, certitudinem a posteris obtinendam, 858.
Tilloy — de falsis decretalibus, 594.
Traditio — divina quid, 748. — S. Scripturae docent exsistentiam traditionum divinarum, 751. — De causa, divinas traditiones conservante, 764. — De mediis transmissivis traditionum divinarum, 765, 884.
Certa et tuta traditionum discernendarum regula est sensus ecclesiae, 771. — De discernendis traditionibus regulae quatuor, 772.

Tridentinum concilium — quomodo in suo decreto de S. Libris intellexerit: „cum omnibus suis partibus," 689; — ejus decretum de Vulgatae authenticitate, 702; — et de S. Scripturae interpretatione, 723; — quaenam in decreto Tridentino-Vaticano de hac interpretatione sit vis verborum: „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium." — De traditione divina, 750.

Turrecremata (J.) — exposuit systema de potestate ecclesiae indirecta in temporalia, 421.

Tubingensis — scholae hypothesis erronea de origine catholicitatis, 175; — item de itinere Petri Romano, 530, 552.

U.

Unam sanctam — bulla de potestate indirecta ecclesiae, 448; — constitutionis Unam sanctam authenticitas, 450; — auctoritas, 634.

Unitas — ecclesiae quid, 153. — Unitas fictitia articulorum fundamentalium, 154, — et trium communionum, 213. — Via vera procurandi Christianitatis unitatem, 213.

Urbanus — Urbani VI. electio legitima, 212.

V.

Vaticanum concilium — quid de objecto infallibilitatis ecclesiae definierit, 313; — item de objecto infallibilitatis Pontificiae, 621; — de ambitu S. Scripturae aut de extensione inspirationis definitioni Tridentini nihil addidit, 673; — utrum incisum: „cum omnibus suis partibus." Synodi Tridentinae magis determinaverit, 689; — de doctrinae Christianae progressu, 777.

Decretum Tridentino-Vaticanum de S. Scripturarum interpretatione, 723; — hujus decreti expositio, 724.

Vaughan (Card.) — de mente S. Inquisitionis quantum ad resolutionem de commate Joanneo, 705.

Vercellone — ejus sententia de Vulgatae authenticitate non videtur rejicienda, 704.

Versio — de S. Scripturarum versionibus, 699.

Victor, Papa, — utrum ipsi tractatus „De aleatoribus" tribuendus sit, 511; — utrum ex eo tractatu argumentum pro primatu erui possit, 511. — Quid in lite de paschate decreverit, 180—181.

Victoria (F. de) — de potestate ecclesiae, 392.

Vigilius Papa — in lite de tribus capitulis, ratione doctrinae, sibi non contradixit, 327.

Vulgata — versio S. Scripturae vulgata quid, 701; — quo sensu a Tridentino authentica declarata sit, 703; — quam late vox substantialiter, quantum ad Vulgatae authenticitatem pateat, 704; — de Vulgatae praestantia protestantium aliquorum judicium, 709. — Quid de textibus primigeniis et de inspectione praecedentis linguae, 709. — De exsecutione decreti, ut vulgata editio quam emendatissime imprimeretur, 710.

W.

Waggett — de visibilitate ecclesiae, 71.

Wilpert (Jos.) — de archaeologiae principiis, 887; — de symbolo piscis, 888; — corrigit opinionem vigentem de canistro et pisce in crypta Lucinae, 890.

Wiseman — de defectibus apologetarum saeculi XVIII., 24.; — de iis, qui usus paganos in ecclesia Romana vident, 256.

Z.

Zanecchia (D.) — de narrationibus Biblicis, 738.

Zigliara, card. — de vero conceptu monarchiae temperatae, 123; — de ecclesiae jure infallibiliter decernendi de doctrinis, quae revelatis concordant aut adversantur, 315; — de approbatione doctrinae S. Thomae, 814.

Typis impr. Verlagsanstalt Ratisbonensis.

P. G. Patiss S. J.,

materiae meditationum et concionum

ex Evangeliis et Epistolis Dominicarum in singulos hebdomadarum dies per totum annum distributae in usum sacerdotum. 8. 4 partes. M. 8.—.

P. Jacobo Illsung,

Verba vitae aeternae

ex quatuor Evangelistis deprompta atque in argumenta quotidianae meditationis digesta. Editio nova, emendata et aucta, curante **P. Rudolpho Handmann,** ejusdem societatis. Cum permissu Episcopi et Superiorum. 2 tomi. 8. Brosch. M. 8.50, in 2 Halbfranzbänden mit Rotschnitt M. 11.50.

Dr. J. Katschthaler,

theologia dogmatica catholica specialis.

Liber I. De regni divini per deum institutione seu theologia sensu stricto complectens doctrinam de deo uno et trino nec non de deo creatore. gr. 8. M. 5.—.

Liber II. De regni divini peccato perturbati restitutione per Christum, seu christologia, complectens doctrinam de peccato originali, de incarnatione et redemptione. gr. 8. M. 5.—.

Liber III. De regni divini restaurati gubernatione per gratiam. Pars I. De gratia. gr. 8. M. 5.—. Pars II. De sacramentis. gr. 8. M. 10.—.

Liber IV. De regni divini consummatione seu eschatologia. gr. 8. M. 5.—.

Liber I—IV zusammen bezogen statt M. 30.— nur M. 20.—.

B. Alberti Magni,

Episcopi quondam Ratisbonensis,

Tractatus de forma orandi

ejusdem **Legenda Metrica** praemissa nunc primum in lucem prodit cura et labore **Alberti Wimmer Presbyteri,** linguarum quas vocant modernarum, in scholis regiis quondam professoris. Cum approbatione. Cum effigie Alb. Magni. 8. M. 2.—.

Date Loaned

MR 12 '54			
FE 16 '61			
MY 1 5'64			

Demco 292-5

SALZMANN LIBRARY-ST FRANCIS SEMINARY
3 9641 00000 6107

BT Groot, Joannes
213
G8 Summa apologetica de ecclesia...

DATE DUE	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

BT Groot, Joannes
213
G8 Summa apologetica de ecclesia...

ST. FRANCIS SEMINARY
SALZMANN
LIBRARY
Milwaukee, Wis. 53207

Rep
JA